SC.9.Pl.1.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS
LAUNOII
OPERA OMNIA,

In Quinque *Tomos* & Decem *Volumina diſtributa.*

Digitized by Google

JOANNIS LAUNOII,

CONSTANTIENSIS, PARISIENSIS THEOLOGI, SOCII NAVARRÆI,

OPERA OMNIA;

AD SELECTUM ORDINEM REVOCATA.

INEDITIS OPUSCULIS ALIQUOT, NOTIS NONNULLIS DOGMATICIS, HISTORICIS ET CRITICIS,

AUCTORIS VITA,


VARIIS MONUMENTIS TUM AD LAUNOIUM tum ad SCRIPTA ipſius pertinentibus, PRÆFATIONIBUS cuique Volumini affixis, INDICIBUS locupletiſſimis,

AUCTA ET ILLUSTRATA.

ACCESSIT

TRACTATUS DE VARIA LAUNOII LIBRORUM FORTUNA.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.



INTERFECIT EOS SPIRITUS ORIS EJUS.

COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus { FABRI & BARRILLOT, Sociorum, ET MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & Sociorum.


MDCCXXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google


IOANNES LAUNOIUS CONSTANTIENSIS PARISIENS. THEOL. SOCIUS NAVAR.
Vixit amans Veri, falsi detector, et Index
Fuci expers, Contemptor opum, paruoque beatu
Obiit Parisiis die 10 Martii 1678. anno ætatis suæ 78.

Digitized by Google



ILLUSTRISSIMO DOMINO

D.D. HENRICO-CAROLO ARNAULD

DE POMPONNE,

S. MEDARDI SUESSIONENSIS ABBATI,

COMITI CONSISTORIANO,

REGIORUM ORDINUM CANCELLARIO,

OLIM, APUD SEREN. VENETORUM REMPUBLICAM,

CHRISTIANISSIMI REGIS ORATORI ET LEGATO.

DUM *obſervantiæ erga TE meæ publicum extare monimentum cupiebam, ABBAS ILLUSTRISSIME, commodam felicemque occaſionem votis meis faciendi ſatis, obtulit* Launoii Operum, *prælo matura collectio. Quo enim alio patrocinio quam TUO, coho-*

neſtari magis potuiſſet? Non ego antiquiſſimæ, ac nobiliſſimæ apud ARVERNOS *gentis TUÆ originem ſpecto; ſplendoris ejuſdem Socios habes permultos; in* ARNALDINA *Domo propriam ipſi, & nunquam invidiæ veneno maculandam gloriam ſuſpicio, civiles, ſcilicet, politicas & bellicas virtutes, Eccleſiaſticam laudem nullo fuco adulteratas, nullâ vitiorum infuſcatas viciniâ. Quam aliam ubivis gentium Domum tam egregiè claravere, innata ad virtutem propenſio, Doctrinæ multiplicis fama, caſtiſſima morum integritas, in tractandis negotiis prudentia fideſque, in adeundis periculis fortitudo, Rei Militaris vel tuendæ vel inſtaurandæ peritia!*

TU verò, ABBAS ILLUSTRISSIME, quem commendant fuci expers Religio, æqui rectique tenax probitas, in dictis veritas, in tractandis ingeniis dexteritas ſingularis, interiores literæ, acceptam à Majoribus gloriam (quæ paucorum laus eſt) tueris & ornas. Neque me quaſi genio meo nimiùm indulgentem ſtatim accuſes, qui ſeveriùs interdixiſti ne quid TIBI præconii aſpergeretur; juſſis TUIS parùm obſequentem me, pace TUA dixerim, non agnoſco. Num Venetiarum Senatum politicis artibus clarum, oſtentavi, facundiâ TUA, dum TU Legatum egiſti, delinitum, Tuamque miratum ſagacitatem? An TE habentem induxi Orationes illas quas de politicâ ſuâ prudentiâ magnificè ſentiens Reſpublica, in Commentariis ſuis deſcriptas voluit, tam mira arte elaboratas ut ſimul ipſius, Imperiique Gallici commodis, proſpiceres? Num ego præſentiſſimum illum animum libavi, quo motus hoſtilium exercituum, bellis miſerè conflictatâ Italiâ, tam certò prævidebas, ut Imperatorum Conciliis adfuiſſe videreris? Hæc niſi ſilentio præterirem (quæ TUA ſingularis eſt modeſtia) parum reveritus exiſtimarer juſſa TUA, de quibus minor eſt querendi cauſa, cùm meam ad-

juvent

juvent inexpertam laudandi facultatem. Liceat tamen dicere, Italiam ARNALDINÆ *peritiæ ac integritatis teſtem ſæpiùs & memorem, Legatione TUA, ampliorem ſibi imaginem effinxiſſe.*

Si totum intueri TE daretur, ABBAS ILLUSTRISSIME, Comitem Conſiſtorianum celebrarem, diligenter ac incorruptè ſua cuique reddentem, gratiâ flecti neſcium, de rebus intricatiſſimis explicatè & ornatè loquentem, ligitioſarum Controverſiarum, cum diſſidentium benevolentiâ, dirimendarum peritum, Principis Jurium ita retinentem ut nihil periclitetur populorum ſalus. Denique ſi domeſtica attingere vellem, ſtatim occurreret ſuavitas conſuetudinis, delectatio vitæ atque victus.

Tantis & minimè fucatis virtutibus permotus, LAUNOII Operum *collectionem, ABBAS ILLUSTRISSIME, TIBI inſcribendam duxi, egregio etiam Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſpectatori & Arbitro. Erunt fortaſſe qui mirabuntur, quod de Regio Monaſterio* Sancti Medardi Sueſſionenſis *cui digniſſimè praes, proventuſque tam ſanctè adminiſtras, malè meritus eſt* Launoius. *Audacia ſuppuduiſſet me, niſi omnia TE penitùs ſcrutari cognoſcerem; verſata ab* Launoio *controverſia nihil ad TE pertinet; fictitium ille Privilegium evertendum ſuſcepit; TU verò immunitatem* Launoianis *telis imperviam, utpotè venerandâ Eccleſiæ & Imperii auctoritate, firmatum tueris. Indulgeas etiam velim Paradoxa ſua,* Launoio *alienarum cogitationum contemptori nimio; ſuæ ſunt cuique fermè Philoſopho aut Theologo, cupidiùs amatæ opiniones. Purum illum veritatis amorem TUUM æmulatus, non juro in verba Magiſtri; rectè opinanti* Launoio *ſuffragor, errantem valere jubeo. Si benè TE novi, ABBAS ILLUSTRISSIME, habebit unde* Launoiana *collectio maximopere, placeat TIBI, in rebus Theologicis educato, Imperii Gallici Jurium, & Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ ſtudioſiſſimo; Librorum*

 vario-

variorum Catalogum evolve, nihil non occurret, quod TUO non arrideat palato; in libris autem mirabere ſedulam Antiquitatis inveſtigationem probitatis florem, veritatis ſtudium, Criticen ſæpiùs felicem, ſed amariorem, audacioremque, fortunæ deſpicientiam; Theologum illum denique de Eccleſia & Rege benè meritum audies quem Critice Magiſtrum ſuum agnoſcit. Pro TUA quoque humanitate ignoſcas etiam felle aliquando delibutam orationem; hoc criticorum vitium eſt, non Launoio *proprium. Me autem impenſa in iſtam collectionem operæ non pœnitebit, ABBAS ILLUSTRISSIME, ſi quantulumcumque munus meum æquis oculis aſpexeris. Nemo non me vincet infantem oratorem; virtutes TUAS celebrandi facultate à nullo verò, intermoriturâ nunquam in TE obſervantiâ ſingulari, vinci poſſe profiteor.*

Dabam LUTETIÆ PARISIORUM Kalend. April. 1731.

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

NE importunis repetitionibus lector eruditus defatigaretur, hanc nobis legem præſcribendam duximus, ut intacta prætermitteremus quæcumque ad Launoii librorum fortunam hiſtoriamque pertinere viſa ſunt, commodiùs tranſlata in Tractatum noſtrum *Launoiana* dictum. Antequam verò brevem quandam ſingularum ſcriptionum Analyſim aggrediamur; operæ pretium eſt, in quæſtionibus pertractandis Launoii rationem, ſtylumque explorare.

Una fermè eſt Launoii quæſtionis enodandæ via. Spretis Ariſtotelicis argumentis, quid Concilia, Romani Pontifices, Patres ſenſerint, eruditè ac candidè profert, deſcriptis ordine Chronologico verbis eorum; ratiocinationes preſſas interſerit, ut momentorum vis magis ac magis eluceat; quos Traditionis teſtes cognovit, Scholaſticos tamen recenſet, ne quid prætermiſſum curioſitas erudita queratur. Enatas ex ea quam excutiendam ſuſcipit, quæſtiones acriùs ac ſubtiliùs ſolvit, adeo ut plura ſemper det Launoius quàm pollicetur. Cùm verò quæſtiones nonnullæ vinculo quodam inter ſe cohæreant, nec facilè disjungantur, quid mirum ſi in iis explicandis, ſæpe teſtes eoſdem appellet? Ut verè dicam, non ſatis aurium ſuperbiſſimo conſuluit judicio, dum teſtimonia multa faſtidioſè recantat. Præter illa, quæ tamen ad ſcopum faciunt, ſæpiùs repetita, ſupervacua ſed pauciora interpoſuit; neque id ſemper cavit ut neceſſarium tantùm verborum contextum deſcriberet. Venia ut cumque Launoio dabitur, ſi editorum ac manuſcriptorum codicum etiam rariorum quos commemorat, infinitam propè multitudinem attenderis? Educta ſummo labore è fodinis pretioſa metallà, nemo niſi imperitus, flocci fecerit. Launoianam collectionem, ſincerè, non adulatoriè, totius antiquitatis ſacræ florem delibatiſſimum dixeris; plures, quos ſumma eruditio claravit, ex hoc fonte hauſere. Sed de his fuſiùs ubi de Launoii ingenio & doctrinâ.

In oratione ſplendet acutum, ſagax & candidum ingenium, prompta & expedita cogitandi facultas; elegantiam verò, puriſſimum & caſtiſſimum illum Auguſtæi ævi Sermonem, in Launoianis ſcriptionibus deſiderari facilè cognoveris, utpotè quas Scholaſticorum fæce, ac ſordibus Apuleianis conſperſit; nimiamque brevitatem ſectatus, obſcurus quandoque factus eſt. Ridendus ergo Vincentius Baro Ordinis Prædicatorum alumnus, qui affectatæ Romani Sermonis elegantiæ, Launoium inſimulavit. Hanc vix aſſequetur ruſticitatiſve labem vix effugiat quicunque Barbarorum prope Scriptorum familiaritate nimia utitur;

ut Launoio contigit; præterquam quod in Theologo non attenditur, quàm eleganter, ſed quàm verè dicat. Hæc præfati, ad breviorem Launoii Operum Analyſim veniamus.

Anno 1636. quo editus eſt, *Syllabus rationum* pro Cauſâ Durandi, malè audiebat Illuſtriſſimi Theologi doctrina de concurſu divino in producendis cauſæ ſecundæ effectibus, eique Cenſuræ notam inurendam judicabant nonnulli Pariſienſes Theologi. Hæc autem eſt Durandi opinio: Supervacuum cenſet concurſum Dei proximum, remotum tantùm ei vindicat qui ſitus eſt in conſervandâ hominis natura ac agendi facultate. Ad eam opinionem acceſſiſſe viſus eſt Durandus ne Deum auctorem peccati exhiberet. Cùm autem, ob dictas alibi cauſas Launoius ei ſuffragaretur, Durandi patronum ac defenſorem egit; neve quid ſubolerent Theologi Pariſienſes, Durandi doctrinam in Eccleſiæ pace & communione defuncti nullâ notâ affici poſſe contendit, quin graviſſima inferretur injuria Antiquæ Facultati Theologiæ Pariſienſi, cujus ſtudium in tuendâ ſaniori doctrinâ ita enituit, ut Petri Lombardi, Thomæ Aquinatis, Epiſcoporumque propoſitiones plurimas damnaverit. Quidni adverſùs Durandum invecta eſſet, ſi quid veneni apud eum ſuſpicata eſſet?

Deinde per Durandi latus peterentur Antiqui Theologi Facultatis Pariſienſis, idem opinati, Petrus Aureolus, Nicolaus Bonetus, Richardus Archiepiſcopus Armachanus, Petrus de Aquila; quorum alii ante natum Durandum, eandem opinionem tanquam *Solemnem* retinuere. Quinimò ab ipſiſmet Theologis ab eâ opinione alienis, Gulielmo Autiſſiodorenſi, Magiſtro Martino, Gregorio Ariminenſi, Ægidio Carlerio nulla ei nota inuſta. Deinde, ut benè monet Launoius, nunquam Oecumenici Concilii anathemate percuſſus eſt Durandus.

Præterea è damnatione Durandi, magna redundaret injuria in eximios Pariſienſes Theologos Gerſonem, Merlinum, Gulielmum Parvum, Martimboſium, qui ſine ullâ exceptione, Durandi lectionem, tanquam puriorem ac ſaniorem retinendam judicarunt, vel qui laudibus ſatis declaravere, nihil in Scriptis ipſius latere veneni.

Eâdem cenſurâ denique obruerentur Philoſophi plures ac Theologi, Societatis Jeſu præſertim, qui Durandi opinionem, neque Scripturæ, neque Conciliorum, Pontificumve decretis repugnare contendunt. Invehitur deinde Launoius in eos qui Scholarum libertatis impatientes, opiniones ſuas, præfocatis cæteris, in articulos fidei abire vellent; quod ab Chriſtianæ Religionis commodis alienum eſſe cum Launoio ſentiunt, qui nullo partium ſtudio ducuntur, eique plaudunt dicenti: *Nihil melius juſtâ Librorum confixione, nihil pejus injuſtâ.* An autem Durandi opinio Sanctitati Dei amica, nihil Providentiæ ac omnipotentiæ ipſius officiat,

officiat, ut affirmat Launoius, noſtrum non eſt definire. Feliciùs conjicere videtur, viciſſe opinionem quæ concurſum Dei proximum requirit, eò quòd B. Thomas ingentem diſcipulorum nactus multitudinem, ita ſenſiſſe judicatus eſt, reclamantibus fruſtra alumnis paucioribus Scoti, quem remoti concurſûs vindicem habebant.

Quæſtio illa eruditiùs quàm Capucinum decebat, excuſſa eſt ab Ludovico à Dola Sequano; è cujus tractatu hauſit Launoius ſelectas quaſdam auctoritates, quò Pariſienſem Facultatem ab Durandi opinione profligandâ deterreret. Hæc verò marte ſuo adjicit, tanquam problematicam defendi poſſe Durandi aliorumque veterum de remoto primæ cauſæ cum ſecundâ, concurſu, opinionem; nullo unquam tempore ab Eccleſiâ, vel à Facultate Theologiæ damnatam, cùm in Academiâ Pariſienſi, à multis propugnentur quædam B. Thomæ opiniones quas tanquam erroneas proſcripſit Theologiæ Facultas. Non modò cupit Launoius, ut cenſuræ immunis fiat Durandi doctrina, ſed etiam magis probabilis ac ſolemnis; At Launoianis votis non eſt factum ſatis; Nemo enim tum Philoſophus, tum Theologus pro concurſu illo remoto, in Academiâ Pariſienſi ſtare auderet. Attamen in Salmaticenſi ubi juratur in Aquinatis verba, Theologus eodem obligatus ſacramento, Durandi Theologiam tradit. Quâ de re conſule Richardum Simonem. *Epiſt. Select.* 33. *T.* 2. *p.* 268. *Edit.* 1730.

Scrupulum poſteà quemdam injicit Launoius de Urbani VIII. Bullâ quâ damnatur opinio Galilæi de terræ motu; & revocatis tum Pariſienſis Concilii habiti anno 1204., decreto, tum Gregorii IX. Reſcripto ad Pariſienſes Magiſtros miſſo, quibus cavetur ne quidam Ariſtotelis libri legantur, inquirit utrum Urbani Bulla ſeveriùs obliget Studii Pariſienſis Magiſtros quàm Pariſinæ Synodi decretum & Gregorii Reſcriptum; Ille autem evaneſcit ſcrupulus, ſi allatam Illuſtriſſimi Godelli ſententiam expendas, cui ſuffragatus eſt Holdenus in *Analyſi fidei div. Lib. I. c.* 5. *Lect.* 1. Conſule etiam *Epiſt.* XII. *Select.* Simonis *T.* 4. *p.* 80. & *T.* 4. Biblioth. Italicæ p. 120. & ſequ. Nos idem argumentum, alibi ſcripto proſecuti ſumus.

Tractatus quem Launoius inſcripſit *Præſcriptiones de Conceptu B. Mariæ Virginis*, duas habet partes. In priore tradit quænam via ineunda eſſet, ſi Eccleſia quæſtionem Dominicanorum & Franciſcanorum litibus celebrem, definire vellet. Amotis ſcriptoribus qui poſt Scotum floruere, antiquiores tantùm recipiendos cenſet; Sic in ſanciendâ Eccleſiæ Græcæ concordiâ, Florentinum Concilium nullam habendam rationem decrevit auctorum qui poſt natum ſchiſma, de articulis Græcos inter & Romanos ventilatis, ſcripſere.

Scotus immaculatum B. Mariæ Virginis conceptum, primus defendit, Thomæ Aquinati aliter opinanti, forsàn reluctaturus; Cui tamen naſcenti opinioni refragati ſunt inſigniores Theologi; fabulæ ſuppetias venêre; fictitiæ Hiſpanienſis Synodi, in gratiam immaculati conceptûs, acta excogitata, quæ venerantur adulterini Mariæ cultores, ac Eccleſiaſticæ Traditionis imperiti: Franciſcani autem, Alenſis ſcilicet, Antonius Paduanus, priùs Dominicanis, Virginem peccato primigenio obnoxiam, fecere: Sed temporum decurſu, traditam ab Antonio & Alenſi, Eccleſiæ Theologiam deſeruerunt, Scoti delirationes & commenta ſectati.

Jeſuitæ acerrimi Franciſcanæ opinionis vindices, ab Ignatii Patriarchæ moderatione receſſere: Is enim, teſte Maffeio, licet de immaculato Virginis conceptu non dubitaret, hunc tamen palam propugnari vetuit, ne id ægrè ferrent Dominicani. Prætereà Turrianus Maldonatuſque, qui inter Theologos poſtremum locum non obtinent, Scoti opinationibus valedixere. Hos omnes Franciſcano devotos, ad incitas rediges, ſi adornata pro immaculato Virginis conceptu, Scripturæ Sacræ teſtimonia, interpretari coegeris, *juxta unanimem conſenſum Patrum*, ut præcipit Tridentina Synodus.

Spectatâ verò Eccleſiæ Romanæ Traditione, cujus teſtes adhibet Launoius, Leonem I., Gregorium I., Clerum Romanum Sede vacante poſt mortem Honorii I., Innocentium III., Innocentium V., Joannem XXII., Clementem VI., actum eſt de Scoti opinione. Ab iis tamen Pontificibus diſceſſiſſe, Launoio videtur Sixtus IV. anteà Franciſcanus, quem propterea verbis aſperioribus proſequitur. Sixti veſtigiis inſtiterunt nonnulli Romani Pontifices.

Poſito autem maculato Virginis conceptu, num Conceptionis feſta dies abolenda? Ita ſenſit Bernardus, cui repugnat Launoius, eoquòd in Martyrologiis Adonis & Uſuardi, Feſti dies Conceptionis certiſſimè maculatæ, Annæ Matris B. Mariæ Virginis, & Joannis Baptiſtæ, recenſeantur.

Tridentinæ Synodi auctoritate, maculatum Virginis conceptum firmaverat Launoius; quòd in primis editionibus *Seſſionis de Peccato originali*, mentio nulla fiat B. Mariæ Virginis; Sic eam ordine eodem quo cæteros homines, Synodus habuit. Cùm verò nulliùs ponderis priores illas editiones declaret Launoius, ſi qua ante annum 1564. vulgata proferatur, ubi Maria excepta dicatur, ubi de peccato originali ſermo inſtituitur, cauſâ ſuâ cadit; quædam enim editiones ab nobis indicatæ, etiam antiquiores eâ quam deſignat Launoius, decretum illud integrum exhibent quale nunc legitur.

In alterâ hujus opuſculi parte graſſatur Launoius in decretum illud à ſacrâ Pariſienſi Facultate conditum anno 1497. in gratiam

gratiam Conceptûs immaculati; quam opinionem rectæ rationi, fidei & pietati maximè conſentaneam, oppoſitam verò falſam & impiam pronunciavit; *Statuitque ut nemò deinceps ſacro Collegio adſcribatur niſi ſe hujus religioſæ doctrinæ aſſertorem ſemper pro viribus futurum juramento profiteatur.* Hæc declaratio nititur præſertim Baſileenſis Concilii decreto, quod nihili facit Launoius, utpotè editum ab ſchiſmaticâ Synodo; tunc enim Eugenius Baſileâ diſceſſerat, pſeudo-Concilii iram furoremque expertus. Neve audaciùs hæc dicta crediderіs; non aliter opinari videtur magnum illud Eccleſiæ Gallicanæ lumen Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus in ſuâ *Defenſ. Declarationis Cleri Gallicani*: „Neque enim, „*inquit* p. 78. t. 2., poſteriora illa Baſileenſia Clerus Gallicanus tu„tanda ſuſcepit.„ Attamen quædam rationum momenta expreſſit Baſileenſis conventus, quò decreto auctoritatem conciliaret; Hæc Launoius ad ſeveriores regulas exacta, irrita, ac contemnenda declarat. Mirum autem videri debet, quòd Theologus de Conciliorum auctoritate in Pontificem Romanum, benè meritus, Baſileenſem illam Synodum tam inclementer tractarit, quam Trevetus ultramontanis fabulis addictus, in ſpiſſiori volumine adverſus Launoii opuſculum de Conceptu B. Mariæ Virginis, Schiſmatis immunem pronunciat, teſtibus iis qui Papam Concilio inferiorem prædicant. Trevetum ultramontanis commentis devotum dixi; & quidem non injuriâ; Is enim, quod longè abhorret ab Scriptore Gallo, temerario auſu affirmat p. 233., opinionem quæ Romanum Epiſcopum Concilio œcumenico ſubjacere vult, minùs eſſe conſentaneam venerationi debitæ Apoſtolicæ Sedi.

Refutation d'un Libelle qui a pour titre, *Preſcriptions touchant la Conception de Notre-Dame.*

Poſt excuſſum diligenti Studio Baſileenſe decretum, Sixti IV. Bullam anno 1483. vulgatam, aggreditur Launoius; Pontificiſque mente penitùs exploratâ, intactam & illibatam ab ipſo relictam quæſtionem contendit; ſilentium tantùm, utrique parti ſibi mutuam hæreſeos notam inurenti, Sixtus præſcribere videtur, interpoſitâ excommunicationis pœnâ. Sacer verò Theologorum Pariſienſium ordo limites à Synodo Baſileenſi & à Sixto præfixos, tranſgreſſus eſt, ad fidem pertinere pronuncians immaculatum B. Mariæ Virginis conceptum, primis Eccleſiæ Sæculis inauditum. Majorum veſtigia in eo condendo decreto ſecutum ſe declarat, quod minùs Launoio probatur quia antiqui Theologi Pariſienſes maculatum Virginis conceptum, tam acriter tuiti ſunt, ut Joannes de Poliaco non tamen ab Launoio, citatus in 3. Quodlibeto Qu. 3. contra negantem, *tanquàm contra hæreticum non cum Argumentis, ſed aliter, videlicet cum igne, procedendum eſſe* definierit. At Pariſienſes Theologi utcumque excuſari poſſent: Majores ii de quibus agitur, iidem ſunt Doctores qui anno 1387. maculatum Conceptum in Monteſoni quadam propoſitione, pro-

ſcripſere; ſiquidem Doctorum privatorum doctrinam minimè defendit Facultas Theologiæ, in Comitiis tantùm mentem ſuam aperiens; quæ unanimi Conſenſu, teſte Launoio locuta eſt tum in damnatione Monteſoni, tum in decreto de immaculato beatæ Mariæ Conceptu. Vide Art. 8. & 17. *de Facultate Theol. Pariſ. de doctrinâ pronunciante*, ad calcem Tractatûs *de Scholis celebrioribus*.

Ex eo tempore vetuit Facultas nequis maculatum B. M. V. conceptum tueretur; ſic anno 1560. damnata eſt tanquam hæretica propoſitio è Belgio delata quæ hanc opinionem innovabat. Nunquam verò enituit clariùs Academiæ Pariſienſis ſtudium erga immaculatum B. Mariæ Virginis conceptum quàm in damnatione Maldonati opinionem adverſam tuentis: Expreſſis enim verbis *declaravit Facultas ſe de fide tenere Beatam Virginem conceptam ſine maculâ originali.* Quâ in cenſurâ indebitam auctoritatem ſibi arrogavit; teſte Gerſone, qui propoſitionem *ex ſe & jure penitùs dubiam an ad fidem pertineat*, hæreticam dicere Epiſcopis nefas eſſe propugnat; & quod præcipuè ſpectandum eſt, inter opiniones illas dubias, Conceptum B. M. Virginis recenſet: Quod Epiſcopis non licet, audebuntne privati Doctores? Deinde neque de fide retinendum eſſe immaculatum conceptum ſtatuêre Synodus Baſileenſis, Sixtus IV. Tridentinum Concilium, quibus ſuperiorem ſe facere videtur ſacer Theologorum ordo.

Ubi orta eſt gravis illa controverſia, Petrus Gondius Pariſienſis Epiſcopus, ſacram Facultatem in ædes ſuas convenire juſſit, qui de opinione Maldonati ſententiam dicerent, quam omnes exceptis Decano, Syndico, & ſupremo Navarrici Collegii Magiſtro intactam relinquendam eſſe judicarunt. Alieni verò ab Maldonati opinatione, congregatâ univerſâ Academiâ, ſuprà memoratam definitionem extorſere, cui repugnarunt magiſtri pauciores, quos inter habetur Renatus Benedictus Doctrinæ & vitæ ſanctitatis laude clarus. Iniquam agendi rationem ægrè ferens Pariſienſis Epiſcopus, Syndicum aliumque Magiſtrum anathemate percuſſit; *pro quibus de ea excommunicatione ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu appellarunt omnes Facultates Univerſitatis.*

In iis quæ poſteà narrantur, quædam minùs cohærent; improbata ſiquidem ab Pariſienſi Senatu, Epiſcopi ſententia, in Actis Academiæ legitur; In libro verò qui *Perroniana* inſcribitur, Senatus conſulto, ad Epiſcopale Judicium dimiſſi ſunt Sorbonici Doctores. Utcunque ſit, Romanus Pontifex laudato Pariſienſis Academiæ Studio, ab Gondio ſtetit; Maldonatus tum Epiſcopi, tum Senatus edicto, hæreſeos immunis factus eſt, Magiſtrorumque Pariſienſium invidiam deprecaturus, Bituricas confugit. De hac controverſiâ plura dicuntur, tum in Præfatione Operum Theologicorum Maldonati Pariſiis edit. anno 1677. tum in Epiſtolâ.

tolâ Selectâ 17. Simonis T. 1. & 10. T. 4. Edit. 1730., & in notis Richerii ad Baſileenſe Concilium.

Renati Benedicti interceſſionem Launoius in lucro apponere videtur, quaſi unanimi conſenſu edita non fuerit adversùs Maldonatum declaratio; cum verò latum anno 1497. de immaculato conceptu judicium, legitimum habeat in Art. XVII. *De Facultate Theol. Pariſ. de Doctrina, pronunciante*, quamvis repugnarint Dominicani, quidni debitâ auctoritate firmatum cenſebimus Decretum quo Maldonati ſententia paucis adverſantibus proſcripta eſt? Plaudendum tamen Launoio qui in eodem Tractatu concordiæ in decretis condendis opportunitatem tantis laudibus commendat. Facere non poſſumus quin hîc deſcribamus quemdam verborum contextum, quò manifeſtum fiat quid ſenſerit, de Comitiis Theologicis unde exulat ſancta illa & ſalubris concordia: „Decreto, *inquit in Art. XX.* ſeu cenſuræ quæ per Facul„tatem totam facta non eſt concorditer, qui reſiſtit, Facultati re„ſiſtere judicandus non eſt; immò qui contra faceret, ſine dubio „reſiſteret. Porrò autem in decretis & cenſuris hujuſmodi prin„cipatum tenent, non eruditio & pietas vera, ſed adverſarii vin„cendi cupiditas, & partium Studia, quæ pretextu Religionis „exercentur. Ex iis qui talibus decretis ſubſcribunt, complures „aliquando non ſubſcriberent, niſi quod privatis commodis, po„tiùs quàm Religione ducuntur.„ Viderint ipſimet Pariſienſes Theologi, an perjurii reos jure fecerit Launoius, quicumque ſe pro immaculato Virginis conceptu, ſacramento devovent.

Breviter exſequemur quæ pertinent ad Judicium de Controverſiâ ſuper *exſcribendo Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio exorta* editum Lauduni 1670. & poſtea Pariſiis anno 1671. in 8°. De Uſuardi Auctoritate multa locutus, Patrum, aliorumque ſcriptorum teſtimonia congerit, unde liquet altum eſſe apud antiquos, de Aſſumptione Virginis Corporeâ ſilentium, Uſuardumque verè pronunciaſſe: *Plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Quæſtio illa in ipſo Pariſienſis Eccleſiæ ſinu acriùs agitata: Jolius vir doctiſſimus, Eccleſiæ Pariſienſis Cantor & Canonicus Opuſcula tria edidit, quò Uſuardus cauſâ ſtaret; Gaudinus verò & Ladvocatus ejuſdem Eccleſiæ Canonici, Jolium ſcriptis exagitarunt, Aſſumptionemque B. Mariæ corpoream ante Damaſceni ſæculum, inauditam, fermè inter fidei articulos annumeravere. Launoius cujus ſententiam rogarunt Bongueretii ejuſdem Eccleſiæ Canonici, Uſuardi auctoritate firmatâ, in Gaudinum calamum diſtringit, delibatis etiam Ladvocati Billiadi Vindiciis Parthenicis.

Gaudinum male habet quòd Græcam Eccleſiam cauſæ ſuæ patrocinantem venditaret; Andræam Cretenſem Epiſcopum cujus auctoritatem extollebat Canonicus, adverſum magis quàm

 ami-

amicum oſtendit. Difficultatis cardo vertitur in Joannis Damaſceni auctoritate; Hujus verbis deſcriptis Launoius, multa falſa & fabuloſa ab ipſo allata pronunciat; Damaſcenumque ſecutum Pſeudo-Melitonem cujus Liber de tranſitu B. Mariæ in Synodo Romana apocryphus renunciatus eſt. Amovenda tamen ab Damaſceno cenſura quædam; is enim nunquam orationem ſcripſit ubi de fictitiâ Trajani ſalute agitur.

Ubi verò ſepultum ſit Virginis corpus, non minùs incertum eſt; alii enim Jeroſolymæ conditum, alii verò Epheſi; ad quam ultimam opinionem acceſſere doctiſſimi viri Epheſinæ Synodi œcumenicæ auctoritate deluſi; Eſt tamen ſubdubitandi locus ſi obſervaveris Apoſtolicorum temporum ſcriptorem Polycratem Epiſcopum, qui Epheſinæ Eccleſiæ ſuæ dignitatem commendat, Joannem Evangeliſtam Epheſi mortuum commemorare; Mariæ interitum ſilere; dicturus fuiſſet profectò ſi res ita ſe habuiſſet. Argumentum illud negans valere, fatemur; ſed in aliâ cauſâ, adverſus Launoium retorquere poſſumus; qui Magdalenam Epheſi ſupremum diem obiiſſe teſtatur, cujus tamen mentionem nullam facit Polycrates.

Hoc maximè adnotandum, male audire apud Launoium; tum Græcorum Mænea, tum Latinorum Martyrologia; alios enim *odis & carminibus*, conſperſiſſe, ab aliis *commentarios* additos affirmat. Singulare quoddam & ſincerum ſpecimen profert; Hinc elucet antiquiſſima evolvenda monumenta, quò veritas exploretur. Miram oſtentat Launoius induſtriam, in profligandis ſcriptorum quorumdam teſtimoniis. Si dicas Albertum, Thomam, Durandum, in Aſſumptionis corporeæ opinionem abiiſſe, reſpondet Launoius ſecum non concordaſſe; ſiquidem *aliter canebant in choro* ubi Uſuardi Martyrologium legebatur, aliter in muſæo ſcribebant; quos deinde Damaſceni fabulis infuſcatos traducit.

Gaudinus Ladvocatuſque venditarunt cenſuram quandam ſacræ Pariſienſis Facultatis anno 1497. latam adversùs Fratrem Marcellum Dominicanum; Duæ ſunt propoſitiones in quarum una legitur: *Chriſtum occurriſſe Virgini Mariæ in ſuâ Aſſumptione apocryphum eſt.* In alterâ vero: Nos non tenemur credere ſub *pœna peccati mortalis quod virgo fuit aſſumpta in corpore & anima quia non eſt articulus fidei.* Cùm primùm hanc ſcriptionem edidit, Launoius cenſuram tanquam genuinam habens, ſapientiſſimorum Magiſtrorum famâ prorsùs indignam declaravit; at re maturiùs perſpectâ, fictitiam deinde probabilibus argumentis defendit; nixus præſertim Guaguini, Clicthovei, & Eccleſiæ Pariſienſis ſilentio: Sic illatam Facultati labem delevit. Ad eam ſententiam acceſſit Jolius *in Traditione Antiquâ* p. 102.

Ne in infinitum creſceret oratio, nihil delibavimus momentorum quibus cenſuram illam evertit Launoius; attamen facere non

non poſſumus quin hîc momentum unum expendamus. Pariſienſis Theologus inuſtam à Facultate alteri Morcelli propoſitioni hæreſeos notam, ferre non poteſt; cum nulla Eccleſiæ definitio præiverit. Huic ſingulari quodam modo contradicit Ladvocatus in *Repetitis vindiciis pro Aſſumptione B. Mariæ Virginis.* „Propoſitio „*inquit p.* 271., quæ à Sapientiſſima Facultate configitur non eſt „ſimplex iſta, *Maria Virgo non eſt Aſſumpta in cælum animâ ſimul „& corpore*, cui Hæreſis notam adſcripſerit ſacra Facultas, ſed „iſta complexa, *nos non tenemur ſub pœnâ peccati mortalis credere „Beatam Virginem in corpore & animâ aſſumptam fuiſſe, quia non „eſt articulus fidei:* Iſtud verò quis neget eſſe hæreticum, cùm „propoſitiones omninò multæ veræ ſint, certóque credendæ, quæ „tamen fidei articuli non ſint. Sic canem, qui fuerat juniori To„biæ Comes, præcucurriſſe, & quaſi nuntium advenientem blan„dimento caudæ ſuæ, quemadmodum loquitur ſcriptura, gavi„ſum fuiſſe, credere tenemur, quique id falſum eſſe aſſereret, „proculdubio immunis non eſſet à graviſſimo piaculo, neque ta„men articulus fidei eſt, licet ſit propoſitio de fide.„ Eſto, hæc vera ſint, quid inde ſequitur? De Tobiæ cane dicta in libris Canonicis continentur, de Aſſumptione corporeâ nihil ſimile dicitur. Sic ea conferri minimè poſſunt. Gaudinus Ladvocatuſque quibus minimè probata eſt Jolii credulitas pia Eccleſiæ ſilentio munita, de Aſſumptione B. Mariæ Virginis, portentum quoddam excogitarunt, *certitudinem* ſcilicet *omni humanâ naturali majorem*, quæ cum non ſit de fide, ei tamen nemo ſine errore ac noxa non poteſt acquieſcere; Hanc, *inquit Candidiſſimus rerum æſtimator Jolius p.*145. *Tradit. Ant.* „captioſam eſſe dico ac procul ejiciendam ab Eccle„ſiâ contendo, quandoquidem conſcientiis laqueum injicit ad cre„dendum ea compellens, quæ nec ſcripturâ ſacrâ, nec tradito dei „verbo revelata ſunt, & ſi non credant, eas peccato lethali onerant, „cujus immunis error eſſe nequit, qui ſpectat ad fidem.

Præfationis anguſtiæ vetant ne plura excutiamus. Sub opuſculi finem Ladvocati Parthenicas vindicias leviter attingit; at in ſequenti quod inſcribitur: *Diverſi generis erratorum ſpecimen*, unus petitur Billiadus; cum verò Catalogum potiùs errorum, quàm librum ſcripſerit, hîc exſcribendus eſſet, ſi hujus genuinam imaginem effingendam ſuſciperemus; hæc dixiſſe ſufficiat, Ladvocatum infeliciter philoſophantem induci, pugnantia ſecum loquentem, antiquitatis ſacræ imperitum, parum cautum ac prudentem, de patribus Græcis & Eccleſia Romana malè meritum &c. Nonnulla verò quæ obiter Launoius attigerat, hîc fuſiùs excuſſit; ſic de Sermone ſub Hieronymi nomine edito multa locutus eſt, quò venerandam illi conciliaret auctoritatem. Vide Caput X. & ſequ.: ſic expoſitionem cujuſdam loci è Gregoriano Sacramentario excerpti, retractavit; conferat lector benevolus paginam 65. cum pag. 95. Digna ſunt etiam

quæ legantur Capita XVIII. XIX. & XXIII. ubi agitur de Vocibus *Aſſumptionis* κοίμησις & μετάστασις. Ex iis vocibus malè intellectis enata ſunt Gaudini & Ladvocati commenta multa; has enim nonniſi Aſſumptioni corporeæ tributas voluere; quod quàm falſum ſit, norunt antiquitatis ſacræ periti.

Iis opuſculis quæ ad Launoium pertinent, epiſtolam ſub Carpentarii mentito nomine editam, adjecimus. Ignotus eſt auctor; alii Jacobum Bolæum auctorem exiſtimant, quorum ſententiam amplectimur; quamvis enim Duaci edita legatur, attamen inſpectis typis, Senonis ubi manebat Bolæus, impreſſa videtur. Repugnat tamen elegantioris ſtyli color; ſiquidem Bolæi certiſſimi libri barbariem quamdam ſpirant; hæc verò evaneſcit difficultas, ſi attendas hanc de induſtriâ ab ipſo expreſſam, ut cenſorum quorumdam parum acutos oculos fugeret; ſic vir non inficetus, coram amicis barbariem ſæpiſſimè excuſavit. Quidni ergò Epiſtolam ſcripſiſſet elegantiori oratione, ut ignotus, libertate frueretur? Nonnulli hanc ab ipſo Launoio ſcriptam, affirmant; quod minùs verum eſſe credimus. Cui enim Launoii ingenium ſcrutato, in mentem veniat ab homine modeſtiſſimo exaratum opuſculum, ubi tanquam reconditâ ſcientiâ atque acri judicio vir commendatur? Hæc explicanda operæ pretium duximus, nequis peregrinam ſcriptionem ab nobis editam quereretur; In eâ Epiſtolâ candidè ac ſincerè de controverſia judicatur, orta inter Canonicos Pariſienſes ſuper verbis Uſuardi; Jolii, Launoii, Gaudini, & Ladvocati ingenium ſine adulatione exprimitur; Marte ſuo multa adjecit auctor, quæ lucem diſpellendæ plurium locorum caligini neceſſariam afferunt.

Qui penitùs totam illam controverſiam inveſtigare voluerit, adeat Diſſertationem Jolii *de verbis Uſuardi quæ in Martyrologio Eccleſiæ Pariſienſis referuntur in feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis* 1669. in 12. ejuſdem *Epiſtolam ad Eminentiſſimos Cardinales Retzium atque Bullonium* in 12. 1670. & ejuſdem *Traditionem antiquam Eccleſiarum Franciæ de verbis Uſuardi* 1671. Conſulat etiam *Aſſumptionem Mariæ Virginis Vindicatam* auctore Jacobo Gaudino 1670. in 12., & Ladvocati *Vindicias Parthenicas* 1670. ejuſdem *Repetitas Vindicias* 1672. in 8. In Jolii ſcriptis eminet candidum ingenium, Antiquitatis ſacræ ſtudium ac peritia; Gaudinum vero & Ladvocatum eo conſilio ſcripſiſſe dixeris ut Theologiam novam inveſtigandæ veritati quæ è criticæ legibus pendet, adverſam inducerent.

Non antè aliud Launoii opuſculum exſequar, quàm hic difficultatem quandam palam fecerim, de editis tum ab Launoio, tum ab Ladvocato libris. Cum Launoius Lauduni eſſet, opuſculum vulgavit anno 1670., *de Controverſiâ ſuper Uſuardi verbis*; editis jam Gaudini *Aſſumptione vindicatâ*, & Ladvocati *Parthenicis vindiciis.* Sequenti anno ſcilicet 1671., idem opuſculum auctum & emendatum

tum in lucem exire juſſit Lutetiæ Calendis Januariis teſte Ladvocato; Hoc ipſo anno, referente Launoio, editus eſt *Erratorum Index Ladvocati*; Attamen anno 1672. ut regio Privilegio conſtat, *Repetitas Vindicias* Ladvocatus juris publici fecit, nulla hujus *Erratorum Indicis* mentione factâ. Si cauſam hujus ſilentii percuncteris, non alia occurrit quàm Launoii nominis ſuppreſſio; cum verò *Judicium* ſuum in hoc *Indice* ſæpiùs commemoret Launoius, mirari non deſino Ladvocati ſilentii cauſam. Qui me hoc nodo expediam neſcire me fateor. Repetitas illas vindicias, pugnandi avidus diſſimulavit Launoius, ut potè quæ faſtidioſæ ſunt vindiciarum repetitiones.

Belli cupidiſſimum Launoii ingenium ad naſcentes quaſcumque pugnas ferebatur; cum graviſſima jactaretur quæſtio *de frequenti communione*, opuſculum edidit anno 1653. ubi Gerſonis, de frequenti confeſſionis & communionis uſu, mens exponitur ac explicatur. Non controverſantur Theologi de frequenti confeſſionis uſu; hunc, qui rigidiorem, vel laxiorem doctrinam ſectantur, æquali ſtudio commendant; cum eo tamen diſcrimine, ut facultatem retinendi ac dimittendi peccata, quâ continetur clavium poteſtas, ſeveriùs alii, ſecundùm priorum ſeculorum diſciplinam, indulgentiùs alii exerceant, recentiorum quorumdam Theologorum probabili auctoritate nixi. Subobſcura eſt Gerſonis doctrina de frequenti Euchariſtiæ uſu. In eo loco quem Launoius profert, enumerantur è ſuſceptâ Euchariſtiâ percepti fructus. Nemo negat; Varia deinde Theologorum teſtimonia profert qui Gerſonem imitati, frequentem communionis uſum probavere; tres poſtea recenſet Eſpencæum, Simonem Vigoreum, Cotereum qui nec frequentem, nec raram Euchariſtiæ ſuſceptionem accuſant. Plures denique commemorat Synodos, Libroſque Eccleſiarum Galliæ *Rituales*, quæ Gerſonis librum mentem ſuam complexum, & qui *ſumma Doctrinæ* &c. inſcribitur, ſuum probando fecere; ut verò maximi ponderis habeatur Gerſonis auctoritas, quæ in præſtantiſſimi Theologi laudem dicta ſunt, faſtidioſiùs forſan ac prolixiùs deſcribit Launoius. Commendandus eſt generatim frequens confeſſionis ac communionis uſus; Sacerdotes autem par eſt in pœnitentiæ Sacramento, iis regulis obtemperare, quas Sanctus Carolus Mediolanenſis Epiſcopus, obſervatas voluit; Hæc in Galliis vigere diſciplina cenſenda eſt, ex quo tempore ſanctiores illas regulas adoptavit clerus Gallicanus; Ex earum obſervatione certò judicabant quibus impertiendum ſit abſolutionis beneficium ac Euchariſtiæ uſus.

Altera occurrit quæſtio immoderatis partium ſtudiis celebris; ſcilicet *de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem in ſacramento Pœnitentiæ*. Anno 1653. quo editus eſt Launoii Liber, in Eccleſiâ præſertim Catalaunenſi ventilabatur; pro contri-

tione vel attritione ſtantes, Tridentinam Synodum ſibi favere contendebant. Quo tempore celebrari cœpta eſt, anno ſcilicet 1546. celebres erant inter Theologos de contritione & attritione opiniones duæ; alii contritionem actum ſcilicet caritate informatum requirebant; Alii attritionem, actum nempe caritatis expertem ſatis eſſe, quo ſacramenti pœnitentiæ fructus perciperetur. Nihil utrique opinioni Synodum præjudicaſſe, ſed utramque liberam Scholæ diſputationibus permiſſam, commonſtrat Launoius.

Intactam relictam ab Synodo utramque opinionem, apertè declarat Tridentinorum Patrum Concilium qui Lutheri tantùm doctrinam de attritione quâ hominem *fieri hypocritam & magis peccatorem* contendebat, canonibus ſuis præfocandam ſuſcepere. Theologorum autem ſuprà expoſita doctrina nihil habet Lutherani veneni; qui contritionem vel attritionem recipiunt, Lutheri dogma pari ſtudio deteſtantur; nec ex ipſius damnatione, aliquid colligas adversùs eorum opiniones. Prætermus ea momenta quæ ducuntur ex auctoritate Theologorum qui Tridentinæ Synodo interfuere, vel ſuppares fuerunt, aut Calvini doctrinam confutarunt. Conſule p. 148., elucet Launoii ſinceritas, qui tamen opinioni de contritione accedere videtur. Momentum quod colligit ex iis quæ geſta ſunt Romæ dum Clemens VIII. Raimundum Pennafortium numero ſanctorum adſcripſit, minùs roboris habere videtur; ſiquidem non conſtat Raymundi *Summam* magnâ curâ & diligentiâ, Pontificis juſſu diſcuſſam fuiſſe. Deinde niſi benigniùs interpreteris citatos ab Launoio Raymundi locos, hunc declaratoriæ abſolutionis patronum efficies. Utcumque ſit, ſincerum & egregium Theologum agit, dum affirmat opinionem de contritione magis conſentaneam eſſe venerandæ Patrum antiquitati; Huic, cum Launoio exiſtimamus, ſuffragaturam fuiſſe Tridentinam Synodum; ſi quæſtio de attritione ac contritione in examen vocata fuiſſet.

Poſtquam ab Launoio probatum eſt; Nullam à Synodo Tridentina inuſtam notam opinioni de contritione vel attritione ſuos antè Synodum nactæ patronos, ſupervacuum forſan videbitur, quod in alterâ hujus opuſculi parte, demonſtrandum ſuſceperit Launoius, utramque opinionem Theologorum diſputationibus permiſſam; aliud enim ex alio ſequitur. Attamen lucem novam affert duplicis hujus opinionis hiſtoriæ, eorum quæ poſt habitam Tridentinam Synodum geſta ſunt, ſincera narratio. Quis verò tractatum ab Launoio argumentum, in dubium revocet, ſi Theologos contritioni, & attritioni ex eorum arbitrio faventes viderit? Qui Tridentinæ Synodi auctoritate tanquam clypeo ſe obtegunt, vel definitam quæſtionem venditant, eos omnes vel tanquam minùs acutos, aut parum ſinceritatis ſtudioſos, exagitat Launoius, eodemque veritatis amore ductus de Scoto & Thoma liberè

liberè judicat, quorum alius ſacramenti pœnitentiæ vim totam abſolutioni vindicat, alius verò non opus eſſe declarat, ut confeſſionem quam tamen ad ſacramenti fructum percipiendum, neceſſariam agnoſcit, præcedat contritio; ſed ſic valere Confeſſionem ut iteranda non ſit, horum opiniones Ariſtotelicis rationibus communitas, repudiat Launoius. Lege p. 196. ubi pro ſuâ ſinceritate, tractandæ quæſtionis methodum exponit quæ ſcripturâ ſcilicet & Catholicæ Eccleſiæ Traditione continetur; Hoc adnotatum velim, in iis quæſtionibus quæ ad ſacramenta pertinent, Thomam aliosque ſcripſiſſe, quaſi ſuperioribus ſæculis floruiſſent tum loquendi rationes, tum diſciplina ætate ſuâ inductæ, quod quàm falſum ſit non neſciunt antiquorum monumentorum periti. Eandem animi libertatem præ ſe fert Launoius, in Theologos illos invectus, qui Pœnitentibus opinionem magis commodam, ac novæ legis ſacramentorum efficientiæ falsò glorioſam ſectantur; Digna ſunt quæ hic ob oculos ponantur Doctoris noſtri verba: „Quod ad ſacramentorum novæ legis dignita-„tem & clavium poteſtatem attinet, *inquit p.* 197., ea tota ex „auctoris voluntate & inſtitutione pendet. Voluntas verò & inſ-„titutio non ex commoditatibus pœnitentium, ſed ex duobus „ſacræ doctrinæ principiis, ſcripturâ & traditione metienda eſt. „Vallatus eſt campus, in quo Theologi pugnant, non apertus, „in quo exſpatiari liceat &c.„ Hæc pauca delibamus, quò legentium curioſitati ſtimulos admoveamus. In eo vero Tractatu proclivem ſe ſe oſtentat Launoius ad opinionem de contritione quæ ipſi venerandam Patrum & Theologorum canitiem redolere videtur. Vix aliud opus invenias ubi utriuſque opinionis de contritione & attritione fortuna, variæ introductæ loquendi voces, earumque expoſitiones, eruditiùs ac ſolidiùs explicentur; qui celebriorum Scholæ opinionum ab omnium partium ſtudio alienus, eandemque methodum ſecutus, preſſiùs hiſtoriam exararet, is ſine dubio de re Theologica benè mereretur; miros ingenii Scholaſtici in opinationibus ſuis tractandis ac retractandis, progreſſus cerneres.

Anno 1653. prodiit *de Mente Tridentini Concilii circa ſatisfactionem in ſacramento Pœnitentiæ Diſſertatio.* Scriptores nonnulli rigidioris doctrinæ Sectatores, tempus illud revocatum voluere quo ſatisfactionis pœna, antè receptum abſolutionis beneficium, perficiebatur; cùm verò, antiquata jam videretur ſeverior illa diſciplina, alii à Tridentino Concilio diſertè renovatam aiebant, alii tantùm ab eo viam apertam quâ refloreſceret: An verò utraque opinio acriter propugnaretur, quo frequens Euchariſtiæ uſus impediretur, ſecundùm audaciorem forſan Launoii ſuſpicionem non ego ſtatuere auſim. Utcumque ſit, ſcriptores eos aſperiori-

d bus

bus verbis exagitat Launoius; qui tamen excuſſa Concilii mente egregiis momentis probat nunquam inductam ſeveriorem illam diſciplinam; Scrutatus etiam tum varios Theologos, tum complures Synodos; teſtes illi omnes qui vel antè vel poſt Synodum floruere, mitioris illius diſciplinæ quæ etiamnum viget, ſponſores certi & locupletes fiunt. Quam in quæſtione facti, ſinceritatem protulit, eandem in quæſtione juris profitetur Launoius. Inquirit *utilius-ne ante quàm poſt abſolutionem impleatur ſatisfactio.* Rationibus quibuſdam innixus affirmat, conſule p. 242. & ſequ. Hîc tantum cum Launoio obſervamus, ſpectatâ veteris & recentis diſciplinæ origine, antiquam diſciplinam præſtare recenti utpotè ab Apoſtolis vel certè ab Apoſtolicis hominibus manantem; recentior verò non tam communi Eccleſiæ decreto, quàm diſciplinæ ſanctioris remiſſione inducta eſt: nullum enim Concilium unquam ſtatuit, mutandum eſſe veteris pœnitentiæ ordinem. Temporum decurſu ſensìm & clam mutatus eſt, & mutatum probavit Eccleſia. Puriorem illam diſciplinam inſtaurare non eſt tamen unius vel plurium privatorum hominum; hæc tantùm pertinent ad Concilium generale cui Chriſtiani omnes parere tenentur. Deinde multa & graviſſima incommoda occurrerent ſi longo uſu firmata conſuetudo antiquaretur.

Explicata Eccleſiæ traditio circa canonem *omnis utriuſque ſexûs*, quam anno 1672. edidit Launoius, tam varia complectitur momenta, ut hujus operis analyſim non permittant præfationis anguſtiæ. Canonis Lateranenſis, è quo innumera jurgia Epiſcopos, Parochos inter, & Monachos exorta ſunt, hiſtoriam deſcribit. Nullus unquam canon tàm varias expertus eſt interpretationes; quid præſertim *proprii Sacerdotis* nomine intelligendum foret diſputatum eſt. Quæcunque geſta ſunt ab anno 1215. ad annum uſque 1660. narrat Launoius, laborique parciturus monumenta prolixa admodum & ad calcem operis remittenda; exſcribit è quibus tantum adornanda eſſet narratio legentibus jucundior, ut egregiorum hiſtoricorum mos eſt. Fatendum tamen cujuſque capitis Epitomem ab ipſo elaboratam; Cum verò rerum geſtarum nulla ſit connexio, moleſtiam legentibus parit. Solum Parochum, *proprii Sacerdotis* nomine à Synodo Lateranenſi intellectum probat; introductæ hac de re confuſionis cauſam inquirit; uno verbo quæcunque ad illud argumentum ſpectant diligentiſſimè pertractavit. Cum verò lites illæ præcipuè verſatæ ſint in Angliâ & in Galliis, ſingularem harum hiſtoriam ſcripſit. Sub operis finem obſervationes eruditas congeſſit quibus non modo conſtat Gallicanæ Eccleſiæ, ſed etiam Romanæ Curiæ juriſprudentia; ſi quos nactus eſt Theologos,

logos, Eccleſiaſticæ antiquitati adverſos, mendicantes præſertim, duriùs tractavit.

Eâdem de cauſâ non excurrimus in *Librum de Sacramento Unctionis infirmorum* editum anno 1673. in eo tractatu ubi nihil ferè deſideratur, mirabuntur omnes Launoii diligentiam in excutiendis variarum Eccleſiarum ritibus. Notanda maximè videntur ea quæ de formâ, Miniſtro, aucthore hujus ſacramenti ſcripſit, optandum ſanè ut qui de ſacramentis diſputant, pari ſtudio in antiquitatem inveſtigandam operam impenderent, nulla hæreſeos nota inureretur opinionibus quæ per plura ſæcula floruere. Launoii Librum conſulenti nulla fermè de unctione infirmorum occurret difficultas, è quâ non facilè ſe ſe expediat.

Fuſiùs etiam dicendum nobis eſſet de libro edito anno 1674. qui inſcribitur; *Regia in matrimonium poteſtas, vel Tractatus de jure ſæcularium Principum Chriſtianorum in ſanciendis impedimentis matrimonium dirimentibus.* Salebroſa autem videtur illa controverſia, ubi de aſſignandis poteſtatis Eccleſiaſticæ & Regiæ limitibus agitur; loquentem Launoium lubentiùs audiet Lector eruditus. Brevem quandam hujus tractatûs analyſim ipſemet adumbravit in præfatione; ne actum agamus, adeat qui eam conſulere voluerit. De jure Principum in conſtituendis impedimentis matrimonium, tanquam contractum civilem ſpectatum dirimentia, nullus eſt dubitandi locus, ſi conſideres impedimentorum dirimentium quæ in Levitico non habentur uſum à Theodoſio, Juſtiniano, aliiſque Imperatoribus inductum, cui ipſa Eccleſia paruit. Cum verò nemo probaverit Eccleſiam ab iis auctoritate propriâ ſpoliatam, nec viciſſim ab Eccleſiâ ſpoliatos, de Regibus malè mereretur qui hanc ipſis poteſtatem denegaret. Si quam verò hac in re auctoritatem exercet Eccleſia, id totum è voluntate Principum pendere cenſendum eſt.

Romanis auribus Launoiana ſcriptio diſplicuit. Eccleſiaſticam poteſtatem defendendam ſuſcepit Dominicus *Galeſius* Rubenſium Epiſcopus, quem Launoius Regiæ auctoritatis retinentiſſimus malè habuit, merumque Sycophantam appellavit; confutatis iis argumentis quæ probabilitatis colorem quemdam præ ſe ferebant.

Ubi fato functus eſt Launoius in lucem exiere *obſervationes* Lovanii in 4°. anno 1678. Quamvis aucthoris nomine careant, Jacobi Leullerii Pariſienſis Theologi fœtum eſſe conſtat. Is erga Launoium malè affectus erat quia Conſtantienſis Doctor invectus erat in propoſitiones quaſdam à Leullerio propoſitas in *actu veſperiarum* anno 1676. Palidoniam canere juſſus eſt Lul-

lerius Senatûs Pariſienſis Edicto eo quod dixerat in eodem actu *citra hæreſim negari non poſſe quod Eccleſia ſtatuere poſſit impedimenta dirimentia matrimonium.* Hæc adversùs Launoium dicta viſa ſunt. Proſcriptam Senatu Pariſienſi propoſitionem ægrè ferens Leullerius, obſervationes vulgavit, adversùs Launoium quem ſibi inimicum ſuſpicabatur. In eo opere totus eſt ut adverſarium, tanquam inſignem corruptorem oſtentet, Antonii de Dominis & Chemnitii diſcipulum, abſurdè philoſophantem, factis hiſtoricis abutentem; quas omnes objurgationes expendere ſigillatim non eſt animus, plura de his dicturi in tractatu noſtro qui *Launoiana* dicitur. Hîc tamen adnotabimus perpetuum corruptorem non eſſe Launoium, ut contendit Leullerius; non niſi in uno vel altero loco ipſius ſinceritas deſiderari viſa eſt; iſtum præſertim mirati ſumus Joannis VIII. textum parùm ſincerè deſcriptum, in Epiſtolâ Pontificiâ legitur: *ideo cum priorem legitimo ſibi matrimonio junctam* uxorem *quiſquam deſerere nequeat*, nullâ ratione prorsùs *illi conceditur aliam vivente priore conducere.* Hæc verba, *nullâ ratione prorsùs*, quæ ipſi incommoda erant, Launoius delevit; quæ inſignis corruptio dici debet. An autem Launoius Antonii de Dominis & Chemnitii genuinam opininionem adoptarit, noſtrum non eſt definire. Minùs etiam felicem criticum agit Leullerius in iis quæ ſpectant ad momenta hiſtorica, exemplum unum delibamus. Secundùm communem magis hiſtoricorum opinionem, Launoius ſuſceptos à Ludovico Balbo ex Anſgarde filios Ludovicum & Carolomannum ſpurios & illegitimos habuit ob improbatas à Carolo Calvo Ludovici Balbi parente, nuptias ſine ſuo conſenſu factas, eoſque fuiſſe tantùm Regni Regentes, aut Caroli ſimplicis tutores affirmavit. Leullerius multos laudat hiſtoricos, quos Launoio repugnantes judicat; ſi verò Bertinianos annales exceperis ubi legitur Ludovicum Balbum morti proximum mandaſſe iis *qui cum eo erant, ut Ludovicum in Regem ſacrari ac coronari*; cæteri factum illud ſilent.

Gravior adhuc occurrit expendenda exprobratio, an ſcilicet Launoius clarè & diſtinctè admiſerit penès Eccleſiam, indirectam in Regum temporalia poteſtatem. Acriùs urget Leullerius, variis in commodum ſuum detortis Launoii verbis; quæ tamen ſi benè diſpiciantur, vix conſtare ſecum videbitur Launoius, qui à ſalebroſâ illa quæſtione, de *coercendo ab Ordine Sacerdotali*, *abuſu Principum in ſanciendis legibus matrimonium dirimentibus*, abſtinere debuiſſet, nec etiam acriter contendere, in quibuſdam Tridentinæ Synodi locis, per *Eccleſiæ* nomen non intelligi Sacerdotalem Ordinem, ſed tantùm fidelium

lium cœtum : cum enim ea quæ ad matrimonii diſciplinam ſpectant, non recipiantur à Gallis, huic verſandæ quæſtioni non opus erat immorari.

Opuſcula quatuor Gallicè ſcripta nunc primùm edimus quæ illuſtrandæ opinioni Launoii conducunt, multa etiam hiſtoricè narrat admodùm curioſa: Quod Launoii adversùs Leullerium, & Leullerii adversùs Launoium objurgationes ſpectat, æqui bonique conſulat Lector eruditus. Qui pro veritate decertare ſibi videntur, non continuò æquitatis ac charitatis ſectatores fiunt.

In ultimo verò opuſculo quæſtionem intricatam expendit ſcilicet an ſponſus deprehenſâ in adulterio uxore aliam ducere poſſit? Arelatenſis Concilii & Agathenſis auctoritate, ambiguâ tamen nixus licuiſſe affirmat, quam tamen diſciplinam repudiavere Africani in Concilio Milevitano, quorum veſtigia ſcholaſtici, juriſperiti & Synodus Tridentina in can. 7. ſeſſ. 24. ſecuti ſunt: De quo canone audaciùs dicit Launoius: *Si tanquam dogma fidei habeatur non facilè cum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ traditione conciliaveris, dogma fidei eodem modo interpretatus ac Vincentius Lirinenſis.*

Utilem tandem his omnibus ſcriptionibus de matrimonio, adjecimus collectionem Chronologicam Regiorum Edictorum, aliorumque monumentorum, quæ ad matrimonia *clandeſtina* pertinent. In eam conficiendam Launoius Nublæuſque celeberrimus cauſarum patronus mutuam operam poſuêre; cujus operis utilitatem experietur quiſquis argumentum idem excutiendum ſuſceperit; nobiſque, ignotum fermè opus edidiſſe gratulabitur.

Eccleſiæ traditio de prædeſtinatione & gratiâ, quæ prodiit anno 1702. Launoio vulgò tribuitur, attamen Maræſii fœtum eſſe judicat Dupinus legitimus teſtis, ſed de his in Tractatu noſtro *Launoiana* dicto. In eo opere, Auguſtinus *fulgidiſſimum Eccleſiæ lumen* malè habetur, gratuita prædeſtinatio, gratiaque è naturâ ſuâ efficax quatuor prioribus ſæculis ignota dicitur: ſi auctori fidem habeas, tùm in Africâ, tùm in Galliis turbarum origo fuit Auguſtini doctrina; Prædeſtinatianos, Gotheſchalcum, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Dominicanos, Janſenium, ſine ullo diſcrimine, Auguſtinianæ doctrinæ patronos facit. In toto opere ſupponere videtur ſcriptor quod non probat, ſcilicet Auguſtinum antiquæ doctrinæ valedixiſſe, & ſemi pelagianos huic ſincerè adhæſiſſe. Quamvis Launoium hujus operis parentem non agnoſcamus, eadem tamen opinatum eſſe conſtat, ut alibi dicemus.

Ubi lucem aſpexit infauſtus ille libellus, damnatus eſt à

 Cle-

Clemente XI.; cujus veſtigiis inſtitere illuſtriſſimi Galliarum Antiſtites Carolus Mauritius Tellerius Archiepiſcopus Remenſis &c. Gallicani hujus Præſulis decretum adjecimus eo quod receptam in Eccleſiâ Latinâ Auguſtini doctrinam & Alexandri VII., Clementis XI., & Benedicti XIII. laudibus celebratam, exponat eruditè. Eadem ratione ducti notas quaſdam excerpſimus è libro Serrii, qui diligenter traditionem illam fictitiam confutavit.

Non aliam ob cauſam edidimus *Epiſtolam Launoii ſcriptam ex* Elizio, quam quòd ad iſtius controverſiæ hiſtoriam pertineat. Abſit ut ordini de Eccleſiâ & litteris benè merito, ullam injuriam illatam velimus.

Digitized by Google

PRODROMUS
JOANNIS LAUNOII
OPERUM.

EXPECTATAM LAUNOII Operum Editionem, quàm multa incommoda retardârint commemorare nihil attinet. Facilem dabit veniam Lector eruditus, ſi in iis colligendis non oſcitanter laboratum ſit. Ut noſtram qualemcumque induſtriam æſtimare poſſit, pauca nobis attingenda videntur.

Jamdudum nihil Doctis optatius erat, quàm LAUNOII Librorum integra collectio. Tàm varios, tàmque ſingulares Tractatus, ſparſos ægrè ferebant, veriti ne quibuſdam eorum ſenſim Poſteri deſraudarentur. Prudentem fuiſſe juſtúmque hunc timorem conjicere licet vel ex unâ difficultate cuncta LAUNOII *Opuſcula* recuperandi. Gallorum vota majoribus adhuc nitebantur momentis; conſtabat Manuſcriptos Codices in tenebris deliteſcere, hinc eos eruendi, ſpes quædam elucebat, ſi quis omnium *Launoii* Operum Editionem aggrederetur. Non ſua illos feſellit opinio; ubi de Editione noſtrâ levis exortus rumor, quorumdam Opuſculorum MSS. copiam fecêre nobis Viri ad benè merendum de re literariâ ſemper parati. Optandum ſanè, ut qui rariora etiam poſſident, in lucem exire ſinant, & ad Bibliopolas ſuprà nominatos mittant, quos grati animi ſigna promere non pigebit; & viciſſim juſto laudum munere non fraudabunt Editores.

Vel ipſe Operis titulus commonſtrat, quam viam inierimus in hac concinnandâ Editione. Singulis Tractatibus, quem maximè nitidum, commodúmque judicavimus, ordinem aſſignavimus, nihil penſi habentes, quo tempore quiſque lucem aſpexerit. Non aliter importunis repetitionibus obviam iri poſſe videbatur. Opuſcula de eodem Argumento varia, variis temporibus edidit LAUNOIUS. Num benè conſultum fuiſſet Lectorum commodo, ſi ea adituris, duo vel etiam plura evolvenda Volumina reliquiſſemus? Ut pænes æquos rerum æſtimatores ſit judicium, non ab re erit, leviter ac ſtrictim attingere totius Editionis ſeriem & contextum.

Quæcumque ſcripſit LAUNOIUS, ad quædam capita revocavimus. Primum locum ſibi vindicant, Tractatus *de Concurſu* DEI, *de Conceptu B.* MARIÆ *Virginis.* Libros *de Sacramentis*, ſecundùm eorum receptiſſimum ordinem, diſpoſuimus; ad calcem verò hujus *Primi Tomi*, rejecimus Tractatum Gallicum *de Prædeſtinatione & Gratiâ*, aliáque ad illum ſpectantia monumenta; eo quòd ſpurius LAUNOII fœtus ab doctis habeatur, DUPINO teſte legitimo, LUDOVICO MARÆSIO, Pariſienſi Theologo tribuendus, aut forſan aliis, ſi partium irâ percitis Scriptoribus temerè obſecuti, Juriſperitorum placito ſtaremus: *Cui prodeſt ſcelus, is fecit.* In hocce *Primo Tomo* quatuor occurrunt ineditæ Scriptiones, ad *Regiam in Matrimonium Poteſtatem* pertinentes, quas Eruditis legere volupe erit; multa etenim complectuntur curioſa & maximi ponderis, ad confirmandam LAUNOII ſententiam, quæ ſibi tot ac tantos conciliavit Patronos.

Alterius Tomi primus eſt Tractatus *de Auctoritate negantis Argumenti*; quia tota Launoiani ædificii moles quanta quanta eſt, ut pulchrè monet *Thierſius* *, neganti Argumento, quo præſertim in ſequentibus Libris uſus eſt *Launoius*, tanquam cardinibus volvitur ac revolvitur. Hunc Tractatum excipiunt Opuſcula *de Tempore quo primùm in Galliis Fides ſuſcepta eſt*; *de* MAGDALENÆ *&* LAZARI *in Provinciam appulſu, de Athenienſi & Pariſienſi* DIONYSIIS, *aliiſque Sanctis.* Deinde edimus Diſſertationes quæ ad Concilium, apud *Auguſtinum*, plenarium, & ad Eccleſiaſticam morúmque diſciplinam pertinent. Si Miſcellanea illa benè diſpicias, vix ullum ordinem convenientiorem adhiberi poſſe, fateberis. Unum hîc ineditum reperies Opuſculum, *de Uſurâ*, quam legitimam aliquando, ingenioſè defendit LAUNOIUS.

Tertius Tomus omnes complectitur Libros, in quibus LAUNOIUS Monachorum Privilegia, diſquiſitioni ſeveræ addicta, evertit. Sed hæc notiſſima, & in hiis immorari, ſupervacaneum foret.

Ex iis Operibus quæ ad Hiſtoriam rei literariæ ſpectare videntur, natus eſt *Quartus Tomus*. In eo primum locum obtinent, Tractatus *de Scholis Celebrioribus*, *de Variâ* A-

* In *Defenſ. adverſùs* LAUNOII *Append. ad Diſſert. de Autorit. negantis Argument.*

Aristotelis *Fortunâ*, &c. *Hiſtoriam* verò *Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis*, ſic excuſſimus, ut falſas epochas emendaverimus, auctiorémque Librorum Catalogum ſecerimus. Opuſculum unum ineditum, ſed curioſum, exhibemus, unde elucebit, quantus fuerit Launoius, quàm magni factus ab Regni Cancellario, cùm crimini verteret ſacer Theologorum Ordo, approbatam ab *Launoio*, Ordinis Sancti Spiritûs Montis Peſſulani Hiſtoriam.

Ultimo tandem Tomo *Epiſtolas* exequimur; quas inter, ineditas octo reperies *Launoii* ſamâ non indignas. In priore totus eſt, ut nata è Concilio Tridentino commoda prædicet; collatis verò inter ſeſe Nicænâ primâ & Tridentinâ Synodis, colligit longè plura ex alterâ quàm è primâ, in Eccleſiam redundaviſſe. Attamen non diſſimulat orta ex utrâque incommoda, quæ hominum malitiæ unicè adſcribenda ſunt. *Marcum Antonium de Dominis*, & *Paulum Sarpium*, verbis exagitat.

In alterâ ineditâ epiſtolâ contendit Launoius, tempore Concilii Conſtantienſis, nullum fuiſſe indubitatum Papam. Synodi auctoritate fretus, pronunciat, Gregorium XII. minùs dubium fuiſſe Papam, quàm Joannem XXIII. aut Benedictum XIII.

Cùm *Ludovicus Bailius*, Pariſienſis Theologus, è quâdam Epiſtolâ *Innocentii* III., ad Epiſcopum *Metenſem* miſsâ, argueret vetitum eſſe ne Scriptura Sacra in Gallicum idioma converteretur, Launoius Romani Pontificis mentem aſſecutus, commonſtrat, in hac, quam tertiam facimus, Epiſtolâ, tantùm interdici, ne Laïci Verbum Divinum annuncient, neve in Sacerdotes dominatum exerceant.

Quinque alias Epiſtolas ſcripſit Launoius, cùm moveretur graviſſima quæſtio *de Regiâ in Matrimonium Poteſtate*. Quæ nequidem delibârat in majori edito Volumine, momenta, curioſiùs inveſtigat *Launoius*, variis ex Hiſtoriâ petitis exemplis, quæ feliciter ad ſcopum ſuum convertit.

Vulgatam de Gassendi morte Epiſtolam quam aliis additam voluit Launoius in *Regii Navarræ Gymnaſii Hiſtoriâ*, non neglexìmus; quæ tamen Epiſtola in collectione Pariſienſi, & Cantabrigienſi, deſideratur. Hoc etiam adnotatum optamus, Anglum Editorem oblitum nonnulla additamenta, quæ habes ad calcem *Launoii* Epiſtolarum Pariſienſium. Sic illa Cantabrigienſis editio, quam magni faciunt, qui eam minùs diligenter excuſsêre, manca, & mutila cenſeri debet.

Diſtributam, in *Tomos Quinque*, Collectionem noſtram, in *Volumina Decem* abire juſsêre Typographi, ne ſpiſſorum nimiùm Tomorum moles, legentibus incommodo eſſet.

Si minùs orbi erudito, perſpecta ac explorata foret, ſumma Launoii Doctrina, ingens pateret dicendi campus. Hoc verè affirmare poſſumus, vix ullam, Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis offerri poſſe collectionem, in quâ utilitas & jucunda varietas aptiùs cohæreant.

Cujuſque Opuſculi varias Editiones vidimus, hanc unam ſecuti, quam Launoius, emandatiorem pronunciavit. Notas in ipſo titulo expreſſas, ſubminiſtravit aſſidua, Librorum qui adversùs *Launoium* prodiere, pervolutatio. Si pauciores excipias obſervationes, ubi aguntur quæſtiones facti, nihil è noſtro afferimus, omnia debemus *Launoii* adverſariis, quorum nomina commemoramus, ne fortè nobis plagii literarii invidioſa nota inuratur. Partes igitur Hiſtorici, nobis præcipuè vindicamus, pertentare nolumus quid valeat Theologicum odium, cujus vires expertus eſt *Launoius*, & nonnunquam in alios indignabundus exercuit.

Cùm verò in id potiſſimùm incumbere debeat Editor, ut miſſa faciat quæ legenti moleſtiam creare poſſint, nihil aut pauca admodum mutuati ſumus è jejunis aliquot & imperitis Criticis, *Feſaio*, *Jordano*, *Gueſnæo*, *Bartholdo Nihuſio*, &c. His ergo valere juſſis, oculos convertimus ad inſignes, & magni nominis, quos Launoius habuit, adverſarios, *Galeſium*, *Thierſium*, illuſtriſſimum D. D. *de Marca*, utrumque *Valeſium*, *Theophilum Raynaudum*, *Chiffletium*, *Columbium*, *Frontonem*, *Naudæum*, *Alexandrum*, *Ciampinum*, &c. quos inter locum habere poſſunt (a) *Eviglionius*, *Altaſſerra*, (b) *Bucheus*, *Milletus*, &c. Nobiliorum verò Criticorum ſcripta ſic *Launoius* excuſſit, ut nihil ferè delibandum reliquerit.

(a) Eveil-lon.
(b) Bou-cher.

Optandum ſanè ut magis, tùm illi Critici, tùm Launoius, urbanitati ac Chriſtianæ charitati conſuluiſſent. Quis non doleat, eruditos inter ſe conviciis certare, ubi de ſcrutandâ Eccleſiaſticâ Antiquitate agitur? Num omiſſis calumniis, inquirere capitale fuiſſet, quinam ſint in Criticis, negantis Argumenti limites; an *Magdalena Lazarúſque* in Provinciam appulerint; num *Bruno* mortui cujuſdam Canonici voce perterritus, in eremum ſeceſſerit, an Concilium, apud *Auguſtinum*, plenarium; dicendum ſit *Nicænum*, an *Arelatenſe?* Alia benè multa prætermus, de quibus fas eſt cuique liberè opinari. Interea amarum odium exercetur, quaſi de fide conclamatum eſſet; conjiciun-

ciuntur utrimque conviciorum plauſtra, & ſeculum illud, ubi nunquam magis invaluit acuta & accurata critice, injuriarum & calumniæ ſeculum dixeris.

Hinc liquet nos LAUNOII opinionum non ita retinentes, ac tenaces eſſe, ut temerè in adverſarios ipſius impetum facere geſtiamus. Quod in *Launoium*, ſapienter animadverſum vidimus, adnotavimus. Si qua minùs benè prolata fuerint, moderatè breviterque, refellimus. Modeſtiæ limitibus inſiſtere decet, ſtudioſos veritatis indagatores: Hoc tamen juris nobis vindicavimus, ut ſi quid per calumniam aut invidiam apertam dictum eſſe, conſtiterit, liberè id nos etiam paulo acriùs confutaverimus. Habet veritas religioſam quandam iracundiam cui vel modeſtiſſimus quiſque indulgere non erubeſcit. Exempli gratiâ, quis ſuſdeque tulerit, per jocum calumniamque ſimul, de LAUNOIO dictum, quod non ſit (c) *Regis filius, licèt is qui eum genuit, fuerit coronatus*, ſcilicet Presbyter; dum Scriptores Launoii æquales, qui cum ipſo conjunctiſſime vixere, ubi, quo tempore, à quibus parentibus ortus fuerit, diſertis verbis enunciant. Neminem fugit niſi in re literariâ hoſpitem, ac peregrinum, quoſdam fuiſſe LAUNOII adverſarios non obſcurè iniquos, non diſſimulanter iratos: Attamen illæsâ ſemper urbanitate, ſic æquis rerum judicibus conſuluimus, ut quæ liberè conſutata legerint, liberiùs etiam confutari debuiſſe, ſecum ipſi animo ſint reputaturi.

(c) *Hercules Commod.* p. 7.

Cuique Volumini Proœmium præfiximus, brevem quandam ſingulorum Opuſculorum analyſim complexum, ubi aperto LAUNOII ſcopo, quibus Argumentum ſuum tueatur, momenta exhibemus; additis interdum Criticorum adnotationibus. Suus erit tandem ſingulis Voluminibus, *Index* accuratiſſimus.

Quarti Tomi initio adjunximus ob cauſas mox dicendas; Tractatum cui *Launoiana* inſcribitur, & in partes tres diſtribuitur. Prima complectitur *Launoii* Vitam curioſè deſcriptam, Teſtamentum, Epitaphium, Teſtimonia *pro* LAUNOIO & *contra* LAUNOIUM. Nos tamen, amotis præjudiciis, Launoii ingenium, mores & doctrinam ingenuè adumbravimus. Hanc primam Partem excipit Tractatus *de varia* LAUNOII *Librorum Fortunâ*, ubi de conſcriptis in eum Operibus fuſiùs agimus, & palam facimus cujuſque adverſarii ingenium, peritiamque. Diſſidia illa literaria ſuas habent amœnitates, humani ingenii bella dixeris. In ponderandis verò tùm LAUNOII, tùm adverſariorum momentis, manifeſtum fiet, quàm verè, nos Hiſtorici munia obiiſſe, affirmaverimus. Tertia denique Pars exhibebit varia ad *Launoium* & ad *Launoii* Libros ſpectantia monumenta, Manuſcriptorum Codicum Catalogum, &c. Cùm verò è LAUNOII Operibus, multa in hunc Tractatum, tranſtulerimus, non priùs eum in lucem exire permiſimus, quàm tota Launoiana Collectio Typis edita fuiſſet. Alioquin confusè indicatæ fuiſſent paginarum notæ. Convenienter Tractatus ille ſepoſitus eſt in *Quartum Volumen*, rem literariam complexum, quod ſecundùm Typographorum diſpoſitionem, ultimum prodibit.

Quis verò & quantus fuerit LAUNOIUS, ſi adverſarios ejus interroges, Hypercriticum, Pontificiæ auctoritatis & Monachorum hoſtem, Sanctorum everſorem, rudis & indigeſtæ eruditionis virum, certiſſima labefactantem monumenta, ubi præconceptis opinionibus officiunt, Scriptorem futilem judicabis, ISMAELEM alterum cujus *manus contra omnes, & manus omnium contra eum*. Si alios audias, fabulis & ſuperſtitioni infenſiſſimum, veritatis amicum, felicem & acutum, ſed minùs cautum & moderatum Criticum, dignitatis Imperii Gallici & Immunitatum Gallicanæ Eccleſiæ vindicem acerrimum, moribus caſtiſſimis Sacerdotem, & Doctorem nunquam fortunæ velificatum. Hæc ex afferendis *pro* LAUNOIO & *contra* LAUNOIUM teſtimoniis, colliguntur. Si quis ſincerè dignoſcere cupiat, quanti fiat nobilis Scriptor; dum partium deferveſcant ſtudia, expectet: tunc enim ſilent ambitio, obtrectatio, cupiditatum pugnæ, & fucata priùs veritas innatâ ſibi pulchritudine ſplendeſcat.

LAUNOIUM, audaciori criticæ quandoque indulſiſſe, nec ſemper iviſſe medio tutiſſimum, concedimus. Quî fieri poterat, ut intacta ferè argumenta pertractaturus, nuſquam à veri tramite diſcederet? Tantùm abeſt ut hîc *Launoio* ſuccenſeamus, non improbandas quorumdam in eum animadverſiones alibi æmulaturi, ut gratulemur ei audaciam ſuam; dum ſcilicet natam hinc utilitatem attendimus. Si timidi Critici partes egiſſet *Launoius*, torperet etiamnum ejuſmodi quæſtiones perſcrutandi ſtudium.

Aſperas quaſdam adversùs *Launoium* objurgationes, expendere par eſt, ne partem earum malevoli homines, in Editores transferant. Num *Launoius* Pontificiæ auctoritati adverſatur? Affirmant *Richardus Simon* in Rabbinicis multùm, in Theologicis parum exercitatus, & Adulatores qui de Romano Pontifice actum eſſe clamant, ſi vix probabilem inerrantiam ei deneges. Teſtibus verò Gallis LAUNOIUS ab Gallicanæ Eccle-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſiæ Doctrinâ tantillùm recedit; nec Italus, nec Gallus eſt, inter utrumque incedit medius: Adeò ut negarâ Romano Pontifici non errandi facultate, hujus tamen compotem faciat, cùm Decretis ipſius, Apoſtolica Sedes ſeu Romana Eccleſia ſteterit, non expectato Univerſæ Eccleſiæ conſenſu. Ita ſentire *Launoium* teſtantur CHARLASSIUS, Lib. VII. Tract. *de Libertatib. Eccleſ. Gall.* Cap. III. & TURNELIUS *de Eccleſiâ*, Tom. II. p. 131. & ſeq. Alia placita quæ Antiquitate nixa, retinet Gallicana Eccleſia, conſtanter tuitus eſt *Launoius*.

Veriùs memorati Cenſores LAUNOIUM tanquam Romanæ Curiæ oſorem traduxiſſent, hanc ſcriptis ejus vexatam, non diffitemur, *præſertim*, inquit CHARLASSIUS, Lib. III. Cap. XI. *ex quo ejus quoddam* † *opuſculum*, *Sacræ Congregationis cenſurâ notari meruit.* Quàm multùm hæc differant inſtituram, à Chriſto Pontificis auctoritatem convellere, aut politicos Magiſtratus de inſignibus Scriptoribus Gallis malè meritos, aſperioribus dictis affari, nôrunt candidi rerum æſtimatores. Cùm verò moderari verba, nunquam dedeceat, ab iis non diſſentimus hominibus qui vellent ut ab omni obtrectatione ſtilus abeſſet, acerbiùſque ſcripta; orationis quâdam lenitate molliviſſet LAUNOIUS; cui tamen gratulamur quòd in ſalebroſis nonnullis controverſiis, ad factum magis quàm ad jus, teſte (*d*) *Charlaſſio*, reſpexerit.

(*d*) L. VIII. p. 78. T. III.

Sanctorum everſorem, jocosè potiùs quàm verè appellatum crediderimus. Num Magdalenam Lazarúmque è Provinciâ, Dionyſium Athenienſem Pariſiis, exulare juſſos, continuò è Sanctorum albo expunxit? Num Sanctorum quorumdam vitas, cenſoriâ virgulâ notans LAUNOIUS, Sanctos ipſos è Cœlo deturbare dicatur? Quis ſanæ mentis audeat id propugnare? Si ita ſe res haberet, Sanctorum everſores dicendi *Baronius*, *Papebrochius*, *Mabillonius*, aliique benè multi qui exactiùs id genus criticem attentârunt.

De Monachis parum magnificè ſenſiſſe LAUNOIUM, certiſſimum eſt. Monaſteria tanquam falſorum monumentorum quæſtuoſiſſimas officinas habuit: Quæ opinio tam altis defixa radicibus hæſit *Launoii* animo, ut vix odoratus chartam à Monachis prolatam artificiosè confictam vociferaretur. At de antiquis diplomatibus, opinioſi homines *Harduinus* & *Germonius*, ita judicaſſe videntur. Curioſum tamen & perſpicacem, harumce rerum indagatorem fuiſſe *Launoium* affirmant, quotquot in hujuſmodi ſtudiorum exercitatione operam poſuêre. Nonnullos verò Scriptoris errores, liberè confutandos duximus, ubi præſertim periculoſa quædam dominatur audacia.

Alienarum Sectarum Viri, de edendis *Launoii* Opuſculis ſæpiſſimè cogitârunt, Doctorem Catholicum, in partes ſuas invitum adducere conati. Nos de Eccleſiâ in cujus ſinu natum mori velle ſe, in Teſtamento profitetur *Launoius*, benè merituros eſſe judicavimus, ſi hanc Provinciam ſuſciperemus. Propria Eccleſiæ bona repetimus, eíque Doctorem qui eam coluit ac dilexit, aſſerimus ac vindicamus. Probè invigilant commodis ſuis qui ab Romanâ Eccleſiâ diceſſêre; ſi quem eximium Doctorem Catholicum novêre, ſuperſtitionis fabularúmque odio clarum, ſtatim conſcium ac participem haberi volunt hæreſeon quas conſtanter deteſtatus eſt; quaſi Calviniano aut Lutherano ſpiritu afflatus cenſeri queat, qui veritatem mendacii auxilio non egere prædicat, indocilis ſpernere Eccleſiæ Catholicæ vocem. Hæc toto cœlo diſtare, nequidem Calvini Sectatores inficiabuntur, qui doctrinam cum animi ſinceritate conjungunt.

Non ita pridem, ſingulorum LAUNOII Librorum ſeorſim edendorum conſilium, meditatus erat, fato functus *Georgius Serpilius* Lutheranarum Eccleſiarum in Germaniâ *Superintendens.* Specimen quoddam vulgavit, de *Launoio* & *Launoii* Operibus multa locutus, deſcripto eorum Catalogo minùs amplo & emendato. Unum tantùm edidit Tractatum, *de verâ Causâ ſeceſſûs* BRUNONIS *in Eremum*, addito, pro Germanorum more, copioſiſſimo Proemio. Qui verò fieri poterat, ut Germani, quamvis benè animati, exactam illam collectionem aſſequerentur, quam nos in ipſo Gallicani Imperii ſinu & Metropoli, non ſine ſollicitudine quæſivimus? Ubi nata ſunt LAUNOII Opera, hinc potuiſſe omnia exurgere, unicè ſperandum erat. Ad Gallos proprio & nativo jure ſpectabat ea cura. Ab iis faces illæ accendendæ, quæ lucem diſpellendæ plurium locorum caligini, neceſſariam afferrent.

Nihil autem gratius, nihil commemoratione publicâ dignius fecerint Eruditi, quàm ſi nobiſcum, Anecdota, criticas Obſervationes, Monumenta, tum ad LAUNOIUM, tum ad lucubrationes ipſius ſpectantia, communicaverint; cujus beneficii facilè nos, pro humanitate ſuâ, interpoſito Bibliopolarum ſuprà nominatorum miniſterio, compotes efficient, gratiam quàm maximè poterimus, honorificam eis relaturos.

† *Cenſura Reſponſionis quâ* Fr. NORBERTUS CAILLOCIUS *ſeſe mendaciis atque erroribus novis irretivit.*

SYNOPSIS
OPERUM JOANNIS LAUNOII.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.

SYLLABUS RATIONUM QUIBUS CAUSA DURANDI DE MODO CONJUNCTIONIS CONCURSUUM DEI ET CREATURÆ DEFENDITUR. Pag. 1.

PRÆSCRIPTIONES DE CONCEPTU BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. 9.

DE CONTROVERSIA SUPER EXSCRIBENDO PARISIENSIS ECCLESIÆ MARTYROLOGIO EXORTA JUDICIUM. 44.

DIVERSI GENERIS ERRATORUM QUÆ IN VINDICIIS PARTHENICIS EXTANT SPECIMEN. 84.

CAPUT I. *Nicolaus Adv. Billiadus non diſponit Sermones ſuos in judicio.* ibid.
CAP. II. *Parergis & inopportunis deſidendæ rei Sermonibus Lectorem ſi quem nactus eſt fatigat.* 85.
CAP. III. *Vulgato Bedæ martyrologio utitur, quod illi reipſa nocet.* ibid.
CAP. IV. *Uſuardum injuſtè torquet & crudeliter; ſed tortus ſtabit torquente fortior.* 86.
CAP. V. *Impactæ Uſuardo calumniæ in Bedam recidunt neceſſaria conſecutione.* 87
CAP. VI. *Baronium hæreticorum nunc ut Exciſorem, nunc ut Ædificatorem excipit.* ibid.
CAP. VII. *Græcis Patribus turpiter imponit.* ibid.
CAP. VIII. *Cæſarium Arelatenſem Sancti Brunonis æqualem facit ſumma cum inſcitia.* 88.
CAP. IX. *De Hyeronimi ad Paulam & Euſtochium Epiſtola, crambe ad nauſeam repetita.* ibid.
CAP. X. *Quæ Billiadus ſuperiori capite declamitat, recidunt in Romanam & alias plures Eccleſias.* 89.
CAP. XI. *Quod Billiadus ſibi ſumit, pari modo ſumi poteſt de Scriptoribus qui poſt vulgatum ſub nomine Melitonis Sardenſis Epiſcopi librum de tranſitu B. Mariæ ſcripſerunt.* 92.
CAP. XII. *Circa Sermonem S. Auguſtini de Aſſumptione, pugnantia ſecum loquitur.* ibid.
CAP. XIII. *Ut conſcriptam ſub nomine Hyeronimi Epiſtolam rejicit, ſic & alium Athanaſii Sermonem de B. Virgine rejiciet.* 93.
CAP. XIV. *Sacramentarium Gregorii paſſim laudat, eique tribuit, quod reipſa tribui non poteſt.* ibid.
CAP. XV. *Romanæ Eccleſiæ tribuit quod ſalva veritate tribui nequit.* 96
CAP. XVI. *Quicquid pluribus in locis gratiam corporeæ Aſſumptionis diſputat, id omne in uno loco funditus evertit.* 97.
CAP. XVII. *Pari modo ſentiendum eſt de argumento quod ex Hymnis, Proſis & Collectis Pariſienſis Eccleſiæ depromit.* ibid.
CAP. XVIII. *Fallit vel fallitur ex voce Aſſumptionis philoſophatus.* 98.
CAP. XIX. *Fallit, vel fallitur in deſignanda vocis hujus nomine antiquitate.* 99.
CAP. XX. *In excernendis apocryphis veras non ſervat Criticæ leges.* 100.
CAP. XXI. *Henricum Valeſium nunc ut Virum doctiſſimum prædicat, nunc ut Arianæ hæreſis Patronum accuſat.* 101.
CAP. XXII. *Mala prorſus fide agit cum Beda.* 102.
CAP. XXIII. *Τὴν μετάστασιν male interpretatur aſſumptionem.* 103.
CAP. XXIV. *Theologiæ veræ principia deo, philoſophando paſſim excedit.* 104.
CAP. XXV. *Billiadi Liber vitio petitionis principii paſſim ſordeſcit, gratis & ſine ratione pro certo ſibi ſumens quod reipſa incertum eſt.* 105.
CAP. XXVI. *Contumeliarum numerus infinitus.* 106.

CARPENTARII THEOLOGI EPISTOLA DE CONTENTIONE ORTA INTER CANONICOS PARISIENSES SUPER VERBIS USUARDI, AD FESTUM ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ. 108.

DE FREQUENTIS CONFESSIONIS ET EUCHARISTICÆ COMMUNIONIS USU ATQUE UTILITATE LIBER. 114.

CAPUT I. *Joannis Gerſonis de ſupradictis doctrina refertur.* 115.
CAP. II. *Illuſtrium quorundam Theologorum qui Gerſonis doctrinam de ſupradictis ſecuti ſunt, teſtimonia recenſentur.* ibid.
Adjiciuntur magni nominis Theologi tres qui nec frequentem nec infrequentem Euchariſtiæ communionem accuſant. 121.
CAP. III. *Plures Gallicanæ Synodi Chriſtianis commendant duos Gerſonis Libros, in quibus ſupradicta ſuadentur.* 122
CAP. IV. *Plures pluribus ex locis & nationibus Provinciales Synodi referuntur, quibus doctrina de ſupradictis confirmatur.* 128.
CAP. V. *Plures pluribus ex locis Diœceſanæ Synodi ſupradicta confirmantur.* 130.
CAP. VI. *Selecta piorum & doctorum hominum de Gerſone teſtimonia adducuntur.* 135.

DE MENTE CONCILII TRIDENTINI CIRCA CONTRITIONEM ET ATTRITIONEM IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ LIBER. 143.

PARS PRIMA.

Tridentina Synodus duplici Theologorum de contritione & attritione opinioni præjudicium nullum fecit. 144.

CAPUT I. *Ratio ducitur ex Concilii mente illa, ut doctrina novitas in Luthero ſola damnaretur.* ibid.
CAP. II. *Ratio ducitur ex rebus in Seſſione ſextâ geſtis atque ex Andreæ Vega teſtimonio qui Seſſioni interfuit.* 145.

Cap. III. *Ratio ducitur ex rebus aliis in Concilio geſtis, quibus perſpicuè oſtenditur, nihil eſſe ibi de iſtâ Scholaſticorum controverſiâ tractatum.* 146.

Cap. IV. *Ratio ducitur ex diſputandi modo Melchioris Cani, Ruardi Tapperi & Alfonſi Salmeronis, qui Tridentino Concilio interfuerunt.* ibid.

Cap. V. *Ratio ducitur ex diſputandi modo quatuor Illuſtrium Societatis Jeſu Theologorum qui Concilio Tridentino ſuppares fuerunt.* 147.

Cap. VI. *Ratio ducitur ex iis qui Calvino reſtiterunt, illiuſque novitatibus antiquam Eccleſia doctrinam oppoſuerunt.* ibid.

Cap. VII. *Ratio ducitur ex iis quæ Romæ acta ſunt, dum* Clemens VIII. *Raimundum Pennafortium numero ſanctorum adſcripſit.* 148.

Cap. VIII. *Ratio ducitur ex eo quod ſi quæſtio hæc fuiſſet in Concilio ad definiendum propoſita, ex rerum definiendarum legibus Patres ſecundum contritionem potius, quam ſecundum attritionem judicaſſent.* 150.

PARS POSTERIOR.

Tridentina Synodus utramque Theologorum de contritione & attritione opinionem Scholæ liberam reliquit. 159.

Caput I. *Primus modus probandi ex iis, qui attritionem in ſacramento ad juſtificationem ſatis eſſe docent, & qui neceſſitatem contritionis rejiciunt atque verum hac de neceſſitate contritionis ſententia teneri meritò poſſet expendunt.* 160.

Cap. II. *Alter modus probandi ex iis qui Concilio Tridentino interfuerunt, & in eadem de contritione ſententia perſeverarunt.* 161.

Cap. III. *Tertius probandi modus ex iis qui ab anno* MDXLVI. *de Sacramento Pœnitentiæ ſcripſerunt.* 166.

Cap. IV. *Quartus modus probandi ex iis, qui aiſi perfectam reipſa contritionem eam certè requirunt.* 179.

Cap. V. *Quintus probandi modus ex uſu multarum Eccleſiarum in quibus Sacerdos non aliter quàm à peccatis contritis abſolvit.* 180.

Cap. VI. *Sextus probandi modus ex iis quæ de neceſſitate contritionis in Diplomatibus Indulgentiarum apponuntur.* 183.

Cap VII. *Septimus probandi modus ex iis, qui hac locutione utuntur, hominem pœnitentem ex attrito fieri contritum virtute ſacramenti.* 184.

Cap. VIII. *Octavus probandi modus ex ratione Diſciplinæ, quæ in confeſſione & abſolutionis reſervatorum criminum poſt Tridentinum Synodum obſervata eſt.* 187.

Ad ea quæ duabus libri partibus diſputata ſunt, Obſervationes. 189.

Observatio I. *Tres Sacramenti Pœnitentiæ partes accipi non debent ſicut partes phyſicæ.* 190.

Observ. II. *Aliquot exemplis oſtenditur verum eſſe, Canonici Juris Antiſtites & Theologiæ Magiſtros ſummam Raymundi ctraſſe.* ibid.

Observ. III. *Paulus & Michael de Palatio de Tridentina Synodo locuti juſtum diſputandi modum exceſſerunt, & eos ſecuti ſunt recentiores nonnulli.* 191.

Observ. IV. *Sub finem ſuperioris Obſervationis memorata confeſſio informis exponitur, & quomodo S. Thomas illam ſtabiliat & ab aliis diſſentiat oſtenditur. Tractandæ Theologicæ quæſtionis methodus.* 194.

Observ. V. *Sacramenta examinari non debent ad gratiam pœnitentium, ſed ad Scripturam & Traditionem.* 196.

Observ. VI. *Scholaſtici quidam poſt Tridentinum Concilium novis contritionis & attritionis definitionibus & partitionibus quæſtionem aliàs difficilem implicuerunt funditus.* 197.

Observ. VII. *Tridentinum Concilium ubi de forma Sacramenti pœnitentiæ loquitur, maximè ſpectat communem tunc in Scholis de eſſentiâ Sacramenti opinionem.* ibid.

Observ. VIII. *Verba Seſſionis XIV. cap. V. ad opinionem de contritionis neceſſitate facile reduci poſſent, ſi Concilii mens & intentio id ſuſtineret.* 198.

Observ. IX. *Pugnantes pro neceſſitate contritionis, & laudantes Concilium, a Concilii ſcopo recedunt, quo tamen ſepoſito vincerent adverſarios.* 199.

Observ. X. *Excuſari nonnihil poſſunt, qui rem non indagantes altius. Concilium modo in unam, modo in alteram partem trahunt.* 200.

Observ. XI. *Aſſertâ contritionis confeſſionis neceſſitas non tollitur, ſed confirmatur potius.* 201.

Observ. XII. *Recentiores quidam vehementer abutuntur Canone IX. Seſſionis XIV.* ibid.

Observ. XIII. *Redditur ratio, cur qui poſt Lutherum & Concilium veterem de contritione neceſſitate opinionem retinuerunt, modum loquendi de forma abſolutionis non retinuerint.* 202.

Observ. XIV. *In hac propoſitione, ex attrito fieri contritum, novus aperitur ſenſus.* 204.

Observ. XV. *Explicatur, quibus rebus reſervatorum caſuum diſciplina continetur, quibus in lucta eſt, & quibus nonnihil immutata.* 205.

Observ. XVI. *Explicantur cauſæ quatuor quibus dimidio abhinc ſæculo factus eſt major pro attritione, quam pro contritione opinantium numerus.* 206.

De Mente Concilii Tridentini circa satisfactionem in Sacramento Poenitentiæ, Dissertatio. 208.

Caput I. *Ratio prima quæſita ex Seſſionis VI. Capite XIV. de lapſis, & eorum reparatione.* 210.

Cap. II. *Ratio altera quæſita ex iis, qui ſtatim poſt publicatam Concilii Seſſionem VI. & ante publicatam Seſſionem XIV. de Pœnitentiâ ſcripſerunt.* ibid.

Cap. III. *Ratio tertia quæſita ex rebus in Concilio Tridentino tractatis Seſſione XIV.* 212.

Cap. IV. *Ratio quarta quæſita ex iis, qui in decimâ quartâ Concilii Tridentini Seſſione ſententiam tulerunt.* 213.

Cap. V. *Ratio quinta quæſita ex iis, qui in Concilio Tridentino interfuerunt quamvis in Seſſione XIV. tuliſſe non legantur.* 214.

Cap. VI. *Ratio ſexta quæſita ex iis, qui à publicatâ decimâ quartâ Concilii Seſſione de Pœnitentiâ ſcripſerunt.* 217.

Cap. VII. *Ratio ſeptima quæſita ex Joanne Groppero Colon. Eccleſ. Archidiacono.* 221.

Cap. VIII. *Ratio octava quæſita ex iis qui Triden-*

Tridentini Concilii ſuppares fuerunt. 222.

CAP. IX. *Expenduntur illorum momenta qui ut ſatisfactio abſolutionem antecedat, Tridentinum Concilium decreviſſe contendunt.* 231.

CAP. X. *De relatis quibuſdam Concilii Tridentini locis judicium Facultatis Theologiæ Pariſienſis.* 234.

CAP. XI. *Expenduntur ſeptem illæ Concilii Tridentini Viæ, quibus alii ſatisfactionis expletionem ante abſolutionis beneficium exigi poſſe contendunt.* ibid.

CAP. XII. *Sex ad Diſſertationis confirmationem animadvertuntur.* 238.

CAP. XIII. *De Quæſtione Juris nonnihil proponitur magis, quàm aſſeritur.* 242.

EXPLICATA ECCLESIÆ TRADITIO CIRCA CANONEM OMNIS UTRIUSQUE SEXUS. 244.

CAPUT I. *Quid ab anno Chriſti* MCCXV. *ad annum* MCCL. *circa Lateranenſem Canonem ejuſque materiam acciderit refertur.* 247.

CAP. II. *Quid ab anno* MCCL. *ad annum* MCCLXXX. *circa ſupradicta refertur.* 253

CAP. III. *Quid ab anno* MCCLXXX. *ad annum* MCCXCV. *acciderit refertur.* 260.

CAP. IV. *Quid ab anno* MCCXCV. *ad annum* MCCCXVII. *acciderit refertur.* 266.

CAP. V. *Quid ab anno* MCCCXVII. *ad annum* MCCCL. *acciderit refertur.* 270.

CAP. VI. *Quid ab anno* MCCCL. *ad annum* MCCCCIX. *acciderit refertur.* 274.

CAP. VII. *Quid ab anno* MCCCIX. *ad annum* MCCCCXXX. *acciderit refertur.* 287.

CAP. VIII. *Quid ab anno* MCCCCXXX. *ad annum* MCCCCLX. *acciderit refertur.* 294.

CAP. IX. *Quid ab anno* MCCCCLX. *ad annum* MD. *acciderit refertur.* 315.

CAP. X. *Quid ab anno* MD. *ad annum* MDXXV. *acciderit refertur.* 318.

CAP. XI. *Quid ab anno* MDXXV. *ad annum* MDLX. *acciderit refertur.* 324.

CAP. XII. *Quid ab anno* MDLX. *ad annum* MDCXV. *acciderit refertur.* 329.

CAP. XIII. *Quid ab anno* MDCXV. *ad annum* MOCLX. *acciderit refertur.* 337.

AD EXPLICATAM ECCLESIÆ TRADITIONEM OBSERVATIONES. 346.

OBSERVATIO I. *Prognata ex Lateranenſi Canone contentiones temporis progreſſu creverunt.* ibid.

OBSERV. II. *Aſſeritur verus & unicus explicandi Lateranenſis Canonis modus de ſolo Parocho.* ibid.

OBSERV. III. *Cur in explicata Traditionis Capite I. & II. Laudati Theologi Sacerdotem proprium variè deformant, ratio diſquiritur, & in Anglicanum Clerum rejicitur, intercurrentes difficultates nonnullæ diluuntur, ubi & de divina inſtitutione Epiſcoporum agitur.* 362.

OBSERV. IV. *Qui poſt primam & ſecundam epocham Sacerdotem proprium in Romanum Pontificem, diœceſanum Epiſcopum, & Parochum diviſerunt, indicantur, eorumque dicta nonnihil ordine examinantur.* 371.

OBSERV. V. *Expenditur ratio quam Alenſis, Albertus, Bonaventura, & quidam alii ex Papæ & Epiſcoporum Pœnitentiariis deſumunt.* 375.

OBSERV. VI. *Expenduntur rationes quibus quod veteres quidam Theologi de tribus Lateranenſis Canonis Sacerdotibus propriis ſine probatione jecerunt in Commentarios, G. Vaſquez probare conatur.* 377.

OBSERV. VII. *Expenduntur Nicolaï Iſamberti rationes, quibus ille Vaſquii ſententiam confirmat.* 379.

OBSERV. VIII. *Expenditur Iſamberti Reſponſio ad Quæſtionem hanc utrum de licentia ſolius ſummi Pontificis, vel ſolius Epiſcopi proprii, aliquis poſſit ſine licentia ſui Curati, confiteri alieno Sacerdoti.* 380.

OBSERV. IX. *Expenditur ratio hæc, privilegium audiendi confeſſiones fratribus datur, non in Sacerdotum præjudicium, ſed in fidelium gratiam.* 382.

OBSERV. X. *Expenditur certa quædam B. Thomæ objectio ſeu ratio, quæ ex privatis Presbyterorum utilitatibus comparatur.* 385.

OBSERV. XI. *Expenditur ejuſdem S. Thomæ reſponſio ad objectionem quæ petitur ex Cap.* Contra Statuta SS. Patrum. 386.

OBSERV. XII. *Expenditur certa quædam Bonaventuræ ratio, quæ habetur in tractatu ſic inſcripto;* Quare minores, prædicent, & confeſſiones audiant. 387.

OBSERV. XIII. *Expenditur ratio hæc, Pontifex Romanus & Diœceſani Antiſtites poſſunt permittere, ut Parochianus alieno Sacerdoti ſua peccata confiteatur in Paſchate, quia id Parochialis Presbyter poteſt permittere.* 390

OBSERV. XIV. *Prædicatores & Minores decreto Martini IV. cum ſtare nollent, novum in Gallia excitarunt controverſiam, quam niſi Bonifacius VIII. diremit apud Nangium, hæc nondum dirempta eſt.* 392.

OBSERV. XV. *Nonnulla ad Durandi diſputationem annotata.* 398.

OBSERV. XVI. *Innocentius VI. & Cardinales curatam ab Armachano inter Martini IV. Conſtitutionem,* Ad uberes *& Joannis XXII. Conſtitutionem,* Vas electionis *concordiam audierunt nec improbarunt: Exinde Pariſienſis Academia Armachanum ſecuta eſt, & Sixtus IV.* 401.

OBSERV. XVII. *Nonnulla ad Rogerii diſputationem annotata.* 403.

OBSERV. XVIII. *Nonnulla ad Joannis Majoris diſputationem annotata.* 406.

OBSERV. XIX. *Nonnulla ad Suarii diſputationem annota.* 409.

OBSERV. XX. *Nonnulla ad Gamachæi diſputationem annotata.* 411.

OBSERV. XXI. *Pariſienſes Magiſtros quoſdam objicientibus, Academiæ & Theologiæ Facultatis decreta univerſim opponuntur.* 413.

OBSERV. XXII. *Quo ſenſu Theologiæ Facultas dicit æquivocum eſſe* proprii *nomen, explicatur.* 414.

OBSERV. XXIII. *Pariſienſis Academiæ modus in temperandis fratrum privilegiis perquàm notandus & gravis.* 415.

OBSERV. XXIV. *De argumentis quibus & fratres & alii pro fratribus utuntur, generale judicium.* ibid.

OBSERV. XXV. *Fratres non admodum obſervant, quod illis obſervandum Pontifices multi præcipiunt.* 418.

Observ. XXVI. *Recentiores fratres ſummoperè cavent, ne doceant, quod antiqui docuerunt.* 419.

Observ. XXVII. *Magni videtur eſſe ponderis ratio quam Doctores multi deſumunt ex prudentia quæ in negotio ſalutis adhibenda eſt, & quam plerique fratres diſſimulant.* 421.

Observ. XXVIII. *Quæ a fratribus Lateranenſis Concilii Canoni*, Omnis utriuſque ſexus, *opponuntur privilegia hæc, vel falſa vel ſubreptitia demonſtrantur ex Romana Curiæ Juriſprudentia.* 422.

Observ. XXIX. *Ad Romanæ Curiæ Juriſprudentiam, accedit Sedis Apoſtolicæ Juriſprudentia multo nobilior, quæ ſacrorum Canonum derogationem non agnoſcit.* 428.

Observ. XXX. *Si Pontifices inter ſe pugnent, alii pro Presbyteris contra fratres, alii pro fratribus contra Presbyteros, ad tollendam e medio diſcordiam & ſtatuendam in Eccleſia pacem, quid opus facto proponitur.* 431.

Observ. XXXI. *Parochi ut paci Eccleſiæ conſulatur Lateranenſis Concilii Canonem*, Omnis utriuſque ſexus, *ita debent exequi ut culpâ ſuâ nullam Epiſcopis vel Papæ occaſionem dent ad faciendi, quod ex forma Concilii ejuſdem facere poſſunt.* 439.

De Sacramento Unctionis infirmorum Liber. 442.

Caput I. *Explicata per Scripturam & Traditionem Sacramenti Unctionis Infirmorum inſtitutio & uſus.* 444.

Cap. II. Observatio I. *Perpetuus Unctionis Infirmorum uſus.* 455.

Observ. II. *Diſciplina ungendorum Infirmorum primis Eccleſiæ ſæculis infrequentior fuit, quam poſterioribus, & quare.* ibid.

Observ. III. *An Sacramentum Extremæ Unctionis inſtitutum ſit à Chriſto, vel ab Apoſtolis diſputatum ſerius.* 456.

Observ. IV. *Cauſa diſquiritur & forſan reperitur, cur Scholaſtici de Inſtitutione Sacramenti Extremæ-Unctionis diſputantes, in varias opiniones conceſſerint.* ibid.

Observ. V. *Scholaſtici veteres iſti, licet de Auctore Sacramenti Extremæ-Unctionis non conveniant, de ſacramento tamen conveniunt.* 457.

Observ. VI. *Theophylacti & Oecumenis teſtimonia in Unctionis infirmorum Sacramenti finibus, contineri facilè poſſunt.* ibid.

Observ. VII. *Permiſſus apud Innocentium Chriſtianis omnibus olei ſancti uſus qui nonnullos malè torquet, Unctionis Infirmorum Sacramento non obeſſe oſtenditur.* 458.

Observ. VIII. *Theologi poſt Tridentinum Concilium non ita loquuntur, quemadmodum antiquiores locuti fuerant.* ibid.

Observ. IX. *Bellarminus de Sacramentorum auctore diſputans, Catholicos hæreticis inconſulto admiſcet.* 460.

Observ. X. *Ægidii Coninki dictata examinantur.* 461.

Observ. XI. *Aliud Bellarmini peccatum in eandem rem notatur.* 462.

Observ. XII. *Extremæ Unctionis effectus non eſt ſola corporis ſanatio.* 463.

Observ. XIII. *Sacramentum hoc nunc Unctio infirmorum ſimpliciter, nunc Extrema Unctio vocatur.* 464.

Caput I. *Explicata Eccleſiæ Traditio circa formam Unctionis Infirmorum.* ibid.

Cap. II. *Referuntur quæ à primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad exceſſum Gregorii I. de forma unctionis Infirmorum haberi poſſunt.* 465.

Cap. III. *Referuntur quæ à Gregorii tempore ad annum* DCCCXL. *de forma Extremæ Unctionis haberi poſſunt.* 466.

Cap. IV. *Referuntur quæ ab anno* DCCCXL. *ad annum* M. *de ſupradictâ haberi poſſunt.* 480.

Cap. V. *Referuntur quæ ab anno* M. *ad præſens ſæculum de ſupradictâ haberi poſſunt, ad idoneam illius intelligentiam.* 491.

Cap. VI. Observatio I. *Plures ritus Extremæ unctionis priſcos juxta ac recentiores deſcribendi neceſſitas.* 535.

Observ. II. *Extremæ Unctionis Sacramenti partes ſunt duæ, unctio & oratio, quæ in prima Eccleſiæ Traditione non ſignificat unctionis applicationem.* ibid.

Observ. III. *Temporis progreſſu Gregorianis orationibus inſerta eſt applicati ad caput olei mentio.* 536.

Observ. IV. *A tempore Gregorii ad annum* DCCCXL. *accepto a majoribus Extremæ Unctionis ritui ſuccreverunt orationes, quibus modo una, modo plures corporis partes uncta diſignantur.* ibid.

Observ. V. *Verba illa in quibus forma Extremæ Unctionis indicativa conſiſtere dicitur à Scholaſticis huic ætati debetur.* 537.

Observ. VI. *Quam Scholaſtici formam vocant indicativam, ea ſola compares in decurſu Traditionis, quæ cap. III. explicata eſt.* ibid.

Observ. VII. *Non iidem ubique in unctione infirmi & in oratione inter ungendum dicta, mores.* ibid.

Observ. VIII. *In confinio tertiæ epochæ, fundamenta jaciuntur orationis deprecativæ.* 538.

Observ. IX. *Ab anno* M. *ad annum* MCC. *frequentior eſt in Eccleſiis indicativa, quam deprecativa formæ uſus.* ibid.

Observ. X. *Oratio deprecativa indicativæ primùm ſubjecta eſt, in Pontificalibus ſeu ritualibus libris.* 539.

Observ. XI. *Ab anno* MCC. *uſque ad ſæculum quod excurrit, frequentior eſſe cœpit deprecativæ uſus, quam indicativæ formæ.* ibid.

Observ. XII. *Superioris obſervationis cauſæ declarantur.* 540.

Observ. XIII. *Indicativa quidem forma in illuſtrioribus Eccleſiis ſuperiori ſæculo perſtitit, ſed in nonnullis ſub ejus finem, & in omnibus ſub illius exordium planè concidit.* 541.

Observ. XIV. *Orationem ſeu formam indicativam non compoſuit Ambroſius: verus auctor illius ignoratur.* ibid.

Observ. XV. *Deprecativæ formæ auctor non eſt Gregorius Papa, immò veriſimilius eſt auctor indicativæ, quam deprecativæ.* ibid.

Observ. XVI. *De forma deprecativa certa ſunt quædam, alia incerta.* 542.

Observ. XVII. *Paludanus de uſu indicativæ & deprecativæ formæ diſputans, rectius judicavit, quam SS. Thomas & Bonaventura.* ibid.

Observ. XVIII. *Exhibitus Cap. I. Extremæ Unctionis ritus latuit veteres Scholæ Magiſtros.* 543.

Observ. XIX. *In tradendis Extremæ Unctionis ritibus erratum quidem à Scholaſticis quibuſdam*

buſdam ſed in adminiſtrando Sacramento non erratum ab Eccleſia. 543.

OBSERV. XX. *In Sacramento Extremæ Unctionis indicativa, ut loquuntur, forma reipſa convenit cum deprecativa.* 544.

OBSERV. XXI. *Quod de Unctionis extremæ forma dixit Tridentina Synodus, in commodum ſenſum accipiendum eſt.* 545.

OBSERV. XXII. *Quæ de forma Extremæ Unctionis tractata ſunt, Latinam magis quam Græcam attinent Eccleſiam.* 547.

OBSERV. XXIII. *Expoſiti Græcorum ritus antiquitas expenditur.* ibid.

OBSERV. XXIV. *Græcorum forma Extremæ Unctionis nonnihil diſcordat a forma Latinorum.* 548.

OBSERV. XXV. *Hodiernus Latinorum ritus cum hodierno Græcorum comparatus, nonnihil videtur congruentior.* ibid.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa iterationem Sacramenti Extremæ Unctionis. *ibid.*

CAPUT I. *Ab anno Chriſti* M. *ad annum* MCXXX. *alii ſemel in vita, alii ſemel in anno dandum eſſe Unctionis extremæ ſacramentum tradiderunt.* 549.

CAP. II. *Ab anno Chriſti* MCXXX. *ad annum* MCCL. *opinio eorum qui docent Unctionem infirmorum iterari poſſe prævaluit.* 550.

CAP. III. *Ab anno* MCCL. *in reliquum tempus traditum eſt ſimpliciter iterandam eſſe poſtremam Unctionem, nunc in eodem morbo abſolutè nunc non in eodem morbo, niſi ultra annum protrahitur.* 551.

CAP. IV. *Nonnulla in explicatam Traditionem Obſervationes.* 553

OBSERV. I. *Quæ fuerit iteranda vel non iteranda Unctionis Infirmorum inſtitutio ante annum abhinc Chriſti* M. *vix agnoſci poteſt.* ibid.

OBSERV. II. *Extremæ Unctionis iteratio vel non iteratio, res eſt diſciplinæ & converſationis, non fidei.* 554.

OBSERV. III. *Potiores ſunt rationes iterantium, quam non iterantium Unctionem infirmorum.* ibid.

OBSERV. IV. *In iterando Sacramento Extr. Unct. habenda potiſſimum ratio conſuetudinis locorum.* 555.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa petitionem Sacramenti Extremæ Unctionis.

CAPUT I. ibid.

CAP. II. *Nonnulla in explicatam Traditionem Obſervationes.* 559.

OBSERV. I. *Hujus Traditionis explicationem ultra annum Chriſti* DC. *reduci facile non poſſe præſumendum; tamen id ita factum donec contrarium certis auctoritatibus oſtendatur.* ibid.

OBSERV. II. *Ægrotos eſſe nonnullos, quibus neganda non eſt, unctio tametſi eam non petiverint.* ib.

OBSERV. III. *Græcorum in eandem diſciplinam conſpiratio.* ibid.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa ſtatum & ætatem infirmorum ſacram Unctionem ſuſcepturorum. 560

CAPUT I. *Chriſtianus eſſe debet qui ungitur oleo infirmorum.* ibid.

CAP. II. *Pœnitentibus olim non dabatur Unctio.* ibid.

CAP. III. *Hominibus olim vita innocentiſſimis non dabatur unctio.* 561.

CAP. IV. *Unctio conferenda non eſt excommunicatis, amentibus, fatuis, furioſis, ſanis, aut pueris ante annum ætatis* XIV. 562.

CAP. V. *Nonnulla in expoſitam Traditionem Obſervationes.* 563.

OBSERV. I. *Antiquos Canones antiquis moribus eſſe interpretandos, niſi quis errare velit.* ibid.

OBSERV. II. *Superioris Obſervationis argumentum rurſus inculcatum.* 564.

OBSERV. III. *Amentibus &c. Unctionem dari poſſe ſi prius petierint quàm in amentiam &c., inciderent.* ibid.

OBSERV. IV. *Pluribus in Eccleſiis idem Extremæ Unctionis, quod Euchariſtiæ ſumendæ tempus pueris aſſignatum eſſe.* 565.

OBSERV. V. *Græcos ſanis & rectè valentibus Unctionem perperam impertiri.* ibid.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa miniſtrum Sacramenti Extremæ Unctionis.

CAPUT I. 566.

CAP. II. *Nonnulla in explicatam Traditionem Obſervationes.* 568.

OBSERV. I. *In adminiſtrando Sacramento Unctionis, diſcrimen inter Græcos & Latinos non exiguum intercedit circa Presbyterorum numerum.* ibid.

OBSERV. II. *Videtur Diaconis aliquando prohibitum, aliquando quoque conceſſum, ut Unctionem conferrent.* 569.

OBSERV. III. *Explicatur obſcurus Innocentii locus de Chriſtianis omnibus, quibus uti chriſmate liceat in ſua, aut ſuorum neceſſitate ungendo.* 572.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa partes corporis quæ unguntur, in Sacramento Unctionis.

CAPUT I. 574

CAP. II. *Nonnulla in explicatam Traditionem Obſervationes.* 580.

OBSERV. I. *Primis Eccleſiæ ſæculis obſcurum quot partes infirmi ungerentur.* ibid.

OBSERV. II. *Poſt Gregorii tempus apud Latinos modo una, modo plures corporis partes unctas fuiſſe.* 581

OBSERV. III. *Corporis partem in qua dolor erat acerbior, olim pluribus Eccleſiis unctam eſſe, ſed ungi poſtea deſiiſſe.* ibid.

OBSERV. IV. *Apud Græcos frontem & verticem ungi non apud Latinos.* ibid.

OBSERV. V. *Non eaſdem ubique Eccleſiarum in fœminis unctiones fieri.* ibid.

OBSERV. VI. *In contagioſis morbis ſubſtantiam Sacramenti Unctionis perfici unctione quavis.* 582.

Explicata Eccleſiæ Latinæ Traditio circa ordinem precum & orationum, quæ dum infirmus ungitur, ſuper eum funduntur. ibid.

CAPUT I. *Nonnullæ ſunt Eccleſiæ in quibus orationes multæ unctionem & orationem, quæ ipſa in unctione funditur, antecedunt, & conſequuntur.* ibid.

CAP. II. *Nonnullæ ſunt Eccleſiæ in quibus multæ preces antecedunt unctionem, & nullæ vel paucæ ſequuntur.* 586.

CAP. III. *Nonnullæ ſunt Eccleſiæ in quibus dum ungitur infirmus, ſeptem Pſalmi pœnitentiales dicuntur.* 587.

CAP. IV. *Nonnullæ Eccleſiæ in quibus unctiones Pſalmis pœnitentialibus dicuntur.* ibid.

CAP. V. *Nonnullæ Eccleſiæ in quibus unctiones* *Pſal-*

Pſalmis aliis interſeruntur. 588.

CAP. VI. *Nonnullis in Eccleſiis 7. Pſalmi pœnitentiales cum Letania & Orationibus multis dicuntur ante unctionem; & poſt unctionem 6. alii Pſalmi.* ibid.

CAP. VII. *Nonnullis in Eccleſiie Pſalmi pœnitentiales ſubſequuntur unctionem, non antecedunt.* 589.

CAP. VIII. *Nonnullis in Eccleſiis 7. Pſalmi pœnitentiales antecedunt unctionem & alii Pſalmi dicuntur dum ungitur infirmus.* ibid.

CAP. IX. *Nonnullis in Eccleſiis 7. Pſalmi pœnitentiales dici poſſunt dum itur ad infirmum, ſed in pœnitentia illius dici debet Letania.* ibid.

CAP. X. *Nonnullis in Eccleſiis nulli Pſalmi dicuntur ſed tantum orationes & benedictiones.* ibid.

CAP. XI. *Latinis Græci in rebus Sacramento huic neceſſariis pares ſunt, ſed in rebus minus neceſſariis impares.* 591.

CAP. XII. *Obſervationes quædam ad explicatam variam precum collocationem in Sacramento Unctionis.* 592.

OBSERVATIO I. *Laudabiles ſunt omnes ritus varii Eccleſiarum, & retinendi.* ibid.

OBSERV. II. *Quando varii Eccleſiarum ritus ſunt ita laudabiles, unus poteſt alteri præferri, ſi qua ſubſit ratio, & id ſine æmulatione & ſtudio fiat.* 593.

OBSERV. III. *Non ſemper adhibiti ſunt ſeptem Pſalmi pœnitentiales, vel alii in ritu Extr. Unct. ſed rectè adhibentur.* ibid.

OBSERV. IV. *Cum rituales libri circa Sacramentum Unctionis mutationem ſubinde acceperint; triplex aſſignari poteſt ratio.* 594.

Explicata vetus Eccleſiæ Traditio de data infirmi poſt unctionem Euchariſtia. *ibid.*

PARS I. *Veterum teſtimonia referuntur ab anno* DCC. *ad annum* M. ibid.

PARS II. *Scriptorum teſtimonia ab anno* M. *ad* MCCC. 597.

PARS III. *Quarumdam Eccleſiarum uſus refertur ab anno* MCCC. *ad* MDC. 601.

OBSERV. I. *Non prima quidem ſed manifeſta ſacri ritus antiquitas oſtenſa.* 603.

OBSERV. II. *Productus a Burchardo & Ivone decretum Euſebii Papæ, quamvis adulterinum ſit, illius tamen quo ſpurios natales habuit, temporis diſciplinam atteſtatur.* 604.

OBSERV. III. *Expenditur Gregorii Papæ Sacramentorum liber, oſtenditurque ab aliis auctus iis rebus, quæ noſtri ſunt argumenti.* 605.

OBSERV. IV. *Quæ adferuntur prima parte Occidentalem Eccleſiam attinent, non Orientalem.* ibid.

OBSERV. V. *Aſſertus in prima parte Unctionis & Euchariſtiæ ordo perſtitit in ſecunda ſub cujus finem mutari cœpit.* ibid.

OBSERV. VI. *Diœceſana Synodi Carnotenſis decretum expenditur ad Eccleſiæ Traditionis normam & retinetur.* 606.

OBSERV. VII. *In tertia explicata Traditionis parte, quædam Eccleſiæ acceptum a majoribus ordinem continuarunt uſque in præſens ferè ſæculum; aliæ mutarunt. Græci cum illis, non cum iſtis concordant.* 607.

OBSERV. VIII. *Ritus hic poſterior, quo Viaticum præcedit Unctionem, nonnullis exponitur incommodis, quibus prior non ita expoſitus fuit.* 608.

Explicata Vetus Eccleſiæ Traditio circa uſum cineris & cilicii in infirmis, & circa lectum ſeu ſtratum cinere reſperſum in morituris. ibid.

CAPUT I. *In quibuſdam locis infirmus ante Unctionem & Viaticum induit cilicium, & pectus illius ſignatur Signo crucis ex cinere.* ibid.

CAP. II. *In quibuſdam locis poſt datum Viaticum, & ante peractam Unctionem, infirmus cilicium induit, & pectus illius ſignatur ſigno crucis ex cinere.* 609.

CAP. III. *In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum & ante datam Unctionem, crux ex cinere delineatur, in pectore infirmi, ſed poſt unctionem imponitur illius capiti cilicium ſeu capucium.* 610.

CAP. IV. *In quibuſdam locis nullus Cilicii uſus.* 611.

CAP. V. *In quibuſdam locis crux ex cinere delineatur in capite, ſed nullus cilicii uſus.* 612.

CAP. VI. *In quibuſdam locis infirmus cilicium induit & cinerea cruce ſignatur.* ibid.

CAP. VII. *In quibuſdam locis crux ex cinere delineatur in capite infirmi ſed nullus cilicii uſus.* 613.

CAP. VIII. *In quibuſdam locis infirmus cilicium induit ſed nulla mentio crucis quæ ex cinere ſignetur.* ibid.

CAP. IX. *Poſt datam Unctionem e lecto trahitur infirmus, & in diſtento ſuper terram cilicio cineribus conſperſo collocatur.* ibid.

CAP. X. *Expoſitam ſuperiori capite diſciplinam obſervarunt quondam Ordinis ſancti Benedicti Monachi, Cluniacenſes, & alii; Cartuſienſes, Ciſtercienſes, Epiſcopi, Reges Galliæ.* 614.

CAP. XI. *Eadem diſciplina retinebatur adhuc in Gallia ſub annum* MDXXXIII. *in quibuſdam locis.* 618.

CAP. XII. *Eadem diſciplina retinebatur adhuc in quibuſdam Italiæ locis ſub ann.* MDLV. 619.

CAP. XIII. *Eadem diſciplina retinebatur adhuc in quibuſdam Galliæ locis ſub ann.* MDLXXVIII. ibid.

OBSERVATIO I. *Neceſſarium, nedum utile viſum eſt, plura ex variis Pontificalibus ſeu Ritualibus libris deſcribere.* 620.

OBSERV. II. *Hic univerſim ritus quantæ ſit antiquitatis, incertum.* ibid.

OBSERV. III. *Hic ritus non videtur ubique locorum receptus.* ibid.

OBSERV. IV. *In ipſa hujus ritus antiquitate reperta varietas.* 621.

OBSERV. V. *Hi ritus optimis rationum momentis fulciuntur.* ibid.

OBSERV. VI. *Morituri collocatio in lecto, ſeu cilicio cinere conſperſo apud ſæculares diutius quàm apud ipſos auſterioris vitæ Monachos perſeveravit.* ibid.

OBSERV. VII. & ultima. *Varii Eccleſiarum tum circa unctionem infirmorum quam circa ſtatum morientium ritus cur in varia quoque capita diſtincti.* ibid.

JOAN-

JOANNIS LAUNOII

Conſtantienſis, Pariſienſis Theologi, Socii Navarræi,

SYLLABUS
RATIONUM QUIBUS CAUSA
DURANDI *
DE MODO CONJUNCTIONIS CONCURSUUM
DEI ET CREATURÆ DEFENDITUR,
ET INOFFICIOSA QUORUMDAM CENSURA REPELLITUR.

Filius ſapiens lætificat patrem &c. Proverb. cap. 10.

PROLOQUIUM aliquod mereretur [a] Durandus, ſi minus notus eſſet omnibus Chriſtianorum Academiis, in quarum nonnullis Cathedra Durandi hodiéque magna cum celebritate viget. Durandus igitur de S. Portiano Aruernos, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Theologus Pariſienſis, Magiſter ſacri Romani Palatii, primùm Epiſcopus Anicienſis, deinde Meldenſis, qui tribus abhinc ſæculis in pace & communione Eccleſiæ quievit, non poteſt nunc in jus vocari, neque doctrina ejus de modo conjunctionis concurſuum Dei & creaturæ vetari Pariſiis, quin ſimul graviſſima fieret injuria antiquæ Facultati Theol. Pariſ. & pluribus aliis ejuſdem ſcholæ Magiſtris. Quod quinque rationum momentis cuilibet cordato viro planum me facturum ſpero: ſed quia unum & idem ſingulis momentis evincere contendo, unum & idem hoc eiſdem thema præfigetur.

PRIMO igitur graviſſima fieret injuria antiquæ Facultati Theologiæ Pariſienſis. Hæc enim cùm omni ſæculo, tùm illo maximè, quo vixit Durandus, ſummoperè curavit, ne quid Reſpub. Chriſtiana detrimenti caperet ex periculoſis Doctorum opinionibus. At nuſquam Durandi doctrinam vel leviſſimè tetigit. Quæ facultas nonnullis B. Thomæ & aliorum etiam Epiſcoporum placitis [b] non induſit, quis crederet eam Durando induliſſe, ſi periculoſa fuiſſet ejus de concurſu [c] doctrina? Tantæ matris junioribus filiis pium non eſſet dicete, eam contra fas habuiſſe perſonarum acceptionem, aut Durandi ſententiam non ſufficienter penetraſſe; Tot oculos in tam ſano corpore tandiu minus vidiſſe, quàm unum, aut alterum, nullus, opinor, affirmabit. Facultas quidem in ſuis articulis non perſtrinxit

* Mirum eſt Launoium qui in congerendis auctorum teſtimoniis adeò ſibi indulget, conceptis Durandi verbis opinionem de *Concurſu*, non expreſſiſſe. Quædam hic interſerenda duximus què antiqui Theologi mens pleniùs diſpiciatur, Durandus Lib. 2. Diſt. 1. Quæſt. V. in Magiſtrum ſentent. propugnat non opus eſſe ut Deus agat *immediatè* in producendo effectus cauſæ ſecundæ; ſed ſufficere *concurſum* illum remotum qui ſitus eſt in conſervanda hominis natura ac virtute *activâ*. In alio loco nempè Diſt. 37 Quæſt. 1. inquirit Durandus, *Utrùm actio peccati ſecundùm quod actio, ſit à Deo.* Hæc rationum momenta congerit. *Dicenda ſunt tria. Primum eſt quod Deus eſt cauſa actionis peccati, univerſalis & prima. Secundum eſt quod non eſt cauſa ejus proxima & immediata. Tertium eſt quod ex hoc non poteſt Deo imputari culpa.* Ex his patet quid & quare ita ſenſerit Durandus.

[a] *Durandus*] Qui de Durando plura cognoſcere velit, Dupinum conſulat in ſuâ Biblioth. auctorum XVII. ſæculi Tom. III. In art. ubi de Launoio: Legat præſertim pag. 35. & 36. Libri ab Jacobo Bevilaqua Doctore Pariſienſi, Gallicè editi ſub hoc titulo: *Traité des Empêchemens du Mariage, où l'on fait voir que le droit qu'ont les Rois & les Princes d'en établir à l'égard de leurs ſujets n'a pû leur être ôté par violence ou par pieté. Par un Profeſſeur en Théologie*, à Cologne [c'eſt à dire à Sens] 1691. in 8°. Latinè: *Tractatus de Impedimentis Matrimonii, ubi oſtenditur his adſtringendi ſubditos, nec Reges, nec Principes per vim aut Religionem facultate ſpoliari unquam potuiſſe. Auctore Theologiæ Profeſſore.* Notat Bevilaqua quæ in Librum ſententiarum ſcripſit Durandus, voce ex ſcriptis tradita Romæ, Joanne XXII. Pontifice, nec unquam operi ipſius notam inuſtam eſſe. Pervolvat etiam Lector Bibliothecam ſcriptorum ordinis Prædicatorum p. 586. Tom. 1. ubi multa de Durando, præſtantiſſimo Dominicanæ familiæ alumno.

[b] Non induſit] Vide hac de re Articulum IV. & VIII. cap. 60. & art. 1. cap. 61. Tractatûs: *De Scholis celebrioribus per occidentem inſtauratis.*

[c] *Doctrina*] Quem vero cenſoriâ notâ configere erubuit Facultas Pariſienſis, hunc aſperioribus verbis perſtrinxit Echardus in Biblioth. ſcriptorum ordinis Prædicat. p. 586. Tom. 1. *Durandus*, inquit, *cautis doctibus frœnis, privatis ſuis ſenſis nimiùm adhæſit. Unde relictâ, quam in ſcholis imbiberat, S. Thomæ Doctrinâ, hoc fræno coerceri non patiens, genio ſe totum permiſit ſuo.* Hæc cenſura præſertim ſpectat ad opinionem Durandi de *Concurſu*, cum nullam aliam acriùs & lubentiùs inſectentur Dominicani, *Præmotionis*, quam vocant, *Phyſica* ferè juratæ, intrepidi patroni. Echardi potiùs judicio quam Gerſonii, qui Durandum tantoperè commendet, ſtandum ne ſit, videat lector eruditus.

Magiſtrum ſententiarum, illis tamen adnexæ ab aliquo reperiuntur quædam Magiſtri opiniones, in quibus non tenetur communiter ab omnibus: de Durando verò ſimile quid unquam attentavit nemo.

SECUNDO graviſſima fieret injuria infinitis aliis Pariſienſibus Magiſtris, qui Durando in ſua præiverunt ſententia, aut eum ſecuti ſunt. Quatuor ſolùm adſerentur Doctores, qui cùm terminis expreſſioribus, & ad ſenſum præſentem accommodatioribus utantur, pro ſe & pro aliis hanc veritatem teſtatiſſimam facient.

Primus erit Petrus Aureolus Ordinis Minorum, Archiepiſcopus Aquenſis, & S. R. E. Cardinalis, cujus opera pridem per Capreolum cognita, Romæ tandem anno 1605. prodierunt cum approbatione Magiſtri ſacri Palatii. Hic licet Durando coævus, paulò tamen ſenior fuiſſe reperitur. Ipſum audite in 2. Sent. Diſtin. 38. quæſt. unica Art. unico, cujus titulus eſt. *Utrum actus malus ſit à Deo? Punctus & difficultas iſtius quæſtionis eſt propter* DUAS SOLEMNES OPINIONES. *Una opinio dicit, quod in actu peccati ſunt duo, ſcilicet ſubſtratum & difformitas, & primum eſt à Deo, ſicut qualibet alia natura poſitiva, quia Deus coagit actioni creaturæ, ſed quoad privativum & difformitatem, quod eſt formale in peccato dicunt; quod peccatum eſt à ſola voluntate deficiente.* Et paulò poſt.

Alia eſt opinio oppoſita, quia non omnis actus eſt à Deo, & quoad poſitivum elicitivè, & hoc ſpecialiter dicunt verum eſſe de actu voluntatis noſtræ. Et ſi quæratur ab eis, quomodo actus ille dependet à Deo? Reſpondent quod in habitudine ad Conſervantem. quia ſecundum eos non eſt eadem habitudo cum habitudine producentis. Nunc pono propoſitiones aliquas, Prima eſt, videtur mihi, quod opinio ſecunda ſit magis rationabilis. Quam propoſitionem multis deinceps & efficacibus argumentis probat.

Ex hoc auctore conſtat opinionem Durandi non eſſe magis novam, quàm oppoſitam, cùm utraque ante trecentos & triginta annos dicatur SOLEMNIS in Academia Pariſienſi. Et certè ſi uſitatus inter Scholaſticos modus loquendi conſideretur, illa ſententia novitatis argui non poteſt, niſi forſan ævum PETRI AUREOLI cum Deucalionis aut Ogygis diluvio comparetur. Colligant porrò adverſarii Durandi ex Aureolo duplex teſtimonii genus, unum publicum & hiſtoricum, alterum privatum & veluti perſonale: Publicum quidem, cùm ſuo tempore eam opinionem, quæ uni tribuitur Durando, SOLEMNEM fuiſſe dicat. Ad ſolemnitatem autem, ut ita loquar, opinionis non unius aut alterius, ſed plurium Magiſtrorum deſideratur conſenſus. Quò fit, ut antequam natus eſſet Durandus, Pariſiis ea increbuerit opinio, quæ illi ut primo auctori adeóque pernicioſæ ſectæ conditori, aut malitioſè aut imperitè tribuitur. Privatum autem teſtimonii genus eſt, quod Aureolus illam opinionem magis rationabilem crediderit, & quibus potuit argumentis firmaverit impunè.

Et fortè illa SOLEMNIS opinio, quam laudat & ſequitur Aureolus, jam inde à tempore Magiſtri Præpoſitivi Cancellarii Pariſienſis, qui circa annum 1200. floruit, radices egerat in agro Studii Pariſienſis. Hic etenim & alii coætanei, cùm doceant potentiam peccandi à Deo non eſſe, conſequenter videntur negare Deum actione immediatâ & proximâ efficientiam cujuslibet actus, maximè pravi attingere. Neque id alium ob finem aſ-
In Summa Theologiæ. ſerunt, quàm ut ne Deum faciant auctorem peccati, & ſeſe ab hac difficillimâ quæſtione, quæ multorum ingenia torſit & torquebit adhuc, expediant. Verba autem Præpoſitivi ſunt iſta ſub hoc titulo.

An potentia peccandi ſit à Deo?

Solutio. Dicimus quod poteſtas peccandi potiùs eſt impotentia, quàm potentia: quod autem objicitur, quod voluntas nocendi aliis eſt poteſtas à Deo, ſic intelligitur, id eſt, quoties mihi placet, poſſum habere voluntatem malè agendi, ſed implere non poſſum, niſi permittar: ſed ex hoc non oſtenditur, quod poteſtas peccandi à Deo ſit. Hæc ille. Conſiderate quomodo ad malè agendum, puta ad occidendum, furandum, &c. non requirat niſi Dei permiſſionem, non autem immediatam & proximam cooperationem.

Paulò clariùs loquitur Gulielmus Antiſſiodorenſis lib. 2. ſummæ tractatu 16. his ver-
In ſumma lib. 2. tract. 16. bis. *Circa capitulum 4^m. quod addimus, quæritur utrum actio mala ſit à Deo operante, vel cooperante. Super hoc eſt duplex opinio. Quidam dicunt, quod omnis actio mala eſt ab homine, vel à diabolo: alii dicunt, quod omnis actio mala eſt à Deo, eo quod* SOLUMMODÒ *Deus dat potentiam ad illam exercendam. Alii dicunt, quod omnis actio mala in quantum actio, & bona eſt & à Deo eſt.* Hîc duo advertite ſi placet: unum, duplicem opinionem: Alterum quod qui dicunt omnem actionem malam eſſe à Deo, eo quòd SOLUMMODÒ det potentiam agendi, conſequenter inficientur Deum immediatè & proximè ad actionem malam concurrere: Et ſi tergiverſari nollent adverſæ partes Durandi, rectè caperent, quomodo jam tum SOLEMNIS erat opinio, quam Aureolus, Durandus.

Digitized by Google

randus, & alii poſteà amplexati ſunt. At quando florebat iſte auctor? Eo videlicet tempore, quo Durandi & Aureoli parentes in cunis adhuc vagiebant. Videris igitur, quòd quæ ante annos quadringentos opinio poterat vetus appellari, hodie de novitate poſtuletur.

SECUNDUS eſt, Nicolaus Bonetus Ordinis Minorum, Pico Mirandulano vir exquiſitiſſimæ litteraturæ, qui cum Durandus deſiit, Pariſiis florere incepit, Philippo Valeſio Rege, eique cum aliis Theologis de Sanctorum ante generale judicium beatitudine, & intuitiva Dei viſione ſententiam dixit in Caſtro Vicenarum anno 1333. 2. Januarii. Hæc ille habet lib. 7. Theologiæ naturalis cap. 3. *Sed cum dicis ultra, ergo eſt cauſa effectiva omnium. Reſpondeo non oportet quod ſit cauſa immediata, ſed ſufficit quod ſit cauſa mediata, dando entitatem illis cauſis ſecundis.* Et paulò poſt: *Si quæras, quæ propoſitio ſit magis probabilis, vel quod cauſa prima concurrat, vel quod non. Reſponſio negativa poteſt probabiliter teneri, ad cujus evidentiam debes advertere,* &c. Hæc dicta ſunt ab eo in eâ Academiæ ætate, quam vir in paucis Magiſtris eruditus Joannes Fileſſacus. nunc Theologorum Parienſium Decanus firmam robuſtámque ac viro dignam appellavit.

Apud Lud. à Dola 4. part. cap. 5.

In Reſp. Nic. Coeffeteau ad Myſt. Iniquit. pag. 1041.

In ſtatutorum facultatis Theologiæ Origine priſca pag. 4.

TERTIUS Richardus Archiepiſcopus Armachanus, Pariſienſiſ-ne an [d] Oxonienſis fuerit magiſter, non ita mihi conſtat: ſed quia non eſt incelebris Doctor, nec Durandi fortè adverſariis ingratus, huc adducitur, ut quiſnam fuerit de quæſtione Durandi ſenſus ad annum 1360. cognoſcatur. E multis quæ habet lib. 17. quæſtionum Armenicarum hæc pauca ſpeciminis ergo habetote in cap. 6. *Si propter cooperationem Dei* [e] *immediatè cum voluntate actus non ſit magis intenſus, vel fortior, illa cooperatio ad nihil eſt utilis, ſed ad productionem ipſius actus omninò ſuperfluit, imò quia ſuperflua eſſe non poteſt, omninò nulla talis cooperatio exiſtit:* & cap. 25. ſub finem concludit: *Unde ſi quis poterit ex ſcripturis ſacris probare hanc cooperationem divinam* (ſcilicet immediatam & proximam) *cum omni agente creato, erit mihi mirandus, & libenter probationem illam acciperem, quoniam hoc facere fateor me neſcire.*

Prodiit anno 1511. e Biblioth. Navarr. operâ Joan. Sudoris Theol. Pariſ.

Eritne aliquis, qui lampadem tam oculató homini tradat, & qui tanto Doctori proponat argumentum ex ſcriptura nondùm ab ipſo aut prævíſum, aut ſeriò examinatum?

QUARTUS tandem Petrus de Aquila Ordinis Minorum, qui Theologus Pariſienſis renunciatus eſt anno 1379. Hic paucis multa complectitur lib. 2. ſentent. diſt. 37. cum retuliſſet argumenta, quibus Aureolus probat Deum fore cauſam deformitatis, quæ eſt in peccato, ſi produceret immediatè & proximè actum realem, cui malitia inſeparabiliter annectitur, remittens ſe ad ea, quæ dixerat diſt. 34. loco citato Reſpondet *Ideo fortè opinio 4ª. in 2°. Artic. diſt. 34. eſt verior*: nimirum ea quæ negat Deo efficientiam & cauſalitatem immediatam in actum pravum. O mira rerum converſio! quam opinionem hic Doctor in Academiâ non veram modò, ſed fortè veriorem pronunciavit, nunc in eâdem ſine novâ Eccleſiæ declaratione damnare volunt quidam, ut novam, & periculo plenam.

Apud Lud. à Dola 4. par. cap. 5.

Ceterum poſt tot expreſſorum & publicorum teſtimoniorum auctoritatem quis ſibi ab adverſariis Durandi illudi pateretur? Poſt tot veterum Doctorum in opinando ſolemnitatem quis imponi Facultati ſineret ſub ſpecie novitatis? Aſpectabiles tam venerabilis Scholæ parietinas, ceteris colendas quis Theologus Pariſienſis permitteret à ſuis denigrari, & fœda aſpergine devenuſtari? Verùm hæc ſufficiant ad hiſtoriam hujuſce theologicæ veritatis. Hos enim Theologos non tàm auctores, quàm teſtes produximus.

TERTIO graviſſima fieret injuria Theologis Pariſienſibus, qui licet Durandi ſententiam non ſint ſecuti, eam tamen non damnarunt, uti faciunt quidam recentiores, quorum animi ad novas veterum auctorum cenſuras pruriunt. Deberet enim in iis modeſtia reprehendi, aut in intelligendis pravis opinionibus imperitia & oſcitantia notari. Moderatio Melchioris Cani in quibuſdam propoſitionibus notandis accuſata eſt: jure-ne an injuria nunc non curo.

Vice igitur omnium quinque in medium adducimus Theologos, quorum primus erit Gulielmus Antiſſiodorenſis, qui licet oppoſitam ſententiam teneat ut veram, contrariam tamen nulla ratione damnat: Imo in fine Articuli ubi ſibi objecit, *quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati,* & reſpondit, *hoc eſſe verum in cauſis propriis &* [f] *conjunctis*, nihilominus velut illius argumenti energemate preſſus & ſuâ ipſe non contentus ſolutione, ſic quaſi dubiam ſuam reliquit ſententiam: *Poſſem tamen dicere ſolvendo eum Auguſt. in lib. de libero arbitrio in principio: dicis enim non eſt multum curandum, à quo ſit mala actio ſive malus actus, dum certiſſimè ſciamus, quod eſt malus actus & à nobis oriundus.*

Alter Theologus nomine Magiſter Martinus, ſi non coætaneus, ſaltem ſuppar, uti ex ratione diſputandi colligitur, eandem quidem amplectitur ſententiam, & eam æquè acutè pro-

In compilatione Quæſt. Theol.

[d] *Oxonienſis*] Profectò *Oxonienſis*. Conſule Hiſt. Univerſit. Oxon. pag. 81. Lib. I.

[e] *Immediatè*] Lege *immediatam*.

[f] *Conjunctis*] Ut Gulielmi ſententia clariùs innoteſcat, hæc addenda: *Sed & ſi Deus eſt cauſa actionis malæ in quantum eſt actio, actio tamen in quantum eſt actio non eſt propria cauſa mali.* Textus ille mirè Durandi ſenſum refert.

fectò atque ſubtiliter tractat, ac quilibet recentior; ita tamen ut oppoſitæ nullam notam vir prudens inurat ſuæque ſententiæ probabiliter tantùm adhæreat.

Tertius Gregorius Ariminenſis, Theologus Pariſienſis Ordinis Eremitarum B. Auguſt. qui Lutetiæ Theologiam circa annum 1344. cum laude docuit. Sic ille lib. 2. Sentent. [g] diſt. 37. quæſt. 1. artic. 3. *An Deus ſit cauſa efficiens immediata actus mali: de hoc dubio*, inquit,
In 2. ſent. diſt. 37. art. 3. *ſunt* Solemnes opiniones contrariae *quarum neutram temerè affirmando, &c.* Et verò ſi credatur Capreolo, magis in partem Durandi, quàm in oppoſitam inclinat. Sed duo in Ariminenſi notate, unum, duarum opinionum oppoſitarum inter Catholicos non Novitatem, ſed Solemnitatem: alterum, viri doctiſſimi modeſtiam & in tractandis auctorum ſententiis prudentiam, quæ duæ virtutes Theologo ſi deſint, ridiculum ſe & ἀπίθανον in multis præbebit.

Quartus Ægidius Carlerius, Theologus Pariſienſis, qui Decanus Cameracenſis in Concilio Baſilienſi reſpondit per quatriduum ad articulum 2. Boemorum de corrigendis peccatis publicis: ille ſic loquitur de Durando, dum habitis unicuique Doctorum,
1414. quibus uſus fuerat, gratiarum actionibus concludit Commentarios in 4. Sentent. *Quid rurſus domino Durando dignum impertiar, non invenio, hunc in reſponſionibus appunctuatum comperi in formâ proceſſus ordinatum acumen ingenii, in impugnationibus ſuis contra Thomam vos ipſi audiſtis, vos judices conſtituo, ſpontè fateor me illi digna non dediſſe reſponſa, non quia danda non ſint, ſed quia ratiocinando acerrimus eſt. Illi magnas refero gratias, quem etſi ſecutus non ſim, niſi quatenus conſentit Thomæ, meum tamen excitavit ingenium, vivat in ævo perenni.* Hæc ille, quem Jacobus Almainus meritiſſimum Regalis
Tract. de poteſt. Eccl. cap. 8. Propoſ. 3. Collegii Navarræ Socium nuncupat. O felix Durando ſæculum! in quo digna tali doctore præconia non inveniebantur ab iis, qui partes ejus non ſequebantur. O miſerum iſtud! in quo à quibuſdam de periculo & novitate illius doctrinæ arguitur, quam à præceptoribus acceptam illuſtravit, ratus id eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare.

Postremus eſt Joannes Major Theologus Pariſienſis, vir Commentariis in 4. libros Sent. & in 4. Evangelia, & Epitome hiſtoriæ Scotorum gentis ſuæ notiſſimus, qui Lutetiæ per multos annos Theologiam docuit, Ludovico 12 & Franciſco 1. regibus. audiant eum adverſarii Durandi in ſuis ad 2. ſent. diſt. 37. Commentariis, qui fuſiores prodierunt anno 1519. quàm 1510. *Quæritur*, inquit, *an Deus ſit actor mali: Aliqui ſunt dicentes Deum producere voluntatem ſe ſolo, & poſteà voluntas producit ſuos actus tanquam cauſa totalis: quorum actuum Deus non eſt cauſa immediata partialis, ſed ſolùm mediata: aliqui aliter opinantur, & eſt opinio communior & ut puto rationabilior.* Hæc ille, quem Antiquitates Pariſienſes editæ anno 1562. adſcribunt numero Theologorum, qui Regiæ Navarræ communitati nomina dederunt. Ex hoc auctore tria obſerventur oportet: Primum eſt, ſumma in opinando de hac materiâ & hocce tempore libertas, & ſua unicuique opinioni aſſerta probabilitas: Secundum, quod de damnanda ſententia, quam non ſequitur, nulla ratione cogitet, ſed pro jure opinantis eam ſolùm putet rationabiliorem, quam minùs rationabilem exiſtimaverat Aureolus: Tertium, quod ſuam ſententiam communiorem eſſe dixit, unde publicum teſtimonium colligi poteſt. At hoc oppoſitæ, meo quidem judicio, non incommodat opinioni. Ex duplici enim ſcito id natum eſſe Scholaſticorum ſectâ, unâ B. Thomæ, altera Scoto addicta, ubi unuſquiſque ſectator jurat in verba magiſtri, quem in hac fuiſſe ſententiâ credidit. Qua de re videatur [h] Lu-
In diſp. quadrip. dovicus à Dola. An autem hæc coacta philoſophandi ratio inſerviat veritati, non dicam ego, ſed Durandus noſter in ſuâ ad Sententias præfatione. *Ex quibus* (Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & Gregorio) *patet quod compellere ſeu inducere aliquem, ne doceat vel ſcribat diſſona ab iis, quæ determinatus Doctor ſcripſit, eſt talem Doctorem præferre ſacris Doctoribus, præcludere viam inquiſitioni veritatis, & præſtare impedimentum ſciendi, & lumen rationis non occultare ſub modio, ſed comprimere violenter.*

Porrò dicant nobis adverſarii quodnam ab anno 1519. celebratum eſt in Eccleſiâ Dei Concilium, quod alteri opinantium parti detraxerit auctoritatem. Unicum celebratum eſt Trident. ſed qua in ſeſſione quove in decreto adverſus hanc ſententiam præſcripſit? Majorem præterea legant ſi velint, argumentum nullum ex Scripturis, aut Conciliis omiſſum reperient. ſed nullum ſummus ille Theologus id habere roboris putavit, quod omnem oppoſitæ ſententiæ abrogaret probabilitatem. Sibi non ita vehementer placebat, ut quorumdam more improbari recepta aliorum placita continuò juberet.

Ceterùm

g *Diſt. 37.*] Lege Diſt. 36.

h] *Ludovicus à Dola*] Launoianæ ſinceritati bene conſultum eſſet, ſi inculcatum fuiſſet, Hunc *Syllabum*, breve quoddam ſpecimen eſſe Libri editi ab Fratre Ludovico à Dola Capucino Sequano, ſub hoc titulo: *Diſputatio quadripartita de modo conjunctionis concurſuum Dei & Creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis præſertim autem ad pravos* &c. Lugdun. 1634. in 4. Quæcumque ad verbum ferè deſcripſit Launoius, habentur in cap. VI. partis 4. pag. 279. & ſequ.

Ceterùm tam abſolutè damnandus eſt Major, quàm Aureolus. Nam cùm ille ſuam opinionem nonniſi rationabiliorem putet, & aliàs omne comparativum (ut ajunt) ſupponat poſitivum, contrariam rationabilem cenſet: quod ſi rationabilis ſit judicio Majoris, aliorum qui illam proſcriptam volunt ut periculoſam, judicio damnetur Major neceſſe eſt: Et ita utriuſque partis fautores ac patroni in eadem naſſâ includerentur. Doceant enim verò, an huic rei bonum juxtà ac prudens adſcriberetur factum?

QUARTO, graviſſima fieret injuria Theologis Pariſienſibus, qui ſine ullâ exceptione lectionem Durandi ut puriorem & ſolidiorem conſuluerunt, vel qui ſuis laudibus ſatis oſtenderunt, poſſe Durandi libros inoffenſo pede decurri.

PRIMUS in hoc genere legem ceteris omnibus præfixit Joannes Gerſo Cancellarius Pariſienſis, ſempiternum non ſolùm Regiæ Navarræ, ſed etiam Scholæ Pariſienſis decus & ornamentum. Videte ergo quorum Theologorum libros legendos ſuadet in epiſtolâ ad Studentes Collegii Navarræ, ſeu ut rectiùs in M. S. Codicibus, ad Magiſtros & Socios Collegii Regalis de Navarra Pariſius: *Ad primum*, inquit, *juvant*, *exempli gratiâ*, *quæſtiones Doctorum ſuper ſententias*, *& præſertim illorum*, *qui puriùs & ſolidiùs conſcripſerunt*, *inter quos meo judicio Dominus Altiſſiodorenſis*, *Bonaventura*, *& Durandus utique reſolutiſſimus numerandi ſunt. Excellit quidem in ſuis quolibetis Henricus de Gandavo*, *excellit S. Thomas præſertim* 2. 2. *Excellunt multi in multis.* Hæc ille, quæ tam gravia ſunt, ut mole ſuâ Durandi criminarores opprimerent, tam clara, ut aquilæ oculos perſtringerent. Quid igitur poſt tantum judicium ſupereſt, niſi ut cùm alii in multis, Durandus in omnibus excellat?

om. 1. oper.

1419.

SECUNDUS eſt Jacobus Merlinus Lemovicenſis, Theologus & Pœnitentiarius Pariſienſis, quem Demochares Studii Pariſienſis firmiſſimam columnam vocat. Ille primus omnium opera Durandi edidit è Gymnaſio Navarræ [i] anno 1515. & hæc de auctore in ſuâ præfatione tradidit: *Romam Sanctorum*, *literarumque parentem ſe contulit*, *cujus lacte ita per omnia imbutus eſt*, *ut ſanè omnium famigeratiſſimus apud quoſque etiam ſummates habitus extiterit.* Et paulò poſt, *liquidum è ſui ingenii divite venâ doctrina oleum per effluentes bis geminos rivulos in nos effudit*, *quo indubiè totius orbis lampas Joannes ille Gerſon olim Cancellarius Pariſienſis fœcundè perunctus in epiſtolâ ad Theologos Regis Gymnaſii Navarræ eum ſingulari commendatione attollit. At enim ad perdiſcendam Theologiam eos præcipuè Doctores neceſſarios eſſe*, *qui puriùs & ſolidiùs conſcripſerunt. Inter quos meo*, inquit, *judicio D. Altiſſiodorenſis*, [k] *Bonaventura: & Durandum reſolutiſſimum nuncupatum fuiſſe auguror*, *quod doctrinam*, *quam à ſuperis ſubtili indagine*, *ut Prometheus ignem*, *exanclaverat*, *communicatum iri indignum cenſuit*, *niſi ante in Romano Palatio exactis jugibus*, *ac diutinis lectionibus*, *quas cùm in unum ſemel congeſſiſſet volumen*, *utilitati conſulens commutavit ex hoc in iſtud*, *ut fax errorum & fidei ænigmatum prorſus exinaniretur*, *& inde terſum emunctum perinde*, *atque reſolutum opus prodiret in lucem.* Hactenus Merlinus, quem ſecutus eſt Gulielmus Parvus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Theologus Pariſienſis, generalis fidei inquiſitor, Franciſco primo a Confeſſionibus, primùm Trecenſis, deinde Sylvanectenſis Epiſcopus, qui in Præfatiunculâ editioni Merlini præfixâ ſic de Durando ejuſque doctrina ſentit. *Inter eos autem Durandus vir omnigenâ doctrinâ acerrimoque ingenio*, *& ſententiarum gravitate præclarus poſt D. Th. Aquinatem primus petit campum*, *qui ex fonte tam beato tamquam largo Prædicatoriæ videlicet Religionis*, *veluti rivus limpidiſſimus pleno jam alveo fluens proluit ſacris totum dogmatibus orbem. Ita enim ſententiarum ubertate fluviatur*, *preſſoque ſtylo gaudet ac divite venâ*, *ut undique in ſe animos ſimul & oculos convertat. Non enim quorundam more*, *qui*, *juxta adagium*, *de lanâ caprinâ* [l] *corrixantur*, *frontieagi diſputatores plerumque exagitantur*, *oſcitari voluit*, *ſed circa inacceſſas divinorum elucubrationes omnibus nervis adeò viſus eſt navaſſe operam*, *ut nulla tam invia tàmque obſita literarum reperiri poterant*, *quæ Durandi luſtrata veſtigio affatim explorataque non eſſent.*

In quadam ad Mag. Sent. præfat.

ULTIMUS eſt Nicolaus à [m] Martimbos Theologus Pariſienſis, qui conquiſitis ex Bibliothecâ Victorinâ & Navarricâ collatíſque inter ſe vetuſtis exemplaribus caſtigatiorem emiſit Durandum anno 1550. Is in epiſtola nuncupatoria ſic lectionem auctoris Gulielmo

[i] *Anno* 1515.] Echardus loco jam allato, editionem recenſet Pariſienſem apud Joannem Parvi 1508. fol. Char. Goth. Hujus curam demandat Fratri Guilelmo Parvi Ord. Prædicat. Cujus præficitur Epiſt. nuncupatoria ad Fratrem Antonium de Furno ejuſdem ordinis, Ludovici XII. Confeſſarium. Foſtea memorat alteram editionem apud eundem Parvi anno 1515. in fol. Curis Jacobi Merlin S. T. M. & Socii Navarræi. In hoc errat Launoius quod primam Editionem collocet anno 1515. minùs accuratè, quantum ego conjicio, dicit Echardus, ſiquidem noſmet vidimus in Biblioth. S. Germani à Pratis, deſcriptam ab Dominicano editionem primam, anni 1508. cui præfigitur Epiſtola jam memorata; at ſub calcem operis hæc leguntur: *Ex officinâ Aſcenſiana. ex recognitione Magiſtri Jacobi Merlin & impenſis Joannis Parvi Bibliopolæ Pariſienſis ampliſſimi. Ad ſextum Calend. Novemb. MDVIII.*

[k] *Bonaventura &*] Textus manifeſtè mutilus. Adde ad pleniorem ſenſus inveſtigationem. *Durandus utique reſolutiſſimus. Ideo autem &c.*

[l] *Corrixantur*] Adde, *circa captiunculas & cavillos ſophiſmatum quibus.*

[m] *Martimbos*] Varias Durandi editiones quæ Martimbo-

lielmo R[illegible]eo & Jacobo à Prato Baccalaureis Pariſienſibus, & Regiæ Navarræ Sociis conſuluit: *hic quidquid factum eſt, amici optimi, volui ſub veſtro nomine apparere, ut ex concilio viri ſuâ ætate doctiſſimi & clariſſimi theologi Domini Joannis Gerſon Cancellarii Pariſ. in perlegendo Durando nunc aliquantulùm emendatiore bonas horas collocetis, iſtis temporibus præſertim, quibus ingenia veſtra diligenti meditatione in iſto genere ſtudiorum exercenda ſunt, quo fortioribus animis, & magis fidentibus, ad eas pugnas accedatis, quæ vobis ante iſtos annos duos cum æqualibus veſtris ſunt publicè ſuſcipiendæ, quod ut accuratè faciatis, hortor etiam vehementer oro, de ipſo auctore hoc unum dicere auſus, ab illo Theologiam non ſpinoſè ſed tam acutè eſſe tractatam, ut eum doctum virum & ſollerti ingenio fuiſſe appareat.*

Ex tam celebri Gerſonis, Merlini & Martimboſii commendatione factum eſt, ut Pariſienſes Baccalaurei è regia Navarra olim ſeſe præcipuè dederint lectioni Durandi, adeo ut ipſe Durandus inde vocatus fuerit Doctor Navarræ Pariſienſis, ſicut fideli recordatione denarratum à majoribus accepimus.

QUÆRO nunc ſi doctrina Durandi in Facultate Theologiæ audiiſſet, ut nova & in fide periculoſa, quare ut ab illa ſibi caverent, Theologos non monebat Gerſo, qui de novitate doctrinæ & novorum in Theologiâ terminorum periculis perpetuò conqueritur, quique paſſim aſſerit ad ſe pertinere ex officio, enaſcentes in Academia malas, & peſtiferas doctrinas radicitùs extirpare: vel quare hoc à tam diligenti viro omiſſum non ſupplevit alius, utpotè Merlinus, qui tam amplum copioſúmque deciſionum Durandi indicem confecit, monendo lectorem in præfatione, vel in margine apponendo aliquod è regione quæſtionis amuletum, cujuſmodi fuiſſet: *Cautè legatur*: *Hic latet anguis in herba*: *Caveatur à periculoſâ doctrinâ*: Aut ille fidei inquiſitor Gulielmus Parvus, ad quem hoc ex munere potiùs attinere videbatur, quàm Panegyricum Durando dicere: Aut denique Martimboſius, qui eo maximè tempore Durandum recognovit, quo ſummam Facultas, ſi unquam, in approbandis libris cautionem adhibuit. Egóne quemquam illorum, quos ſuprà laudavimus, exiſtimem minùs emunctæ naris fuiſſe in notandis librorum erroribus, quàm eos, qui Durandi ſententiam accuſare moliuntur: Generales quidem ſunt illæ approbationes Doctorum, ſed nuſquam aliæ ab aliis datæ fuerunt: neſcio an auctor, tantâ (ut volunt) dignus reprehenſione, ita luculenter & ſine exceptione approbari poſſit? ſed ſcio hoc genere approbationis totam Auctoris hac in re doctrinam maximè perſuaderi ut bonam, & periculis omnibus vacuam.

His verò approbationibus & præconiis non contendimus, eam eſſe hanc Durandi opinionem, cui ſcholaſtico more non contradicatur, ſed tantùm cui nulla nota nulláque injuria impingi queat, & ſumma alioquin huic opinioni libertas relinquatur.

Demùm ſi tot Theologi Pariſienſes (inter quos ſint adverſarii Durandi) nunc probaviſſent aliquam Theologiæ ſummam, paterenturne quæſo, eam deferri ad Facultatem Theologiæ, ut quæ multas propoſitiones temerarias, & in fide periculoſas contineret. Ne cio quid facerent, ſed ſcio quid aliàs in graviori materiâ factum ſit, etiam ediro ad raucedinem clamore, ubi de approbatione cujuſdam libri idiomate non omnibus noto interſparſi agebatur.

QUINTO & ultimò graviſſima fieret injuria aliis extra Scholam noſtram Theologis recentioribus, & Philoſophis eximiis, qui aſſerunt doctrinam Durandi neque contra Scripturam ſacram, neque contra Conciliorum, aut Pontificum edicta pugnare. Hurtadum de Mendoza unicum proponimus ad exemplum tam nonnullis ejus Sociis, quàm aliis eorum imitatoribus, qui in configendis, quos non ſequuntur, auctoribus paulò immoderatiùs exardeſcunt. Hi enim ſuis concluſionibus non benè proviſum iri putant aliquando, niſi contrà ſentientes ingenti aliquâ criminatione maculent, aut ex aſſertionibus philoſophicis theologicas, & ex iis rurſus articulos fidei condere ſatagant. Vellem equidem
Cap. 3. & 4. Comm. eos ſua dogmata ad Regulas Vincentii Lirinenſis expendere, ubi quid ſit, & quomodo deprehendatur dogma Catholicum, oſtendit. Hoc ſi facerent, confuſam multorum credulitatem cum Catholica fide non commutarent. An autem ſic illi Chriſtianæ Religioni prudenter conſulant, judicent pii doctique viri, qui ſtudio partium non feruntur. Nihil melius juſtâ librorum confixione, nihil pejus injuſtâ. Non enim quâlibet librorum opinionumve damnatione favetur veritati, ſed eâ duntaxat, quæ tacitis doctorum ac piorum virorum judiciis comprobatur. At quomodo prohibita illius doctrinæ publica defenſio, quæ tacita damnatio eſt, comprobaretur, poſtquàm à tot eruditione & antiquitate venerandis hominibus propugnata eſt?

Sed

ſianam ſubſecutæ ſunt recenſet Echardus; at ſuſpicamur in hoc erraſſe quod Primam Lugduneſiſem apud Rovillium, collocet anno 1569. cum extet anno 1563.

Sed demonſtret Mendoza nullâ eam firmâ Scripturæ auctoritate, nullis Conciliorum aut Pontificum decretis, nullâ etiam manifeſtâ ratione poſſe labefactari.

Is igitur hæc habet de quæſtione propoſitâ in curſu philoſophico editionis Lugdunenſis anni 1624. *Nullum teſtimonium Scriptura oſtendit Deum neceſſariò concurrere ad omnes actiones, nec definitio ulla Conciliorum, aut Pontificum, nec conſpirarunt Doctores Eccleſiæ univerſi, nec ratio eſt manifeſta, imò potiùs ratio videtur oppoſitum ſuadere, quia*, inquit. *Dei perfectio quidem eſt, quod poſſit efficere res omnes, actualis autem effectio eſt Deo extrinſeca denominatio, quæ nulla perfectio eſt Deo. Item omnes cauſæ etiam tunc penderent à Deo in cauſando, quia ita cauſarent ex arbitratu Dei, qui ſolâ ſuâ virtute ſineret eos ita cauſare: penderent item à voluntate Dei directè volente aut permittente actiones creaturarum, ratione cujus diei poſſet omnium cauſa etiam immediata.* Vidiſtis ſuprà conſpirantem Armachanum, videte ſi vultis, non multùm diſſentientem ejuſdem cum Mendoza Societatis Rodericum Arriagam. Porrò quid clariùs pro antiquorum Magiſtrorum Pariſienſium defenſione? Et reverà hæc illorum ſententia cùm ſervet idoneè ſupremam cauſæ ſecundæ à primâ dependentiam in eſſe & conſervari, mirificè deinceps commendat Dei omnipotentiam. Nihil moramur ceteras ejuſdem ſententiæ in rebus philoſophicis, & magnis difficultatibus expediendis utilitates. Qua de re videatur peculiaris diſputatio quadripartita à multis quà præſulibus, quà aliis honoratioribus viris probata, quæ ante duos annos Lugduni prodiit auctore Ludovico à Dola Ordinis S. Franciſci Capucinorum in univerſitate Dolana Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore eximio.

Diſput.10. Phyſ.

Lib. 17. q. 2. Arm. cap. 25.

Diſput.10. Phyſ. Subſecti. 2. num. 9. & ſeqq.

His tamen omnibus ſubjungimus, quod ſi in Academiâ Pariſienſi à multis aliquando doceantur impunè & propugnentur publicè nonnullæ B. Thomæ propoſitiones, quæ olim à Facultate Theologiæ judicatæ ſunt erroneæ in eo Tractatu, quem ex communi omnium Magiſtrorum deliberatione compoſuit Petrus de Alliaco tunc magnus Navarræ Magiſter adverſus Joannem de Monteſono anno 1387. Quidni opinio Durandi, & aliorum antiquorum de concurſu cauſæ primæ cum ſecundâ in eâdem Academiâ impunè doceretur & publicè tanquam problematica defenderetur, præſertim cùm nullo unquam tempore ab Eccleſiâ, vel Concilio, vel Pontifice, vel (quod nunc noſtra plurimùm refert) à Facultate Theologiæ damnata ſit, aut notata. Ponderent adverſarii hanc rationem, & in eâ ſolvendâ totam, quanta eſt, dialecticam ſuam impendant.

[a] Tractatus autem à Petro de Alliaco compoſitus adverſus Joannem de Monteſono aſſervatur in Bibliothecâ Navarricâ, & laudatur ab Vueſſelo Groningenſi c. 9. de poteſtate Papæ ſub nomine Rotæ de errore quatuordecim concluſionum. Excerptum autem habetur in fine Magiſtri Sententiarum, quò curioſos ablegamus.

Reſtat modò, ut judicetur, an qui nunc dierum tentarent hanc non unius Durandi, ſed Aureoli, ſed priſcorum ſolemnium doctorum de concurſu ſententiam, ne ad defendendum proponeretur, impedire, ſicque ei hac ratione nigrum theta præfigere, an non, inquam, ſimul viderentur plures ſoles mundi Pariſienſis obſcurare? ne dicam uno halitu micantiſſima Scholæ omnium principis lumina extinguere?

Adhæc Durandus quid mali potiùs fecit, quàm Aureolus, Bonetus, Armachanus, & alii tàm ſuperioris, quàm poſterioris ævi, qui hanc opinionem ſuâ reddiderunt & auctoritate & doctrinâ ſolennem? quid, inquam, fecit, ut excipiatur uſque adeò inclementer? Cur tot inter & tantos Doctores medius deſignatur ad Cenſoriam virgulam? Cur ille ſeligitur unus, qui pro ceteris vapulet ab iis, quos haud inofficioſo teſtamento reliquit hæredes famæ & eruditionis ſuæ? Non agitur hîc ampliùs de damnatione, aut judiciali velut ſuppreſſione opinionis unius vel alterius auctoris, ſed ſexcentorum, qui variis temporibus ſummi quique ædificatores Eccleſiæ fuerunt. Agitur imò verò de retinendâ Theologicæ Facultatis in tollendis, non tolerandis quorumlibet librorum nævis, perſpicacitate & integritate, cujus opinio dudum per animos omnium gentium pervaſit.

Ex his ergo momentis ſatis evidenter concluditur, illam multorum opinionem, quæ à nonnullis per ignorantiam, vel incogitantiam, vel certè invidiam (quò damnarent faciliùs) uni tributa eſt Durando, nullâ eſſe notâ afficiendam, poſſe impunè doceri & publicâ diſputatione ſuſtineri, ut quæ fuit olim longè probabilis & ſolemnis, his diebus, Deo benè favente, fiat ſi poſſit probabilior & ſolemnior.

[a] *Tractatus &c.*] Habetur in novâ Editione Gerſonis operum quam elaboravit Dupinus.

JOANNES DELAUNOY *Theologus Pariſienſis.*

APPENDIX AD SYLLABUM.

HIC Caſus conſcientiæ proponitur Theologis Pariſienſibus, & iis potiſſimùm, qui Theologiam Moralem profitentur.

Addu-

Adducitur primò id ex quo natus eſt animi ſcrupulus, deinde ipſe ſcrupulus.

Ex Rigordo in vitâ Philippi Auguſti ad annum 1209. *In diebus illis* (quibus Almaricus clericus Carnotenſis vivebat) *legebantur Pariſius libelli quidam de Ariſtotele ut dicebantur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati de novo à Conſtantinopoli, & à Græco in Latinum tranſlati, qui quoniam non ſolùm hæreſi* (Almarici) *ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imò & aliis nondum inventis præbere poterant, juſſi ſunt omnes comburi & ſub pœnâ excommunicationis cautum eſt in eodem Concilio, ne quis eos de cetero ſcribere & legere præſumeret, vel quocunque modo habere.*

Hoc Concilium celebratum fuit Lutetiæ Pariſiorum ab Henrico Archiepiſcopo Senonenſi, & ejus omnibus ſuffraganeis, ut eſt teſtis Joannes Victorinus in Memoriali hiſtoriarum, qui & refert ad annum 1204. Almaricum primò ab univerſitate Magiſtrorum Pariſienſium condemnatum fuiſſe.

Ex [o] reſcripto Gregorii IX. ad Magiſtros Pariſienſes, quod extat in tabulis univerſitatis: *Adhæc jubemus, ut Magiſtri artium unam lectionem de Priſciano, & unam poſt aliam ſemper legant; & [p] libris illis naturalibus, qui in Concilio Provinciali ex certâ cauſâ prohibiti fuere Pariſius, non utantur, quouſque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati: Magiſtri verò & Scholares Theologiæ in facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere; nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in linguâ populi, linguam hebræam cum Aſoticâ confundentes, ſed de illis tantùm quæſtionibus in ſcholis diſputent, quæ per libros Theologicos, & Sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Cui decreto non ita ad amuſſim paruiſſe [q] B. Thomas tacitè accuſatur in [r] tractatu ſuprà allegato ſub finem his verbis.

In fin. Mag. Sent.

Dicunt etiam, quod in pluribus locis doctrinâ ſuâ ipſe erravit, per hoc quod principia Philoſophiæ, ſeu potiùs quædam Philoſophorum verba ad concluſiones Theologiæ nimis applicavit, non enim taliter loqui debent Theologi, qualiter loquuntur Philoſophi, ſicut docet Auguſt. 10. lib. de civit. Dei cap. 23. dicens: liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt: &c.

Rurſus ante aliquot annos opinio Nicolai Copernici de motu terræ à Galilæo renovata & illuſtrata, Romæ damnata eſt à Pontifice. Sed ſententia damnationis ad Magiſtros Pariſienſes non eſt adhuc tranſmiſſa.

Ex his ergo oritur hæc ſcrupuloſa [s] quæſtio; Utrum ſententia damnationis Galilæi nondum ad Philoſophiæ profeſſores in Studio Pariſienſi directa, magis eoſdem liget profeſſores, quàm ſententia Concilii ſupra dicti Pariſienſis, & Bulla Pontificis Greg. IX. ad eoſdem Magiſtros tranſmiſſa.

Huic reſolutioni penitùs ſe ſubmittent ii præſertim, qui ſententiam Copernici, aut Galilæi magis recitando, quàm aſſerendo docuerunt. Præterea reſolutio erit utilis vel ad moderandum eorum ſtudium, qui nimis avidè Ariſtotelem legunt, vel ad pacificandas eorum conſcientias, qui forſan eundem nonniſi meticuloſè docent perſuaſi, nondum eſſe juſſioni Pontificiæ ſatisfactum.

[o] *Reſcripto Gregorii IX.*] De hoc reſcripto nihil apud Bulæum in Hiſt. Univerſit. Pariſienſis. Affertur ſolummodò Epiſtola Gregorii qua vetatur ne in exponendis ſcripturarum oraculis fucatæ Philoſophorum rationes adhibeantur. Conſule Tom. III. p. 129. ad annum 1228. at Epiſtola longè differt ab reſcripto jam memorato. Lege cap. 1. 6. & 7. Tractatûs Launoiani *de Variâ Ariſtotelis fortunâ in Academiâ Pariſienſi.*

[p] *Libris illis naturalibus*] Cenſuræ cauſas commonſtrat Baconus in compendio MS. ſtudii Theologiæ. *Naturalis Philoſophia*, inquit, *Ariſtotelis, & Metaphyſica . . . Pariſius excommunicabantur anno Domini* 1237. *propter æternitatem mundi & temporis & propter librum de divinatione ſomniorum qui eſt tertius de ſomno & vigiliâ &c.* Apud Hiſt. Univerſit. Oxon. pag. 120. Lib. 1.

[q] *B. Thomas*] Launoius Thomæ factum benigniùs accipit in cap. VII. Tractatûs *de Varia Ariſtotelis fortuna.* Conſulat lector benevolus.

[r] *Tractatu*] Inſcribitur ille Tractatus *Errores Pariſiis condemnati, &* reperitur ſub finem Magiſtri ſententiarum. Hanc cenſuram tulit anno 1276. & iterùm 1278. Stephanus Epiſcopus Pariſienſis. Inter illas propoſitiones quædam cenſebantur Aquinatis, ac proinde nota quædam ejus doctrinæ inuſta videbatur. Id plures Pariſienſes Theologi impatienter tulerunt. Inter eos eminuit Godefridus de Fontibus Canonicus Leodienſis & Pariſienſis, ſuâ ætate inſigne ſacræ facultatis lumen, jam anno 1284. laureâ donatus, à quo Aquinas quin viſus fuerit vel familiariter agnitus, vix dubites. Hæc Echardus in ſuâ ſcript. Ordin. Prædicat. Biblioth. pag. 296. & 295. Tom. I. qui ſcriptum aliquod MS. Godefridi in Sorbonæ Bibliothecâ aſſervatum, commemorat, partemque exſcripſit, ubi ex cenſurâ incommoda oritura, & Thomæ doctrinæ laudes, eruditè congerunt. Cenſuram illam anno Chriſti 1325. exeunte Stephanus alter Pariſienſis & Facultas Theologiæ in vico Gentiliaco revocarunt. Conſule art. 4. & 8. cap. 60. Tractatûs *de Scholis Celebrioribus per Occidentem inſtauratis.* Thevetus Parochus de Gonnecourt in Normaniâ p. 271. Libri Gallicè inſcripti: *Refutation d'un libelle imprimé l'an 1676. qui a pour titre: Preſcriptions touchant la conception de notre Dame.* Latinè: *Confutatio cujuſdam famoſi libelli editi anno 1676. ſub hoc titulo: Præſcriptiones de Conceptu Mariæ Virginis*, exſcripſit Epiſtolam quam ad ſe ſcriptam refert ab Anonimo quodam Doctore Sorbonico ubi Thomam in multis erraſſe probatur.

[s] *Quæſtio*] Nodum ferè ſolvit doctiſſimus Godellus in ſuâ Gallicâ Hiſt. Eccleſ. Tom. I. p. 330. in fol. Pariſiis 1663. cujus verba ſic latinè expreſſimus. *Syſtema Ptolomaicum inexplicabilibus ſcatere difficultatibus noſtra ætate commonſtravit Galilæus, ad quem acceſſere docti omnes. Verum eſt ab Urbano VIII. damnatam de motu terræ opinionem Galilæi, tanquam ſcripturæ ſacræ minùs conſentaneam. Galilæum ſectantes aiunt ſcripturam ſacram fidei non verò Philoſophiæ naturalis, normam ac regulam eſſe; & homines in ſcribendis libris Sacris ſpiritu ſancto afflatos, ad popularem opinionem locutos, quia ſpiritus ſanctus, arcana ſacra declaranda, uſque fide & morum probitate, non aſtronomiâ & Phyſicâ, tradendos ſuſcepit.*

PRÆSCRIPTIONES DE CONCEPTU B. MARIÆ VIRGINIS.

Virgo Regia falſò non eget honore. St. Bern. in Epiſt. ad Canon. Lugd.

Altera Editio ad Auctoris Manuſcriptum aucta & emendata.

1677. *in minore in* 12.

AVERTISSEMENT

Qu'on trouve dans l'Edition de 1676.*

EN donnant ces deux Pieces au Public, on n'a point eu deſſein de renouveller la vieille querelle touchant la Conception de la Vierge; mais ſeulement on a crû qu'il falloit les faire imprimer, pour les conſerver à la poſterité. Notre Siecle les a lûes avec beaucoup de ſatisfaction, & on ne doute point que les Siecles qui viennent après nous, ne ſoient bien-aiſes de les pouvoir lire à leur tour. Voilà en abregé ce qu'on a crû être obligé de dire, pour tirer d'embarras certaines perſonnes qui ſe donnent beaucoup de peine, afin de pénétrer les intentions de ceux qui font imprimer de ces ſortes d'Ouvrages. Ce petit Avertiſſement n'eſt pas poſſible ſuffiſant pour contenter les faux dévots, qui vont trouver bien des miſtères dans tout ceci; mais parce qu'on ne ſe propoſe pas toujours de régler ſa conduite ſur leurs caprices, on laiſſe à leur liberté d'en penſer ce qui leur plaira.

PRÆFATIUNCULA

Quæ habetur in Editione Vulgata annò 1676. in min. in 12.

NOn eo conſilio vulgantur geminæ iſtæ Diſſertationes, ut antiquæ de Conceptu Virginis lites excitentur. Sedet tantùm animo eas ad poſteros tranſmittere. Quas ætatis noſtræ homines volupe legerunt, has non ingrato animo evolvent nepotes. En paucis quæ dicenda duximus, ne anxium ac ſollicitum habeamus quorumdam hominum genus quibus nihil antiquius eſt, quàm eorum mentem perſcrutari quos hujuſmodi opera vulgare non pudet. Breviſſimum iſtud monitum, minimè forſam probabitur ſectantibus falſum quemdam ac ſuperſtitioſum cultum, quibus hîc arcana quædam latere videbuntur. Cum vero ex eorum moribus vita inſtituenda non ſuſcipiatur, ex arbitrio quaſcumque fingant ſibi cogitationes.

AUTRE

Qu'on trouve dans l'Edition de 1677.

IL parut l'an paſſé une Edition de ces mêmes pieces, mais qui étoient ſi pleines d'omiſſions & ſi mal corrigées, qu'il n'étoit pas poſſible de les lire ſans beaucoup de mécontentement. C'eſt ce qui a donné ſujet à quelques perſonnes d'en rechercher des Exemplaires plus corrects, ſur leſquels on a fait cette *Seconde*

ALTERA

Quæ habetur in Editione anni 1677. quam hîc ſequimur.

ANno ſuperiori editæ ſunt duæ iſtæ Diſſertationes, at vero tam mancæ, tam mutilæ, ut eas nemo niſi indignabundus legerit. Hinc nonnullos inceſſit libido MSS. multo emendatiora perquirere, quæ abſolvendæ huic alteri editioni conducerent. Qui bona à malis diſtinguere norunt, ſummum inter duas illas editiones diſcrimen facilè diſ-

* Cum die 10°. Martii anno 1678. ſupremum diem obiisse Launoius conſtat apertiſſimè erraſſe Dupinum dum ait Tomo III. Bibliothecæ Eccleſiaſt. Scriptorum decimi ſeptimi ſæculi pag. 180. Præſcriptiones Launoianas de Conceptu Virginis, vulgatas tantùm poſt mortem Launoii. Conſule Tomo I. Epiſt. quas edidit Simon, notam Epiſt. 17. am conjunctam; Laudatur Launoius hac in re à Sacrâ Facultate diſceſſiſſe.

conde Edition: Et ceux qui ſçavent diſtingüer le bon d'avec ce qui ne l'eſt pas, reconnoitront facilement qu'il y a une grande difference entre ces deux Editions, & que la ſeconde eſt aſſurément la meilleure, étant faite ſur le Manuſcrit de l'Auteur. On n'a pas crû, à la façon de la plûpart des perſonnes qui impriment les Ouvrages d'autrui, y devoir ajoûter l'Eloge de l'Auteur, car tout le monde eſt quaſi perſuadé qu'on ne doit guere juger d'un Livre ſur les loüanges qu'on donne à celui qui l'a composé; même qu'ayant caché ſon nom, il a voulu marquer par là qu'on devoit plûtôt conſiderer la choſe préſentée, que la main qui la préſentoit.

L'*Avertiſſement* qui eſt à la tête de la premiere Edition, témoigne qu'on a été dans la crainte, en publiant ces deux petits Ouvrages, de choquer quelques perſonnes: il a cru auſſi pour le mettre à couvert des attaques de ceux qui prennent toûjours les choſes de mauvais ſens, devoir proteſter *qu'il ne les avoit fait imprimer que pour les conſerver pour les ſiecles qui viendront après nous:* Mais le bon accueil que les habiles Gens leur ont fait, montre aſſez que ſi d'un côté il n'eſt pas néceſſaire de donner des loüanges à leur Auteur, pour le rendre plus conſiderable, on ne ſera pas auſſi oblide lui adreſſer une Apologie pour le deffendre.

diſpicient; alteramque utpote ad Autoris MS. compoſitam, longè præſtare fatebuntur. Eorum qui aliena vulgant opera, mos eſt auctoris laudes celebrare; ab hujuſmodi exemplo recendum nobis eſſe duximus. Enim verò apud omnes conſtat non ex laudibus Auctori impertitis librum æſtimandum eſſe. Præterea cum Auctor latere voluerit, hinc ſatis declarat, majorem oblatæ rei quàm offerentis habendam rationem.

Patet ex Præfatiunculâ priori editioni præfixâ, duorum Opuſculorum Editorem veritum, ne quidam id ægrè ferrent, atque ut ea ab eorum telis tuta præſtaret, qui omnia in deteriorem partem accipiunt, declarandum exiſtimavit, ſe, vulgando ea, poſteritatem reſpectare. At Eruditis adeò probata ſunt ut ſi ad amplificandam Scriptoris famam, laudes adjicere non ſit neceſſe, non opus Apologiâ *futurum ſit.*

PRESCRIPTIONS
TOUCHANT
LA CONCEPTION DE N. D.

POUR *entendre la matiere de la Conception de N. D. par raport à la définition qu'on en pourroit faire dans l'Egliſe, il faut peſer & ſe mettre devant les yeux certaines Preſcriptions, pour parler aux termes de Tertullien, qui a donné ce nom à quelqu'un de ſes Livres.*

PRESCRIPTION I.

La matiere de la Conception, comme toute autre de la Religion Chrétienne, ſe doit décider par l'Ecriture Sainte, & par la Tradition de l'Egliſe Catholique, qui ſe doit recueillir dans les Ecrits des Peres & des Conciles, de Siecle en Siecle, jusqu'au tems que ſe fait ou ſe doit faire la définition. C'eſt ainſi que Vincent de Lerins l'a propoſé il y a 1200.

PRÆSCRIPTIONES
DE
CONCEPTU B. MARIÆ VIRGINIS.

UT excutiatur quæſtio de Conceptione B. Virginis, eâ methodo & ratione quæ judicio ab Eccleſiâ quando voluerit ferendo ſuffragari poſſit; expendendæ ſunt ac oculis ſubjiciendæ Præſcriptiones quædam, ut Tertulliani qui ſic librum quemdam inſcripſit, verba uſurpem.

PRÆSCRIPTIO I.

Quæſtio de Conceptione & alia quælibet ad Chriſtianam Religionem pertinens, explicanda ac ſolvenda eſt, ex Scripturâ Sacrâ, & Traditione Eccleſiæ Catholicæ; quæ Traditio conſtat ſanctorum Patrum verbis & Conciliorum, per ſuccedentia ſibi ſecula, ad illud tempus uſque, cum *definitio*, fertur aut ferri debet. Hanc regulam à mille & ducentis

1200. *ans & plus ; c'eſt au chap. 2. de ſon Avertiſſement contre les nouveautez en la Religion.* Si quis vult exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſanâ ſanus & integer permanere, duplici modo fidem ſuam munire Domino adjuvante debet : primò ſcilicet Divinæ legis authoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

tis annis & amplius propoſuit Vincentius Lerinenſis cap. 2. commonitorii. *Si quis vult exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſanâ ſanus & integer permanere, duplici modo fidem ſuam munire Domino adjuvante debet: primò ſcilicet Divina legis authoritate, tum deinde Eccleſiâ Catholica traditione.*

PRESCRIPTION II.

Si l'on vouloit définir la matiere de la Conception de nôtre Dame, en la maniere expliquée en la Preſcription precedente, & ſe fixer en l'an MCCC. de N. Seigneur, on définiroit ſans doute que N. D. a été conçûë en peché, comme tout le reſte des hommes, conformément à ce qu'a écrit Vincent de Lerins, au chap. 3. de ſon Avertiſſement : In ipſâ *dit-il*, Catholicâ Eccleſiâ magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt enim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequimur autem univerſitatem hoc modo : ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia : Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenùs ſenſibus recedamus quos ſanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt ; Conſenſionem quoque itidem : ſi in ipſâ vetuſtate omnium, vel certè pœnè omnium Sacerdotum pariter ac Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur. *Il eſt certain que depuis Jeſus-Chriſt juſqu'en l'an MCCC. l'on trouvera en la matiere de la Conception de nôtre Dame, ce que cet Auteur marque ; ſçavoir que nôtre Dame a été conçûë en peché, comme le reſte des hommes.*

PRÆSCRIPTIO II.

Si Eccleſia Quæſtionem de Conceptu Virginis modo jam memorato explicare ac ſolvere vellet, atque finem diſcuſſionis collocare anno Domini Milleſimo ſupra trecenteſimum, ſine dubio ſtatueretur B. Virginem ſicuti cæteros homines in peccato originali conceptam ſuffragante ipſo Vincentio Lerinenſi Commonitorii cap. 3. *in ipſâ* inquit, *Catholicâ Eccleſiâ magnopera curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt enim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratióque declarat, qua omnia verè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequimur autem univerſitatem hoc modo : ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenùs ſenſibus recedamus quos ſanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt ; Conſenſionem quoque itidem: ſi in ipſâ vetuſtate omnium, vel certè pœnè omnium Sacerdotum pariter ac Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.* Conſtat à Chriſto nato ad ſeculum uſque decimum tertium, ea omnia quæ deſcripſit Vincentius, in quæſtione de Conceptione Virginis occurrere ; ac patebit Mariam in peccato conceptam.

PRESCRIPTION III.

La Preſcription precedente eſt neceſſaire pour ne ſe pas tromper, & ſa neceſſité eſt priſe de la conduite du Concile de Florence, dans la définition des choſes qui diviſoient l'Egliſe Grecque d'avec la Latine. L'on convint dans ce Concile de ne point ſe ſervir des Auteurs qui avoient écrit depuis le tems du Pape Nicolas I. & de Photius Patriarche de Conſtantinople, ſous leſquels le ſchiſme avoit commencé. Tout de même, il ne faut pas ſe ſervir des Auteurs qui ont écrit depuis l'an 1300., *auquel tems Jean Scot commença par des raiſonnemens ou ſuppoſitions chimeriques d'exemter nôtre Dame du peché originel. Je dis chimeriques, parce que ces raiſonnemens*

PRÆSCRIPTIO III.

Ne detur errori locus, neceſſaria eſt præſcriptio ſuperior ; cujus neceſſitas ducitur è viâ ac ratione quam iniit Concilium Florentinum, in definiendis quæſtionibus illis quæ Eccleſiam Græcam ac Latinam in varias partes diſtrahebant. In eo Concilio ſtatutum eſt eorum ſcriptorum auctoritatem reſpuendam qui ab Nicolai I. Romani Epiſcopi ac Photii Conſtantinopolitani Patriarchæ temporibus, floruerant eâ enim ætate ſchiſma ortum eſt. Ita relinquendi ſunt ſcriptores illi qui à ſeculo decimo tertio vixere, quo tempore Joannes Scotus, argumentis fictitiis ac futilibus, Virginem labis primigeniæ immunem fecit. Argumenta dico va-

ou ſuppoſitions ne ſont point appuyez, ni de la Sainte Ecriture, ni de la Tradition de l'Egliſe. Et comme depuis le tems de Nicolas I. & de Photius, les Auteurs Grecs & Latins ſont demeurez ſuſpects les uns aux autres, & par conſequent incapables de porter témoignagne les uns contre les autres: Ainſi les Theologiens qui ont écrit de la Conception, ſont demeurez ſuſpects les uns aux autres; & par conſequent incapables de porter témoignagé les uns contre les autres, depuis le tems du Docteur Jean Scot.

na ac futilia, quia nec Scripturâ ſacrâ, nec Eccleſiaſticâ Traditione innituntur. Et cum ab Nicolai I. & Photii ætate, ſcriptores Græci ac latini in mutuam ſuſpicionem venere, ſic impares, fuere ferendo invicem Teſtimonia: Sic Theologi qui de Conceptu diſſeruere, in mutuam ſuſpicionem venere, & à tempore Scoti, invicem ferendo teſtimonio impares.

PRESCRIPTION IV.

L'Opinion de Jean Scot n'a pas été ſi-tôt connue, qu'elle a été accuſée de nouveauté par ceux de ſon Ordre même. [c] *Alvarus Pelagius l'a qualifiée nouvelle & phantaſtique, c'eſt au* lib. 2. de planctu Eccleſiæ, [b] art. 52. Hanc ſententiam (de maculatâ Conceptione) tenent omnes antiqui Theologi Alexander, Thomas in ſuo 4°. Bonaventura & Richardus, licet novi quidam Theologi à ſenſu Eccleſiæ recedentes tenere contra (indevoti reipſa Dominæ, & [c] tanquam devoti cupientes apparere) nitantur, eam quodammodo ſic Deo & Filio ſuo comparantes: quorum opinio nova & phantaſtica ſit à fidelibus cancellata, quæ ſanctificationem Virginis negat contra id quod tenet Eccleſia ipſam ſanctificatam fuiſſe. *Cet Auteur vivoit en* 1330., *& qui a pû voir Scot, qui eſt mort en l'an* 1308. *La nouveauté, en matiere de Religion, eſt une marque d'erreur. D'où vient qu'on appelle les heretiques Novateurs? Et il eſt impoſſible de montrer que l'opinion de Scot ait été ſoutenue par les anciens Theologiens, ni par les Peres.*

Jean Bacon, Docteur en Theologie. de l'Ordre des Carmes, a pareillement qualifié l'opinion de Scot. de temeraire, & contraire à l'Ecriture Sainte; c'eſt au livre 3. *de ſes queſtions quodlibetiques,* [d] quæſt. 12. quarta particula eſt quod dicere quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret originale, [e] temeraria eſt, & contra Canonem Bibliæ. *Elle eſt temeraire, parce que la definition de propoſition temeraire convient à l'opinion de Scot.*

Le Cardinal Turre-cremata, au livre, de l'autorité du Pape & du Concile: Propoſitio ſeu definitio temeraria eſt, *dit-il*, quæ nec authoritate nec ratione certâ probari poteſt.

Dominique Bannes dans ſes Commentaires ſur la 2[de] 2[de] *de la Somme de Saint Thomas*

PRÆSCRIPTIO IV.

Ubi innotuit Scoti opinio, ab ipſis Franciſcanæ familiæ alumnis, tanquam novitia rejecta eſt. [a] Alvarus Pelagius hanc novam ac phantaſticam appellavit, lib. 2. de Planctu Eccleſiæ. [b] art. 52. *Hanc ſententiam (de maculatâ Conceptione) tenent omnes antiqui Theologi Alexander, Thomas in ſuo 4°. Bonaventura & Richardus, licet novi quidam Theologi à ſenſu Eccleſia recedentes tenere contra (indevoti reipſa Domina,* [c] *& tanquam devoti cupientes apparere) nitantur, eam quodammodo ſic Deo & Filio ſuo comparantes: quorum opinio nova & phantaſtica ſit à fidelibus cancellata, qua ſanctificationem Virginis negat contra id quod tenet Eccleſia ipſam ſanctificatam fuiſſe.* Scriptor vivebat anno 1330., qui Scotum anno 1308. mortuum, videre potuit. Novitas in Religionis momentis, erroris ſignum eſt. Unde Hæretici, Novatores appellantur. Et commonſtrari non poteſt, Scoti opinionem ab Antiquis Theologis aut SS. Patribus fuiſſe propugnatam.

Joannes Bachon, Doctor Theologus, Ordinis Carmelitani, temerariam ac Scripturæ Sacræ adverſam eſſe Scoti opinionem, pronunciavit Libro 3. Quodlibetorum quæſt. 12. [d] *Quarta particula eſt quod dicere quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret originale,* [e] *temeraria eſt & contra Canonem Biblia.* Ideo temeraria eſt quia propoſitionis temerariæ definitio congruit Scoti opinioni.

Cardinalis à Turrecremata Libro de auctoritate Papæ & Concilii: *Propoſitio ſeu definitio temeraria eſt, qua nec autoritate nec ratione certâ probari poteſt*, inquit, &c.

Dominicus Bannés Commentariis in ſecundam ſecundæ S. Thomæ, ait *temeraria*

[a] *Alvarus Pelagius.*] Alvari Pelagii auctoritatem ſic elevat Theverus Parochus de Gonnecourt in Normania pag. 53. in opere quod inſcripſit: *Confutatio libelli cujuſdam famoſi* cui titulus *Præſcriptiones de Conceptu Virginis.* Ex Launoii effatis, in mutuam ſuſpicionem venere, & ſic ferendo invicem teſtimonio impares, quotquot ab Scoti temporibus ſcripſere; at Alvarus Pelagius ex illis ſcriptoribus unus eſt; ergo reiicienda eſt ejus auctoritas.

[b] *Art.* 52] Lege cap. 52.

[c] *Et tanquam.*] Sic emanda, *et tamen.*

[d] *Quaſt.* 12.] Lege 13.

[e] *Temeraria.*] In Editione Cremonenſi in fol. anno 1618, legitur, *temerarium.*

mas, dit; Temeraria propoſitio eſt quando aliquis aſſerit quidpiam contra communem opinionem Eccleſiæ aut Theologorum ſine magna authoritate in materiâ gravi.

Telle eſt l'opinion de Scot, parce qu'elle eſt contraire au ſentiment de l'Egliſe & des Theologiens de ſon tems, & de ceux qui l'avoient precedé. Elle eſt encore contraire à l'Ecriture Sainte, où il ne paroit aucune exception pour N. D. ni dans les Saints Peres, qui ont expliqué l'Ecriture, où il eſt parlé du peché originel; & il eſt certain qu'il faut prendre les propoſitions de l'Ecriture, ut jacent, *quand il n'y paroit aucune exception, comme il eſt declaré ci deſſus; autrement on pourroit excepter les Pere & Mere de N. D.*

ria propoſitio eſt quando aliquis aſſerit quidpiam contra communem opinionem Eccleſiæ aut Theologorum ſine magna authoritate in materiâ gravi.

Hujuſmodi eſt Scoti opinio quia adverſatur menti Eccleſiæ, ætatis ſuæ Theologorum eorumque qui Scoto præiverant. Scripturæ ſacræ etiam non eſt conſentanea, ubi nihil excipitur in gratiam Mariæ, nec apud S. Patres qui eos librorum ſacrorum locos explicarunt ubi de peccato originali. Atqui conſtat ubi nihil excipitur tunc Scripturæ ſacræ ſententias *ut jacent*, intelligendas, ut jam declaratum eſt. Aliter Parentes Virginis Mariæ eidem beneficio conſociari poſſent.

PRESCRIPTION V.

Pour autoriſer l'opinion nouvelle de Scot, on a ſuppoſé en Eſpagne un Concile tenu par les Apôtres ſur cette matiere; & on veut que ce Concile ait été trouvé depuis peu prés de Grenade. Nous apprenons cela du Pere Jean Perlin Jeſuite, Profeſſeur à Alcala, dans ſon Apologie pour N. D. au chap. 1. de la diſtinct. 7. Adeo fuit cordi omnibus Eccleſiæ Patribus ſemper Deiparæ honos & laus; ut primis naſcentis Eccleſiæ exordiis coactis in unum ſummi qui tunc erant illius proceres hac de re ut noſter animus deſiderare poterat, conſtituerint. Refert omni exceptione majus teſtimonium hoc antiquiſſimus martyr Cæcilius Epiſcopus Elyberitanus cujus paucis abhinc annis ſanctiſſimæ Reliquiæ in monte, qui juxta Granatam vulgo ſanctus dicitur inventæ ſunt cum libello quodam Arabicè ſcripto ipſo Cæcilio autore. Hic ille titulo de domo gloriæ & domo tormenti ſive inferni præter alia Virginis encomia ita de illius puriſſimâ Conceptione: Illa Virgo Maria, illa ſancta, illa electa à primo originarioque peccato præſervata fuit, & ab omni culpâ libera; atque hæc veritas Apoſtolorum Concilium eſt, quam qui negaverit maledictus & excommunicatus erit, & ſalutem non conſequetur, ſed in æternum damnabitur. Hæc Cæcilius, ſeu veriùs Apoſtoli quorum ille definitionem refert.

Le P. Perlin marque puis aprés que ce Cæcilius étoit un des ſept Evêques que S. Pierre envoya en Eſpagne. Je crois que ce Concile a été rejetté à Rome, dés auſſi-tot qu'il a paru. La ſuppoſition de ce Concile eſt ſi viſible dans toutes ſes circonſtances, qu'il ſuffit de la propoſer pour la ruiner. Elle eſt néanmoins plauſible aux faux dévots de la Vierge & aux ignorans de la tradition de l'Egliſe; mais ce n'eſt point à eux à juger de cette matiere.

PRÆSCRIPTIO V.

Qui Scoti novitiæ opinioni auctoritatem conciliare voluerunt, Concilium hac de re in Hiſpania ab ipſis Apoſtolis congregatum finxere, cujus Concilii Acta prope Granatam reperta ſunt. Hæc Docet P. Joannes Perlinus ſocietatis Jeſu Complutenſis Academiæ Profeſſor, in *Apologiâ ſcholaſticâ pro magnæ matris ab Originali debito, immunitate*, Cap. I. Diſtinct. 7. *Adeo fuit cordi omnibus Eccleſiæ Patribus ſemper Deiparæ honos & laus; ut primis naſcentis Eccleſiæ exordiis coactis in unum ſummi qui tunc erant illius proceres hac de re ut noſter animus deſiderare poterat, conſtituerint. Refert omni exceptione majus teſtimonium hoc antiquiſſimus martyr Cæcilius Epiſcopus Elyberitanus cujus paucis abhinc annis ſanctiſſimæ Reliquiæ in monte, qui juxta Granatam vulgo ſanctus dicitur inventæ ſunt cum libello quodam Arabicè ſcripto ipſo Cæcilio auctore. Hic ille titulo de domo gloriæ & domo tormenti ſive inferni præter alia Virginis encomia ita de illius puriſſimâ Conceptione: Illa Virgo Maria, illa ſancta, illa electa à primo originarioque peccato præſervata fuit, & ab omni culpâ libera; atque hæc veritas Apoſtolorum Concilium eſt, quam qui negaverit maledictus & excommunicatus erit, & ſalutem non conſequetur, ſed in æternum damnabitur. Hæc Cæcilius, ſeu veriùs Apoſtolicorum ille definitionem refert.*

Declarat poſteà Perlinus, Cœcilium illum unum fuiſſe è ſeptem Epiſcopis à Petro in Hiſpaniam miſſis. Ubi Romæ innotuit Concilium illud, non dubito quin rejectum fuerit. Adeo manifeſta eſt Concilii ſubjectio ut expoſitione ſolâ corruat, at verò probabilis videtur, adulterinis Mariæ cultoribus, & Eccleſiaſticæ Traditionis imperitis, quorum tamen non eſt de hac quæſtione judicium habere.

PRE-

PRÆ-

PRESCRIPTION VI.

Les FF. Mineurs ont enſeigné la Conception maculée de la Vierge, auparavant que les FF. Prêcheurs l'ayent enſeignée. Saint Antoine de Padoue, au Sermon qu'il a fait le Jeudy Saint, Advertendum eſt, *dit-il*, quod hoc dictum Salvatoris ſolùm tenet de illis qui debitores fuerunt non de illis qui fuerunt [f] ab hoc delicto præſervati ſicut qui fuerunt ſanctificati in utero de quorum numero fuit Beata Virgo. *Il met N. D. avec Jeremie & Saint Jean Baptiſte, qui ont été ſanctifiez dans le ventre de leurs meres, cette ſanctification eſt une purgation du peché originel. Ce Saint & premier Docteur en Théologie de l'Ordre des Mineurs, eſt mort l'an* 1231. 9 *ans aprés la naiſſance de Saint Thomas d'Aquin, de l'Ordre des Prêcheurs.*

Alexandre de Hales, Mineur, en la part. 3. *de ſa Somme*, quæſt. 10. memb. 2. art. 1. Neceſſe eſt ut quod [g] generatur contrahat peccatum, & propter hoc B. Virgo non potuit in parentibus ſuis, ſanctificari, imò neceſſe fuit; quod in generatione ſuâ contraheret peccatum à parentibus; & *in art.* 4. Concedendum eſt quod B. Virgo ante nativitatem ſuam & poſt infuſionem animæ in ſuo corpore fuit ſanctificata in utero matris ſuæ. *Ce Docteur eſt mort en l'an* 1245. *vingt ans après la naiſſance de Saint Thomas. Il faut préſuppoſer que Saint Antoine de Padoue, & Alexandre de Hales ont écrit longtems avant que de mourir.*

Albert le Grand, Maître de Saint Thomas, étant mort l'an 1280. *n'a pas apparemment écrit avant S. Antoine de Padoue, & Alexandre de Hales.*

Il eſt arrivé par la ſuite du tems, que les FF. Mineurs ont quitté le ſentiment, ou plûtôt la Theologie de l'Egliſe, ſuivie par S. Antoine de Padoue, d'Alexandre de Hales, de Saint Bonaventure contemporain de S. Thomas, & de Richard de Moyenville, pour ſuivre les imaginations de Scot, & les convertir dans certain tems en faction. Les FF. Prêcheurs ont ſuivi la Tradition de l'Egliſe, & y ſont fixement demeurez. Ils ne devoient point chercher ni de [h] *revelations, ni d'autres voyes pour s'y conſerver:* Veritas hominum mendacio non eget.

PRES-

PRÆSCRIPTIO VI.

Priùs Dominicanis, Virginem peccato primigenio obnoxiam fecere Franciſcani. S. Antonius Paduanus ſermone habito die ſancto jovis, *Advertendum eſt*, inquit, *quod hoc dictum Salvatoris ſolùm tenet de illis qui debitores fuerunt non de illis qui fuerunt* [f] *ab hoc delicto præſervati ſicut qui fuerunt ſanctificati in utero de quorum numero fuit Beata Virgo.* Virginem adjunxit Jeremiæ & Joanni Baptiſtæ, qui in utero matrum ſancti facti ſunt; quâ ſanctitatis acceptione, originali labe purgati ſunt. Sanctus ille primus Franciſcanorum Doctor obiit anno 1231:, novem annis poſt natum Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum.

Alexander Alenſis Minorita, parte 3. ſummæ quæſt. 10. memb. 2. art. 1. *Neceſſe eſt ut quod* [g] *generatur contrahat peccatum, & propter hoc B. Virgo non potuit in parentibus ſuis, ſanctificari, imò neceſſe fuit, quod in generatione ſuâ contraheret peccatum à parentibus*; & in art. 4. *Concedendum eſt quod B. Virgo ante Nativitatem ſuam & poſt infuſionem animæ in ſuo corpore fuit ſanctificata in utero matris ſuæ.* Alenſis mortuus eſt anno 1245. viginti poſt natum Thomam annis. Sic Tanquam certum ſtatutendum eſt, Antonium & Alenſem, diù ante mortem ſcripſiſſe.

Albertum Magnum, Thomæ Magiſtrum qui obiit anno 1280. non ante Antonium & Alenſem ſcripſiſſe veriſimile eſt.

Temporum decurſu Franciſcani receſſere ab ſententiâ ſeu potius Eccleſiæ Theologiâ quam ſecuti erant Antonius Paduanus, Alexander Alenſis, Bonaventura, Thomæ æquales, nec non Richardus de Mediavilla, atque Scoti commenta & delirationes ſectati ſunt; ad quæ propugnanda conjurationem quamdam iniere. Prædicatores Eccleſiaſticæ Traditioni conſtanter inhæſerunt, qui tamen adhæc nec [h] revelationibus nec aliis hujuſcemodi rationibus opus habebant: *Veritas hominum mendacio non eget.*

PRÆS-

[f] *Ab hoc delicto.*] Habetur, *ab hujus modi debito.*
[g] *Generatur.*] Adde, *in generatione.*
[h] *Revelatione*] Alluſiſſe videtur Launoius ad Catharinam Senenſem, quæ ut narrat. B. *Antoninus Archiepiſcopus* in 1. parte ſummæ, Tit. *de peccato originali*, dixit in quodam ſuo libello, *ſibi fuiſſe revelatum. B. Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam: Sed poſtea ab eodem fuiſſe mundatam.* Hæc excerpta ex Bandelli Tractatu qui inſcribitur. *de ſingulari puritate & prærogativâ conceptionis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti* in 12. Bandellus qui ferè trecentos clariſſimos Doctores maculati conceptûs teſtes appellat. Catharinæ revelationem parium prudenter attulit. Quæ fides hujuſcemodi revelationibus adhiberi poteſt?

PRESCRIPTION VII.

Les Jeſuites qui ſont ſi fort les échauffez en cette matiere, ont quitté la moderation de Saint Ignace leur fondateur. Un Docteur en Theologie de Paris, Eſpagnol, nommé [i] *Petrus Olavius, s'étant fait Jeſuite, Saint Ignace le fit Profeſſeur de Theologie à Rome. Ce Jeſuite Profeſſeur fit faire des Theſes, où il avoit mis la Conception Immaculée dans le ſentiment de l'Univerſité de Paris: Saint Ignace voyant que la Theſe de la Conception faiſoit du bruit à Rome, la fit rayer, & ne voulut point qu'elle fut propoſée à la diſpute. Cela eſt rapporté par* [k] *Maphée, dans la vie de Saint Ignace. Les Jeſuites ont auſſi quitté le ſentiment de François de la Tour ou Turriam, un de leurs premiers Docteurs de la Societé, & de Jean Maldonat. Nous apprenons le ſentiment de l'un & de l'autre par une lettre que Maldonat écrit à Turriam: voici ſes paroles;* Nolebam ad te ante ſcribere quam tui libelli editi eſſent, ut idem eos Tabellarius & meas litteras tibi ferret. Verebar enim ut tibi meæ litteræ gratæ eſſent ſi ſolæ ſine tuis filiolis ad te irent; ſed nondum maturuerunt, nam Sorbonici Doctores quibus examinandos eos dedi probare quædam noluerunt. [l] Primum quod dicis Eccleſiam liberum cuique relinquere ut de Beatæ Virginis conceptione in alterutram quam malit partem ſentiat: Noſtri enim Magiſtri Beatam Virginem ſine peccato conceptam non opinione liberum ſed neceſſariâ fide credendum eſſe putant proter Concilii Baſilienſis decretum, quod plus authoritatis apud eos, quam Sixtus IV. & Concilium Tridentinum, habet. Itaque cum his diebus cum quodam Doctore ex illis de hac re agerem diceremque Eccleſiam nihil certi eâ de re conſtituiſſe; Ego, inquit, exiſtimans me ad Sixti IV. decretum alluſiſſe, compertum habeo generale Concilium ſuperius eſſe Pontifice Romano: *ſic ſane, inquam*, ego tamen non oppono Romanum Pontificem Concilio generali, ſed generali Concilio Baſilienſi quod à minimâ parte [m] Eccleſiæ recipitur, generale *alterum* Concilium Tridentinum quod ab univerſa Eccleſia receptum atque probatum eſt. Ad hæc ille initio nihil reſpondit *poſtea* verò familiariter mihi magis urgenti, & amice dixit: Nolle Doctores cum Concilio Baſilienſi Tri-

PRÆSCRIPTIO VII.

Jeſuitæ qui tam acriter Franciſcanorum opinionem tuentur, ab Ignatii moderatione diſceſſere. Is Romæ Profeſſorem inſtituit Doctorem quemdam Hiſpanum nomine Martinum Olavium Pariſienſem Theologum, qui Societati Jeſu nomen dederat. Cum autem Olavius in theſibus, Univerſitatis Pariſienſis opinionem ſecutus, immaculatum Virginis Conceptum, propugnandum ſuſcepiſſet, Ignatius videns articulum de Conceptu rumoribus malis Romæ flagrare, tolli juſſit, vetuitque ne diſcutiendus proponetur. Hæc refert Maffcius in Vitâ Ignatii. Turriani etiam unius è primis Societatis Doctoribus, ac Maldonati opinionem reliquere Jeſuitæ. Utriuſque ſententia conſtat ex Epiſtolâ ab Maldonato ad Turrianum ſcriptâ, in quâ hæc leguntur: *Nolebam ad te ante ſcribere quam tui libelli editi eſſent, ut idem eos Tabellarius & meas litteras tibi ferret. Verebar enim ut tibi mea littera grata eſſent ſi ſola ſine tuis filiolis ad te irent; ſed nondum maturuerunt, nam Sorbonici Doctores quibus examinandos eos dedi probare quadam noluerunt. Primum quod dicis Eccleſiam liberum cuique relinquere ut de Beata Virginis conceptione in alterutram quam malit partem ſentiat: Noſtri enim Magiſtri Beatam Virginem ſine peccato conceptam non opinione liberum ſed neceſſariâ fide credendum eſſe putant propter Concilii Baſilienſis decretum quod plus authoritatis apud eos quam Sixtus IV. & Concilium Tridentinum, habet. Itaque cum his diebus cum quodam Doctore ex illis de hac re agerem diceremque Eccleſiam nihil certi eâ de re conſtituiſſe; Ego, inquit exiſtimans me ad Sixti IV. decretum alluſiſſe, compertum habeo generale Concilium ſuperius eſſe Pontifice Romano:* ſic ſane, inquam, *ego tamen non oppono Romanum Pontificem Concilio generali, ſed generali Concilio Baſilienſi quod à minimâ parte Eccleſia recipitur, generale* alterum *Concilium Tridentinum quod ab univerſa Eccleſia receptum atque probatum eſt. Ad hac ille initio nihil reſpondit* poſtea *verò familiariter mihi magis urgenti, & amice dixit: Nollo Doctores cum Concilio Baſilienſi Tridentinum comparari eoſque exiſtimare illam de hac re indulgentiam Tridentini Concilii* extortam

[i] *Petrus Olavius*] Martinus appellatur tùm apud Maffeium, tùm in Bibliothecâ Scriptorum Societatis *Jeſu* p. 189.

[k] *Maphée.*] Cum rem aliter narret Maffeius, quam Launoius, Hiſtorici textum, maximè notandum, hic juvat integrum exſcribere. *Cum Martinus Olavius, qui Collegio Romano annos aliquot magnâ cum laude præfuit, excellenti vir ingenio doctrinâque, theſes aliquot de more propoſuiſſet, in quibus erat caput de immaculato ne appellans concepto Beatæ Virginis, licet eâ de re Ignatius pro ſuâ egregiâ in Deum & Virginem pietate minimè dubitaret, tamen ne Fratres Dominicani qui ad diſputationem invitabantur, id ægrè ferrent, ſeque nominatim provocari putarent [contrariam enim ſententiam auctore divo Thoma tuentur eorum plerique] eam theſem, quamquam ingemiſcente Olavio, induci tollique omnino imperavit. Lib. 3. cap. 9.*

[l] *Primum*] Dele hanc vocem. Tria enim momenta affert Maldonatus quæ Sorbonicis non probantur, poſtremum eſt de Conceptu Virginis.

[m] *Eccleſiæ*] Adde *Catholicæ*.

Google

Tridentinum comparari eoſque exiſtimare illam de hac re indulgentiam Tridentini Concilii *extortam* ſuiſſe Monachorum Dominicanorum artificio. *Les Lettres manuſcrites de Maldonat, & ſon Livre des Sacremens, ont été imprimez* [a] *à Paris il y a 20. ou 30. ans; mais les Jeſuites en retirent toutes les copies.*

Nous apprenons le ſentiment de [b] *Maldonat, par les Regiſtres de la Faculté de Theologie, où il eſt écrit;* Anno Domini M. D. LXXIV. Joannes Maldonatus legebat libros ſententiarum Pariſiis in Collegio Claromontano, & acriter diſputabat adverſus ſacram Facultatem Theologiæ Pariſienſis de Immaculata Conceptione B. Virginis eandem Facultatem reprehendens quod ſacramentum exigeret à ſuis ut tenerent tanquam de fide Beatam Virginem ſine peccato originali eſſe conceptam. His de cauſis Rector Pariſienſis Academiæ convocavit quatuor Facultates quæ uno conſenſu ſtatuerunt habendam eſſe expoſtulationem adverſus Maldonatum coram Reverendiſſimo Domino Petro Gondio. Facultas autem Theologica cum alumnorum mentem & ſententiam de avitâ doctrina & fide reſcire vellet Comiria indixit ſub juramento omnibus ſcholæ Magiſtris anno Domini M. D. LXXV. menſis Febtuarii 15. quibus in Comitiis omnes Magiſtri, octo aut novem exceptis qui à Partibus Domini Epiſcopi Pariſienſis erant, conceptis verbis declararunt ſe de fide tenere B. Virginem conceptam ſine maculâ originali. His de cauſis Dominus Pariſienſis Epiſcopus Cenſutam diſtrinxit adverſus Rectorem & præcipua ſuppoſita Pariſienſis Academiæ. Ubi vero magnos inde motus excitari vidit, mutatâ ſententiâ nominatim excommunicavit Magiſtros Adamum Sequart Decanum, & Jabobum Fabrum Syndicum ejuſdem Theologicæ Facultatis. Pro quibus de eadem excommunicatione ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu appellarunt omnes Facultates Univerſitatis. Quâ de cauſa acta frequentia facta ſunt & ad ſummum Pontificem directa ſine ſucceſſu. Senatus autem improbavit Sententiam Domini Epiſcopi Pariſienſis. *Les Jeſuites depuis ce tems, ont pris le change, tant contre les premiers Docteurs de leur Compagnie, que contre le Concile de Trente, comme Turrian & Maldonat le maintiennent.*

tam fuiſſe Monachorum Dominicanorum artificio. Maldonati Epiſtolarum MSS. à viginti aut triginta annis Pariſiis editarum, ferè omnia exemplaria rapuere Jeſuitæ.

Maldonati mens conſtat adhuc Commentariis ſacræ Facultatis, ubi hæc habentur *Anno Domini M. D. LXXIV. Joannes Maldonatus legebat libros ſententiarum Pariſiis in Collegio Claromontano, & acriter diſputabat adverſus ſacram Facultatem Theologiæ Pariſienſis de Immaculata Conceptione B. Virginis, eandem Facultatem reprehendens quod ſacramentum exigeret à ſuis ut tenerent tanquam de fide Beatam Virginem ſine peccato originali eſſe conceptam. His de cauſis Rector Pariſienſis Academiæ convocavit quatuor Facultates quæ uno conſenſu ſtatuerunt habendam eſſe expoſtulationem adverſus Maldonatum, coram Reverendiſſimo Domino Petro Gondio. Facultas autem Theologica cum alumnorum mentem & ſententiam de avitâ doctrina & fide reſcire vellet Comitia indixit ſub juramento omnibus ſcholæ Magiſtris anno Domini M. D. LXXV. menſis Februarii 15. quibus in Comitiis omnes Magiſtri, octo aut novem exceptis qui à Partibus Domini Epiſcopi Pariſienſis erant, conceptis verbis declararunt ſe de fide tenere B. Virginem conceptam ſine maculâ originali. His de cauſis Dominus Pariſienſis Epiſcopus Cenſuram diſtrinxit adverſus Rectorem & præcipua ſuppoſita Pariſienſis Academiæ. Ubi vero magnos inde motus excitari vidit, mutatâ ſententiâ nominatim excommunicavit Magiſtros Adamum Sequart Decanum, & Jacobum Fabrum Syndicum ejuſdem Theologicæ Facultatis. Pro quibus de eadem excommunicatione ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu appellarunt omnes Facultates Univerſitatis. Quâ de cauſa acta frequentia facta ſunt & ad ſummum Pontificem directa ſine ſucceſſu: Senatus autem improbavit Sententiam Domini Epiſcopi Pariſienſis.* Ex eo tempore Jeſuitæ aliter ſenſerunt ac primi Societatis Doctores & Concilium Tridentinum, ut conſtat ex Turriani & Maldonati teſtimonio.

PRESCRIPTION VIII.

La methode qu'il faudroit faire tenir aux Jeſui-

PRÆSCRIPTIO VIII.

Methodus ac ratio quam Jeſuitæ inire cogeren-

[a] *A Paris*] Editionem illam Pariſienſem non vidimus. In Bibliothecâ Scriptorum Societatis Jeſu pag. 476. recenſetur tantùm Editio Lugdunenſis ſine Typographi nomine, Vulgata anno 1614. Tom. 2. in 4°. Auctores Bibliothecæ ajunt *nec Maldonati nec ullius de Societate eſſe hæc opera, & ſuos etiam errores continere.* At qui operum hujus elaboravit in fol. anno 1677. Pariſiis, genuinum hæc eſſe Maldonati fœtum invictis argumentis in Præfatione commonſtrat.

[b] *Maldonat*] Conſule Bulæi Hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis Tom. VI. pag. 738. & ſeq. ubi multa de hac Concertatione, & Epiſtolam 17. am Tomi 2. Epiſtolarum Simonis, qui illam fuſius explicat,

Jeſuites ; ou à d'autres gens pour déſinir la Conc. immaculée de la Vierge, leur ſeroit très-inutile & même contraire à leurs deſſeins. Il faudroit les obliger à mettre en avant les paſſages de l'Ecriture Ste. qu'ils penſeroient ſervir à la déſinition, & puis il ſaudroit les obliger de garder cet article de la profeſſion du Concile de Trente ; Item ſacram ſcripturam juxta illum ſenſum quem tenet & tenuit Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto ; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor. *Cette Preſcription eſt neceſſaire & ne peut être refuſée par un Docteur Catholique, de plus elle eſt très-bonne & très-efficace pour arreſter les emportemens de ceux qui veulent faire des déſinitions ſelon leur caprice.*

PRESCRIPTION IX.

Elle ſera priſe de l'Egliſe Romaine & de ceux qui l'ont gouvernée. S. Leon au Serm. 1. de la Nativ. de N. S. chap. 1. Una cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum a reatu liberum reperit ; ita pro liberandis omnibus venit. *S. Leon n'excepte perſonne, & N. D. par conſequent eſt compriſe dans l'une & l'autre propoſition de ce Pape, comme ſon Pere & ſa Mere, & le reſte des hommes.*

Le même au Serm. 2. de la Nativité de N. S. cap. 3. Quod ut fieret ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine : quam non humanus coïtus, ſed Spiritus ſanctus fœcundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio, hæc inde purgationem traxit unde concepit. *Il n'y a que la ſeule conception de J. C. exemte de peché.*

Le même au Serm. 4. de la même Nativité, cap. 3. Terra carnis humanæ quæ in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc ſolo B. Virginis partu germen edidit benedictum, & a vitio ſuæ ſtirpis alienum. *Cela eſt fort clair & net, tant pour la Vierge que pour les autres.*

Le même au Serm. 5. de la même Nativité, cap. 5. De ſola conditione naſcendi una cunctis eſt cauſa peccandi. Solus itaque inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus. *Il n'y a rien de plus manifeſte & de moins obſcur que ce paſſage circonſtancié, & par la concupiſcence, & par une particule excluſive reïterée par deux fois.*

Gelaſe I. dans l'Epitre 5. à tous les Evêques de la Province, nommée Picenum : Quicquid iſti genitores (*parlant des premieres parens*)

PRÆSCRIPTIO IX.

Hanc firmat Eccleſiæ & ipſius rectorum Auctoritas. J. Leo ſermone in natali Domini cap. 1. *Una cunctis lætitia communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit ; ita pro liberandis omnibus venit.* Neminem excipit Leo. Sic Virgo ; Parentes ipſius & reliqui homines in utroque Pontificis argumento contrahuntur.

Idem Sermone 2. in natali Domini cap. 3. *Quod ut fieret ſine virili ſemine editus eſt Chriſtus ex Virgine : quam non humanus coïtus, ſed Spiritus ſanctus fœcundavit. Et cum in omnibus matribus non fiat ſine peccati ſorde conceptio, hæc inde purgationem traxit unde concepit.* Unus Chriſti Conceptus peccato immunis declaratur.

Idem Sermone 4. in natali Domini cap. 3. *Terra carnis humana qua in primo fuerat prævaricatore maledicta, in hoc ſole B. Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſua ſtirpis alienum.*

Idem Sermone 5. in eodem natali cap. 5. *De ſola conditione naſcendi una cunctis eſt cauſa peccandi. Solus itaque inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentia pollutione conceptus.* Quid clarius minuſvè obſcurum hoc loco, ubi concupiſcentia & particula excludens bis iterata, tam lucidè exprimuntur.

Gelaſius I. Epiſt 5. ad omnes Piceni Epiſcopos. *Quidquid iſti genitores* [ſermo eſt de primis parentibus] *de ſuo germine protulerunt,*

rens) de ſuo germine protulerunt. opus quidem Dei eſt ſecundum inſtitutionem naturæ, ſed non abſque contagio mali, quod ſua prævaricatione traxerunt. *Ce Pape n'exclud perſonne de la poſterité d'Adam, & il y enſerme tout le monde, & par conſequent N. D.*

Le même dans l'ouvrage qu'il a fait contre Pelagius, Immaculati agni proprium eſt nullum prorſus habuiſſe peccatum. *Ces paroles excluent la Vierge, en ſorte que l'on peut dire ſelon ce Pape, qu'elle a peché originairemment de même que le reſte des hommes.*

S. Gregoire I. Pape au liv. 18. *des Morales ſur Job, cap.* 27. Nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, ut cum Propheta dicamus: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, [p] & in peccatis concepit me mater mea; Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt qui ut ipſam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. *Et la Vierge a été conçeue*, ex commixtione carnalis copulæ, *comme le reſte des hommes.*

Le Clergé Romain, le Siege vacant, aprés la mort du Pape Honoré I. en une Lettre qu'il écrit aux Evêques d'Angleterre, dans le Livre 3. *de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de Bede, cap.* 19. Et primum quidem blaſphemia & ſtultiloquium eſt dicere hominem eſſe ſine peccato quia omninò non poteſt niſi unus mediator Dei & [q] hominum Chriſtus Jeſus, qui ſine peccato eſt conceptus & [r] natus, nam cæteri homines cum peccato originali naſcentes teſtimonium prævaricationis Adæ, [s] etiamſi ſine peccato actuali exiſtentes portare noſcuntur ſecundum Prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *La Vierge doit être cenſée compriſe dans ce diſcours, puis qu'elle n'eſt pas exemtée & qu'elle ne le peut être, ſans changer le diſcours du Clergé Romain, qui ſuivoit la tradition de ſon Egliſe.*

Innocent III. au Sermon 1. *de la Purification de N. D.* Non enim Author fidei concipi potuit de incredula, ideòque, primam viam ſcilicet conſenſum virginis oportuit præparari: ſtatim autem Spiritus Sanctus ſupervenit in eam; prius quidem in eam venerat, cum in utero matris animam ejus ab originali peccato mundavit, ſed & nunc ſupervenit in eam ut carnem ejus à fomite peccati mundaret quatenus eſſet prorſus ſine rugâ & macula.

Le meſme au Serm. 2. *de S. Jean [t] Baptiſte,*

runt, opus quidem Dei eſt ſecundum inſtitutionem naturæ, ſed non abſque contagio mali, quod ſua prævaricatione traxerunt. Nullum ex Adami poſteris excludit Pontifex, omnes & ſic virginem eodem ordine habet.

Idem in Lib. contra Pelagium, *Immaculati agni proprium eſt nullum prorſus habuiſſe peccatum.* His verbis Maria removetur, unde, ſi Pontifici fides habenda, primigenio peccato ut cæteri homines inquinata fuit.

Gregorius I. Papa Lib. 18. Moralium in Job cap. 27. *Nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, ut cum Propheta dicamus: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea; Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt qui ut ipſam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt.* Et virgo concepta eſt *ex commixtione carnalis copulæ*, ut reliqui homines.

Clerus Romanus, Sede vacante, poſt mortem Honorii I. in Epiſtola ad Angliæ Epiſcopos Lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſ. Bedæ cap. 19. *Et primùm quidem blaſphemia & ſtultiloquium eſt dicere hominem eſſe ſine peccato quia omninò non poteſt niſi unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui ſine peccato eſt conceptus & natus, nam cæteri homines cum peccato originali naſcentes teſtimonium prævaricationis Adæ, etiamſi ſine peccato actuali exiſtentes portare noſcuntur ſecundum Prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* In eo Sermone Virgo contenta credenda eſt, cum non excipiatur nec excipi poſſit quin verba immutentur Cleri Romani qui Eccleſiæ ſuæ traditioni inhærebat.

Innocentius III. Sermone de Purificatione Virginis. *Non enim Author fidei concipi potuit de incredula, ideòque, primam viam ſcilicet conſenſum virginis oportuit præparari: ſtatim autem Spiritus Sanctus ſupervenit in eam; prius quidem in eam venerat, cum in utero matris animam ejus ab originali peccato mundavit, ſed & nunc ſupervenit in eam ut carnem ejus à fomite peccati mundaret quatenus eſſet prorſus ſine rugâ & macula.*

Idem Sermone de S. Joanne Baptiſta *Concipies*

[p] *Et in peccatis &c.*] Ita legitur apud San-Marthani editionem. *in delictis peperit me &c.* pag. 598. Lib. XVIII. in Cap. XXVIII. Beati Job. Tom. I.

[q] *Hominum*] Adde, *homo.*

[r] *Natus*] Emenda ſic, *partus.*

[s] *Etiamſi*] Lege, *etiam.*

[t] *Baptiſte*] Hæc addenda: *Maria mari prædicitur: Ecce Concipies &c.*

tiſte. Concipies in utêro & paries filium, & vocabis nomen eius Jeſum: [u] Cur hoe niſi quod Joannes fuit conceptus in culpâ, ſolus autem Chriſtus fuit ſine culpa conceptus; uterque vero natus in gratia, & ideò utriuſque nativitas colitur ſed ſolius Chriſti conceptio celebratur.

Le meſme au Serm. de l'Aſſomption. Illa (Eva) fuit ſine culpa producta, ſed produxit in culpam; hæc (Maria) fuit in culpa producta ſed ſine culpa produxit. *Voilà des Antitheſes qui ſont faciles à entendre. Ce ſçavant Pape parle partout ſelon la tradition de ſon Egliſe.*

[x] *Innoncent V. ſur le 3. des Sent. diſt. 3. où il explique 4. degrez de ſanctification.* Tertius gradus, *dit-il*, non fuit conveniens B. Virgini quia talis fuit Joanni & Jeremiæ; & quia non conveniens fuit tantæ Virgini, ut diu morata ſit in peccato. Quartus verò gradus videtur conveniens & piè credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut cito poſt animationem vel in ipſo die, vel hora, quamvis non ipſo momento ſanctificata fuerit.

L'Egliſe Romaine fait la feſte de la Sanctification, & non pas de la Conception. Apud Alvarum Pelagium in lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 52. Romana Eccleſia, *dit-il*, feſtum Conceptionis non agit, etſi tolorat quod alicubi fiat, maximè in Anglia, non tamen approbat, quia quod permittitur non approbatur. In IV. diſt. denique 21. quæſtio. 1. hac ratione, illud feſtum debet referri ad ſanctificationem, non ad Conceptionem, ut dictum eſt; & ita dicit oratio quæ dicitur in hoc Romæ feſto in Sancta Maria Majori Deus, qui ſanctificationem Virginis, &c. Sicut vidi & audivi cum ibi de iſta ſanctificatione prædicarem in iſto ſeſto Sanctificationis quod fit in Decembri ante ſeſtum [y] Nativitatis.

Jean XXII. ou Benoiſt XII. dans un Livre manuſcrit de Sermons qui eſt dans la Bibliot. du Card. Mazarin, au Sermon 1. de l'Aſſomptian. Primò ergo videndum eſt de tranſitu ejus. Tranſivit enim primò de ſtatu originalis culpæ. Secundò de ſtatu filiationis ad maternalem honorem. Tertió de ſtatu miſeriæ ad ſtatum gloriæ: *Il faut remarquer qu'à la fin des Sermons de ce MS. on trouve ces mots;* Explicit Sermo

cipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: Cur hoc niſi quod Joannes fuit conceptus in culpâ, ſolus autem Chriſtus fuit ſine culpa conceptus; uterque vero natus in gratia, & ideò utriuſque nativitas colitur, ſed ſolius Chriſti conceptio celebratur.

Idem Sermone de Aſſumptione. *Illa (Eva) fuit ſine culpa producta, ſed produxit in culpam; hac (Maria) fuit in culpa producta ſed ſine culpa produxit.* En Antitheſes quarum ſenſum facilè aſſequaris. Ubique Doctus Pontifex verba ad Eccleſiæ traditionem exigit.

Innocentius V. in 3. Sentent. Diſt. 3. ubi quatuor *Sanctificationis* gradus explicat. *Tertius gradus*, inquit, *non fuit conveniens B. Virgini, quia talis fuit Joanni & Jeremia; & quia non conveniens fuit tanta Virgini, ut diu morata ſit in peccato. Quartus verò gradus videtur conveniens & piè credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut cito poſt animationem vel in ipſo die, vel hora, quamvis non ipſo momento ſanctificata fuerit.*

Eccleſia Romana *Sanctificationis*, non Conceptûs feſtum diem celebrat. *Apud Alvarum Pelagium in Lib. 2. de planctu Eccleſia cap. 52. Romana Eccleſia*, inquit, *feſtum Conceptionis non agit, etſi toleras quod alicubi fiat, maximè in Anglia, non tamen approbat, quia quod permittitur non approbatur. In IV. diſt. demque 21. quaſtio. 1. hac ratione; illud feſtum debet referri ad ſanctificationem, non ad Conceptionem, ut dictum eſt; & ita dicit oratio qua dicitur in hoc Roma feſto in ſancta Maria Majori Deus, qui ſanctificationem Virginis, &c. Sicut vidi & audivi cum ibi de iſta ſanctificatione prædicarem in iſto feſto Sanctificationis quod fit in Decembri ante feſtum Nativitatis.*

Joannes XXII. aut Benedictus XII. in MS. Sermonum qui extant in Bibliothecâ Mazarinæâ Sermone 1. de Aſſumptione. *Primo ergo videndum eſt de tranſitu ejus. Tranſivit enim primò de ſtatu originalis culpa. Secundò de ſtatu filiationis ad maternalem honorem. Tertiò de ſtatu miſeria ad ſtatum gloria:* Notandum eſt ſub finem MS. Hæc reperiri: *Explicit Sermo Domini Papa reportatus per ſua Sanctitatis ſervum Fratrem*

[u] *Cur hoc niſi quod*] Hæc omnia deleri debent, lege tantùm, *quia.*

[x] *Innocent V.*] Allatam Innocentii V. auctoritatem elevat Thevetus libro jam memorato p. 192.: Commentarii in Magiſtrum Sententiarum ſcripti ſunt quidem ab Innocentio, ſed cum adhuc eſſet Dominicanus nomine Petrus Tarantaiſius; Sic non tanquam Pontifex, ſed tanquam privatus doctor, teſtis adhibendus eſt Innocentius.

[y] *Nativitatis*] Lege, *Natalis per quindecim dies.*

[z] *Jean XXII.*] Pontificis auctoritatem ſic irritam facit Thevetus p. 192. Quamvis dubium ſit an Joannes XXII. ſcripſerit has conciones, nonnullis videtur, nondum ad Pontificatum avectum fuiſſe, cum eas prononciavit. Alii ſentiunt Thomæ Doctrinam ab eo acceptam fuiſſe, ut moleſtiam crearet Franciſcanis ſtantibus ab Ludovico Bavariæ Principe, quam anathemate percuſſerat. Tandem plures contendunt multos errores imbibiſſe, omneſque contendunt hunc Millenariorum errori faviſſe.

Domini Papæ reportatus per ſuæ Sanctitatis ſervum Fratrem Raimondum Procuratorem Ordinis Minorum.

Le Saint Siege étoit oppoſé à l'opinion de la Conception immaculée, comme nous apprend Jean Baccon, Docteur en Theologie de l'Ordre des Carmes. C'eſt au lieu ſus-allegué. Quinta particula eſt quod dicere quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret originale temerarium eſt & contra Canonicas Sanctiones Decretorum & Sedis Apoſtolicæ.

[aa] *Clement VI. dans un Sermon du premier Dimanche de l'Advent*, utrum contraxerit in forma peccatum originale aut virtute divina fuerit præſervata; ſunt penes Doctores opiniones diverſæ, & tamen quicquid ſit, quod ſi etiam in forma non ſolum in cauſa peccatum originale habuit quod adhuc de ejus Conceptione poſſumus valdè rationabiliter ſuſtinere, ſuppono tamen ſecundum communem opinionem quod B. Virgo fuit in peccato originali modica morula quia ſecundum omnes quam primum potuit ſanctificari ſanctificata fuit. *Le Pape, qui étoit Docteur en Theologie de Paris, retient l'ancienne opinion du Saint Siege, & remarque l'opinion contraire qui avoit commencé quelque tems auparavant: Il vivoit l'an* 1345. *& Scot étoit mort en* 1308.

Après Clement VI. la tradition du Saint Siege a commencé à ſouffrir de la diminution: Car Sixte IV. ayant été Cordelier, fit marcher d'un pas égal, la nouvelle doctrine de ſon Scot, avec la tradition du S. Siege & de l'Eg. Rom. ſe perſuadant que cette tradition étoit l'opinion des FF. Preſcheurs. Quelle impudence & quel mépris du Saint Siege & de ſes Predeceſſeurs! Il approuva un [bb] Office *de la Conception, compoſé par un nommé Leonard de Nogarolis, que l'Egliſe Romaine ne voulut point recevoir, comme il paroiſt par la lettre* de ſacris Romanæ Eccleſiæ Ritibus, *que Chriſtophe Marcel Archeveſque de Corfou compoſa du tems de Leon X. & qu'il lui dedia l'an* 1516. *On marque dans ce Livre les feſtes de N. D. ſçavoir la Purification, l'Annonciation, la Viſitation, l'Aſſomption & la Nativité; & on n'y parle point de la Conception. C'eſt un reſte de la Tradition de l'Egliſe Romaine que* [cc] *les Papes qui ſont venus après, ont*

Raimondum Procuratorem Ordinis Minorum.

Sedes Apoſtolica Opinioni de immaculato virginis Conceptu adverſabatur, ut tradit loco jam allato Joannes Bachon Carmelita, Doctor Theologus; *Quinta particula eſt quod dicere quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret originale temerarium eſt & contra Canonicas Sanctiones Decretorum & Sedis Apoſtolicæ.*

Clemens VI. Sermone Dominicæ I. Adventûs; *Utrum contraxerit in forma peccatum originale aut virtute divina fuerit præſervata; ſunt penes Doctores opiniones diverſæ, & tamen quicquid ſit, quod ſi etiam in forma non ſolum in cauſa peccatum originale habuit quod adhuc de ejus Conceptione poſſumus valdè rationabiliter ſuſtinere; ſuppono tamen ſecundum communem opinionem quod B. Virgo fuit in peccato originali modica morula quia ſecundum omnes quam primum potuit ſanctificari ſanctificata fuit.* Pontifex ille qui fuit Theologus Pariſienſis, Apoſtolicæ Sedis antiquam opinionem retinet; contrariamque paucis jam ante diebus enatam, deſignat: Vitam agebat anno 1345. Scotus autem ſupremum diem obierat anno 1308.

Poſt Clementem VI. Sedis Apoſtolicæ Traditio imminuta ac deformata eſt. Sixtus enim quartus Franciſcanus æquali ordine habuit novam Scoti doctrinam, & Sedis Apoſtolicæ Eccleſiæque Romanæ Traditionem, perſuaſum habens non aliam eſſe hanc Traditionem quam Prædicatorum opinionem. O impudentiam! O ſummum erga Sedem Apoſtolicam & deceſſores Pontifices contemptum! Approbavit etiam Officium de Conceptione à quodam Leonardo de *Nogarolis* ſcriptum, quod Eccleſia Romana ſuſcipere noluit, ut conſtat ex Epiſtolá *de ſacris Romanæ Eccleſiæ* Ritibus, quam ætate Leonis X. & Pontifici anno 1515. dicatam, ſcripſit Chriſtophorus Marcellus Corcyranus Archiepiſcopus. In eo opuſculo notantur feſti dies Mariæ ſacri, nempè Purificatio, Annunciatio, Aſſumptio & natalis dies; De conceptu omninò ſiletur. Quod habendum eſt ut reliquiæ Traditionis Eccleſiæ Romanæ, quam traditionem ſedentes poſtea Pontifices obſcurarunt ac dele-

[aa] *Clement VI.*] Quando conſtaret, *inquit Thevetus* pag. 392 Petrum Rogerium concionem illam habuiſſe, cum in Cathedrâ Petri ſedebat, [nonnulli enim prius dictam volunt] non eſſet illius autoritas ſuſcipienda, eo quod incertis verbis exprimatur.

[bb] *Office de la Conception*] Hoc etiam officium probavit Urbanus IV. At reprobavit Pius V. Habetur etiam decretum Sacræ Inquiſitionis anni 1678. ubi officium illud rejicitur.

[cc] *Les Papes*] Hoc falſum eſſet, ſi Inquiſitionis ſacræ decretum emiſſum anno 1644. penitùs conſtaret. In eo decernitur *quod quando agitur de tribuendo titulo Immaculatæ Conceptionis B. Virgini nullo modo permittatur, ſed ſolùm dicatur Conceptio Immaculatæ Virginis.* At decretum iſtud fictitium eſſe & ab adverſariis elaboratum cum Fraſſeno contendit Thevetus p. 215. Huc ſpectat nota quædam MS. quam in exemplari operis ſui impreſſo quod penes ſe retinuerat Launoius, reperii: *Nec Eccleſia nec Pontifices, immaculatum Virginis Conceptum de fide tenendum docent. Tanquam opinionem dubiam, agitandum proponunt; Neſcio an auctoritate Eccleſiæ vel Pontificum, Conceptioni immaculatæ ara ulla*

Digitized by Google

vut bien & deuëment enſevelie, & entr'autres Alexandre VII. qui dans une Conſtitution qu'il a faite de cette matiere, employe toutes les Objections que S. Bonaventure & autres Docteurs ſe ſont faites pour la Conception immaculée, & auſquelles ils ont répondu; Il les employe, dis-je, pour montrer de quel coté il panche, & neanmoins il ſe reduit à la Conſtitution de Sixte IV. qui a été, comme il prétend, autoriſée par le Concile de Trente.

PRESCRIPTION X.

Saint Bernard s'eſt ſervi d'un moyen qui n'étoit point pertinent, pour empêcher qu'on ne fit la feſte de la Conception; c'eſt dans l'Epître aux Chanoines de Lion; où il dit que la Fête de la Conception étoit contraire à la créance qu'on avoit que la Vierge étoit conçuë en peché originel: & cela n'eſt pas vrai, parce qu'il y a le Martirologe d'Uſuard & d'Adon Archevêque de Vienne, & dans un ancien Martirologe appellé [dd] *Romain, que cet Auteur a mis au commencement du ſien pour lui ſervir de guide. Il y a dis-je dans ces trois Martirologes le 24. Septembre*, Conception Joannis Baptiſtæ. *Dans le* [ee] *Menologe des Grecs que nous a donné Genebrard, on voit le 23. Septembre*, Conceptio Joannis Baptiſtæ. *On vois encore le 9. Decembre*, Conc. B. Annæ Dei & Domini Avæ. *Car il eſt à croire que ce mot*, Conc. *veut dire*. Conceptio. *On voit encore cela dans le Martyrologe d'Uſuard imprimé à Veniſe l'an* 1549. Secundum morem Romanæ Eccleſiæ. *Mais on ne le vois plus dans le même Martyrologe* [ff] *imprimé par les ſoiens de* Petrus Galeſinius, *qui l'a oſté du temps du Pape Gregoire XIII. de peur que cette feſte ne nuiſiſt à la Conception de N. D. & on n'en peut pas dire d'autres raiſons: Molanus dans la* [gg] *premiere Edition du Martyrologe d'Uſuard l'a oſté pareillement: Mais il l'a remis dans la* [hh] *ſeconde; & il eſt certain d'ailleurs que l'on a fait dans l'E-*

deleverunt, præſertim Alexander VII. qui in decreto hac de re condito, ea omnia refert quæcumque Bonaventura aliique Doctores, ſibimet objecere in gratiam conceptus immaculati. Hæc inquam refert commonſtrandi cauſâ quam in partem inclinet. Attamen Sixti IV. decreto inhæret, quod, ut intendit, auctoritate ac ſuffragio Concilii Tridentini munitum ac defenſum eſt.

PRÆSCRIPTIO X.

Bernardus in Epiſtolâ ad Canonicos lugdunenſes rationem adhibuit minus potentem ne feſtum Conceptûs celebraretur; propugnat feſtum illud obeſſe communi opinioni de maculato virginis conceptu. Quod falſum eſt, Etenim in Martirologiis Uſuardi, & Adonis & Romano quod tanquam facem ac ducem initio Martirologii ſui præfixit Ado, hæc leguntur. Die 24. Septembris, *Conceptio Joannis Baptiſta.* In Græcorum Menologio à Genebrardo edito legitur. Die 23. Septembris, *Conceptio Joannis Baptiſta.* Legitur etiam die 9. Decembris, *Conc. B. Anna Dei & Domini avia.* Veriſimile eſt hoc verbo *Conc.* intelligi *Conceptionem*. Idem habetur in Uſuardi Martirologio, Venetiis edito anno 1549. *Secundum morem Romana Eccleſia.* Quód tamen deſideratur in eodem Martyrologio edito curis *Petri Galeſinis*, qui hæc verba Gregorii XIII. ætate ſuppreſſit, ne feſtus ille dies, Conceptui Virginis obeſſet. Nullæ enim aliæ ſuppreſſionis rationes afferri poſſunt. Galeſinii exemplum Sectatus eſt Molanus in priori editione Uſuardi Martytologii: at in Secundâ, feſtum Conceptionis Joannis recenſuit, quod feſtum diu in Eccleſiâ priùs celebratum eſt, quàm feſtum celebraretur conceptûs virginis, quod in nullo veteri Martyrologio reperias. Cum allata à Bernardo ratione induceretur nova feſtivitas, debilis ac infirma ſit, ſic nullius eſt ponderis ac pretii, Contraquàm

ulla unquam dicata ſit. E contra hoc poſſum affirmare, in id ſedulò incumbere, ne in officio Publico Eccleſiaſtico, Conceptio dicatur immaculata. Sic cum Dux Hiverneuſium, equitum ordinem inſtituiſſet, & dixiſſet ordinem Conceptionis immaculatæ. Hunc ordinem anno 1624. confirmavit Urbanus VIII. ed lege ut titulus immutaretur, & diceretur ordo glorioſæ Conceptionis Virginis immaculatæ. Qua vox [immaculatæ ſcilicet] *in admirandum partum cadit potiùs quam in conceptum quem Pontifex inter opiniones dubias recenſet.* Fatendum eſt tamen factum illud Urbani VIII. non commemorari apud Spondanum * qui in proluſione ad Seculum XVII. anno 1624. N. 14., ordinem illum annumerat; nec apud Petrum Courcier Societatis Jeſu in libro cui titulus: *Negocium Seculorum Maria &c.* Nec in Hiſtoriâ Gallicâ Ordinum Monaſticorum, Religiuſorum & militarium auctore P. Helyot tertii Ordinis pœnitentium S. Franciſci Sacerdote. Cum autem Launoius aliquandiù Romæ commoratus ſit, cur narranti fidem deneges?

* Contin. Annalium. Baronii T. 2.

[dd] *Romain*] Hujus monumenti auctoritatem imminutam credit Thevetus p. 286. quod doctorum calculis & præſertim Valeſii, ante Martyrologium Sixti IV. & etiam deceſſoris Gregorii XIII. nullum eſſet proprium Eccleſiæ Romanæ, conſtanti uſu receptum, aut Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſcriptum & vulgatum. Minus ſibi cohæret Thevetus, dum ait per elapſa priùs ſecula, unamquamque Eccleſiam, uſam eſſe, antiquo quodam Martyrologio. Quid vetat quominus Romanum dicatur, quod conſtanter recitatum fuiſſet in Eccleſiâ Romanâ?

[ee] *Menologe*] Si bonæ illi Theveto fides adhibeatur, injuriam facit Launoius Eccleſiæ Romanæ, Menologium Græcorum appellans. Hinc, *inquit* p. 286., omnium Eccleſiarum matris conſilium exigitur, ad opiniones Eccleſiarum particularium; quaſi non liceat earum diſciplinam revocare.

[ff] *Imprimé*] Anno ſcilicet 1578. Mediolani in 4°. Non habetur etiam feſtum Conceptionis in Martyrologio edito apud Germanos in 8°. anno 1537.

[gg] *Premiere edition*] Anno ſcilicet 1513. Lovanii in 8°.

[hh] *Seconde*] Anno nempe 1568. ibid. in 8°.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

l'Egliſe la feſte de la Conception de S. Jean Baptiſte, long-temps auparavant qu'on fiſt celle de N. D. qui ne ſe trouve dans aucun ancien Martyrologe. Et comme S. Bernard s'eſt ſervi d'un moyen qui n'eſt pas pertinent, pour empêcher ce qu'il vouloit empêcher; auſſi il n'eſt pas pertinent comme pluſieurs s'imaginent fauſſement, pour prouver que la Vierge a été concouë ſans peché; car S. Jean Baptiſte a été conçû en peché, & neanmoins on a fait durant pluſieurs Siecles la feſte de ſa Conception; & cela ſe confirme par une Preface que l'on diſoit autrefois dans la feſte de la Conception de Noſtre Dame, la voici, Æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, cujus Virginis Matris Conceptionis ſolemnia devotis mentibus recolentes tuæ magnificentiæ præmia non tacemus, quam ante ortum ita ſanctificaſti, ante Conceptum ſic Spiritus ſancti illuſtratione & virtute altiſſimi obumbraſti, ut templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, mundi Domina, Cœli Regina, ſponſa Chriſti unici Filij tui actu Mater effici, & poſt partum Virginitate inſigni perpetualiter meruiſſet decorari & ideo, &c.

quàm nonnulli falſo judicant, ad probandum virginis Conceptum immaculatum, Etenim Joannnes Baptiſta in peccato conceptus eſt; Attamen per multa Sæcula feſtum conceptus ipſius celebratum eſt. Quæ Dixi rata ac firma probantur, *ex Præfatione* quæ olim recitabatur in die feſto Conceptûs B. Mariæ Virginis, quam *Præfationem* hîc habes. *Æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, cujus Virginis Matris Conceptionis ſolemnia de votis mentibus recolentes tua magnificentia præmia non tacemus, quam ante ortum ita ſanctificaſti, ante Conceptum ſic Spiritus ſancti illuſtratione & virtute altiſſimi obumbraſti, ut templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, mundi Domina; Cæli Regina, ſponſa Chriſti unici Filij tui actu Mater effici, & poſt partum Virginitate inſigni perpetualiter meruiſſet decorari & ideo, &c.*

PRESCRIPTION XI.

L'Univerſité de Paris, & quelques autres Univerſitez enſuite, ne ſe ſont engagées par ſerment dans l'opinion de la Conception immaculée, que ſur un Decret du Concile de Baſle, qui fut fait après que le Pape Eugene IV. eut transferé le Concile à Ferrare; & que ce Pape fut dépoſé par ceux qui reſterent à Baſle: & après qu'une partie de ce Concile l'euſt quitté pour aller à Ferrare. Toutes ces Univerſitez-là qui tenoient le Pape bien au deſſous du Concile, & bien faillible, en ont-elles uſé comme cela? ce qui n'eſt ou ſçeu ou conſideré par ceux qui ſe ſervent de ce Concile, pour autoriſer la Concept. immaculée de la Vierge. Qui plus eſt, les Univerſitez ſuſdites qui la tenoient pour un Article de Foi, mépriſoient fort les Conſtitutions de Sixte IV. qui tenoient les deux opinions problematiques. La Lettre de Maldonat confirme cela dans la Preſcription ſeptiéme, où les Docteurs en Theologie de Paris continuent à tenir le Decret du Concile de Baſle, nonobſtant celui de Trente. Calvin confirme dans ſon Antidote, ce que nous venons de dire. Si hodie, *dit-il*, Pariſienſi Sorbonæ allatum foret Tridentinos Patres ab ipſius decretis vel uno à puncto diſcrepare, ſtatim calefactis cerebris ad prælium concurrerent Magiſtri noſtri, nec modo Concilii authoritatem pro nihilo ducerent, ſed unumquemque lacerarent atrociſſimis convitiis.

Voila

PRÆSCRIPTIO XI.

E decreto Baſileenſis Synodi natum eſt juramentum illud quo Univerſitatis Pariſienſis, aliarumque compluriuin alumni, à Virginis immaculato conceptu ſtare profitentur, at vero conditum eſt dicretum, poſtquam Concilium Ferrariam tranſlatum eſſet ab Eugenio IV. poſt quam Pontificatu à Patribus Baſileæ remanentibus, ſpoliatus fuit, & cum plurimi Epiſcopi Concilio di ceſſiſſent ut Ferrariam convenirent. Omnes illæ Univerſitates, quæ Papam Concilio inferiorem & errori obnoxium judicabant, hanc ne rationem & viam iniere? Hæc ignorantur aut minime expenduntur ab iis qui ſeſe Concilii autoritate tuentur, ut major fides accedat ad opinionem de Conceptu immaculato. Quinimò memoratæ Univerſitates, qui hunc inter dogmata fidei accenſebant, contemptui ſummo habuere, decreta Sixti IV. qui utramque opinionem dubiam & incertam declaravit. Id confirmatur ex Epiſtolâ Maldonati memoratâ in Præſcript. 7ª., ubi Theologi Pariſienſes relicto Tridentino, Concilium Baſileenſe conſtanter amplectuntur. Quæ diximus, firmat Calvinus in *Antidoto Si hodie*, inquit, *Pariſienſi Sorbonæ allatum foret Tridentinos Patres ab ipſius decretis vel uno à puncto diſcrepare, ſtatim calefactis cerebris ad prælium concurrerent Magiſtri noſtri, nec modo Concilii authoritatem pro nihilo ducerent, ſed unumquemque lacerarent atrociſſimis convitiis.*

Habes

Voila onze Preſcriptions qui peuvent arreſter la fureur des Jéſuites & des Eſpagnols, pour ce qui regarde la Conception de nôtre-Dame: il y a une choſe qui regarde le Concile de Trente, & qui eſt très-importante pour cette matiere. Voici ce que c'eſt.

Quand les ſix premieres Seſſions du Concile de Trente furent achevées, on en imprima à Paris les Decrets, l'an 1546. *chez Regnault Chaudiere. On ne trouva point après le Decret du peché originel l'exception qu'on trouve dans l'impreſſion de Rome,* 1564. Declarat ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto ubi de peccato originali agitur Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem ſed obſervandas eſſe conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis quas innovat. *Cette exception ou déclaration n'eſt point dans l'impreſſion de Paris, de l'an* 1546. 1551. *&* 1555. *ni dans la Somme des Conciles de Carranza, ni dans Petrus Crabbus dans l'édition des Conciles de l'an* 1550. *Les deux Hiſtoriens du Concile Frapaolo, & le Cardinal Palavicin, n'ont connû que l'impreſſion de Rome de l'an* 1564. *& autres ſuivantes; & neanmoins comme ſe peut-il faire qu'on ait reſolu dans le Concile, au temps de la Seſſion* 4. *cette exception ou déclaration, & qu'on ne l'ait pas imprimée, & que l'on ne ſe ſoit pas oppoſé aux impreſſions où cette exception ou déclaration ne paroit point? Il s'enſuit delà que la Vierge a été compriſe dans le Decret du peché originel, comme les autres hommes, & qu'il le falloit croire, depuis l'an* 1546. *juſqu'à* 1564. *qu'il n'a plus été neceſſaire de le croire, par la liberté que le Concile en donne ſur les Conſtitutions de Sixte IV. Pour invalider les impreſſions marquées ci-deſſus, il faudroit apporter quelqu'impreſſion faite* [ii] *avant l'année* 1564. *C'eſt un travail digne de la Congregation du Concile, des Cordeliers, des Jeſuites & conſors. Car ils auroient bien perdu leur cauſe ſi les impreſſions du Decret du Concile des années* 1546. 1551. *&* 1555. *demen-*

Habes undecim præſcriptiones quæ in rebus ad Conceptum Virginis ſpectantibus, Jeſuiticum ac Hiſpanum furorem coercere valent. Attamen hac in re momentum eſt maximum ad Tridentinam Synodum pertinens, quod ſic expendo.

Ubi ſex prioribus Tridentini Concilii ſeſſionibus finis impoſitus eſt, Decreta Pariſiis edita ſunt anno 1546. apud Reginaldum Chaudiere. Ad Calcem decreti de peccato originali, non eſt inventa exceptio quæ habetur in Editione Romanâ anni 1564. *Declarat ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto ubi de peccato originali agitur Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem ſed obſervandas eſſe conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis quas innovat.* Exceptio illa ſeu declaratio deſideratur etiam in editionibus Pariſienſibus annorum 1546. 1551. & 1555., in Summâ Conciliorum quam vulgavit Carranza; apud Petrum Crabbum in Collectione Conciliorum anni 1550. Fratri Paulo, & Pallavicino qui Hiſtoriam Concilii ſcripſere, innotuit tantùm Editio Romana anni 1564. & ſequent. Attamen qui fieri poteſt ut Seſſionis 4. tempore in Concilio enunciata ſit illa exceptio ſeu declaratio, inedita, nec interceſſum ſit editionibus, ubi exceptio ſeu declaratio deſideratur? Hinc conſequitur Virginem ut cæteros homines, in hoc decreto memoratam, & hæc ita credita oportuiſſe ab anno 1546. uſque ad annum 1564. quò non eſt neceſſe hæc credere, ex quo Synodus, Sixti IV. decretis innixa, libertatem indulſit. Ut irritæ fierent editiones illæ jam notatæ, aliquam ante annum 1564. vulgatam afferre par eſſet. Qui labor decet Congregationem Concilii, Franciſcanos, Jeſuitas & Conjurationis populares. Cauſâ enim cecidiſſent ſi editiones decreti annorum 1546. 1551. & 1555. integræ ac illibatæ remanerent; nec ab ſubreptione facilè vindicares hæc omnia decreta quæ ab illis diebus, de Conceptu immaculato lata ſunt. Tertullianus enim

[ii] *Avant l'année 1564.*] Clericus San-Sulpitiani Sodalitii Sacerdos, in libro cui titulus: *Remarques ſur differens Articles du Dictionaire de Moreri de l'Edition de 1718., en 3. vol. in 8°.* 1720, Latinè, *Obſervationes in quaſdam Articulos Dictionarii Moreriani, editi anno* 1718., Launoianis votis facit ſatis; & argumentum negans, certis & ſibi conſtantibus probationibus, confutat. Hæc exceptio, *inquit T. 2. p. 90. & ſeq.*, reperitur in editione Mediolanenſi anni 1548., ut tradit Dupinus parte primâ Hiſtoriæ XVI. Seculi p. 82. Præterea Catharinus in tractatu de immaculato Conceptu, quem edidit Romæ anno 1551., eſtimat p. 95. Hanc exceptionem receptam fuiſſe *unanimi Conſenſu.* Catharinus Dominicanus, huic Seſſioni adfuerat. Teſtis etiam locuplentus habendus eſt Dominicus Soto ejuſdem familiæ alumnus, qui eidem Seſſioni interfuit. Hic autem in Commentario in Epiſtolam Pauli ad Romanos cap. 5. fatetur exceptionem ſuſceptam ab Concilio, & Decreto de peccato originali inſertam. *Abſit*, inquit Soto, *ut ullum hi verbum de Sacratiſſimâ Virgine Mariâ faciam. Nam eſt Concilium Tridentinum, decretum Sixti innovando, libertatem fecerit ſentiendi in utramque partem &c.* Editum eſt opus illud Antverpiæ anno 1550., paulò poſt Seſſionem quintam Concilii habitam 17. Junii anno 1546. Hæc firmet Clericus teſtimonio Ceuſii, Salmeronis, vegæ qui Concilio adfuerant, & Bartholomæi de Spina, qui audito hoc decreto, anno 1547. in Tridentinos Patres hac de re ſtylum exercuit ut Tradit Catharinus libro jam memorato. Denique exceptio conſtat, ex MS. regio anni 1548., quem Baluzius memoravit Miſcellaneorum T. 7. p. 118. & ex editione Gallicâ Concilii Tridentini ab Gentiano Herveto vulgatâ; cujus editionis privilegium exhibet diem trigeſimam Octobris anni 1560. Hæc Clerici San-Sulpitiani notis prolixioribus excerpſimus.

menrent ſans contredit; & il n'y auroit pas moyen d'excuſer de ſubreption toutes les Conſtitutions qui ont été faites ſur cette matiere depuis ce tems-là. Tertullien dit fort bien, Religionis eſt inſtar fidem de temporibus aſſerere.

Si Meſſieurs de la Congregation du Concile étoient d'humeur à recevoir en cette rencontre le témoignage de Calvin, il leur pourroit ſervir; Car cét Hereſiarque raporte le Decret du Concile, avec la déclaration, comme il eſt dans l'impreſſion de l'an, 1564. *dans ſon Antidote imprimé l'an* 1547. *ſans nom d'Imprimeur, & de la Ville où il a été imprimé. Mais on répond à cela que la Declaration fut propoſée au Concile* [kk] *& non pas receuë; autrement elle auroit été jointe au Decret. Calvin eût avis de cette propoſition, & la fit imprimer,* [ll] *pour avoir plus de ſujet de contredire le Concile, comme il fait dans ſon Antidote.*

enim appoſitè dicit, *Religionis eſt inſtar fidem de temporibus aſſerere.*

Commodis ſuis mirè proſpiceret Congregatio Concilii, ſi Calvini teſtimonium recipere vellet. Hic enim Hæreticus, declarationem decreto conjunctam; ut in editione anni 1564., refert in Antidoto vulgato anno 1547. ſine Typographi & urbis nomine. At reſpondetur, Concilio propoſitam, non acceptam fuiſſe declarationem, aliter nunquam à decreto disjuncta fuiſſet. Quam propoſitionem vulgatam edi curavit Calvinus, ut majorem haberet cauſam adverſandi Concilio, quod exſequitur in Antidoto.

DEMONSTRATION

De l'état de la Faculté de Theologie de Paris, premierement avec l'Egliſe Romaine & le Saint Siege, depuis l'an 1497. juſques en l'an 1575. Secondement, avec le Concile de Trente, depuis l'an 1546. juſqu'au ſuſdit an 1575. en ce qui regarde la Conception de Nuſtre Dame.

I*Ly a deux choſes neceſſaires à ſavoir auparavant que de faire cette demonſtration pour le* 1. *chef, & une troiſiéme pour le ſecond chef. Nous verrons toutes ces choſes ſuivant l'ordre du tems. La premiere eſt une definition ou declaration qui fut faite à Baſle en la Seſſion* 36. *La voici*: Hactenus difficilis quæſtio in diverſis partibus & coram hac Sancta Synodo ſuper Conceptione Virginis Mariæ matris Domini, & exordio ſanctificationis facta eſt; quibuſdam dicentibus ipſam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ: aliis autem è converſo dicentibus à principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo gratiam eidem contuliſſe, per quam à macula originali illam beatiſſimam perſonam liberans & præſervans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam altiſſimus ipſe,

&

SPECIMEN

Quo in propatulo ponitur, Quomodo in iis qua ſpectant ad Virginis Conceptum affecta fiat Sacra facultas Pariſienſis, 1°. *Erga Eccleſiam Romanam ab anno* 1497. *ad annum uſque* 1575. 2°. *Erga Tridentinam Synodum, ab anno* 1546. *ad annum uſque* 1575.

DUo maxima momenta occurrunt ad Epocham primam, & unum ad alteram, pertinentia. Omnia ordine Chronologico exſequemur. Primum momentum eſt definitio Baſileæ condita Seſſ. 36. *Hactenus difficilis quaſtio in diverſis partibus & coram hac Sancta Synodo ſuper Conceptione Virginis Mariæ matris Domini, & exordio ſanctificationis facta eſt; quibuſdam dicentibus ipſam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ: aliis autem è converſo dicentibus à principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo gratiam eidem contuliſſe, per quam à macula originali illam beatiſſimam perſonam liberans & præſervans, ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam altiſſimus ipſe, & ipſam fabricaret filius Dei Patris, ut eſſet mater eius in terris. Nos vero diligenter inſpectis auctoritatibus*

rita-

[kk] *Et non pas reçue*] Launoio repugnat Dupinus qui Curtemboſchi opere quodam MS. fretus, ait exceptionem cui ſtatim interceſſum erat, in ultimâ Seſſione, receptam & probatam fuiſſe. Curtemboſchus autem aderat tunc temporis Tridentinæ Synodi.

[ll] *Pour avoir plus de ſujet de contredire &c.*] Hæc eſt mera Launoii conjectura quæ fidem nullam meretur. Cum Calvinus poſt allatum Decretum cum exceptione, quod in eo vitioſum opinatus eſt vituperavit, at omnino ſilet circa illam exceptionem. Ergo manifeſtè patet non ideo propoſitam à Calvino ut majorem cauſam adverſandi Concilio, haberet.

& ipſam fabricaret filius Dei Patris, ut eſſet mater ejus in terris. Nos vero diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Dei genitricem Mariam [mm] præveniente divini muneris. Gratia ſingularis nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam Cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tuendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cætero licitum in contrarium prædicare ſeu docere; Renovantes præterea inſtitutionem de celebranda ejus Conceptione ſancta, quæ tam per Romanam, quam per alias Eccleſias bi idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine celebratur &c.

ritatibus & rationibus, qua jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrina coram hac ſancta Synodo allegata ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Dei genitricem Mariam praveniente divini muneris. Gratia ſingularis nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam & conſonam Cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholica, recta rationi, & ſacra Scriptura, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tuendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de catero licitum in contrarium pradicare ſeu docere; Renovantes praterea inſtitutionem de celebranda ejus Conceptione ſancta, qua tam per Romanam, quam per alias Eccleſias bi idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine celebratur, &c.

Il faut faire ſept Reflexions ſur cette Définition ou Déclaration, pour ſçavoir de quel poids elle peut être.

Conſidetationes ſeptem ſibi vindicat Definitio ſeu Declaratio, ut ponderis momenta librentur.

REFLEXION I.

Sur l'Etat du Concile de Baſle au tems de cette Définition ou Déclaration.

CEtte Déclaration fut faite en la Seſſion 36. auquel tems le Concile n'étoit plus tel qu'il étoit dans ſon commencement & dans ſon progrès, juſqu'à la Seſſion 27. l'an 1437. que le Pape Eugene IV. fit une Bulle pour transferer le Concile de Baſle à Ferrare; alors le Concile de Baſle déclara cette Bulle nulle & de nul effet. Et dans la Seſſion 29. il réfute les raiſons qu'Eugene avoit pour la tranſlation du Concile; il excommunia ceux qui obeïroient au Pape & ceux qui iroient à Ferrare; & enfin il ordonne que le Pape reviendra dans quatre mois à Baſle, ſous peine de ſuſpenſion & de dépoſition. En la Seſſion 34. le Concile de Baſle dépoſa le Pape Eugene, tanquam contumacem, præceptis Eccleſiæ inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, unitatis Eccleſiæ perturbatorem, ſimoniacum, perjurium, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, jurium & bonorum Eccleſiæ proditorem. *Cette Seſſion fut tenuë l'an 1439. le premier jour de Juin: & pour lors le Pape Eugene faiſoit un Concile à Ferrare ou à Flo-*

rence

CONSIDERATIO I.

De Statu Baſileenſis Synodi cum primùm lata eſt Definitio ſeu Declaratio.

SEſſione 36. lata fuit Declaratio, quo tempore Concilium non eandem habebat auctoritatem, quam initio & poſtea, ad Seſſ. uſque 27. anno 1437. quo anno promulgatum eſt Eugenii IV. decretum ut Concilium Baſileam transferretur. Tunc Baſileenſis Synodus, decretum Eugenii nullum & irritum declaravit. Et Seſſ. 29. confutantur rationes quæ Eugenium ad transferendum Conſilium adegerant; Anathemate feriuntur qui Pontifici obedirent aut Ferrariam convenirent. Tandem ſtatutum eſt ſuſpenſionis & depoſitionis interpoſitâ pœnâ, Pontificem intra quatuor menſes Ferrariam rediturum. Seſſ. 34. Patres Baſileenſes Eugenium Pontificatu ſpoliarunt, *tanquam contumacem, praceptis Eccleſia inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, unitatis Eccleſia perturbatorem, ſimoniacum, perjurium, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, jurium & bonorum Eccleſia proditorem.* Habita eſt autem Seſſio illa Calendis Junii anno 1439. Tunc Eugenius Ferrariæ ſeu Florentiæ Concilium celebrabat, cum iis qui

eum

[mm] *Praveniente divini &c.*] Sic emenda, *praveniente & operante divini muneris gratiâ ſingulari.*

rence avec ceux qui l'avoient ſuivi, & avec les Grecs qui vinrent à Florence; & ils ne voulurent point aller à Baſle, quoi qu'ils en fuſſent ſollicitez, & c'eſt en cette même année 1439. *que la Déclaration de la Conception de Noſtre-Dame, ci-deſſus rapportée, fut faite le* 21. *Septembre, trois mois & vingt jours après la dépoſition du Pape Eugene, & douze mois après le commencement du Concile de Ferrare ou de Florence. Il eſt donc certain qu'il y avoit un Schiſme tout formé dans l'Egliſe Latine, au tems que la Déclaration ci-deſſus rapportée, a été faite par ceux qui étoient demeurez à Baſle, après la tranſlation du Concile; ceux qui étoient reſtez à Baſle étoient ſeparez de Communion d'avec ceux qui étoient à Ferrare ou à Florence, & ils ne pouvoient en ce tems-là s'appeller un Concile general,* ⁿⁿ *repreſentant toute l'Egliſe.*

eum ſecuti fuerant & cum Græcis Florentiam profectis, qui Baſileam convenire detrectarunt fruſtra inſtante Baſileenſi Synodo: At hoc ipſomet anno memorata jam de Conceptu Virginis definitio lata eſt die 21. Septembris, menſibus tribus ac diebus viginti poſt ſpoliatum Pontificatu Eugenium, & menſibus duodecim poſt coactum Ferratiæ ſeu Florentiæ Concilium. Conſtat igitur in Eccleſiâ latinâ tunc Schiſma enatum cum poſt tranſlatum Ferrariam Concilium memorata jam definitio, condita eſt à Baſileenſibus Patribus; qui tunc à Ferrarienſibus aut Florentinis Eccleſiaſticâ disjuncti communione, jam non efficiebant Conſilium univerſam Eccleſiam repræſentans.

REFLEXION II.

Il ſemble que cette Déclaration ne pouvoit pas être faite ſans avoir quelque égard à la tradition de l'Egliſe Romaine ſur cette matiere; & comme elle eſt la premiere de toutes les Egliſes, il étoit aſſez raiſonnable de rechercher la tradition de cette Egliſe, pour le moins des derniers Siecles, ſauf à rechercher celle des premiers, en remettant cette affaire à un autre tems: voici la tradition de l'Egliſe Romaine. Innocent III. qui a celebré le Concile de Latran l'an 1213. *parle en trois endroits de cette matiere.*

Primò, *Au Sermon de la Purification de N. Dame*, Angelus Gabriel accedens ad Virginem eam ſuaviter ſalutavit; *Et un peu plus bas*, Salutatione præmiſſâ ſtatim Domini ſui prænunciavit adventum; Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. His ita peractis ſtatim Spiritus ſanctus advenit & triplicem viam ante faciem Domini præparavit: Prima fuit virginalis conſenſio; ſecunda fuit carnalis mundatio; tertia fuit corporalis formatio. Prima fuit conſenſu mentis in Virgine: ſecunda fuit mundatio carnis à fomite: tertia fuit formatio ᵒᵒ corporis ex ſanguine. *Et un peu après*; non enim auctor fidei concipi potuit de incredulâ; ideóque ptimam viam ſcilicet conſenſum Virginis oportuit præparari: ſtatim autem Spiritus ſanctus ſupervenit in eam, priùs quidem in eam venerat cum in utero matris animam ejus ab originali peccato mundavit, ſed & nunc ſupervenit in eam ut carnem ejus à fomite peccati mundaret, quatenus eſſet ſine rugâ prorſus & maculâ.

2. *Au*

CONSIDERATIO II.

Ferri non potuiſſe videtur hæc definitio, habitâ nullâ ratione Eccleſiæ Romanæ hac de re Traditionis; Cum enim primas partes teneat inter alias Eccleſias, hujus Traditionem ſaltem per recens elapſa ſæcula, inveſtigare parerat; retentâ facultate priorum ſæculorum doctrinam in aliud tempus exquirendi. Habes hîc Eccleſiæ Romanæ Traditionem. Innocentius III. qui Lateranenſe Concilium celebravit anno 1213. tribus locis hanc quæſtionem attigit.

Primò Sermone in Purificatione Mariæ; *Angelus Gabriel accedens ad Virginem eam ſuaviter ſalutavit*; Et paulò inferiùs, *Salutatione præmiſſa ſtatim Domini ſui prænunciavit adventum, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. His ita peractis ſtatim Spiritus ſanctus advenit & triplicem viam ante faciem Domini præparavit: Prima fuit virginalis conſenſio, ſecunda fuit carnalis mundatio, tertia fuit corporalis formatio. Prima fuit conſenſu mentis in Virgine; ſecunda fuit mundatio carnis à fomite: tertia fuit formatio corporis ex ſanguine.* Et paulò poſt; *non enim auctor fidei concipi potuit de incredulâ; ideóque primam viam ſcilicet conſenſum Virginis oportuit præparari: ſtatim autem Spiritus ſanctus ſupervenit in eam, priùs quidem in eam venerat cum in utero matris animam ejus ab originali peccato mundavit, ſed & nunc ſupervenit in eam ut carnem ejus à formite peccati mundaret, quatenus eſſet ſine rugâ prorſus & maculâ.*

2. Ser-

ⁿⁿ *Repreſentant toute l'Egliſe*] Harduinus in Seſſ. 34. ſic loquitur: Nota quod eſt conciliabulum ac illegitimum & ob id nullius eſſe valoris pag. 1263. Tom. VIII. Concil. Vide quæ de Harduino diximus in notâ ʰʰ ad Epiſtolam V. ſecundæ partis.

ᵒᵒ *Corporis ex*] Adde, *puriſſimo*.

2. *Au Sermon* 1. *de la Fête de S. Jean Baptiſte ;* Concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Jeſum, quia Joannes fuit conceptus in culpâ, ſolus autem Chriſtus ſine culpâ fuit conceptus, uterque verò natus in gratiâ & ideo utriuſque Nativitas colitur, ſed ſolius Chriſti Conceptio celebratur. *La Particule de* ſolus *&* ſolius *exclut la Conception de Nôtre-Dame, comme celle de ſaint Jean Bapitſte.*

3. *Au Serm.* 2. *de l'Aſſompt. de N. D. où le Pape fait des antitheſes entre Eve & Marie,* Illa fuit ſine culpa producta ; ſed in culpa produxit, hæc autem fuit in culpa producta ; ſed ſine culpa produxit. *Voilà la creance de l'Egl. Rom. au tems de ce ſçavant Pape Innocent III. qui avoit apris la Theologie dans le Cloiſtre de Nôtre Dame de Paris, ſous Pierre de Corbeil, qui fut après Archevêque de Sens.*

Innocent V. créé Pape l'an 1276. *dans ſon Commentaire ſur le Maître des Sentences, diſtinction* 3. *où apres avoir expliqué quatre degrez de Sanctification, qui ſeroient un peu long à rapporter ; il conclut de cette ſorte.* Tertius gradus non fuit conveniens Beatæ Virgini quia talis fuit Joannis & Jeremiæ ; & quia non convenit tantæ Virgini ut diû morata ſit in peccato. Quartus vero videtur conveniens & piè credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut cito poſt animationem vel in ipſo die vel hora ; quamvis non ipſo momento ſanctificata ſuerit.

Ce Pape étoit Docteur en Theologie de Paris de l'Ordre des Freres Preſcheurs ; en ce tems-là où il vivoit il n'y avoit aucun diſſentiment en cette matiere parmi les Docteurs en Theologie de Paris. Au reſte on peut voir le Commentaire allegué manuſcrit dans la Bibliotheque de Saint Victor de Paris, ou dans Saint Anthonin, qui raporte ce témoignage dans la premiere partie de ſa Somme tit. 8. *chap.* 2.

Jean XXII. ou quelqu'autre Pape, comme pourroit être Benoiſt XII. dans un MS. contenant des Sermons de l'Aſſomption, de l'Annonciation, & de la Nativité, qui eſt ou étoit dans la Biblioteque du Cardinal Mazarin ; à la fin des Sermons il y a plusieurs fois écrit, Explicit Sermo Domini Papæ reportatus per ſuæ Sanctitatis ſervum Fratrem Raymondum Procuratorem Ordinis Fratrum Minorum. *Or ce Raymond étoit un Notaire ou Ecrivain de Jean XXII. au Sermon premier de l'Aſſomption.* Primò ergo videndum eſt de tranſitu ejus, tranſivit enim primò de ſtatu originalis culpæ ad ſtatum gratiæ. *Et un peu après,* dicendum eſt ergo quod culpam originalem contraxe-

2. Sermone 2. in feſto Joannis Baptiſtæ, *Concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Jeſum, quia Joannes fuit conceptus in culpâ, ſolus autem Chriſtus ſine culpâ fuit conceptus, uterque verò natus in gratiâ & ideo utriuſque Nativitas colitur, ſed ſolius Chriſti Conceptio celebratur.* Particulâ *ſolus* & *ſolius* Conceptus Virginis æque excluditur ac Joannis Baptiſtæ.

3. Serm. 2. de Aſſumptione Virginis ubi Pontifex per antitheſim Evam & Mariam confert. *Illa fuit ſine culpa producta ; ſed in culpa produxit, hac autem fuit in culpa producta ; ſed ſine culpa produxit.* En Eccleſiæ Romanæ fides, doctiſſimi Pontificis ætate, qui in Clauſtro Pariſienſi majoris Eccleſiæ, Theologiæ Magiſtrum habuit Petrum Corbelienſem, Senonenſium poſteà Archiepiſcopum.

Innocentius V. factus Pontifex anno 1276. Commentario in Magiſtrum Sentent. Diſt. 3. Expoſitio quatuor Sanctificationis gradibus, quos hic recenſere longum eſſet, Hæc colligit. *Tertius gradus non fuit conveniens Beata Virgini quia talis fuit Joannis & Jeremia ; & quia non convenit tanta Virgini ut diù morata ſit in peccato. Quartus vero videtur conveniens & piè credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut cito poſt animationem vel in ipſo die vel hora ; quamvis non ipſo momento ſanctificata fuerit.*

Pontifex ille fuit Theologus Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum alumnus, quo tempore unus erat omnium Doctorum Pariſienſium hac de re conſenſus. Præterea videre eſt moderatum Commentarium MS. in Bibliothecâ S. Victoris Pariſienſis, aut apud Antoninum qui textum illum attulit primâ parte Summæ Tit. 8. cap. 2.

Joannes XXII. aut alius Pontifex, forſan Benedictus XII. idem teſtatur in MS. ubi habentur Sermones de Aſſumptione, Annunciatione & Natali die Virginis, quod MS. eſt aut ſuit in Bibliothecâ Mazarinæâ, ad Calcem Sermonum ſæpiùs inculcatur. *Explicit Sermo Domini Papa reportatus per ſua Sanctitatis ſervum Fratrum Raymondum Procuratorem Ordinis Fratrum Minorum.* Hic autem Raymondus fuit Joannis XXII. Notarius ſeu Librarius, Sermone I. de Aſſumptione. *Primò ergo videndum eſt de tranſitu ejus, tranſivit enim primò de ſtatu originalis culpa ad ſtatum gratia.* Et paulò poſt, *dicendum eſt ergo quod culpam originalem contraxerit ſicut cateri de quibus dicit*

rit ſicut cæteri de quibus dicit Apoſtolus quod eramus homines naturâ filij iræ. *Jean XXII. a été fait Pape l'an 1317. & il eſt mort l'an 1334. on ſçait que ce Pape n'a pas manqué de puiſſans ennemis, qui l'euſſent bien relevé s'il eut prêché une doctrine contraire à la tradition de l'Egliſe Romaine.*

Apoſtolus quod eramus homines naturâ filii iræ. Pontificatum adeptus eſt anno 1317. Joannes XXII. diemque obiit ſupremum anno 1334. Nemo neſcit Pontificem magnis inimicitiis claruiſſe. An ſilentium ſervatum eſſet, ſi prædicaſſet doctrinam ab Eccleſiæ Romanæ traditione alienam?

Guillaume Okam qui a compoſé un Livre des erreurs de Jean XXII. ne lui reproche rien ſur ce Chapitre de la Conception de Nôtre-Dame, quoi qu'il fut ſon grand ennemi, & Frere Mineur de plus; au contraire Okam eſt du ſentiment de ce Pape ſur le 3. des Sentences, queſt. 2.

Guillelmus Okamus in Libro de Erroribus Joannis XXII. nullam movet litem de Conceptu Virginis, quamvis Pontifici infenſiſſimus, & prætereà Franciſcanus. E contrario Okamus in 3. Sentent. Quæſt. 2. idem ſentit ac Pontifex.

Clement VI. dans un Sermon du premier Dimanche de l'Advent, qui eſt de la Vierge Marie. Utrum contraxit in forma peccatum otiginale an virtute divina fuerit præſervata; ſunt penes Doctores opiniones diverſæ. Tamen quicquid ſit quod ſi etiam in formâ non ſolum in cauſâ peccatum originale habuit quod adhuc de ejus Concept. poſſumus valde rationabiliter feſtinare, ſuppono tamen ſecundum communem opinionem quoad præſens quo B. Virgo fuit in peccato originali modicâ morulâ, quia ſecundum omnes quam primum potuit ſanctificari, ſanctificata fuit.

Clemens VI. Sermone in Dominicâ 1. Adventus, ubi de Virgine Mariâ agitur. *Utrum contraxit in forma peccatum originale an virtute divina fuerit præſervata; ſunt penes Doctores opiniones diverſæ. Tamen quicquid ſit quod ſi etiam in formâ non ſolum in cauſâ peccatum originale habuit quod adhuc de ejus Concept. poſſumus valde rationabiliter feſtinare, ſuppono tamen ſecundum communem opinionem quoad præſens quo B. Virgo fuit in peccato originali modicâ morulâ, quia ſecundum omnes quam primum potuit ſanctificari, ſanctificata fuit.*

Clement VI. étoit Docteur en Theologie de Paris, de l'Ordre de S. Benoiſt, il fut fait Pape l'an 1342. & il eſt mort l'an 1352. Il fait à la verité mention de deux opinions, l'une qu'on apelle commune, & l'autre qu'il n'appelle point, & ne peut pas l'appeller commune, parce que elle n'eſt pas ſi vieille que lui, qui ſe nommoit Pierre Roger auparavant que d'être Pape.

Clemens VI. fuit Theologus Pariſienſis, Otdinis S. Benedicti, Pontifex creatus eſt anno 1342. ultimumque vitæ diem clauſit anno 1352. Commemorat equidem duas opiniones quarum aliam communiorem, appellat, alteramque nec communem dicit nec dicere poteſt; eò quod minus eſſet Pontifice antiqua, qui priùs Petrus Rogerius appellatus erat.

Voila la tradition de l'Egliſe Romaine & du S. Siege dans les derniers Siecles, qui apparemment n'a pas eu l'honneur d'être conſiderée par ceux qui étoient en la Seſſion 36. de ce qu'on appelle Concile de Baſle.

His conſtat Eccleſiæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis per ultima ſecula traditio, quam non reſpexiſſe probabile eſt Patres qui aderant Seſſ. 36. Conventûs qui Baſileenſe Concilium dicitur.

REFLEXION III.

La Déclaration marque que l'opinion de la Conception immaculée eſt conforme au Culte Eccleſiaſtique. Si le Concile entend l'Office de l'Egliſe, comme il y a de l'apparence qu'il l'entend, il ne peut pas entendre l'Egliſe Rom. qui eſt la premiere de toutes les Egliſes, à moins que cette Egliſe n'eût changé l'Office qu'elle faiſoit cent ans auparavant de la Sanctification de Nôtre Dame, comme écrit Alvarus Pelagius pp *au Livre* 2. de Planctu Eccleſiæ; Hanc, *dit-il*, Sententiam (de non immaculatâ Conceptione) tenent omnes antiqui Theologi, Alexander, Thomas in ſuo quarto, Bonaventura, Richardus,

CONSIDERATIO III.

Synodus definit & declarat tenendam ac amplectendam eſſe opinionem de Conceptu immaculatam, tanquam conſonam Cultui Eccleſiaſtico. Si per hæc verba, Officium Eccleſiæ intelligit, ut intelligenda videntur, ad Romanam Eccleſiam aliarum principem minimè ſpectant, præterquam quod immutaſſet officium, uno ſeculo ante Baſileenſem Synodum, fieri ſolitum, ut tradit Alvarus Pelagius Lib. 2. de *Planctu Eccleſiæ.* *Hanc,* inquit, *Sententiam (de non immaculatâ Conceptione) tenent omnes antiqui Theologi, Alexander, Thomas in ſuo quarto, Bonaventura, Richardus, licet novi quidam Theologi à ſenſu Eccle-*

pp *Au Livre* 2.] Adde, *Chap.* 52.

dus licet novi quidam Theologi à ſenſu Eccleſiæ communi recedentes temere contra indevoti reipſa Dominæ & tamen reipſa cupientes apparere nitantur & eam quodammodo ſic Deo & filio ſuo comparantes, quorum opinio nova & phantaſtica ſit à fidelibus cancellata, quia Sanctificationem Virginis negat contra id quod tener Eccleſia ipſam ſanctificatam fuiſſe; *& un peu plus bas*, ideò Romana Eccleſia Feſtum Conceptionis non agir etſi tolerat quod alicubi fiar maxime in Anglia, non tamen aprobat, quia quod permittitur non aprobatur, 4. diſt. Denique *& un peu après*, & ita dicit Oratio quæ dicitur in hoc Feſto Romæ in Sancta Maria majori; Deus qui Sanctificationem Virginis, &c. ſicut vidi & audivi cum ibi de iſta Sanctificatione prædicarem in iſto Feſto Sanctificationis quod fit in Decembri. *Alvarus Pelagius, qui d'un Frere Mineur étoit devenu Evêque, nous montre que l'on ne faiſoit point à Rome la feſte de la Conception, mais ſeulement de la Sanctification de Nôtre-Dame, comme on la faiſoit en beaucoup d'autres Egliſes; & il ſeroit aiſé de le prouver s'il étoit néceſſaire.*

Eccleſia communi recedentes temere contra indevoti reipſa Domina & tamen reipſa cupientes apparere nitantur & eam quodammodo ſic Deo & filio ſuo comparantes, quorum opinio nova & phantaſtica ſit à fidelibus cancellata, quia Sanctificationem Virginis negat contra id quod tenet Eccleſia ipſam ſanctificatam fuiſſe, & paulò inferiùs, *ideò Romana Eccleſia Feſtum Conceptionis non agit etſi tolerat quod alicubi fiat maxime in Anglia, non tamen aprobat, quia quod permittitur non aprobatur. 4. diſt.* Denique, & paulò poſt, *& ita dicit Oratio qua dicitur in hoc Feſto Roma in Sancta Maria majori; Deus qui Sanctificationem Virginis, &c. ſicut vidi & audivi cum ibi de iſta Sanctificatione pradicarem in iſto Feſto Sanctificationis quod fit in Decembri.* Alvaro Pelagio teſte priùs Minoritâ, deinde Epiſcopo, Eccleſia Romana ut in aliis Eccleſiis Feſtum Sanctificationis non Conceptionis Virginis celebrar. Id facile probarem ſi neceſſitas poſtularet.

2. *Cette Déclaration marque que l'opinion de la Conception immaculée étoit conforme à la foi Catholique. Mais dira-t'on que l'Egliſe Romaine n'a pas eu cette conformité du tems d'Innocent III. d'Innocent VI. de Jean XXII. & de Clement VI. & cependant ces deux Innocens & Clement VI. ont été trois grands Docteurs en Theologie de Paris, & qui ont preſidé avec honneur au S. Siege. De plus il n'y a rien dans le Symbole des Apoſtres, ni dans celui du Concile de Nicée, ni dans celui de S. Athanaſe, à quoi on puiſſe raporter cette pretenduë conformité: Au contraire il y a quelque choſe dans la Clementine* de ſumma Trinitate, *qui peut nuire à cette conformité pretenduë; voici les paroles*, & hoc quod in aſſumpta natura ipſum Dei verbum pro omnium ſalute operanda non ſolum affigi cruci & in ea mori voluir ſed etiam, &c. *Ce terme de* omnium, *enferme Nôtre-Dame; puis qu'elle n'eſt point exceptée.*

2. Opinio de immaculato Conceptu fidei Catholicæ conſona prædicatur: Hanc vero conformitarem in Eccleſiâ Romanâ deſideratam fuiſſe Innocentii III. Innocentii VI. Joannis XXII. ætate. Quis diceret? Attamen duo illi Innocentii & Clemens VI. Clariſſimi Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologi extirerunt, & Sedi Apoſtolicæ digniſſimè præfuere. Deinde nihil reperies ſeu in Symbolo Apoſtolorum ſeu in Nicæno aut Athanaſiano quò prætenſa illa conformitas, collimare poſſit. E contrà in Clementinâ *de ſumma Trinitate* nonnulla ſunt quæ illi prætenſæ conformitari officere valent. Habes hîc texum, *Et hoc quod in aſſumpta natura ipſum Dei verbum pro omnium ſalute operanda non ſolum affigi cruci & in ea mori voluit ſed etiam, &c.* Hac voce *omnium* non excepta Virgo, profecto recenſetur.

3. *Cette Déclaration marque que l'opinion de la Conception immaculée eſt conforme à la droite raiſon. Si par droite raiſon on entend une raiſon purement naturelle, il n'eſt pas aiſé de comprendre que la raiſon purement naturelle nous conduiſe à la connoiſſance de l'exemption du peché originel dans Nôtre Dame, puis qu'elle ne peut pas nous conduire à la connoiſſance du peché originel. Si par droite raiſon l'on entend une raiſon éclairée de la lumiere de la Foi Chreſtienne, il faudra dire enſuite que cette raiſon a été igno-*

3. Rectæ rationi conſona dicitur opinio de immaculato Conceptu. Si per rationem rectam intelligas rationem quamdam merè naturalem, non facilè percipias, qùi ipſa ratio merè naturalis, originali peccato dignoſcendo impar & inhabilis, ad cognitionem inducat immunitatis Mariæ à peccato originali? Si recta ratio habenda eſt illa quæ fidei Chriſtianæ lumine illuſtratur, fatendum erit poſteà; Hanc rationem in Eccleſiâ Romanâ & alibi deliruiſſe, eo tempore quo Innocentius III. Innocentius VI. Joannes XXII. &

ignorée dans l'Egliſe Romaine, & ailleurs, pendant qu'Innocent III. Innocent VI. Jean XXII. & Clement VI. l'ont gouvernée, & ont écrit de cette matiere tout autrement que cette Declaration ne porte: Or cela peut bien ſembler abſurde; au contraire les Docteurs qui ſont d'avis que la Conception n'eſt pas immaculée, s'y fortifient par des raiſons, qui étant tirées de l'Ecriture, ſemblent être fort juſtes & fort droites.

Cette Declaration marque que l'opinion de la Conception immaculée eſt conforme à l'Ecriture Sainte. Mais 1. *il eſt fâcheux que cette conformité n'ait point été auparavant connuë dans la premiere de toutes les Egliſes, ainſi qu'il paroit par les autoritez d'Innocent III. d'Innocent VI. de Jean XXII. & de Clement VI.* 2. *L'Ecriture Sainte qu'on allegue ſur ce ſujet, ne concerne point Notre Dame dans ſon ſenc literal, qui eſt celui dont il faudroit tirer des argumens en Theologie.* 3. *Quand on employeroit cette Ecriture pour faire voir cette conformité, on ne la feroit voir que,* per fallaciam accidentis, *en concluant* à non diſtributo ad diſtributum. *Or qui diroit que la verité a beſoin de ce genre de ſophiſme pour ſe défendre?*

REFLEXION IV.

***Nous** venonc de voir que les quatre qualitez de la Déclaration faite par ceux de Baſle, l'an* 1439. *de l'opinion qui dit que la Vierge n'a pas été conçûe danc le peché originel, ne tiennent à rien, qu'elles ne ſont ni fermes ni ſtables; mais il eſt certain que ces mêmes qualitez ſeroienc inébranlables dans une Declaration que le moindre Concile du monde auroit fait l'an* 1330. *de l'opinion qui dit, que la Vierge a été conçûe en peché originel; elle ſeroit conforme à l'Office de l'Egliſe Romaine & de beaucoup d'autres Egliſes; elle ſeroit conforme à la foy Catholique mentionnée dans la Clementine* de Summa Trinitate. *Elle ſeroit conforme à la droite raiſon qui ſeroit éclairée de la Foi. Elle ſeroit enfin conforme aux Ecritures Saintes, dont les Papes & les autres Docteurs ſe ſervent pour juſtifier cette opinion: Au reſte la conformité de cette opinion avec l'Office de l'Egliſe Romaine ne peut pas être troublée par ceux qui en quelques endroits faiſoient la feſte de la Conception; nous l'apprenonc de Durand Evêque de Mende, qui a été un des principaux arboûtans du Concile de Vienne, où eſt la Clementine* de Summa Trinitate. *Voici donc ce qu'il écrit au* liv. 7. des Offices Divins. Quidam faciunt quintum feſtum ſcilicet de Conceptione Beatæ Mariæ dicentes, quod ſicut celebratur de morte ſanctorum, Non propter mortem, ſed quia

& Clemens VI. huic præfuere, ac aliter ſcripſere quam declaratione ſancitur. Atqui hæc abſurda videri poſſunt. E contra Doctores illi qui maculatum conceptum defundunt, hanc firmant argumentis quæ è Scripturâ Sacrâ deducta ad ſcopum mirè collineant.

4. Scriptutæ Sacræ conſentaneam pronunciant Baſileenſes opinionem de immaculato conceptu. At 1°. dolendum eſt hanc conformitatem latuiſſe omnium Eccleſiarum Principi, ut liquet ex verbis Innocentii III. Innocentii VI. Joannis XXII. & Clementis VI. 2°. Scripturæ Sacræ in hanc rem allatæ litteralis ſenſus è quo deducenda ſunt argumenta Theologica, non cadit in beatam Virginem 3°. Quando ad oſtendendam illam conformitatem, adhiberetur Scriptura Sacra, conformitas tantum monſtraretur *pèr fallaciam accidentis*, colligendo *à non diſtributo ad diſtributum.* Quis dicat veritatem ad ſalutem & integritatem ſui boc ſophiſmatum genere, egere?

CONSIDERATIO IV.

Jam vidimus quatuor illa momenta quibus conſtat Baſileenſis definitio lata anno 1439. de immaculato conceptu, infirma ac leviſſima eſſe; at certum eſt maxima & graviſſima fore, in definirione vel à minimo Concilio lata anno 1330. de maculato Conceptu: Romanæ, exterarumque Eccleſiarum Cultui, fidei Catholicæ in Clementinâ *de Summâ Trinitate* conditæ, rectæ rationi, fideì luce illuſtratæ, conſona foret, tandem Scripturæ Sacræ, quam in ea opinione defendendâ Pontifices cæterique Doctores afferunt. Cujus opinionis conformitas cum Romano cultu, non ab iis debilitam ac imminui poteſt qui alicubi Conceptûs feſtum celebrant. Hæc tradit Lib. 7. Rationalis Divinorum officiorum. Durandus Mimatenſis Epiſcopus, qui in Concilio Viennenſi, ubi vulgata eſt Clementina *de ſummâ Trinitate*, maximas partes tuitus eſt. *Quidam faciunt quintum feſtum ſcilicet de Conceptione Beata Maria dicentes, quod ſicut celebratur de morte Sanctorum, Non propter mortem, ſed quia tunc recepti ſunt in nuptiis æternis, ſimiliter poteſt celebrari feſtum de Conceptione. Non quia ſit conceptam, quia in peccato eſt concepta, ſed quia Mater Domini eſt concepta: aſſerentes hoc fuiſſe revelatum cuidam Abbati in naufragio conſtituto; quod tamen non eſt authenticum, unde non eſt approbandum cum concepta fuerit in peccato*

quia tunc recepti ſunt in nuptiis æternis, ſimiliter poteſt celebrari feſtum de Conceptione. Non quia ſit conceptam, quia in peccato eſt concepta, ſed quia Mater Domini eſt concepta: aſſerentes hoc fuiſſe revelatum cuidam Abbati in naufragio conſtituto; quod tamen non eſt authenticum, unde non eſt approbandum cum concepta fuerit in peccato, ſcilicet per concubitum maris & fœminæ de conſecr. diſt. 4. firmiſſime. Verum tamen licet fuerit concepta in peccato dimiſſum eſt ſi illud originale peccatum cum ſanctificata fuerit in utero ſicut & Hieremias & Sanctus Joannes Baptiſta.

peccato ſcilicet per concubitum maris & fœmina de conſecr. diſt. 4. firmiſſime. Verum tamen licet fuerit concepta in peccato dimiſſum eſt ſi illud originale peccatum cum ſanctificata fuerit in utero ſicut & Hieremias & Sanctus Joannes Baptiſta.

REFLEXION V.

On ne parle point dans cette Declaration de l'ancienne tradition de l'Egliſe, qui ſe recueille du témoignage des Saints Peres. Or il eſt difficile de montrer par l'ancien uſage de l'Egliſe, pratiqué dans les Conciles, qu'on ſe puiſſe paſſer d'une telle tradition, quand il faut établir un dogme de cette conſequence; il y a bien de l'apparence que ceux qui ont dreſſé cette Declaration dans la Seſſion 36. l'an 1439. n'ont pas eu le loiſir d'y ſonger, attendu, qu'ils étoient trop occupez à l'élection d'un Pape, pour mettre en la place de celui qu'ils venoient de dépoſer. Quoi qu'il en ſoit on ne parle point dans cette Déclaration de l'ancienne tradition de l'Egliſe, & on n'y definit point qu'on ſe peut raiſonnablement paſſer dans une deciſion d'une telle matiere, nonobſtant tout l'uſage contraire.

CONSIDERATIO V.

Nulla mentio in eâ declaratione, Antiquæ Eccleſiæ Traditionis, quæ Patrum auctoritate conſtat. Atqui ex antiquo Eccleſiæ uſu & more, ab Conciliis ſuſcepto, non facile oſtendas definiri poſſe hoc magni momenti dogma, relictâ & inconſultâ Traditione. Auctores definitionis latæ Seſſ. 36. anno 1439. Probabile eſt, hanc Traditionem per otium non potuiſſe conſulere, cum toti eſſent in eligendo ſucceſſore Pontificis quem ſpoliaverant. Ut cumque hæc ſint, altum eſt in ea declaratione ſilentium de antiquâ Eccleſiæ traditione; non ſtatuitur hanc juſte quamvis reluctante uſu, in hujus momenti judicio relenqui poſſe.

REFLEXION VI.

On défend bien dans cette Declaration d'enſeigner ou de prêcher le contraire; mais cette défenſe n'étant appuyée d'aucune peine impoſée aux contrevenans, on peut dire que cette defenſe n'eſt pas une Loy parfaite, mais imparfaite; parce qu'une Loy parfaite qui eſt prohibitive, n'eſt jamais ſans une clauſe portant peine aux contrevenans: & ceci eſt d'une derniere conſideration à l'égard de ceux qui ſe ſervant de la declaration faite à Baſle, y ajoûterent des peines.

CONSIDERATIO VI.

Cavetur hac declaratione ne quis contrariam opinionem doceat aut prædicet, cum verò prohibirio nullâ conſtet pœnâ, infractoribus irrogandâ, lex imperfecta habenda eſt illa prohibitio, cum perfecta lex prohibens, ſemper præ ſe ferat pœnam ab reis ſubeundam. Quod maximè attendendum eſt cum iis qui Baſileenſem revocantes declarationem, pœnas adjunxere.

REFLEXION VII.

Cette Déclaration eſt ſuivie d'un ordre, par lequel ceux de Baſle renouvellent la Feſte de la Conception, comme ſi elle avoit été autrefois établie dans l'Egliſe, par quelque Concile ou par quelque Pape, & qu'elle eut été puis après négligée d'une telle maniere, qu'il eut fallu la renouveller par un expres commandement; il eſt

CONSIDERATIO VII.

Renovat præterea Baſileenſis Synodus inſtitutionem de Celebrandâ Conceptione ſanctâ, quaſi jam in Eccleſiâ aut à ſummo Pontifice, vel a Concilio indicta, ita poſtea obſoleviſſet, ut certo quodam mandato renovari debuiſſet. Feſtum illud antiquum dicitur, quæ minimè cohærent cum Durandi Teſti-

eſt dit encore que cette Fète eſt ancienne, mais tout cela ne s'accorde point avec Durand Evêque de Mande, dont le témoignage a été rapporté dans la Reflexion quatriéme, ni avec l'autorité d'Alvarus Pelagius, qu'on peut lire & peſer dans le commencement de la Reflexion troiſiéme: ceux qui ont mis tout cela dans la Déclaration, ont peut-être crû qu'on s'en fieroit à leurs paroles, mais c'eſt un fait Hiſtorique qui eſt ſoûmis à l'examen de ceux qui liſent les Livres.

Teſtimonio conſideratione 4ª. memorato; & cum Alvari Pelagii verbis quæ legi ac expendi poſſunt conſideratione 3ª. Qui hæc omnia in declarationem induxeret, forſan exiſtimarunt, fidem omnem habendam ſermonibus eorum: At mera eſt quæſtio facti, Lectorum ſubjecta diſcuſſionibus.

La ſeconde choſe qu'il faut neceſſairement ſçavoir avant la demonſtration propoſée, eſt la Conſtitution de Sixte IV. qui fut faite l'an 1483. *la voici.*

Ut Propoſitum ſpecimen ſuo non careat effectu, attendendum eſt Sixti IV. Decretum iſtud anno 1483. vulgatum.

Grave nimis & moleſtum, gerimus cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis teferuntur. Sed in eorum qui ad Evangelizandum verbum Dei ſunt deputati; exceſſibus prædicando commiſſis, eo gravius provocamur, quo illi periculoſius remanent incorrecti: *Et plus bas.* Non igitur hujuſmodi temerariis auſibus & perverſis aſſertionibus ac ſcandaloſis, quæ exinde in Eccleſia Dei oriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes. motu proprio, non ad alicujus ſupet hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione ac certa ſcientia, hujuſmodi aſſertionis Prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent & tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos foie, vel mortaliter peccare; aut hujuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi Sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere; ut pote falſas & erroneas. & à veritate penitùs alienas, editoſque inſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus & damnamus: Ac motu, ſcientia & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicumque alii, cujuſcunque ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerunt, qui de cætero temerario auſu præſumpſerunt in eorum Sermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic pet nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu proprio, ſcientia & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubjicientes eos qui auſi fue-

Grave nimis & moleſtum, gerimus cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur. Sed in eorum qui ad Evangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis, eo gravius provocamur, quo illi periculoſius remanent incorrecti: Et inferiùs. *Nos igitur hujuſmodi temerariis auſibus & perverſis aſſertionibus ac ſcandaloſis, quæ exinde in Eccleſia Dei oriri poſſunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc oblata petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione ac certa ſcientia, hujuſmodi aſſertionis Prædicatorum eorumdem; & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos qui crederent & tenerent, eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu hujuſmodi Sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere: ut pote falſas & erroneas, & à veritate penitùs alienas, editoſque inſuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium reprobamus & damnamus: Ac motu, ſcientia & auctoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quod Prædicatores verbi Dei, & quicumque alii, cujuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerunt, qui de cætero temerario auſu præſumpſerunt in eorum Sermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio quam à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu proprio, ſcientia & auctoritate ſimilibus, ſimili pæna ac cenſura ſubjicientes eos qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet Glorioſam Virginem Mariam cum*

Digitized by Google

fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum. *Et plus bas*: Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1483. pridiè calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum ſit à Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum. Et inferiùs: *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* 1483. *pridiè calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno decimo tertio.*

1. *Il paroît par cette Conſtitution que tous ceux qui enſeignoient ou prechoient que la Vierge étoit conçue en peché originel, que ceux qui prechoient & enſeignoient qu'elle n'y étoit pas conçuë, ſe traitoient d'heretiques, les uns, les autres, ou que les uns & les autres, ſe reprochoient mutuellement qu'ils commettoient un peché mortel en enſeignant & prechant ce que les uns & les autres enſeignoient & prechoient auſſi.*

1. Patet ex Decreto omnes qui maculatum vel immaculatum Virginis Conceptum docebant aut prædicabant, ſibi mutuam hæreſeos notam inurere; ſe quoque mutuo, prædicando & docendo, propoſitam opinionem, reos facere peccati lethalis.

2. *Il paroît par cette Conſtitution que Sixte quatriéme condamne tous les exces & emportemens qui ſe faiſoient de côté & d'autre, comme étant temeraires, ſeditieux & ſcandaleux parmi les Fideles, & ce ſur peine d'excommunication encouruë,* ipſo facto, *de laquelle il n'y avoit que le Pape qui pût abſoudre, fors & excepté en l'article de la mort.*

2. Monſtrat idem Decretum à Sixto IV. tanquam temerarios, ſeditioſos, & ſcandaloſos, motus & *auſus* utrimque enatos, interpoſitâ excommunicationis pœna à quâ ab alio quàm à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) nemo poſſit abſolutionis beneficium obtinere.

3. *Il paroît enfin par cette Conſtitution que le Pape Sixte n'a point touché au fond de la Doctrine des deux Partis ou opinions, parce que l'Egliſe Romaine & le S. Siege n'en avoit encore rien décidé. Voila le ſommaire de cette Conſtitution & à quoi elle aboutit.*

3. Liquet tandum ex Decreto Sixtum IV. non excuſſiſſe penitùs utriuſque partis, doctrinam, *cum nondum ſit à Romanâ Eccleſiâ & Apoſtolicâ Sede deciſum.*

La Faculté de Theologie de Paris fait 14. *ans après, ſçavoir l'an* 1497. ¶¶ *le Decret ſuivant, ainſi qu'il eſt dans les Regiſtres.*

Poſt annum decimum quartum qui fuit 1497. Sacra Pariſienſis Facultas, Decretum hic ſubjectum prout extat in Commentariis emiſit:

Cum itaque proximo ſæculo quæſtio de puritate Conceptionis fœliciſſimæ Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti genitricis Mariæ ſolito frequentiùs agitari cœpiſſet Spiritu ſancto ſcilicet ejus rei veritatem propalari volente diligentiùs utriuſque partis libratis rationibus primum pro tempore ſuſpenderunt judicium; deinde in eam partem inclinatiores, quæ Virginis Mariæ puritati adſtipulari videbatur, ita eorum vaniſſimam partem diſputando confutarunt qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam obſtinate contendebant ut contrariam quæſtionis

Cum itaque proximo ſæculo quæſtio de puritate Conceptionis fœliciſſimæ Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti genitricis Mariæ ſolito frequentiùs agitari cœpiſſet Spiritu ſancto ſcilicet ejus rei veritatem propalari volente diligentiùs utriuſque partis libratis rationibus primum pro tempore ſuſpenderunt judicium; deinde in eam partem inclinatiores, qua Virginis Mariæ puritati adſtipulari videbatur, ita eorum vaniſſimam partem diſputando confutarunt qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam obſtinate contendebant ut contrariam

¶¶ *Le Decret ſuivant*] Nota quod Decretum illud emiſſum eſt, occaſione M. Joannis Veri Dominicani Doctoris Pariſienſis qui in Oppido Deppa publicè concionando affirmaverat Virginem non fuiſſe originalis peccati immunem. Vide Bulæum Hiſt. Univerſitatis Pariſ. p. 815. Tom. V. Vincentius de Bandelis de Caſtro-novo p. 285. *Tractatu ſui de ſingulari puritate & prærogativâ Conceptionis Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, objiciendo ſibi Decretum reſpondet, quod Univerſitas Pariſienſis, *tempore quo Doctoribus clariſſimis florebat, determinavit*: Hæreticum fore, tenere, *B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali: ut dicit Dominus* Albertus M. in 3. Sent. & Guil. Altiſiodorenſis, in 3. lib. ſummæ *ſuæ* & Johannes de Poliaco in quod l. 3. *Et ideò non eſt veriſimile, quod Doctores moderni oppoſitum determinaverint: quod ſi feciſſent, dicendum eſt eos fuiſſe temerarios & præſumptuoſos.* Sub finem reſponſionis addit, *quod majoris auctoritatis eſt* Auguſtinus, Anſelmus & Bernardus, *quàm tota illa Univerſitas. Et ideò ſunt de præſumptione redarguendi illi Magiſtri, ſi contra Doctores Sanctos aliquid determinare præſumpſerunt.* Editionem Bandelli ſequimur quæ teſtante Echardo prodiit in 12. Seculo XVII. circiter medio. Miramur Launoium qui è Dominicano veterum Scholaſticorum teſtimonia mutuatus eſt, ad hæc non attendiſſe.

tionis partem quæ Viginem dum conciperetur ſpeciali Dei munere ab originali culpa fuiſſe immunem affirmat, & pietari, fidei, & rectæ rationi & Scripturis divinis validè quadrantem decreverunt. *Et après avoir rapporté la définition du Concile de Baſle, qui a été rapportée ci-deſſus, on ajoute*, quorum furori, (*parlant de ceux qui ſoutenoient que la Vierge avoit été conçûe en péché*) ut alacrius & fortius occurramus atque reſiſtamus pro noſtra profeſſione, ordine & gradu, majorum noſtrorum veſtigia ſequentes univerſi tertio congregati poſt maturam & gravem deliberationem in ejus piiſſimæ doctrinæ, quæ benedictiſſimam Dei matrem ab originali peccato Dei dono ſingulari fuiſſe præſervatam affirmát, quamque jampridem veram credidimus & credimus deffenſionem & propugnationem ſpecialem ſacramento conjuravimus noſque devovimus ſtatuentes ut nemo deinceps ſacro huic noſtro Collegio adſcribatur, niſi ſe hujus religiosè doctrinæ aſſertorem ſemper pro viribus futurum ſimili juramento profiteatur. *Et un peu après la Faculté déclare que l'opinion contraire eſt fauſſe, impie & erronée*, falſam, impiam & erroneam.

riam quæſtionis partem quæ Virginem dum conciperetur ſpeciali Dei munere ab originali culpa fuiſſe immunem affirmat, & pietati, fidei, & recta rationi & Scripturis divinis validè quadrantem decreverunt. Et relatâ Baſileenſi definitione jam memoratâ, hæc adduntur, *quorum furori* (maculati conceptûs Patroni compellantur) *ut alacrius & fortius occurramus atque reſiſtamus pro noſtra profeſſione; ordine & gradu, majorum noſtrorum veſtigia ſequentes univerſi tertio congregati poſt maturam & gravem deliberationem in ejus piiſſima doctrina, qua benedictiſſimam Dei matrem ab originali peccato Dei dono ſingulari fuiſſe præſervatam affirmat, quamque jampridem veram credidimus & credimus deffenſionem & propugnationem ſpecialem ſacramento conjuravimus noſque devovimus ſtatuentes ut nemo deinceps ſacro huic noſtro Collegio adſcribatur, niſi ſe hujus religiosè doctrina aſſertorem ſemper pro viribus futurum ſimili juramento profiteatur.* Et paulo poſt, opinionem contrariam Facultas declarat *falſam, impiam, & erroneam.*

Il faut maintenant faire quelques remarques ſur ce Decret pour le bien entendre.

La premiere eſt ſur ces paroles, majorum noſtrorum veſtigia ſequentes. *Ces Majeurs ne ſont pas bien anciens; ce ſont ceux principalement qui ont véeu depuis l'an* 1387. *auquel on remua cette queſtion dans la Faculté contre Jean de Monteſſon Jacobin; car au-deſſus de ce tems-là, les Docteurs en Theologie de Paris étoient dans le ſentiment que Notre-Dame avoit été conçûë en peché originel; j'en coterai quelques-uns des plus illuſtres en dignité, en doctrine, en ſainteté de vie, en remontant vers l'origine de la Faculté. Clement VI. Gregoire de Rimini Auguſtin; Guillaume Okam Cordelier; Nicolas de Lyra Cordelier; Pierre de la Paliſſe Jacobin, Patriarche de Jeruſalem; Durand de S. Portian Jacobin, Evêque du Puy, & depuis transferé à Meaux; Gilles de Rome Auguſtin, Confeſſeur de Philippe le Bel, & Archevêque de Bourges; Richard de Moyenville Cordelier; Innocent. V. Henri de Gand; Hugues Cardinal Jacobin; S. Thomas; S. Bonaventure; Albert le Grand Jacobin; Alexandre d'Ales Cordelier; Odo Chancelier de Paris & Cardinal;* [rr] *Guillaume Evêque d'Auxerre; Maurice Evêque de Paris;*

Ut Decreti ſenſum pleniùs aſſequaris quædam hic notanda ſunt.

Primum locum ſibi vindicant hæc verba: *majorum noſtrorum veſtigia ſequentes.* Non admodùm antiqui ſunt *majores* illi, cum iidem ſint qui ab anno 1387. vixere, quo quæſtio adverſùs Joannem Monteſonum in Facultate agitari cœpta eſt. Nam ſi elapſa ſecula reſpexetis, ab maculato conceptu ſtantes invenies, Theologos Pariſienſes. Quoſdam Facultatis originem ſcrutatus, recenſebo, dignitatum ſplendore, doctrinæ & morum ſanctitatis laude præſtantiſſimos. Clementem VI. Gregorium Ariminenſem Auguſtinianum, Guillelmum Okamum, Nicolaum de Lyra Franciſcanos, Petrum de Palitio Patriarcham Hieroſolimitanum, Durandum à Sancto Portiano Anicienſem deinde Meldenſem Epiſcopum, Prædicatores; Ægidium Romanum à Confeſſionibus Philipi Pulchri, Auguſtinianum & Bituricenſem Archiepiſcopum, Richardum de Mediavilla, Franciſcanum; Innocentium V., Henricum Gandavenſem, Hugonem Cardinalem Dominicanum, S. Thomam, S. Bonaventuram, Albertum Magnum Ordinis S. Dominici, Alexandrum Alenſem Franciſcanæ familiæ alum-

[rr] *Guillaume Evêque d'Auxerre*] Guillelmum Autiſſiodorenſem fuiſſe Epiſcopum, cum Launoio ſentiunt Miræus, Bellarminus, Poſſevinus, Labbeus, Dupinus & Oudinus. Repugnat Bulæus. Vide Diſſertationem Domini Le Bœuf Canonici & Succentoris Autiſſiodorenſis, *De vero auctore ſumma Theologica Guillelmi Autiſſiodorenſis*, quæ habetur p. 317. Tomi III. parte 2. operis inſcripti: *Continuation des Memoires de Litterature & d'Hiſtoire à Paris* 1727. in 12°. Latinè *Commentariorum ad rem Litterariam & Hiſtoricam pertinentium continuatio.* Docet ſcriptor nunquam fuiſſe, Guillelmum, Epiſcopum Autiſſiodorenſem; feliciter conjicit variis monumentis fretus hunc Autiſſiodori natum, fuiſſe Archidiaconum Belvacenſem.

Google

Paris; Pierre Chantre de l'Egliſe de Paris; Richard de S. Victor; le Maitre des Sentences, Evêque de Paris; Jean Belet, & Philippe Abbé de Bonne-Eſperance, de l'Ordre de Prémontré; Hugues de S. Victor. Voilà une grande & illuſtre partie des Docteurs en Theologie de Paris, fort maltraitez par les Auteurs du Decret, en condamnant leur opinion, de fauſſeté, d'impieté & d'erreur.

alumnum; Odonem Cancellarium Pariſienſem & Cardinalem; Guillelmum Epiſcopum Altiſſiodorenſem; Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, Petrum Eccleſiæ Pariſienſis Cantorem, Richardum à Sancto Victore; Magiſtrum Sententiarum Epiſcopum Pariſienſem; Joannem Beletum, & Philippum Abbatem Bonæ-Spei, Ordinis Præmonſtratenſis; Hugonem à Sancto Victore. Hìc habes maximam & nobiliſſimam partem Theologorum Pariſienſium, quorum Doctrinæ nota inuritur ab Decreti conditoribus, damnando opinionem de maculato conceptu, tanquam falſam, impiam & erroneam.

La 2e. eſt ſur Jean Gerſon Chancelier de Paris, qui a vécu depuis l'an 1387. & eſt mort 67. ans ſeulement, avant ce Decret. Voici ce qu'il dit dans un Traité qu'il a fait de Propoſitionibus ab Epiſcopo hæreticandis, *des Propoſitions qu'un Evêque peut déclarer héretiques.*

Secundo advertendum eſt ad hæc verba Gerſonis in Tractatu, *de Propoſitionibus ab Epiſcopo hæreticandis.* Gerſo autem vixit ab anno 1387. & ante Decretum ſexaginta & ſeptem annis ſupremum diem obiit.

3a. Concluſio. Ad Epiſcopos non ſpectat propoſitionem aliquam hæreticare, quæ ex ſe & ex jure penitùs dubia eſt an ad fidem pertineat repugnanter, neque eſt ſcandaloſa, & poteſt ſine periculo ejus veritas vel falſitas ignorari. Exemplum de iſtis. Poteſt Deus creare ſupremam ſpeciem, Deus non poteſt creare novam ſpeciem; Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, & de ſimilibus quæ apud maximos Doctores in Theologia non corruptos in affectu vel intellectu judicantur probabiles; neque ſcandaliſant, neque oportet eas ſcire ad bene vivendum vel credendum. *Ce grand Homme met au rang des opinions probables celle-ci;* Virgo Maria in peccato originali concepta eſt; *Et il l'y met d'une telle façon, qu'il ne croit pas qu'il ſoit au pouvoir d'un Evêque de la déclarer héretique; ni par conſequent declarer que la propoſition contraire,* Virgo Maria in peccato originali non eſt concepta, *ſoit de foi. Or il eſt certain que Gerſon ne ſeroit pas ſur ce pied-là d'avis que de ſimples Prêtres, quoi-que Docteurs, puſſent faire ce qu'il juge ne pouvoir être fait par un Evêque; il ne ſeroit donc pas d'avis que la Faculté qualifiât cette propoſition,* Virgo Maria in originali peccato concepta eſt, *de fauſſeté, d'impieté, & d'erreur.*

3a. *Concluſio. Ad Epiſcopos non ſpectat propoſitionem aliquam hæreticare, quæ ex ſe & ex jure penitùs dubia eſt an ad fidem pertineat repugnanter; neque eſt ſcandaloſa, & poteſt ſine periculo ejus veritas vel falſitas ignorari. Exemplum de iſtis. Poteſt Deus creare ſupremam ſpeciem, Deus non poteſt creare novam ſpeciem; Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, & de ſimilibus quæ apud maximos Doctores in Theologia non corruptos in affectu vel intellectu judicantur probabiles, neque ſcandaliſant, neque oportet eas ſcire ad bene vivendum vel credendum.* Vir Clariſſimus inter opiniones probabiles hanc recenſet; *Virgo Maria in peccato originali concepta eſt.* Et ita probabilem judicat, ut Epiſcopo hanc opinionem hæreticam contrariámque, ad fidem, ſpectantem, declarandi libertatem adimat. Quæ cum ita ſint certum eſt Gerſonem Presbyteris quamvis Doctoribus, non conceſſurum facultatem Epiſcopis ereptam. Non ergo cenſeret benè declaratam à ſacra Facultate, hanc propoſitionem, *Virgo Maria in originali peccato concepta eſt*, falſam, impiam & erroneam.

La troiſime eſt ſur la Declaration de ce qu'on appelle Concile de Baſle, que la Faculté prend pour le fondement de ſon Decret; mais nous avons fait voir par des raiſons invincibles, que ce fondement eſt ruineux, qu'on ne ſauroit le ſoûtenir. De plus, ceux qui ont fait cette Déclaration à Baſle, n'accuſent point l'opinion contraire à la leur, de fauſſeté, d'impieté, ni d'erreur, comme fait

Tertio notandum eſt ſacræ Facultatis Decretum niti Baſileenſi definitione, at nutare fundamentum illud nec arte ullâ fulciri poſſe, invictis argumentis jam probavimus. Præthereà Definitionis Baſileenſis Auctores, opinionem contrariam ſacræ Facultatis exemplum non æmulati, dicere noluere falſam, impiam & erroneam; Quod maximè attendendum, quaſi latuiſſet Concilio, declara-

la Faculté: & ceci eſt de la derniere conſequence; comme ſi le Concile de Baſle n'avoit pas vû où pouvoit aller ſa Déclaration.

La quatriéme, eſt que la Faculté contrevient poſitivement à la Conſtitution du Pape Sixte IV. qui ne touche point au fond de la doctrine des deux Propoſitions, ſavoir, Beata Virgo in originali peccato concepta eſt; & Beata Virgo in originali peccato concepta non eſt. *Et qui d'ailleurs ruine les qualifications dont la Faculté ſe ſert, pour noter la Propoſition affirmative; car en ſuite des qualifications de fauſſeté, d'impieté & d'erreur, il n'y a preſque point d'injures dont on ne puiſſe accabler les Défenſeurs de cette Propoſition affirmative*, Beata Virgo in originali peccato concepta eſt. *Voilà donc la Faculté de Theologie en diviſion avec le Pape Sixte IV. avec l'Egliſe Romaine & le S. Siege, & on ne peut pas nier que ce ne ſoit-là un très-grand ſcandale.*

La cinquiéme eſt, que la Faculté pour défendre ſon Decret contre la Conſtitution de Sixte IV. a fait dans la ſuite du tems une choſe qui ne doit pas être oubliée; il faut donc ſavoir qu'avant l'an 1497. il ſe trouve des proteſtations que les Bacheliers faiſoient au commencement de leurs Actes de Theologie, par leſquelles ils proteſtoient ſpecifiquement que leur intention n'étoit pas d'avancer aucune Propoſition qui fût contre la Foi & la détermination de l'Egliſe Romaine. On peut voir une ſemblable proteſtation dans le premier principe de Denis de Ciſteaux, ſur le premier Livre des Sentences. Cet Autheur vivoit environ l'an 1380. on en peut voir une autre ſemblable dans le commencement du Commentaire que Guillaume de Chaſteaufort a fait ſur les Sentences. Cet Autheur eſt mort Grand-Maître du College de Navarre l'an 1481. c'eſt à dire 15. ans avant que ce Decret de la Conception fut fait; mais depuis l'an 1497. que ce Decret fut fait, juſqu'en l'an 1575. il ne ſe trouve aucune proteſtation ſemblable à celle de Denis de Ciſteaux, & de Guillaume de Chaſteaufort. Qui plus eſt, douze Docteurs & neuf Bacheliers paſſerent un Acte l'an 1508. au mois de Juillet, par devant deux Notaires nommez Rigaudeau, & Crozon, par lequel ils reconnoiſſent qu'on n'a point coûtume de faire d'autre proteſtation au commencement des Actes de Theologie, que celle qui ſuit. In primis proteſtor quod nihil intendo dicere quod obviet aut ſit diſſonum Sacræ Scripturæ, aut deffinitionibus ſacrorum Conciliorum, aut etiam determinationibus ſacræ Facultatis Theologiæ Matris meæ, quibus adhæreo & adhærere ſemper intendo.

Après ces remarques on ne peut douter qu'il

tionis fructus.

Quarto notare par eſt apertè violari à ſacrâ Facultate, Decretum Sixti IV., qui doctrinæ Summam in his propoſitionibus contentam, *Beata Virgo in originali peccato concepta eſt; & Beata Virgo in originali peccato concepta non eſt*, intactam reliquit. Deinde Pontifex penitùs irritas facit notas illas affirmanti propoſitioni à ſacra Facultate inuſtas; ſtantibus enim notis falſitatis, impietatis & erroris; quibuſcumque conviciis affici poterunt affirmantis hujus propoſitionis patronis, *Beata Virgo in originali peccato concepta eſt.* Ergo ſacra Facultas diſſidet à Sixto IV. ab Eccleſiâ Romanâ & Sede Apoſtolicâ. Quis hinc maximum oriri ſcandalum negaverit?

Quinto maximè notanda eſt ratio quædam inita à ſacrâ Facultate ut Decretum tueretur adversùs Sixti IV. Bullam. Ante annum 1497., initio actuum Theologicorum conteſtabantur Baccalaurei ſibi in animo non eſſe, ullam proferre ſententiam quæ fidei & judicio Eccleſiæ Romanæ adverſaretur. Hujus conteſtationis formula habetur in primo Principio Dionyſii Ciſtercienſis in 1. Sentent. Dionyſius vitam agebat annum circiter 1380. Aliam videre eſt initio Commentarii quem in Sententiarum Magiſtrum ſcripſit Guillelmus Caſtrofortius; qui ſupremus Navarrici Collegii Magiſter obiit anno 1481. Quindecim annis ſcilicet ante vulgatum de conceptu immaculato Decretum; Verùm ab anno 1497. quo latum eſt, ad annum uſque 1575. nullæ extant conteſtationes, quales apud Dionyſium Ciſtercienſem & Guillelmum Caſtrofortium. Præterea, Doctores duodecim, & Baccalaurei novem inſtrumentum quoddam conſignarunt anno 1508. menſe Julio, apud Rigaudæum & Crozonem Tabelliones; quo inſtrumento profitentur, non aliam quàm hîc ſubjectam, conteſtationem proferri ſolere. *In primis proteſtor quod nihil intendo dicere quod obviet aut ſit diſſonum Sacræ Scripturæ, aut deffinitionibus ſacrorum Conciliorum aut etiam determinationibus ſacræ Facultatis Theologiæ Matris meæ, quibus adhæreo & adhærere ſemper intendo.*

His prænotatis, quis affirmare dubitet plenum

qu'il n'y ait une rupture toute entiere entre le Pape Sixte IV. l'Egliſe Romaine & le S. Siege d'un coſté, & la Faculté de Theologie de l'autre, ſur le ſujet de la Conception de la Vierge.

Paſſons maintenant à l'an 1575. *& en chemin faiſant il faut neceſſairement voir ce que* [a] *le Concile de Trente a ordonné touchant cette matiere; & c'eſt la troiſiéme choſe qu'il faut conſiderer, pour mettre fin à la demonſtration qui eſt commencée; voici donc ce qu'il a ordonné l'an* 1546. *en la Seſſion* 5. Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis quas innovat.

Les Regiſtres de la Faculté de Theologie nous vont apprendre ce qui fut fait 14. *ans après, ſavoir l'an* 1560. *le* 27. *Juin, dans la Cenſure de quelques Propoſitions que Pierre du Cheſne Gardien du Convent de Nivelle, & Gilles du Cheſne Gardien du Convent d'Athie envoyerent à la Faculté de Theologie pour les cenſurer.*

La quinziéme Propoſition eſt celle-ci: Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali, hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum quod contraxerat ex Adam, omneſque ejus afflictiones ex hac vita ſicut & aliorum juſtorum ſunt ultiones peccati originalis vel actualis, unde Job paſſus & Martyres propter peccata ſua.

La Censure est.

Hæc Propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei genitrici ac Sanctis injurioſa.

La Faculté continuë une pareille Cenſure l'an 1574. *ſur la fin. & l'an* 1575. *au commencement*, Anno Domini 1574. Joannes Maldonatus legebat libros ſententiarum Pariſiis in Collegio Claromontano; acriter diſputavit adverſus ſacram Facultatem Theologiæ Pariſienſis de immaculata Conceptione Beatæ Virginis, eandem Facultatem reprehendens quod ſacramentum exigeret à ſuis ut tenerent tanquam de fide, Beatem Virginem ſine peccato originali eſſe conceptam. His de cauſis Rector Pariſienſis Academiæ convocavit 4. Facultates quæ uno conſenſu, ſtatuerunt habendam eſſe expoſtulationem adverſus Maldonatum coram Reverend. Domino

num ac manifeſtum eſſe diſſidium de Virginis conceptu, inter Sixtum IV. Romanam Eccleſiam, Sedem Apoſtolicam, & inter ſacram Pariſienſem Facultatem?

Nunc ad annum 1575. veniamus, & obiter notandum eſt Tridentini Concilii de hac quæſtione Decretum. Quod tertiò conſiderandum, ut jam cœptum monſtrati Specimen, magis adhuc in propatulo ponatur. Anno 1546. Seſſ. 5. Decretum illud emiſit. *Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis quas innovat.*

Ex Commentariis Sacræ Facultatis accipimus quæ decimum poſt annum quidem, ſcilicet 1560. die 27. Junii. geſta ſunt; Cum cenſoriâ notâ confixæ ſunt propoſitiones quædam, ad ſacram Facultatem miſſæ à Petro Quercenato Nivellenſis Conventus, & Ægidio Quercenato Athienſis Conventûs Guardianis.

Decima quinta Propoſitio hæc eſt: *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum quod contraxerat ex Adam, omneſque ejus afflictiones ex hac vita ſicut & aliorum juſtorum ſunt ultiones peccati originalis vel actualis, unde Job paſſus & Martyres propter peccata ſua.*

Quæ Propositio sic notata est.

Hæc Propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica, & Beatæ Mariæ Virgini Dei genitrici ac Sanctis injurioſa.

Hæc ſimilia notare pergit ſacra Facultas exeunte anno 1574. & exeunte 1575. *Anno Domini* 1574. *Joannes Maldonatus legebat libros ſententiarum Pariſiis in Collegio Claromontano; acriter diſputavit adverſus ſacram Facultatem Theologiæ Pariſienſis de immaculata Conceptione Virginis, eandem Facultatem reprehendens quod ſacramentum exigeret à ſuis ut tenerent tanquam de fide, Beatam Virginem ſine peccato originali eſſe conceptam. His de cauſis Rector Pariſienſis Academiæ convocavit.* 4. *Facultates quæ uno conſenſu, ſtatuerunt habendam eſſe expoſtulationem adverſus Maldonatum coram Reverend. Domino Petro Gondio. Facultas autem*

[a] *Le Concile de Trente*] Secum pugnare videtur Launoius qui hanc declarationem à Sixto IV. non à Tridentinis Patribus in priori Opuſculi parte, vulgatam fuiſſe contendit.

mino Petre Gondio. Facultas autem Theologica cum alumnorum ſuotum mentem & ſententiam de avitâ doctrina & fide reſcire vellet Comitia indixit ſub juramento omnibus ſcholæ Magiſtris anno Domini 1575. menſis Febtuarii 15. quibus in Comitiis omnes Magiſtri octo aut novem exceptis qui ſtabant à partibus Domini Epiſcopi Pariſienſis.

Il faut remarquer qu'entre ces huit ou neuf, étoit Maitre René Benoiſt Curé de ſaint Euſtache Profeſſeur Royal en Theologie, un des plus ſavans hommes de ſon ſiécle, & qui ſeul en valoit plus de 50. autres, tant pour la profondeur de ſa doctrine, que pour la ſainteté de ſa vie.

Conceptis verbis declararunt ſe de fide tenere Beatam Virginem conceptam ſine maculâ originali. His de cauſis Dominus Epiſcopus Pariſienſis Cenſuram diſtrinxit adverſus Rectorem & præcipua ſuppoſita Pariſienſis Academiæ. *Il faut remarquer que l'Evêque de Paris aſſembla la Faculté chez lui, pour conſulter cette affaire, & que excepté le Doyen; le Syndic & le grand Maitre de Navarre, on fut d'avis de ne point condamner Maldonat. Entre ces Docteurs étoient Maitre Benoiſt, &c.* (ita in exemplari de M[e]. M.) Ubi veto magnos inde motus excitari vidit, mutatâ ſententiâ nominatim excommunicavit Magiſtros Adamum Sequart, & Jacobum Fabrum Syndicum ejuſdem Theologicæ Facultatis, pro quibus de ea excommunicatione ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu appellarunt omnes Facultates Univerſitatis. Quâ de cauſa acta frequentia facta ſunt; & ad ſummum Pontificem directa abſque ſucceſſu. Senatus autem improbavit Sententiam Domini Epiſcopi Pariſienſis.

Il y a ici de meilleures reflexions à faire ſur la conduite de la Faculté en cette rencontre, où elle déclare qu'il faut croire de foi, que la Vierge a été conçeuë ſans peché originel, & cela eſt conforme à la Cenſure de l'an 1560. où la Propoſition qui dit, que la Vierge eſt conceuë en peché originel, eſt condamnée comme Heretique.

1. *La Faculté ſe ſepare de ſon Concile de Baſle, dont la définition ſert de fondement à ſon Decret. Le Concile ne declare point qu'il faille tenir de foi que la Vierge a été exemte en ſa Conception de peché; la Faculté au contraire, declare nettement qu'il eſt de foi que la Vierge n'a pas été conçûë en peché originel: Voila une grande oppoſition entre le fondement, & la choſe fondée.*

2. *La Faculté ſe ſepare de l'Egliſe Romaine & du Saint Siege, qui au raport de Sixte IV. n'ont encore rien décidé ſur cette ma-*

tem Theologica cum alumnorum ſuorum mentem & ſententiam de avitâ doctrina & fide reſcire vellet Comitia indixit ſub juramento omnibus ſchola Magiſtris anno Domini 1575. *menſis Februarii* 15. *quibus in Comitiis omnes Magiſtri octo aut novem exceptis qui ſtabant à partibus Domini Epiſcopi Pariſienſis.*

Notandum eſt inter octo illos aut novem Magiſtros fuiſſe Renatum Benedictum Sancti Euſtachii Parochum, Regium Theologiæ Profeſſorem, unum è doctiſſimis ætatis ſuæ qui unus erat inſtar quinquaginta doctorum & amplius, tam propter Doctrinæ ſublimitatem quam vitæ ſanctitatis laudem.

Conceptis verbis declararunt ſe de fide tenere Beatam Virginem conceptam ſine maculâ originali. His de cauſis Dominus Epiſcopus Pariſienſis Cenſuram diſtrinxit adverſus Rectorem & pracipua ſuppoſitu Pariſienſis Academia. Advertendum eſt ab Epiſcopo Pariſienſi congregatam eſſe in Epiſcopali domo, ſacram Facultatem, ut quæſtio diſcuteretur; Omneſque præter Decanum, Syndicum, & Supremum Navarrici Collegium ſenſiſſe non damnandam Maldonati opinionem. Inter illos Doctores fuere Benedictus &c. (*ita in Exemplari M. M.*) *Ubi vero magnos inde motus excitari vidit, mutatâ ſententiâ nominatim excommunicavit Magiſtros Adamum Sequart, & Jacobum Fabrum Syndicum ejuſdem Theologica Facultatis, pro quibus de ea excommunicatione ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu appellarunt omnes Facultates Univerſitatis. Quâ de cauſa acta frequentia facta ſunt; & ad ſummum Pontificem directa abſque ſucceſſu. Senatus autem improbavit Sententiam Domini Epiſcopi Pariſienſis.*

Quædam hîc longè utiliores occurrunt conſiderationes. de ratione ac viâ quam in hac cauſa habuit ſacra Facultas, pronuncians *de fide tenendum eſſe Beatam Virginem Conceptam ſine maculâ originali*, & hæc mitè conſentiunt cum Cenſurâ latâ anno 1560. quâ propoſitio de maculato Virginis conceptu hæretica declaratur.

1. Diſſidet Facultas à Concilio Baſileenſi, cujus definitione innititur Decretum. Conceptum Virginis immaculatum de fide tenendum non tradit Concilium; hunc ad fidem pertinere judicant Pariſienſes Theologi. Quam magnum diſcrimen fundamentum inter & rem ſtabilitam.

2. Diſcedit ſacra Facultas ab Eccleſiâ Romanâ & à Sede Apoſtolicâ, à quibus, referente Sixto IV. nondum quidquam deciſum eſt.

matiere; mais la Faculté décide qu'il eſt de foi que la Vierge ſoit conçuë ſans peché originel. Quelle oppoſition entre l'Egliſe Romaine & le Saint Siege d'une part, & la Faculté de l'autre!

3. *La Faculté ſe ſepare du Pape Sixte IV. qui ne touche point ni à l'une ni à l'autre Propoſition*, Virgo concepta eſt in peccato originali; Virgo non concepta eſt in peccato originali: *Il laiſſe la liberté aux Défenſeurs des deux Propoſitions, d'en penſer & d'en écrire ce qu'ils voudront, pourveu qu'ils ne ſe traitent point les uns les autres d'Heretiques; & qu'ils ne s'accuſent point les uns les autres d'avoir peché mortellement en écrivant ou en prêchant. La Faculté oſte cette liberté par ſa Cenſure de l'an 1560. & par ſa definition de Foi; & par une ſuite neceſſaire, elle met le monde en poſſeſſion de dire, que ceux qui ne défendent pas la Conception immaculée, ſont Heretiques.*

4. *La Faculté ſe ſepare du Concile de Trente, qui reçoit & autoriſe la Conſtitution de Sixte IV. pour ſervir de regle generale en cette matiere.*

5. *La Faculté encourt*, ipſo facto, *la Sentence d'excommunication dénoncée par le Pape Sixte, dont la Conſtitution a été renouvellée par le Concile de Trente, ſous les mêmes peines qui avoient été décernées par ce Pape aux contrevenans, cinq mois & un jour après la Sentence de Monſieur l'Evêque de Paris, par laquelle Maldonat fut renvoyé de l'accuſation d'Hereſie à lui impoſée, au ſujet de la Conception de N. Dame. Et après que le Recteur & ſes principaux Suppoſts, les Doyen & Syndic de la Faculté de Theologie furent excommuniez, pour avoir contrevenu au Decret du Concile de Trente rapporté ci-devant. Toutes les Facultez s'aſſemblerent le 18. Juin de la même année 1575. & declarerent que Monſieur l'Evêque de Paris n'avoit pas la puiſſance d'excommunier ni le Recteur, ni les Perſonnes principales de l'Univerſité, & condamnerent en outre l'opinion de Maldonat d'Hereſie. Voici les paroles tirées des Regiſtres des Procureurs de la Nation de France:* Rurſus 18. ejuſdem menſis Junii eædem Facultates fuerent convocatæ ſuper anathemate Epiſcopi Pariſienſis, qui quoniam Dominus Tiſſart Rector propoſuerat omnibus Facultatibus dictos articulos Maldonati, cum & cæteros Academiæ Primarios anathemate percuſſit, declaratumque eſt & concluſum Epiſcopum Pariſienſem non poſſe ferire anathemate neque Rectorem, neque cæteros Academiæ Proceres; eademque Congregatione fuit condemnata opinio Maldonati tanquam Hæretica.

La

eſt. Contra ſtatuit ſacra Facultas de fide tenendum immaculatum Virginis conceptum. Quam minus ſibi cohærent hinc Eccleſia Romana & Apoſtolica Sedes, illinc Pariſienſes Theologi!

3. Sacra Facultas à Sixto IV. recedit, qui utramque propoſitionem intactam relinquit, *Virgo concepta eſt in peccato originali; Virgo non concepta eſt in peccato originali:* Utriuſque propoſitionis Patronis, quæcumque ſcribendi ac cogitandi copiam facit, modo mutuam ſibi hæreſeos notam non inurant, nec ſe ſe mutuo lethalis peccati populares faciant, ſeu ſcribendo, ſeu predicando. Quam copiam adimit cenſura Facultatis de fide definientis, lata anno 1560. Ex quo neceſſario conficitur, penes omnes eſſe, hæreſeos notam inurere, opinioni de maculato conceptu.

4. A Concilio Tridentino diſcedunt Pariſienſes Theologi, quod præſcripſit obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti IV.

5. Incurrit *ipſo facto* ſacra Facultas excommunationem à Sixto illatam, cujus Decretum ab Tridentina Synodo innovatum eſt, ſub iiſdem pœnis quas infractoribus irrogarat Pontifex, intra menſes quinque & diem unum poſt latum ab Epiſcopo Pariſienſi judicium, quo Maldonatus hereſæos accuſatus de Virginis conceptu, ab omni culpa vacuus, dimiſſus eſt. Cum vero Rector & aſſeclæ, Decanus & Syndicus ſacræ Facultatis anathemate percuſſi ſunt, ob violatum jam memoratum Tridentinæ Synodi Decretum; Facultates omnes in unum convenere, die 18. Junii, & denunciarunt non poſſe Epiſcopum Pariſienſem anathemate ferire neque Rectorem neque cæteros Academiæ Proceres, & prætérea Maldonati opinionem, hæreticam dixere. Id conſtat ex ſubjectis verbis, prout extant in Commentariis Procuratorum Gallicanæ Nationis: *Rurſus 18. ejuſdem menſis Junii eædem Facultates fuerunt convocatæ ſuper anathemate Epiſcopi Pariſienſis, qui quoniam Dominus Tiſſart Rector propoſuerat omnibus Facultatibus dictos articulos Maldonati, cum & cæteros Academiæ Primarios anathemate percuſſit, declaratumque eſt & concluſum Epiſcopum Pariſienſem non poſſe ferire anathemate neque Rectorem, neque cæteros Academiæ Proceres; eademque Congregatione fuit condemnata opinio Maldonati tanquam hæretica.*

Con-

La Faculté de Theologie, & les autres Facultez confirment derechef leur rupture avec leur Concile de Baſle; avec le Pape Sixte IV. avec l'Egliſe Romaine, & le Saint Siege; avec le Concile de Trente; avec leur propre Evêque de Paris, lors qu'elles déclarent que cet Evêque ne peut pas les excommunier, ſans alleguer autre titre d'exemption de la Juriſdiction Epiſcopale. Et lors qu'elles condamnent l'opinion de Maldonat d'hereſie, ſavoir que la Vierge a été conceuë en peché originel: La Particule tanquam, *jointe à* hæretica, *ne diminue point la ſignification du mot* Hæretica, *mais elle la confirme & l'aſſure devantage. Premierement, pour oppoſer au terme* de fide *que la Faculté de Theologie employe dans l'Acte qui a été extrait de ſes Regiſtres; la maxime y eſt expreſſe,* oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia. *Secondement, la Particule* tanquam *a cette ſignification dans les Auteurs de la langue Latine: Plaute,* in cæteris mihi dedit tanquam ſuo filio, *c'eſt à dire,* ſuo revera filio. *Troiſiémement, ce qu'on appelle Concile de Baſle dans les Regiſtres de la Faculté en l'an* 1497. *entend cette Particule de même façon, dans la Déclaration de la Conception immaculée, en diſant,* Doctrinam tanquam piam & conſonam Cultui Eccleſiaſtico.

Voilà la demonſtration achevée de l'état de la Faculté de Theologie. Premierement, avec l'Egliſe Romaine & le S. Siege, depuis l'an 1497. *juſqu'en* 1575. *Secondement, avec le Concile de Trente, depuis l'an* 1546. *juſqu'en l'an* 1575. *& cet état eſt une veritable rupture & un ſchiſme très-formel, en ce qui concerne la Conception de Nôtre-Dame.*

Au reſte il eſt certain que cette rupture & ce ſchiſme, tant avec Rome & le Concile de Trente, qu'avec l'Evêque de Paris, ne finirent pas cette année-là, ſavoir l'an 1575. *ils continuerent, mais il eſt difficile d'en ſavoir preciſément le tems. La continuation de cette rupture & de ce ſchiſme eſt marquée dans un Livre intitulé* Perroniana ſive excerpta ex ore Cardinalis Perronii, *qui a été imprimé l'an* 1669. *C'eſt en un lieu où il eſt parlé de la Conception de Nôtre-Dame. Monſieur le Cardinal de Goudi me dit, il y a environ* 20. *ans, que la Sorbonne voulut s'aſſembler, pour décerner quelque choſe touchant la Conception de la Vierge Marie, & ordonna qu'il étoit* de fide *de croire qu'elle étoit conçüe ſans peché; il leur envoya dire qu'ils ne le fiſſent pas: ils ne laiſſerent pas de paſſer outre, & lui les excommunia: Ils en appellerent comme d'abus; l'abus fut jugé, & eux renvoyez pardevant lui; & ils ſe vinrent tous jetter à ſes pieds, & demanderent*

Confirmant ſacra Facultas, ceteræque diſſidium cum Baſileenſi Synodo, Sixti IV. Eccleſia Romanâ, & Sede Apoſtolicâ, cum Tridentinis Patribus & Pariſienſi Epiſcopo, dum conteſtantur non poſſe Pariſienſem Antiſtitem, Facultas anathemare ſerire, nullo alio memorato inſtrumento, quo Epiſcopalis Juriſdictionis ſe imunes & liberos comprobent; Dum Maldonati de maculato conceptu, opinioni hæreſcos notam inferunt: Particula *tanquam* præfixa huic voci, *Haretica*, nedum notæ vim leniat ac mitiget, ut potius augeat ac corroboret. 1°. Ut opponatur voci *de fide* quam in inſtrumento è Commentariis deprompto, adhibuit ſacra Facultas, ex illo vulgato effato, *oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia.* 2°. Vim illam obtinet Particulam *tanquam* apud Latinos. Plautus, *in cateris mihi dedit tanquam ſuo filio*, nempè, *ſuo revera filio.* 3°. Concilium illud quod in Commentariis anno 1497. Baſileenſe appellatur, in Decreto de immaculato conceptu, eam particulam ita interpretatur: *Doctrinam tanquam piam & conſonam Cultui Eccleſiaſtico.*

Habes hìc Specimen ubi in propatulo ponitur quomodo in his quæ ad Virginis conceptum pertinent affecta fuit ſacra Pariſienſis Facultas. 1°. Erga Eccleſiam Romanam & Sedem Apoſtolicam ab anno 1497. ad annum uſque 1575. 2°. Erga Tridentinam Synodum ab anno 1546. ad annum uſque 1575. qui ſtatus verum diſſidium, & ſchiſma certiſſimum eſt.

Præterea conſtat non anno 1575. ab Romano Epiſcopo & à Tridentino Concilio, diſſidere deſiiſſe ſacram Facultatem; Quamvis incertum eſt quo tempore diſſidium propagatum ſit, hanc vero diſſidii & ſchiſmatis propagationem tradit Liber cui titulus; *Perroniana ſive excerpta ex ore Cardinalis Perronii*, in lucem editus anno 1669. in eo loco ubi de Virginis conceptu. „Ab Eminentiſſimo Cardinali Gondio accepi à viginti ſermè annis, Sorbonicos Doctores „congregatos, ut de fide tenendum Virginis conceptum immaculatum pronunciarent, miſit qui dicerent ut ab ejuſmodi Decreto abſtinerent. At nihil attenderunt, „Gondius eos Anathemate ſeriit. Tamquam ab abuſu appellarunt ad Senatum „Pariſienſem; cujus judicio Sorbonici Doctores ad judicium Epiſcopale dimiſſi ſunt, „omneſque ad Cardinalis pedes provoluti, „abſolutis beneficium petiere. Atqui hæc contigiſſe veriſimile eſt ante annum 1589. quo

derent l'abſolution. Or apparemment cela eſt arrivé avant l'an 1589. *que Monſieur Prevot, Curé de S. Severin, fit imprimer un Livre intitulé*, Ad Tractatum de Clericis præſertim Epiſcopis qui participarunt in divinis ſcienter & ſponte cum Henrico Valeſio poſt Cardinalicidium. *L'Autheur de ce Traité étoit Genebrard, à qui Monſieur Prevoſt fit une réponſe, dans la quelle il parle de cette affaire, & dit à Genebrard qu'il avoit mal traité les Autheurs de la reſolution de la Faculté de Theologie, de la Conception immaculée de Nôtre-Dame:* Quod inſuper tam convitioſè memoras de anathematis ſententia vel potiùs comminatione ejuſdem Præſulis Pariſienſis in proceres viros Pelleterium Decanum, & Fabrum Syndicum ſacræ Facultatis in controverſia excitata circa immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem quid eſt etiam quod Hæreticorum aures oblectet magis, quam iſtarum inter Catholicos contentionum & diſſidiorum per te renovata memoria, quæ divinæ providentiæ & ſanctæ Sedis beneficio jampridem velut oblivione ſopita jacebat. Quid an non memor eſſe debet reſcripti Apoſtolici à ſancta Sede ad ſacrum veſtrum ordinem tunc temporis miſſi, ut finis ejuſmodi contentionibus imponeretur, quod ſcilicet ſummus Pontifex provida, ſollicitudine & paterna auctoritate ſtatuit & monuit ne in poſterum de iſta quæſtione ulla moveretur inter Catholicos controverſia, in præjudicium Decreti Concilij Tridentini, idque cum ex æquitatis temperamento ut laudato quidem zelo & ſalvo honore Theologorum Patrum in aſſerenda immaculatæ Virginis Conceptione, probaverit tamen & confirmaverit Sententiam dicti Præſulis de Conceptione utpote Tribentinæ Synodo conſentaneam.

Il n'eſt pas hors de propos de rapporter ici le Jugement que fit le grand & illuſtre Cardinal du Perron, touchant la queſtion de la Concept. de la Vierge. Ils tiennent en Sorbonne, dit-il, au même lieu, que la Vierge n'eſt pas conçeuë en peché originel, contre S. Thomas; On peut tenir l'une & l'autre opinion; S'il y en a une des deux qui ſoit la meilleure, je crois que c'eſt celle des Jacobins, qui eſt la plus conforme à la doctrine de S. Auguſtin, & des Anciens. Scotus & tous les autres ſont d'avis contraire.

Maintenant il eſt neceſſaire de parler de * *la Formule dont on ſe ſert aujourd'hui, pour faire jurer les Docteurs quand ils entrent dans l'Aſſemblée de la Faculté de Theologie, pour y prendre leur place, la voici.*

Item jurabitis quod tenebitis determina-

tio-

quo Prevotus Sancti Severini Parochus Librum edi curavit cui titulus; *Ad Tractatum de Clericis præſertim Epiſcopis qui participarunt in divinis ſcienter & ſponte cum Henrico Valeſio poſt Cardinalicidium.* Hujus Tractatûs auctor fuit Genebrardus; cui reſpondit Prevotus ar in hac reſponſione, negotium illud attingitur; & accuſatur Genebrardus malè habuiſſe decreti de immaculato conceptu Auctores. *Quod inſuper tam convitioſè memoras de anathematis ſententia vel potiùs comminatione ejuſdem Præſulis Pariſienſis in proceres viros Pelleterium Decanum, & Fabrum Syndicum ſacræ Facultatis in controverſia excitata circa immaculatam Dei paræ Virginis Conceptionem quid eſt etiam quod Hæreticorum aures oblectet magis, quam iſtarum inter Catholicos contentionum & diſſidiorum per te renovata memoria, quæ divina providentia & ſancta Sedis beneficio jampridem velut oblivione ſopita jacebat. Quid an non memor eſſe debet reſcripti Apoſtolici à ſancta Sede ad ſacrum veſtrum ordinem tunc temporis miſſi, ut finis ejuſmodi contentionibus imponeretur, quod ſcilicet ſummus Pontifex provida, ſollicitudine & paterna auctoritate ſtatuit & monuit ne in poſterum de iſta quæſtione ulla moveretur inter Catholicos controverſia, in præjudicium Decreti Concilii Tridentini, idque cum ex æquitatis temperamento ut laudato quidem zelo & ſalvo honore Theologorum Patrum in aſſerenda immaculata Virginis Conceptione, probaverit tamen & confirmaverit Sententiam dicti Præſulis de Conceptione utpote Tridentina Synodo conſentaneam.*

Non ab re erit hîc judicium ab Illuſtriſſimo Perronio de Conceptu Virginis prolatum, recenſere. „Sorbona, *inquit libro jam* „*dicto*, ſtat ab immaculato Conceptu, con„traquàm ſentit Beatus Thomas. Utraque „opinio propugnari poteſt. Si verò unâ præſ„tet alii, Dominicanorum opinionem magis „Auguſtini & majorum doctrinæ conſonam „exiſtimo. Scotus aliique, aliter ſentiunt.

Nunc ſermo inſtituendus de juramenti Formula quo ſeſe obſtringunt Doctores, cum in ſacræ Facultatis comitiis locum obtinent.

Item jurabitis quod tenebitis determina-

tionem

* *La formule*] De hoc juramento Conſule Librum Antonii Arnaldi, cui titulus eſt: *Difficultez propoſées à M. Steyaert*: Latinè: *Magiſtro Steyaert propoſitæ difficultates.*

tionem Facultatis de Conceptione immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe. *En premier lieu, il faut remarquer auſſi que cette Formule eſt mal couchée dans le ſentiment de la Faculté; il falloit mettre* de Conceptione immaculata, *& non pas* de Conceptione immaculatæ Virginis. *En ſecond lieu, en mettant de* Conceptione immaculata, *il étoit ſuperflu d'ajouſter* videlicet quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe.

Or ceux qui jurent de tenir la détermination de la Faculté, ils jurent ou par rapport à la détermination faite l'an 1497. *& confirmée par trois fois une fois l'an* 1560. *& deux fois l'an* 1575. *ou par rapport à une détermination faite en un autre tems. S'ils jurent par raport à la détermination faite l'an* 1497. *& confirmee par trois fois, une fois, l'an* 1560. *& deux fois l'an* 1575. *Ils s'engagent par ſerment dans un ſchiſme avec l'Egliſe Romaine & le S. Siege; avec le Concile de Trente; avec l'Evêque de Paris. Outre cela ils ſe parjurent, ſelon la maxime d'Alexandre Pape au chap.* 46. *du Concile de Latran, où il preſidoit,* Dicenda non ſunt juramenta ſed perjuria quæ contra veritatem publicam & Sanctorum Patrum veniunt inſtituta. *Mais s'ils jurent par rapport à une détermination faite dans un autre tems, il eſt neceſſaire de ſavoir en quel tems elle a été faite; & ſi comme le premier ſerment étoit fondé ſur le Concile de Baſle, ce ſecond feroit fondé ſur un autre Concile, & s'il ſeroit compatible avec la Conſtitution de Sixte IV. receuë & authoriſée par le Concile de Trente; auquel cas de compatibilité celui qui jureroit s'engageroit par ſerment de tenir l'une ou l'autre opinion à ſon choix, parce qu'il n'y a encore rien de décidé par l'Egliſe Romaine, mais cet engagement doit être ſelon les conditions portées dans la Conſtitution de Sixte IV. c'eſt à dire, qu'on s'abſtiendroit de part & d'autre de dire des paroles injurieuſes, à peine d'excommunication; que celui qui contreviendroit encourroit* ipſo facto, *de laquelle il ne pourroit être abſous que par le Pape, hors l'article de la mort.*

Et c'eſt ici où il ne faut pas diſſimuler qu'il n'y a aucune Faculté de Theologie, quelle qu'elle ſoit, qui puiſſe ôter la liberté de choiſir l'une ou l'autre opinion qui eſt receuë & authoriſée par un Concile general, comme eſt celui de Trente. Et il faudroit que cette Faculté ſe mit au deſſus du Concile general, pour en limiter & borner le pouvoir.

Deux ſuites funeſtes de la conduite de la Faculté de Theologie, à l'égard de Maldonat, qui fondoit toute ſa diſpute ſur le Concile

tionem Facultatis de Conceptione immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe. 1°. Notandum eſt attentâ Facultatis opinione, non rectè ſcriptis expreſſam Formulam; dicendum erat *de Conceptione immaculatâ*, non verò *de Conceptione immaculatæ Virginis.* Supervacuum fuit addere. *Videlicet quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe.*

Atque jurantes ſe ſe Facultatis decretum tuituros, jurando reſpiciunt aut decretum vulgatum anno 1497. & ter confirmatum, ſemel ſcilicet anno 1560. & bis anno 1575., aut aliud judicium alio tempore prolatum. Si primum exequuntur, ſe ſe per juramentum adigunt in ſchiſma cum Eccleſiâ Romanâ, Sede Apoſtolicâ, cum Tridentinâ Synodo & Pariſino Antiſtite. Præterea perjuriſſimi ſunt juxta illud Alexandri Papæ eſſatum quod extat cap. 46. Concilii Lateranenſis cui præerat: *Dicenda non ſunt juramenta ſed perjuria quæ contra veritatem publicam & Sanctorum Patrum veniunt inſtituta.* Si verò ſacramento reſpiciunt decretum tempore alio conditum; tempora noſſe neceſſe eſt, vivendum præterea an ſecundum juramentum Concilio quodam innixum fuerit, ut primum Baſileenſi nititur, an conſiſtere poſſit cum Decreto Sixti IV. cui auctoritatem & fidem conciliavit Tridentina Synodus: Poſito quod ſtare poſſet, juratus, utramque opinionem ad arbitrium ſectari poſſet, cum nondum quidquam ſit ab Eccleſiâ Romanâ deciſum. Quæ vero obligatio ad leges Decreto Sixti IV. præſcriptas exigenda eſt. Scilicet, nemo ſub excommunicationis pœna aliter ſentientem conviciis & contumelioſis verbis afficeret; Infractores *ipſo facto* excommunicationem incurrerent, à quâ ab alio quàm à Romano Pontifice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere.

Hic verò diſſimulandum non eſt à quacumque Facultate eripi non poſſe libertatem, alterutram eligendi opinionem ab generali Concilio, Tridentino ſcilicet, ſuſceptam & comprobatam. Generali Concilio ſuperiorem ſe Facultas præberet, ſi auctoritati Synodi limites præſcriptos vellet.

Duo enata ſunt exitioſa incommoda è ratione ac viâ quam iniit ſacra Facultas erga Maldonatum qui omnem concertationem

ad

cile de Trente, contre la même Faculté de Theologie.

La premiere eſt qu'il ſemble que la Faculté ait pris plaiſir dans les années 1574. *&* 1575. *de verifier par ſes emportemens, & par ſa reſiſtance formelle aux ordres de ſon propre Evêque, une eſpece de Prediction de Calvin, qui eſt dans la Preface de ſon Antidote contre le Concile de Trente.* Si hodie, *dit-il*, Pariſienſi Sorbonæ allatum foret, Tridentinos Patres ab illius decretis vel uno apiculo diſcrepare, ſtatim, caleſactis cerebris, ad prælium concurrerent Magiſtri noſtri: nec modo Concilii auctoritatem pro nihilo ducerent, ſed unum quemque nominatim lacerarent atrociſſimis convitiis. *Cette verification a été confirmée en ce tems-ci, par la chaleur immoderée de ceux qui ſe ſont plaints en divers endroits d'une Harangue Latine, qu'ils n'ont point ouye que par les oreilles d'autrui, ou que s'ils l'ont ouye ils ne l'ont pas bien entenduë. Ce ſont gens inquiets qui ont bien voulu ſe choquer de la prudence de l'Orateur, prenant dans ſon Diſcours des precautions ſur la ſobrieté de l'Egliſe, qui dans l'Office de la Feſte de la Conception de N. Dame ne s'appliquoit point ſur la queſtion de l'immaculée Conception. Joint à ce que Pie V. qu'on venoit de beatifier, avoit oſté de l'Office de l'Egliſe Romaine un Office de la Conception immaculée, qu'on y avoit mis quelques années auparavant, & avoit enſuite renvoyé à ce qu'on en trouveroit au deſſus de deux cens ans dans l'Office de l'Egliſe; & c'eſt ce qu'on n'a pas encore cherché, de peur de le trouver.*

La deuxime eſt un grand reproche que la Faculté de Theologie fournit aux Heretiques d'à-preſent, contre le Concile de Trente. Ils diront que ce Concile s'eſt trompé dans la définiton de quelque point qu'on voudra, puiſque cette Faculté s'eſt engagée par ſerment de tenir de fide *la Conception immaculée de Noſtre Dame, contre l'expreſſe Declaration du Concile: lequel recevant & autoriſant la Conſtitution de Sixte IV. laiſſe la liberté des deux opinions de la Conception, ſavoir que la Vierge a été conçuë en peché originel, ou qu'elle n'y a pas été conçuë, pourveu que les Deffenſeurs de l'une ou de l'autre opinion, ne s'accuſent point les uns les autres d'hereſie, ou de peché mortel. Un Docteur en Theologie de Paris qui défendra la Foy par le Concile de Trente, contre un Heretique de ce tems, ſera accablé dans ſa propre ruine. Un autre ſera embaraſſé d'une telle objection, & ſera contraint de blâmer la Faculté de Theologie de Paris; & la diſpute ſe tournera en confuſion, & en la confuſion des Catholiques.*

ad Tridentinæ Synodi decretum revocabat.

Primum. Facultati gratiſſimum fuiſſe viſum eſt annis præſertim 1574. & 1575. furore & repetitis conatibus adversùs Pariſienſem Epiſcopum, comprobare quoddam Calvini vaticinium quod extat in Proemio Antidoti contra Tridentinum Concilium. *Si hodie*, inquit, *Pariſienſi Sorbona allatum foret, Tridentinos Patres ab illius Decretis vel uno apriculo diſcrepare, ſtatim, calefactis cerebris, ad prælium concurrerent Magiſtri noſtri: nec modo Concilii auctoritatem pro nihilo ducerent, ſed unum quemque nominatim lacerarent atrociſſimis convitiis.* Vaticinium illud ætate noſtrâ comprobatum eſt immodico ſtudio eorum qui variis in locis de Oratione quâdam latinâ conqueſti ſunt, quam per aures alienas audierunt, & cujus ſenſum, ſi audierunt, minùs benè aſſecuti ſunt: Homines ſunt inquieti qui ſe læſos putarunt Oratoris prudentiâ, exigentis Sermonem ad Eccleſiæ moderationem, quæ feſtum celebrando Conceptionis Mariæ, ſilet argumentum de immaculato Conceptu. Ad illud accedebat Pii V. recens in Beatorum numerum adſcripti factum quoddam; Pontifex ſcilicet ſuppreſſerat officium quoddam Conceptionis immaculatæ ante annos aliquot in Romanam Eccleſiam inductum, & poſtea conſulenda cenſuerat quæ ſupra annos ducentos in Eccleſiaſtico cultu occurrunt. Quod ne reperiretur, nondum quæſitum eſt.

Alterum hinc oritur incommodum quod multa Concilio Tridentino objiciendi locum ſufficiunt, Hæreticis noſtræ ætatis Theologi Pariſienſes. Inquient enim Hæretici Concilium in quovis alio definiendo articulo erraſſe, cum ſe ſe Pariſienſes ſacramento adigant ad tenendum *de fide* immaculatum Mariæ Conceptum, fruſtra reluctante Decreto Tridentinæ Synodi quæ amplexa Sixti IV. Decretum, Facultatem concedit, propugnandi maculatum vel immaculatum Conceptum dum utriuſque opinionis Patroni ſeſe hæreſeos aut peccati lethalis reos non prædicent, ſemet jugulabit Pariſienſis Theologus, Fidem adverſus ſeculi noſtri hæreticum, defenſurus. Alius nodo impeditus, ſacram Pariſienſem Facultatem cenſoriâ notâ ferire cogetur; ſic omnis concertatio ad ignominiam Catholicorum redibit.

DE CONTROVERSIA

SUPER EXSCRIBENDO PARISIENSIS ECCLESIÆ MARTYROLOGIO EXORTA

JUDICIUM.

Editum anno 1671.

JOANNES LAUNOIUS

FRANCISCO, ET JOANNI BAPT. BONGUERETIIS

Fratribus, Pariſienſis Eccleſiæ Canonicis.

CUR *ea in quæſtione, quæ tres inter Eccleſiæ matris veſtræ Canonicos ſuper Martyrologii veſtri deſcriptione nova movetur, meum qualecunque interponam judicium, cauſæ ſunt omnino quatuor. Et primùm quidem vos habuiſtis illud in votis, quibus ego propter veterem neceſſitudinem non potui non reſpondere. Agitur de Pariſienſi ipſamet Eccleſia, quæ ſimulatque adoptavit celebre Uſuardi Martyrologium, in eo quotannis ad* XVIII. *Calend. Septembris recitando erraſſe diu multùmque dicitur. Deinde fuerunt amici quidam è noſtrâ Facultate Theologiæ, à quibus illud ipſum, quod optaſtis, vehementer optatum eſt. Et quamvis amicitiæ leges non poſtulent, ut quis quid aggrediatur viribus ſuis majus; tamen poſtulant, ut quis quid pro modulo ſuo facere poteſt, ſtudioſè ac ſincerè faciat. Tum dignitas Romanæ Eccleſiæ, quæ læſa Pariſienſi non poteſt non lædi, cùm Romana olim æquè ac Pariſienſis Eccleſia Uſuardi Martyrologio uteretur. Hoc ſi noviſſet Cardinalis Baronius, in Martyrologio ſuo ad* XVIII. *Calend. Septemb. non ſcripſiſſet multa, quæ ſcripſit. Hæc retractaſſet utique, ut retractavit quæ in eodem Martyrologio ad* IX. *Calend. Februarii, ut ſancta Synoridis Antiochenæ martyrium confirmaret, lapſu graviore ſcripſerat:* De ea, *inquit*, & ſcribit ſanctus Joannes Chryſoſtomus Homilia IV. de Lazaro: de alia juniori nobilitate & pietate clarâ feminâ Synoride Sanctus Hieronymus epiſtola VIII. ad Demetriadem. *Synoris apud Chryſoſtomum par eſt Martyrum, Juventini ſcilicet & Maximini, qui ſub Juliano paſſi ſunt Antiochiæ. Synoris quoque apud Hieronymum aviam & matrem Demetriadis, Probam & Julianam importat. Galeſinius & Baronius ex appellativo nomine proprium, atque ex proprio Synoridem martyrem fecerant. Commonitus ab amicis, Petro Pithæo, Nicolao Fabro, Frontone Ducæo, Baronius, & textum Martyrologii jam à Pontifice de non aliâ cathedrâ, quàm de ſuâ probati, & notas ſuſtulit, atque errorem ſuum agnovit; ſic & agnoviſſet generis alterius errorem, ſi ſciviſſet quod neſciit, Romanam ſcilicet Eccleſiam olim uſam eſſe Uſuardi Martyrologio, quod vir quidam perverſè religioſus ante Baronium magna ſui parte mutilaverat, ad* XVIII. *Calend. Sept. Rebatur ſcilicet, ſed falsò, Martyrologii verba niti tantùm in epiſtolâ Paulæ & Euſtochio inſcripta, quam tunc temporis Eraſmus Hieronimo ſubjectam eſſe certis indiciis oſtendit. Hinc prima labes mali, quo laborantes Romana & Pariſienſis Eccleſia Martyrologii, quod Uſuardi erat, correctores auctoritate privatâ fecerunt, quod non feciſſent, ſi paullo magis in antiquâ Eccleſiæ traditione verſati fuiſſent. Quod autem obſervavi de Baronio, non obſervaſſem, niſi perſpexiſſem, illum in literaria concertationis campum perinde educi, ac ſi univerſim ad ejus partes tranſire cogeremur. Poſtremò ferre non potui, indictâ cauſâ damnari Eccleſias, & Monaſteria illa omnia, quæ in Galliis Uſuardi Martyrologio utebantur olim, hodiéque forſan utuntur. Quo in libro diſcrimen inter Dionyſium Areopagitam, & Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum ſtatui, permultas Eccleſias & Monaſteria, quæ Uſuardi Martyrologium probando ſuum fecerant, de nomine appellavi. Profectò facilius eſſet indicare Eccleſias & Monaſteria, quæ non utebantur Uſuardi vel Adonis Martyrologio, quàm quæ utebantur. Et quamvis auctore Gelſio diſſimulari nec debeat, nec poſſit veritas, id tamen diſſimulatum eſt, & continuò adversùs Eccleſias, & Monaſteria illa omnia repetita ſunt vindiciæ. Ne miremini, eſt & aliud quod fidem adhuc ſuperat: quibus ſæculis per tot Eccleſias, etiam Romanam, & tot Monaſteria celebrabatur Uſuardi Martyrologium, eorundem ſæculorum judicio damnatum conceptis verbis ponitur. Hoc autem ſcribere, quid eſt aliud, niſi literis*

abnti

abuti & otio, per quod tot Eccleſiarum & Monaſteriorum Martyrologii oppugnatoribus non licuit Commentarios breviores edere, & ἀνοησίας, inconſequenter dicta, ſecum pugnantia, contumelias ac πάρεργα, quibus pagina complures non tam implentur, quàm obruuntur, reſcindere? Quis leget hæc? Mihi verò tempus non defuit, quo miſſis, quæ intercurrunt, quæſtionibus, Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium exſcribendum eſſe tale, quale acceptum eſt ab initio, breviter confirmarem, & interjecta quædam obſtacula repellerem. De utroque pro æquitate & prudentia veſtra cenſebitis. Bene valete. Lauduni Calend. Octob. anno M. DC. LXX.

CUM nuper in Pariſienſis Eccleſiæ veſtræ Capitulo ſtatutum eſſet, ut illud Martyrologium, quod longo & frequenti uſu detritum erat & obſoletum, exſcriberetur; mota tunc fuit quæſtio, num quæ de beatæ Virginis dormitione Martyrologium ſemper habuerat uſque ad annum, ut volunt, M. D. XL. vel XLIX. retinerentur. Hunc ſcilicet ad annum quæ jam inde à tempore Caroli Magni Imperatoris invaluerat & irroboraverat lectio, expuncta eſt, & in ejus ſuffecta locum homilia, quæ ἀδέσποτος eſt, quæque, ſi adjuncta ſpectentur omnia, ἀδέσποτος eſſe non debuit. Sed quod ſactum eſt, non poteſt non eſſe factum. Igitur altercatione, quæ ex illo facti genere haberi poteſt, miſſâ, honeſtius erit atque utilius, ad quæſtionem ſe recipere, utrum retinenda ſint, vel non retinenda, quæ ante annum M. D. XL. vel XLIX. de beatæ Virginis dormitione recitabantur in Martyrologio Eccleſiæ.

Sunt tamen res quatuor, quas prænoſcere oportet.

Prima eſt, Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium, quod in quæſtionem venit, nullum auctoris nomen præ ſe ferre: ſicut nec præ ſe fert id Martyrologii genus in pleriſque Manuſcriptis atque editis exemplaribus.

Altera, Martyrologii hujus auctorem eſſe Uſuardum, eûmque Monaſterii ſancti Germani Pratenſis Monachum. Cujus rei notitia debetur Petro Pithæo, viro de literis bene merito, qui cùm haberet exemplar quoddam Martyrologii ſic inſcripti, primum ex eo folium detraxit, detractumque Sangermanenſibus Monachis dedit, ut uni ex multis, quæ tum habebant, & etiamnum habent, Martyrologii exemplaribus præfigerent.

Tertia, Uſuardum [a] à Carolo Magno Imperatore judicatum fuiſſe idoneum, qui conficiendo operi tanto vacavit, & opus ſuum Carolo inſcripſit. Quanta autem Uſuardi pietas atque eruditio fuerit, pietatis atque eruditionis vir Imperator hocce judicio confirmavit.

Quarta, Pariſienſem Eccleſiam Uſuardi Martyrologium ſuos inuſus derivaſſe, & illud ita probando ſuum feciſſe. Quo ex capite Pariſienſis Eccleſiæ æquè ac Uſuardi cauſa nunc agitur. Neque illud à quoquam, qui ſincero præditus eſt animo, jure denegari poteſt. Hinc prorſus efficitur, ut quæ propter Martyrologium hoc querimonia de Uſuardo inſtitueretur, de Pariſienſi Eccleſia inſtitui poſſet. Id ab eo, qui nullis partium ſtudiis ducitur, & veritatem gratiâ ſui quærit & amat, diſſimulari non licet. His autem præcognitis, ad rem aggredior, & mihi videri dico retinenda eſſe in deſcriptione Martyrologii, quæ ante annum M. D. XL. vel XLIX. Pariſienſis Eccleſia ſic legebat: XVIII. *Calend. Septemb. Dormitio ſanctæ Dei genitricis Mariæ. Cujus ſacratiſſimum corpus etſi non invenitur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus ſancti templum nutu & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.*

Rationes cur hæc Martyrologii verba retinenda eſſe videantur mihi, ſunt hujuſmodi.

Prima eſt, antiquitas Martyrologii, quod jam inde à Caroli Magni Imperatoris ævo per conſequentes annos omnes in Pariſienſi recitatum eſt Eccleſiâ, ſpectantibus & audientibus, quorum eſt divinis Officiis intereſſe. Huc non incommodè flecti poteſt Tertullianus, cùm in Apologetici capite XIX. ait: *Primam inſtrumentis iſtis auctoritatem ſumma antiquitas vindicat:* ſumma hîc eſt quæ ab initio conſcripti Martyrologii arceſſitur. Tertullianus pergit, & ait: *Religionis eſt inſtar fidem de temporibus aſſerere.* Quocirca cùm anno M. D. XL. vel XLIX. deſierunt recitari verba Martyrologii, id certâ quadam

accidit

[a] *A Carolo Magno*] Uſuardum tempore Caroli magni ſcripſiſſe dixere tum Launoius tum Claudius Jolius &c. At Hadrianus Valeſius p. 197. in parte poſteriori *Defenſionis diſceptationis de Baſilicis*, firmiſſimis argumentis probat, ſcripſiſſe temporibus Caroli Calvi. Ad quam Sententiam acceſſit poſtea Claudius Joli p. 50. *Epiſtola Apologetica ad Cardinales Retzium & Bellonium.* Pro Valeſio ſtat etiam in præfatione ſuâ ad Uſuardum, & in ſuâ Gallicâ Abbatiæ Sancti Germani Pratenſis Hiſtoriâ Bouillartus p. 44. ubi addit Carolo Calvo priùs dicatum ab Uſuardo Martyrologium quàm Imperatori à dignitate inſigneretur.

accidit novitate, quæ erroris ſuſpicione vacua eſſe non ſolet. Poterat tunc Pariſienſis Eccleſia cum Cæleſtino Papa dicere: *Deſinat novitas inceſſere vetuſtatem.* Poterat cum Sixto III. pronunciare: *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati: perſpicua majorum fides & credulitas nullâ cœni permixtione turbetur.* Poterat tum demum unicâ ignotum correctorem exceptione repellere: *Ni Uſuardi Martyrologium in poſſeſſione noſtrâ ſit, & fuerit à pluribus ſæculis; atque adeo poſſederim pro noſtro, illo ipſo tempore, quo ab ignoto correctore poſſeſſio turbari cœpta.*

Tunc fugiſſet homilia, nec duorum Pontificum Cæleſtini & Sixti vultum ſuſtinuiſſet diutiùs, & ignotus correctot juſſis æquiſſimæ legis obtemperaſſet. Per tot autem ſæculorum intervalla Pariſienſis Eccleſiæ Antiſtites & Canonicos de Martyrologio ſuo inaudiviſſe nihil qui diceret, ſpernendus eſſet, ne alioqui reſpondendo redderetur idoneus cui reſponderetur. Dictum eſſet hominis, qui difficultare rei præpediretur, qui veritatem nec quæreret, nec amaret, ſed eam volaticâ diſputatione involvere & inobſcurare conſtituit. Atqui hæc res eſt, cui ab eruditis & cordatis hominibus nunquam adſcribetur bonum ſactum.

Altera, Pariſienſis Eccleſiæ auctoritas, quæ tanta eſt, ut vix aliam reperias Eccleſiam, quæ annis ab hinc octingentis & quinquaginta tot virorum gravium & doctorum primi & ſecundi ordinis Sacerdotum numero majore floruerit. Infinitus eſſem ſi vellem ire per ſingulos, qui vel editis libris, vel celebri magiſterio Pariſienſem Eccleſiam & Academiam illuſtrarunt. Sed inter eos ne unus quidem fuit, qui relata Martyrologii verba corrigenda eſſe cenſuerit aut propoſuerit, qui tandem vel in Pariſienſi Synodo, vel in Eccleſiæ Capitulo; ne recitarentur verba hæc: *Plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere*, veruerit. Intelligebant viri prudentes, verba hæc Chriſtianam ſpirare modeſtiam, quæ præcipit in quæſtione tanti ponderis ſilendum eſſe, cùm Scriptura & certa Catholicæ Eccleſiæ traditio, Theologiæ veræ principia duo, non loquuntur. Intelligebant ab Eccleſiæ ſuæ Martyrologio removendum eſſe procul librum *de tranſitu beatæ Mariæ* inſcriptum, & Militoni Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopo perperam attributum, quem Romana Synodus anno CCCC. XCVI. inter apocryphos relegaverat. Intelligebant curandum ſibi eſſe, ne ſtolones, qui ex eo libro tanquam ex feraci malorum graminum ſolo renaſcebantur identidem, Eccleſiæ ſuæ corpus inficerent.

Tertia, Eccleſiarum complurium, & Romanæ maximè, cum Pariſienſi in Martyrologii doctrinâ conſpiratio. Et primùm quidem id teſtatur Martyrologium, quod anno M. D. VII. Rotomagi editum eſt, & hoc modo inſcriptum: *Aureum opus Martyrologium Sanctorum non immeritò dictum, quod mortalibus cunctis velut ſpeculum proponitur, in quo exemplo Sanctorum, quorum geſta ibidem recitantur, vitam ſuam emendare & corrigere valeant, noviter emendatum, ac ſuper quatuor exemplaribus, quorum tria aliàs Lugduni, Papiæ & Pariſiis impreſſa fuerant, reviſum & correctum, omnibus tam viris Eccleſiaſticis, quàm cæteris Chriſtianis perutile & neceſſarium*, AD USUM ECCLESIÆ ROMANÆ, *cæterarúmque omnium Eccleſiarum per orbem terræ diſperſarum.* Qui autem Martyrologium hoc edidit, is *Frater N. N. regularis obſervantiæ Ordinis Fratrum Minorum profeſſor* appellatur. In aditu Martyrologii prologum inſtituit, ubi lectorem de conſilio & opere ſuo monendum ita eſſe duxit: *Notandum, quòd licèt multi dederint operam ad compilandum Martyrologium, tamen fuerunt tres majoris auctoritatis, qui opus hujuſmodi tradiderunt. Primus fuit beatus Hieronymus, cujus operi duæ præmittuntur epiſtolæ, videlicet duorum Epiſcoporum ad ipſum, & ipſius ad eos, inferiùs annotatæ. Secundus fuit Beda, cujus operi aſſignatur ſecundus prologus, qui ſic incipit, Feſtivitates. Tertius fuit Uſuardus, cujus eſt tertius prologus infrà notatus; & ejus opus magis habetur in uſu apud multas Eccleſias, quæ etiam ejus operi creduntur aliqua in variis locis addidiſſe, præcipuè de feſtis & Sanctis pertinentibus ſpecialiter ad eaſdem, & cujus eſt Martyrologium ſubſcriptum, quod nos pro majori parte duximus eligendum præ aliis & tenendum:* In quo ad XVIII. Calend. Septembris habetur: *Dormitio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus ſacratiſſimum corpus, &c.* ut ſuprà in Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio. Porrò autem Martyrologium Pariſienſe, ad quod Franciſcanus ille Martyrologium ſuum recenſuit, Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium erat, quod Joannes [b] Muneratus Pariſienſis Theologus, & Regiæ ædis Navarrici Gymnaſii concentor anno M. CCCC. XC. juris publici fecerat, & Ludovico Bellomontano Pariſienſi Epiſcopo nuncupaverat, in quo & ad XVIII. Calend. Septembris quod jam relatum eſt, legitur: *Dormitio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus ſacratiſſimum corpus, &c.* Deinde

[b] *Joannes Muneratus*] Conſule Caput IV, Lib. 3. partis tertiæ Hiſtoriæ Gymnaſii Navarrici Pariſienſis.

Deinde id quoque teſtatur Joannes Molanus Lovanienſis Theologus, cùm anno M. D. LXXIII. Uſuardi Martyrologium in lucem emiſit hoc titulo: *Vſuardi Martyrologium, quo* ROMANA ECCLESIA, *ac permulta aliæ utuntur, juſſu Caroli Magni conſcriptum.* Molanus vir celebris Martyrologium hoc non priùs edidit, quàm cum plurimis exemplaribus impreſſis, & manu exaratis contulerit, & quæ Uſuardi nou ſunt, Italico charactere diſtinxerit. Ad XVIII. Cal. Septemb. id traditur, quod Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium repreſentat.

Tum Arnoldus Wionius Duacenſis Benedictinus Monachus, in libro quem vocat *Lignum vitæ*, de Uſuardo & Uſuardi Martyrologio ſic cenſet: *Uſuardus Monachus Martyrologii Sanctorum ſcriptor.* Et paullo pòſt: *Hic apparere in conſpectu Domini vacuus nolens, juſſu Caroli Magni Imperatoris poſt ſanctum Hyeronymum & Bedam ex ſcripturis veterum, geſta & paſſiones Martyrum, Confeſſorum, Virginúmque ſacrarum in unum volumen contulit, quod Martyrologium Uſuardi vocatum, & ab Eccleſia approbatum uſque in hunc diem perſeverat, & in* ROMANA ECCLESIA *aliquando & in aliis multis, Gallicanis præſertim, Germanicis, Hiſpanicis, Anglicanis, nec non Monachorum & Religioſorum domibus legi conſuevit poſt Primam.* Hæc apud Antonium Poſſevinum in Apparatu ſacro, qui & illa comprobando ſua fecit.

Poſtremò Philippus Labbeus è Societate JESU Theologus, in Hiſtorica Diſſertatione de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ubi & ſic de Uſuardo: [c] *Quo autem obierit anno non liquet. De eo Sigebertus cap. LXXXV. de viris illuſtribus: Provocatus, inquit, ſtudio Hieronymi, & Bedæ, & animatus juſſu Caroli Magni Imperatoris integrum Martyrologium effecit, & Joannes Trithemius, qui Iſuardum corruptè nominat, & anno DCC. LXX. alligat, quamquam ex præfatione Martyrologii conſtet, Carolo jam Auguſto, hoc eſt, poſt annum DCCC. fuiſſe munus illud literarium oblatam Joannes Molanus, Papyrius Maſſonus, Cæſar Baronius, Antonius Poſſevinus, Joan. Gerardus Voſſius, Joannes Bollandus, aliíque qui de Sanctis hac ætate commentati ſunt.* Hic Labbei teſtimonium affero, non propter Labbeum, qui [d] ſine idoneâ ratione mutavit ſententiam, ſed propter laudatos ab eo ſcriptores, qui non mutarunt ſententiam, crediderúntque ſemper, Uſuardum Caroli Magni, non Caroli Calvi tempore vixiſſe. Eſſe verò nunc dierum, qui tot Eccleſiis, nempe Gallicanis, Hiſpanienſibus, Anglicanis, Germanicis, & ROMANÆ, quæ cæterarum eſt caput, erroris dicam ſcribant, vix adduci poſſum ut credam, etiam dum lego. Nam vereor, ne mei me fallant oculi, nec antè vereri deſii, quàm alii bene oculati homines id ita eſſe mihi cońfirmaſſent. Quidquid in cauſa, facinus illud expoſuiſſe, confutaſſe eſt. Nam tot Eccleſiarum in eandem rem conſpiratio doctrinæ veræ apud Catholicos nota eſſe cenſetur, & qui cóntradicunt, ſectariorum numerum augere poſſunt, minuere non poſſunt.

Quarta, irreprehenſum ab initio Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium. Si quod editis operibus in Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio nunc tam acriter reprehenditur, reprehenſione tali dignum fuiſſet ab initio, graviſſimis non caruiſſet reprehenſoribus: omninò caruit, & tamen quod reprehenditur, non ut inexploratus, ſed ut exploratus per ætates ſingulas error reprehenditur. Ab initio dico, vel cùm editum eſt ab Uſuardo Martyrologium, vel cùm illud in Pariſienſis & cæterarum Eccleſiarum adoptionem venit. Conticuerunt omnes, nec ullus extitit, qui recitato ad XVIII. Calend. Septemb. obloqueretur Martyrologio. Beatus Athanaſius deceſſorem ſuum Dionyſium hoc argumenti genere defendit ab errore, quem Ariani objecerant. Id Facundus Hermianenſis Epiſcopus in libri x. capite v. egregiè perſequitur: *Quomodo autem dicant Neſtorianam eſſe Synodum non defendentem, nec aliquatenus excuſantem ſcripta Theodori, quem velut magiſtrum Neſtoris criminantur, cùm Athanaſium deceſſoris ſui Dioniſii defendentem dicere non audeant Arianum? Nam neque cum Ariani vellent quadam ex dictis venerabilis Dionyſii Alexandrini Epiſcopi in teſtimonium & aſſertionem ſui erroris adſciſcere, ut ex hoc oſtenderent, Arium non eſſe novi dogmatis inventorem: quippe cùm Dionyſius olim docuiſſet, facturam eſſe filium Dei, neque naturâ proprium, ſed extraneum ab eſſentiâ patris, & quia idem filius non erat, antequam fieret, aliáque ſimilia, quæ in eodem opere continentur. Athanaſius germanum ſpecimen, & probabile Catholicæ doctrinæ atque virtutis exemplum conſtanter excepit, & quamvis noſtris auribus dura, & ad excuſandum difficilia, defendere non refugit, & priùs eorum auctorem Dionyſium per hoc voluit eſſe purgatum, atque ab aliorum crimine alienum,* QUOD IPSE NON SICUT ARIUS CUM VIVERET,

[c] *Quo autem obierit anno &c.*] Id unum exploratum eſt, inquit, Bouillartus in ſuâ ad Uſuardum Præfatione, vitam ejus prorogari non poſſe ultra annum 877. Quibus momentis firmet opinionem ſuam, poſtea declarat.

[d] *Sine idoneâ ratione*] Non feliciter criticum agit Launoius, cum Valeſii Sententia quam amplexus eſt Labbeus, apud doctos, certiſſima habeatur.

VERET, DE IMPIETATE FUERIT ACCUSATUS, AUT DE EPISCOPATU DEJECTUS, NEQUE VELUT HÆRESIM DEFENDENS DE ECCLESIA SICUT ILLE DISCESSERIT, SED IN EJUS PERMANSERIT UNITATE. *Deinde melius hac ipſa interpretari conatus eſt. Unde convenientius puto, ut ſi non omnia; quia prolixum eſt, aliqua tamen in propriis verbis oſtendam: Etenim ait: Et Judaos, in quibus contra legem agebant, redarguebat Dominus dicens: Hoc Abraham non fecit: & iſtos impios & mendaces eadem ipſa veritas redarguit, quoniam Arii aliquid Dionyſius Epiſcopus neque cenſit, neque veritatem ignoravit. Sed & tunc temporis Judai, & nunc iſti novi à patre ſuo diabolo hanc furiam adversùs Chriſtum rebellem hareditati ſunt, quod magno indicio eſt, quia calumniari tantùm volunt illi viro, & non attendere.* QUOD NEQUE AB ALIIS EPISCOPIS DE IMPIETATE ACCUSATUS EST, AUT DE EPISCOPATU DEJECTUS, SICUT ISTI EX CLERICATU, NEQUE ILLE VELUT HÆRESIM DEFENDENS DE ECCLESIA DISCESSIT; SED IN EADEM TAMEN DEFUNCTUS EST, ET MEMORIA EJUS NUNCUSQUE CUM PATRIBUS CELEBRATUR, ET NOMEN EJUS SCRIPTUM EST. Hoc Athanaſii argumentum pro deceſſore Dionyſio, noſtrum quoque argumentum eſt pro Uſuardi Martyrologio, quod ſive per ſeſe, ſive ut adoptiva Pariſienſis Eccleſiæ nobilitate potitum attendatur, olim pravæ circa beatæ Virginis dormitionem opinionis accuſatum nuſquam fuit. Accuſatum verò fuiſſet ac redargutum, ſi iis omnibus quæ de dormitione Virginis ſcripſit, veræ Theologiæ principia duo, ſcriptura & Catholicæ Eccleſiæ traditio repugnaſſent. Commune nobis cum Athanaſio & Facundo argumentum Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium in tuto collocat, niſi quis Doctores tantos perperam philoſophatos eſſe recipiat, & bene confirmet.

Quinta, circum ſcripta in eodem ſæculo pro Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio, Adonis & Hincmari defenſio. Ado & Hincmarus Archiepiſcopi ſunt duo, Viennenſis unus, & Remenſis alter, qui Carolo Calvo rege Caroli Magni Imperatoris nepote claruerunt. Ado duobus in locis hac de re ſcripſit, & primò quidem in Martyrologio ad XVIII. Calend. Septembris, *Sancta Maria dormitio.* Deinde in libello de feſtivitatibus Apoſtolorum, &c. ad VI. Idus Septembris: *Cujus* (beatæ Mariæ) *dormitionem XVIII. Calend. Septembris omnis celebrat Eccleſia: cujus ut ſacrum corpus non invenitur ſupra terram, ſic nec beati Moyſis ſepulchrum, quem ſacra ſcriptura dicit à Domino ſepultum. Tamen pia mater Eccleſia, qua ſuis obſervationibus integerrimâ fide fundata conſiſtit, ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro carnis conditione eam migraſſe non dubitet. Ubi autem venerabile Spiritus Sancti templum illud, id eſt, caro ipſius beatiſſima Virginis Maria, divino nutu & conſilio occultatum ſit, magis elegit ſobrietas Eccleſia cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad ſanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam Evangeliſtarum teſtimonia, nec de eâ quarere ultrà neceſſarium putat.* Sic Ado ampliora quàm Uſuardus dicit, non dicturus ſine dubio, ſi tunc vetuiſſet Catholicæ Eccleſiæ traditio, ſi vetuſtiora Martyrologia, & Sanctorum acta & hiſtoriæ, quarum ope ſuum ſe teſtatur confeciſſe Martytologium, repugnaſſent. Qui apertiſſimam Adonis ſcriptionem contrariâ ſcriptione refutaverit, mortalium nullus invenitur. Nec mirum: univerſi tunc noverant id eſſe verum, quod Ado literis mandaverat; id verò falſum & apocryphum, quod Auctor libri de tranſitu beatæ Mariæ in vulgus ſparſerat, & quod ſectatores illius per ignorantiam vel ſimplicitatem receperant.

Hincmarus apud Flodoardum duobus in locis Hiſtoriæ Remenſis, ſe ut murum æneum libro de tranſitu beatæ Mariæ opponit, & Uſuardi ac Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium tuetur. Et primùm quidem in libri III. cap. V. *Libellum*, inquit Flodoardus, *de ortu ſancta Dei genitricis Maria, ſed & ſermonem beati Hieronymi de ipſius Domina aſſumptione ſcribi fecit, & tabulis eburneis auróque veſtivit.* Deinde in ejuſdem libri cap. XXIII. de ſcriptis Hincmari: *Item pro libello hiſtoria de ortu ſancta Maria, & homiliâ beati Hieronymi de aſſumptione ipſius Dei genitricis, qua quidam Monachus Corbeienſis non eſſe recipienda contendebat. Ad qua reſpondit idem dominus, prafatam hiſtoriam habere nos ad lectionem, non ad proferendam auctoritatem: homiliam verò eandem à ſancto Hieronymo aſſerit Catholicè dictatam, ſicut & ſtylus & cautela ſenſus & intellectus & alia certa indicia monſtrant, & certa perſona, per quas de partibus Orientalibus tempore certo delata ad regiones noſtras pervenit, fidem faciunt.* Cautio, me vide, vix adhiberi major potuit, tum ut ſervaretur recepta tunc temporis in Gallia de beatæ Virginis dormitione traditio, tum etiam nequid contra eam admitteretur. Timebat vir prudens, ne liber de tranſitu beatæ Mariæ inter apocryphos cenſitus in fidelium familiaritatem & conſuetudinem ſeſe induceret: Timebat ne populus in ſuperſtitionem pronior, & ad narrationes alias huic

libro

libro ab otioſis hominibus ſuperſtructas deflecteret. Sic Archiepiſcopi duo, qui doctrinæ apud Gallos principatum tenebant, Uſuardi, ac proinde Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium circunſtant: ſummæ videlicet auctoritates, quibus vix ſimiles aliæ, ſeu in Oriente, ſeu in Occidente, in hac temporis epochâ objici poſſunt. Qua adhuc ratione ad vexandum Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium aditus omnes intercluduntur.

Sexta, ad Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium ingentem adferentes acceſſionem patrocinii, Leo Imperator cognomento Sapiens, Odilo Cluniacenſis Abbas, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Auctor Sermonis de Aſſumptione beato Auguſtino adſcripti, Guibertus Novigentinus Abbas, Hugo Victorinus, Robertus Pullus Cardinalis, Richardus Victorinus, Joannes Belethus Pariſienſis Theologus, Romana Eccleſia, Petrus Bleſenſis, Durandus Mimatenſis Epiſcopus, Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus. De ſingulis igitur experiendum eſt.

Leo Imperator in oratione de dormitione Deiparæ: *Dei Matris diem feſtum honoramus: at qua qualiſve lingua illius, qua celebratur, honorem pro ipſius dignitate ac meritis exaquabit?* Infrà *Auſpicatur verò* (Gabriel) *gaudii ultro verba inclamans, quòd matrem Domini introduci videat in filii regiam: etenim Dei illud capax tabernaculum ab iis tabernaculis emigrans qua diſſolvuntur ad ea qua manent, atque conſiſtunt, transfertur, fluxámque ac labilem vitam nihil fluxa ac labili commutat, è terris ad calos tranſvehitur, qua mortalibus facta eſt ſcala, qua ad calos aſcendant. O miraculum! cum triſti morte commercium habet, qui tremendi cum ea commercii liberationem humano contulit generi, ac ſepulchri ſinus tabificos ſubit, ex cujus virginali utero integritas ac incorruptio exiſtit, obſcuriſque cavitatibus, ac ventre terra hoſpitatur, qua illos, qui in tenebroſis miſerè degebant anguſtiis, in luciaiſſimis manſionibus requie donavit. Quidnam hoc rei eſt? An vult hac rerum œconomia ac diſpoſitio, ut ipſa quoque, qua inſtaurationis humana communis cauſa eſſet, communi hominum hinc è vivis excedentium conſuetudine emigret, ne rerum omnium innovatio naturam neceſſitudine ac affinitate ſua privet? Quamobrem filii, cui caſtis manibus vehiculo fuerat, divinis manibus ſinceriſſimum ac puriſſimum ſpiritum tradens, atque à temporali diſcedens vita, aterna calorum regna obtinet, & ad omnis expertes umbra ſedes commigrat, Dei illa ſplendoribus celebrata domus, quam paſſis portis calum ſuſcipit ac ſuſceptione decentioris ac honeſtioris ſtatus acceſſione clareſcit.* Infrà: *Quoniam te mortalitatis meſſe ſucciſam conſequenter unà cum germine in divina horrea ferri oportebat, mortalium legi obſequeris, ac cum triſti & atra morte tu Sole illuſtrior congrederis. Quamquam ineffabilis claritatis praſentia nihil mortis illam ſeveritudinem moleſtam eſſe ſinit, cùm illa quidem manus, quibus omnia continentur, intemeratiſſimam ſuſciperent animam, mundum autem atque immaculatum corpus in puriſſima loca transferretur. Quòd Deum carne indutum geſtaſſes. De ipſa manibus geſtaris, ubi exuiſſes carnem Maternum obſequium tuo ſine patre filio detuleras, cùm ille mundum ingrederetur; nunc mundum ipſa egrediens, ejus viciſſim obſequio foveris, omni calitum choro, ac tripudio praeunte moreque ſupplicantium honorem habente: quemadmodum & priùs haud ita pridem ex Anna utero in lucem ſuſcepta, virgineo agmine ſupplicantium ritu in unum coacto honorabaris. Verùm tunc aliud quiddam erat quod fiebàs, aliaque ratione corpore praſentem Virgines corporibus amicta ſtipabant ac deducebant, aptè nimirum & conſentaneè corpori; nunc verò cùm exceſſeris corpore, Virginum anima corporeis vinculis exſoluta longè honorificentiùs deducunt.* Infrà: *Hoc planè quod in Benedicta hiſce ſolemniis feſtivè recolimus, quam Rex filiúſque mortis interventu ad ſe traducens, quà propria gloria facit participem, majori ſupra creata omnia gloria auget.* Hæc Leo, qui anno DCCCLXXXVI. ad Orientale acceſſit Imperium. In Leonis textu obſervamus potiſſimùm duo, & primùm quidem, beatam Virginem relicto corpore in cælum migraſſe: deinde ubinam corpus illud relictum, vel quid eo factum fuerit, non dici, quia ex certa & à ſcriptis apocryphis ſecreta & libera traditione dici non poterat. Franciſcus Combeſius eruditus, in lectione Patrum exercitatus, & ſincerus è Prædicatorum Ordine Theologus, qui Leonis orationes prælo ſubjecit, hæc notavit: *Laudat Leo celebri hoc encomio, quod fere nobis de Maria tranſitu compertum eſt, ut nimirum filii exemplo verè vivis exempta ſit, ac natura functa debito, tranſlato poſtmodum ejus tabernaculo, ac ſacro corpuſculo, quidquid tandem eo factum ſit, ſive, inquam, redivivum anima iterum copulatum eſt, ſive ſeorſim ab ipſa loco congruo depoſitum, ipſum pariter cum hominum reliquis corporibus excitandum, ſingulari prarogativa ejus filio, qui ſit vita auctor, ac nullo debito cum morte congreſſus ſit, ut brevi tantùm tridui ſpatio ipſam guſtaverit. Eadem ferè Andreas Cretenſis, ex quo Leo hanc doctrinam acceperit.* Sic Imperator ſapiens, & ejus Scholiaſtes Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio patrocinantur, & memoratam in eo

ſobrietatem Eccleſiæ confirmant. Imperator in Vindiciis Parthenicis cap. XCI. ægrè quidem, ſed tandem abire ſinitur ut Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologii fautor; non retinetur ut adverſarius. Eſt enim aliquando veritas adeo perſpicua, ut eam nullæ rerum verborúmque præſtigiæ poſſint obruere.

Odilo in Sermone de Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis, quem habet Cluniacenſis Bibliotheca: *De cujus*, inquit, *meritis & glorioſiſſima hodierna ejus Aſſumptione divinæ legis interpres, ſanctus videlicet Hieronymus, & alii egregii Doctores tanta ac talia potuerunt & noluerunt dicere*, QUIBUS NOS NON AUDEMUS ALIQUID, NEC DEBEMUS ADJICERE. Imitatur Eccleſiæ ſobrietatem, quam Uſuardus & Pariſienſis Eccleſia in Martyrologio ſuo tam ſapienter & appoſitè commendant.

Fulbertus in Sermone II. de Nativitate beatæ Mariæ Virginis: *Hic* (Joannes Apoſtolus) *miniſtravit ei poſt paſſionem & reſurrectionem Domini in finem: fuit autem ſepulta ſanctiſſima in valle Joſaphat, ubi eſt ædificata Eccleſia in honorem ejus, & ſanctus Joannes ſepultus eſt Epheſi. Pòſt verò cùm religioſi Chriſtiani reliquias matris ejus, videlicet Domini, reſcipere vellent, ſepulchrum vacuum invenerunt. Sed & in ſepulchro beati Joannis reſpicientes non invenerunt niſi manna. Credit itaque Chriſtiana pietas, quia Chriſtus Deus Dei filius matrem ſuam glorioſè reſſuſcitaverit, & exaltaverit ſuper cælos, & quòd beatus Joannes virgo & Evangeliſta gloriam ejus participare mereatur in cælis.* Multa ex iis quæ Fulbertus dicit, extant in Sermone, quem tunc omnes Hieronymo adſcribebant. Sed cùm de Chriſtiana pietate loquitur, facilè conſentit Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio, quod de publica & generali pietate Sermonem inſtituit. Fulbertus verò indicat pietatem nonnullorum fidelium, qui ut Mariæ, ita & Joannis Apoſtoli corpus aſſumptum eſſe crederent. At nunc paucorum hæc eſt in Joannem pietas.

Anſelmus in libri de excellentia Virginis capite VIII. laudes illius prædicat, & de glorificatione multa ſcribit. Sed de glorificatione corporis, ſeu de aſſumpto in cælum corpore conticeſcit, commendatam in Martyrologio ſobrietatem Eccleſiæ recordatus.

Ivo in Decreti parte IV. capite CLII. *De libro, qui eſt de tranſitu beatæ Mariæ, apocrypho, Hieronymus ad Paulam & Euſtochium: Si fortè venerit illud apocryphum in manibus veſtris de tranſitu beatæ Mariæ, dubia pro certis non recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore ſtudio legendi chariùs amplectuntur, præſertim ex his, cùm nihil aliud experiri poteſt pro certo, niſi quòd hodie beata Virgo migravit à corpore. Item multi noſtrorum dubitant, utrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an obierit relicto corpore. Qualiter autem migraverit à corpore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus ejus ablatum fuerit, vel ubi tranſpoſitum, utrumve reſurrexit, neſcitur: quamvis nonnulli adſtruere velint eam jam reſſuſcitatam, & beata jam cum Chriſto immortalitate veſtiri; quod & de beato Joanne ejus miniſtro (cui virgini à Chriſto virgo commiſſa eſt) plurimi aſſeverant, quia in ſepulchro ejus, ut fertur, nonniſi manna invenitur, quod & ſcaturire cernitur. Verumtamen quid horum veriùs cenſeatur, ambiguum eſt; melius tamen eſt Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committere, quàm aliud temerè definire velimus auctoritate noſtra, quod non probamus, ſicut & de his, quos cum Domino teſte Evangelio reſurrexiſſe credimus, ſed utrum redierint in terra pulverem, certum non habemus, niſi quòd legimus, quia multa corpora ſanctorum qui dormierunt, ſurrexerunt, & venerunt in ſanctam civitatem Jeruſalem, & apparuerunt multis: de quibus profectò nonnulli Doctorum ſenſerunt etiam, & in ſuis reliquerunt ſcriptis, quòd jam in illis perpetua ſit completa reſurrectio; fatentur enim, quòd veri Chriſti teſtes non eſſent, niſi & vera eſſet eorum reſurrectio.* Cùm Ivo ſuum faciat, quod in laudato à ſe Sermone traditur, reſpectum habet ad eam Eccleſiæ ſobrietatem, quæ in Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio commendatur.

Auctor Sermonis de Aſſumptione Virginis [e] B. Auguſtino adſcripti, operis conſilium ſic exponit in cap. II. *Memores conditionis humanæ mortem illam ſubiiſſe dicere non metuimus, quam idem certè ejus filius, qui & Deus & homo eſt, lege ſortis humanæ ſuſtinuit, & hoc quia homo de ejus ſuſceptus & profuſus eſt utero: ſed ſi dicimus eam mortis teneri vinculis, & reſolutam in communem materiam vermium ac cinerum, librandum eſt ſi hoc conveniat tantæ ſanctitati, tantæ aulæ Dei prærogativa.* Quod ubi momentis pluribus libravit ad certas quaſdam decori rationes attinentibus, Sermonem ita concludit: SI ERGO VERA SUNT, QUÆ SCRIPSI, TIBI GRATIAS AGO, CHRISTE, QUIA DE SANCTA VIRGINE MATRE TUA, NISI QUOD PIUM, AC DIGNUM VISUM, SENTIRE NON POTUI. SI ERGO DIXI UT DEBUI, APPROBA, CHRISTE, TU ET TUI, SI AUTEM NON UT DEBUI, IGNOSCE, OBSECRO, TU ET TUI. Profectò

[e] *B. Auguſtino*] Incerti auctoris ac pii hunc Sermonem ſeu librum eſſe, aiunt Editores Benedictini Tomo 6.

Profectò finem hunc Auctor ſermoni non imponeret, in quo quæ latè diſſeruiſſet, ad exploratam apertamque veritatem pertinerent. Ceterùm non dicit, quo in loco Maria mortem oppetierit, aut ſepulturam acceperit, aut quòd rediviva in cælum migraverit. Sed dicit tantùm videri ſibi Mariæ corpus non fuiſſe redactum in cineres, ſed incorruptum remanſiſſe; quod non eſt in cælo beari. Hæc autem omnia Uſuardi & Pariſ. Eccleſiæ Martyrologio facilè conſentiunt.

Guibertus Abbas Novigentinus in libri I. de pignoribus Sanctorum capite IV. §. I. *Sed quid*, inquit, *in iis verſor, cùm tanta ſit in totius ſancta Eccleſia ore pudicitia, ut etiam matris Dominica corpus reſurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet, quod neceſſariis argumentis comprobare non valeat; & cùm vas illud omni creatura poſt filium praclarius, quod Dominum Majeſtatis univerſorum contulit, quod nunquam ulli ne Angelica quidem natura licuerit, irremuneratum inhonoratùmque dimiſiſſe ad experientiam corruptionis, credere nefarium ſit, (praſertim cùm quod corpori ſuo glorificando debuerit, materno corpori, ex quo eſt quod eſt, redhibere obnoxius ſit) reſſuſcitatum nequaquam dicere audeamus, nec ob aliud profectò, niſi quòd probabilibus indiciis aſſeverare non poſſumus. Et ſi enim alìàs in diſſertione ſacra pagina ratio aliquoties ſola conveniat, rationem autem non adhibita ſcripturarum in ſe exempla contineant: hic tamen etſi ratio eam ad integrum corpore reſſuſcitato clarificatam opportuniſſima undecumque comportet; verùm quia evidentia probamenta non ſuppetunt, credere quidem de ipſa quidquid glorificatum eſt etſi facilè poſſumus, neutiquam verò approbare valemus. Ratio planè proculdubio evidens videtur, ut cùm multa quorumcumque Sanctorum corpora cum ejus filio reſurrexiſſe credantur, illa cujus caro non altera quàm filii eſt, praſertim qua nulla patris niſi ſola ſancti Spiritus in conceptu ejus fomenta cognoverit, quomodo ſub legibus antiqua maledictionis in pulvere terra reſederit, qua auctorem benedictionis ſingulariter electa protulerit, cùm ſine detrimentò, ſi dicere audeam, carnis filii eſſe non poſſit, ſi matris carnem ſub communi ſorte dimiſerit, & privilegium peregrina carni contulerit, quod matri ſua ipſius vera carni negaverit?* LATENTER QUIDEM ID MINIMÈ SENTIRE VETAMUR; QUIA TAMEN TESTIMONIA NON ADJACENT; ASSERERE PROHIBEMUR. *Si de illa, cujus gloriam metiri omnis creatura non pravalet, ea qua pramiſſa ſunt, dicere non poſſumus: de iis, quorum ſalus & perditio incerta ſunt, quid niſi ſilentium ſempiternum imperare debemus?* Guibertus eo videtur ſcripſiſſe conſilio, ut Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium confirmaret, & illud adversùs librum de tranſitu beatæ Mariæ, & libri exſcriptores aſſereret & vindicaret.

Hugo Victorinus in libri III. de eruditione Theologica cap. CXXV. *Septimum* (privilegium) *quòd cum corpore ſuo* (*quantùm credimus*) *in calo vivit. Licèt enim beatus Hieronymus hic opiniones ponat, non tamen factum abnuit, ſed rationi aſtuta tota fidei noſtræ colla ſubmiſit, in qua dicimus non impoſſibile Deo eſſe, ut illud divinitatis habitaculum ſingulare corruptioni non ſubjaceat vel in omnibus. Qui enim trium puerorum veſtimenta in camino ignis illaſa ſervavit, corpus matris propria incorruptum ſervare potuit & voluit.*

Hæc non ſunt Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio contraria. Nam cùm dicit, *quantùm credimus*, privatam nonnullorum credulitatem ſignificat, non communem & publicam, quæ in Martyrologio ſuſpenditur. Deinde rationes quibus utitur, ad rei congruitatem tantùm pertinent, non ad Eccleſiaſticum dogma, quod ex auctoritate ſcripturæ & Catholicæ Eccleſiæ traditione colligitur. Præterea in Bibliotheca Cœnobii Sancti Victoris abbreviatum Chronicum aſſervatur MS. & Hugoni attribuitur. In quo hæc leguntur: *Utrum autem eadem Virgo aſſumpta ſit cum corpore, an abierit relicto corpore; multi, ut ait Sanctus Hieronymus, noſtrorum dubitant*, &c.

Robertus Pullus Cardinalis & Rom. Eccleſiæ Cancellarius in Sent. part. V. c. II. *Quoniam ergo Chriſtus reſurrexit, de his quid ſentiendum, quos ſecum ab inferis reduxit?* Et paullo pòſt: *Reſtitutionem ergo anima & corporis nondum receperunt, ut majus ſit gaudium omnium, dum ſimul conſumantur.* UNDE CREDIBILIUS EST, SOLUM CHRISTUM IN GLORIAM RESURREXISSE, *ceteros autem peracto officii ſui teſtimonio in terram abſque moleſtia iterum reſolutos, expectantes modicum tempus, quouſque impleatur numerus fratrum ſuorum.* Hæc ſummam apud Romanos ſentiendi hac in materia libertatem important, quæ Martyrologii temperamento videtur indigere; ſed periculum eſt, ne ab iis, qui ad pauca reſpiciunt, cenſoribus devoretur, & è Romana pellatur Eccleſia.

Richardus Victorinus in opuſculi de excellentia beatæ Virginis capite XXXIX. illam mirificè prædicat; ſed inter dotes quas deſcribit, gloria corporis non comparet. Hunc à

Richardo ſervatum eſſe in loco ſuo modum quis crederet, ſi modus ſervandus non eſſet; ut in Martyrologio præſcribitur?

Joannes Belethus Pariſienſis Theologus, & cum eo Romana Eccleſia in explicatione divinorum Officiorum, capite XLI. *Agendum deinceps eſt de Aſſumptione beatæ Mariæ: in primis tamen ſcire oportet, quòd Sanctorum tranſitus appellatur multis modis: dicitur enim exitus, tranſitus, obitus, natale, nativitas, natalitium, dormitio, depoſitio, quemadmodum & Joannis Evangeliſtæ paſſio & aſſumptio;* SED HOC NOMEN QUASI PER ANTONOMASIAM SOLUMMODO DE BEATA MARIA DICITUR. *Verùm beatam Mariam quod ad animam ejus attinet, aſſumptam fuiſſe certò novimus:* AN VERÒ CORPUS ILLIUS POSTEA ETIAM ASSUMPTUM FUERIT, INCERTUM EST: PIE TAMEN CREDIMUS IPSAM INTEGRE FUISSE ASSUMPTAM; *ſed priùs anima, deinde corpore. Nihilominus tamen mulier quædam religioſiſſima appellata Elizabeth, quæ etiam nunc in vivis eſt, habitátque in finibus Saxoniæ, ait ſibi eſſe revelatum, quòd circiter dies* XL. *aſſumptum fuerit corpus poſt aſſumptionem animæ:* DE QUA RE OPUSCULUM QUODDAM COMPOSUIT, SED NON EST IN ROMANA ECCLESIA COMPROBATUM. Hæc [f] ad annum M. C. LX. quo Elizabetha floruit. Tunc Romana Eccleſia illud Elizabethæ opuſculum rejecit, ut olim librum de tranſitu beatæ Mariæ rejecerat: & ſic tuita eſt illam Eccleſiæ ſubrietatem, quæ in Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martirologio præſtituitur.

Petrus Bleſenſis Sermone XXVIII. in Aſſumptione beatæ Virginis. *Hodie*, inquit, VERISIMILE *eſt, quod beata Virgo & animæ beatitudinem & glorificationem corporis adepta eſt.* Cùm ait, *veriſimile eſt*, non excedit modum, qui in Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio ſervandus præſcribitur. Exinde ſpernetur ab iis, qui diſputare cùm neſciunt, litigare tamen non deſinunt.

Durandus Mimatenſis Epiſcopus in libri VII. de divinis Officiis capite XXIV. *Hieronymus dicit: Quomodo beata Maria aſſumpta fuerit, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit: Auguſtinus verò dicit, quòd in corpore. Veritas tamen eſt, quòd primò aſſumpta eſt in anima;* UTRUM VERÒ REMANSIT IN TERRA, INCERTUM HABETUR, ET MELIUS EST PIÈ DUBITARE, QUAM ALIQUID CIECA HOC TEMERÈ DEFINIRE. *Piè tamen credendum eſt, eam totaliter fuiſſe aſſumptam. Verùm quædam religioſiſſima mulier Elizabeth nomine de partibus Saxoniæ aſſeruit ſibi revelatum fuiſſe, quòd poſt* XL. *dies poſt aſſumptionem animæ, aſſumptum fuit corpus, & inde compoſuit quemdam tractatum,* QUI TAMEN NON EST AUTHENTICUS. Nempe ab Romana Eccleſia judicatus fuerat apocryphus, vel in operum apocryphurum numero habitus. Durandus igitur Eccleſiæ traditionem ſecutus Martyrologii noſtri fautor & approbator accedit, cùm ſubrietatem illam retinet, quam Martyrologium retinendam eſſe ſignificat.

Toſtatus in caput XXII. Matthæi quæſt. CCXXX. *Cùm autem*, inquit, *de Virgine dicitur reſurgente: dicendum, quòd non eſt neceſſe hoc tenere, quia hoc non eſt de articulis fidei, neque etiam eſt aliquid definitum per Eccleſiam, ut teneri debeat.* IDEO LICET CUILIBET SICUT VOLUERIT OPINARI: *quod nimirum abſque hæreſi exponitur in Vindiciis Parthenicis cap.* CCXLVIII. Sed quàm intelligenter & ſincerè exponitur, & quæ antecedunt, docent, & quæ ita ſubſequuntur ſine intermiſſione ulla. *Rationes autem, quæ ad probandam illius reſurrectionem ſumuntur, ſunt ſuaſiones quædam, & non convincunt: & tamen quia communiter tenetur, quòd ſurrexit, rationabilius eſt hoc tenere. Si quis tamen contrarium aſſerat, non contendimus: ſed dicendum, quòd ſi ſurrexiſſe ponatur, non eſt aſſerendum, quòd hoc ei competiverit propter abundantiorem ſanctitatem & approximationem ad Chriſtum; ſed ſolùm ei conceſſum ex privilegio. Nam ſi propter ſanctitatem competiviſſet ei aliquando reſurgere ante finem ſæculi, neceſſe erat, quòd omnibus aliis propter differentem perfectionem priùs & poſteriùs reſurgere competeret, ſervata proportione ſanctitatis eorum: quod falſum eſt, quia tunc quotidie reſurgerent aliqui, & in die ultimo non plures reſurgerent, quàm qui hodie reſurgunt. Et tamen reſurrectio in ultimo die fiet: & ſic Chriſtus prædicabat.* Ex his igitur apparet quàm bellè & ſapienter interjectum ſit iſtud, *nimirum abſque hæreſi*. Non auro contra charum emerim hoc genus exceptionis, qua ſuadetur ſincerus excipientis animus & intelligentia. Porro autem pro centum recentioribus mihi eſt Toſtatus, cui, ut alibi jam monui, tractator Eccleſiaſti-

[f] *Hæc ad annum &c.*] Joannes Belethus, ex Voſſii calculis in libro de Treb. Symbolis floruit circa annum 1328. & apud Henricum Gandavenſem anno 1162 quod probabilius eſt. Elizabetham autem Philippus Labbe, In *Chronologiâ Patrum*, Abbatiſſam fuiſſe Schonaugienſem Ordinis S. Benedicti in Dioceſi Trevirenſi, non ut alii, Landgravii viduam autumat, eamque obiiſſe anno 1165. ætatis 38.

cleſiaſticus vix ullus opponi poteſt, ſi acre ingenium, & par judicium, ſi varia & multiplex eruditio, ſi fœcunditas animi, ſi incomparabilis diligentia, ſi linguarum plurium cognitio, ſi Juris utriuſque, ſi Philoſophiæ & Theologiæ intelligentia, ſi editorum librorum multitudo, ſi vitæ integritas, ſi tempus vitæ brevioris ſimul & ſemel attendantur.

Nunc ſi quo tempore Chriſtianum orbem illuſtravit Scriptor hic incomparabilis, Eccleſiæ omnes, Romana imprimis, Presbyterorum Collegia, & Monaſteria omnia, quæ non Hieronymi, non Bedæ, non vetus illud ab Adone deſcriptum, inexplicabile tot recentium irarum objectum, ſed Uſuardi vel Adonis uſurpabant Martyrologium in ſacris Ritibus, prodirent in medium, nullus eſſet locus, ſat magnus, in quo ſimul conſiſterent. Deinde etiamſi poſſent conſiſtere, per eas leges, quibus abhorrent à ſanguine, nuſquam ſimul conſiſterent, ne ſcilicet magnitudine & pondere ſuo homines duos inſignes Canonicos opprimerent ac ſuffocarent. Maneant igitur ſuis in ſedibus Eccleſiæ, Collegia, Monaſteria. Vivant homines illi & convertantur. Convertentur enimverò, ſi profiteri pergant, quod unus ex illis bonitate cauſæ confiſus in capitis IV. articulo II. ſic decernit: *Inter monimenta antiquitatis unde argumenta capimus, quin primas partes ſibi vindicent Martyrologia, non negabit, opinor, adverſarius. Unde enim certiùs deprehendimus, quis olim fuerit ſenſus Eccleſiæ de Aſſumptione Virginis Deiparæ, quàm ex Martyrologiis? per quæ nimirum innoteſcit, quid quoque ſæculo, ac pæne dicam, quid per ſingulos dies à fidelibus populis circa Sanctorum cultum receptum ſit atque agnitum.* In Toſtati ſæculo Romæ, Pariſiis, & alibi legebatur Uſuardi Martyrologium (idque XVIII. Calend. Sept.) purum putum. In ſuperiori Sæculo Romæ & Pariſiis & forſan alibi fuit, cui hoc diſplicuit: dormitionem in Aſſumptionem vertit, & cetera prætermiſit. Sed novitas eſt, cujus robur non poteſt eſſe antiquitas.

Septima, jus quæſitum ab iis, qui quæ ſunt apocrypha, variè deformarunt. Unus inſtar omium erit Notkerus, qui [g] ad annum DCCC. enituit, in Martyrologio ſuo ad XVII. Calend-Septembris: *Aſſumptio beatæ Mariæ genitricis Dei, pro quo nomine cum in ceterorum Sanctorum tranſitu depoſitio vel dormitio, aut certè natale dici ſoleat, quid venerabilis pater Gregorius Turonicus Epiſcopus in libro Miraculorum de eadem Aſſumptione ſentiat, libet ad utilitatem gentium commemorando proferre. Poſt admirabilem igitur Dominicæ Aſcenſionis gloriam, qua contrito diabolicæ malignitatis capite mentes fidelium ad contemplanda cæleſtia animavit, ſancti Apoſtoli Domini & Salvatoris noſtri cum beata Maria matre ejus in unam congregati domum, omnia ponebant in medio, nec quiſquam ſuum aliquid eſſe dicebat, ſed unuſquiſque cuncta poſſidebat in charitate, ſicut Apoſtolicæ actionis enarrat ſtylus. Poſt hæc diſperſi ſunt per regiones diverſas ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto à beata Maria hujus vitæ curſu, cum jam vocaretur à ſæculo, congregati ſunt omnes Apoſtoli de ſingulis regionibus ad domum ejus. Cumque audiſſent, quia eſſet aſſumenda de mundo, vigilabant cum ea ſimul; & ecce Dominus Jeſus advenit cum Angelis ſuis. & accipiens animam ejus tradit Michaeli Angelo, & receſſit; diluculo autem levaverunt Apoſtoli cum lectulo corpus ejus, poſuerúntque illud in monumento, & cuſtodiebant ipſum, adventum Domini præſtolantes; & cùm iterum aſtitit eis Dominus, ſuſceptúmque corpus ſanctum in nube deferri juſſit in paradiſum. ubi nunc reſumpta anima, cum electis ejus exultans æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruitur. Huc uſque Gregorius. Quòd ſi quem movet, quomodo idem Gregorius in Occaſu Solis poſitus, ea quæ in Oriente geſta ſunt, compererat, ex aliis ejus ſcriptis agnoſcat, quia de toto orbe ad ſanctum Martinum, ſicut ad Philoſophos concurrebatur, & de occiduis mundi partibus loca ſancta in Judæa frequentabantur; quod etiam uſque ad hæc Normannorum tempora jugiter actitari ſolebat. Sed ne idem Catholicus & venerabilis pater contra Apoſtolum ſenſiſſe videatur, ubi ait, Chriſtus [h] reſurrexit uſque in adventum ejus: ſciendum quia vel hæc ſpecialis aſſumptio corporis venerandæ Dei genitricis Mariæ, vel eorum, qui cum Domino ſurrexiſſe leguntur, & in cælum aſcendiſſe creduntur, apoſtolicam auctoritatem magis adjuvat, quàm impugnat: quoniam & corpus illud, de quo Deus incorporari voluit, citiùs in cælum ſublevari decuit, & illos veræ reſurrectionis & aſcenſionis noſtræ teſtes præiſſe proculdubio conſtat, de quibus quia doctiſſimi tractatores videntur inter ſe diſſidere, non eſt meum in tam brevi opuſculo definire. Hoc tamen certiſſimè cum univerſali Eccleſia & credimus & confitemur, quia ſi reverendiſſimum illud corpus, ex quo Deus eſt incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique illius ad deſ-*

[g] *Ad annum DCCC.*] Notkerus puer oblatus ad S. Gallum anno 840., obiit anno 912. Vide p. 87. Tomi II. partis 3 Lectionum Antiquarum Caniſii edit. anno 1725.

[h] *Reſurrexit*] Adde, *à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam enim per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum; & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur; unuſquiſque autem in ſuo ordine. Primitiæ Chriſtus! Deinde hi qui ſunt Chriſti in adventu ejus.*

tructionem Antichriſti reſervatur. Notkerus laudat Gregorium Turonenſem Epiſcopum; qui quæ haber de Aſſumptione Virginis, ex libro de tranſitu beatæ Mariæ depromſir, non depropturus ſine dubio, ſi librum hunc à Romana ſynodo damnatum eſſe noviſſet. Deinde Notkerus, cùm air: *Sed ne idem Catholicus & venerabilis Pater contra Apoſtolum ſenſiſſe videatur*, &c. ſibi fingit objectionem, id eſt, Herculem quem debellet. Tum idem auctor narrar Eccleſiaſticos tractatores circa Virginis aſſumptionem inter ſe diſſidere. Poſtremò ex diſſidii occaſione dicit, beatæ Mariæ corpus alicubi in terra deliteſcere, & hujus revelationem ad Antichriſti exitium reſervari. Hæc autem omnia ſiquis attentè conſideret, ad Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium ut ad publicum ſalutis præſidium recurret, & in Eccleſiæ ſobrietate, quæ inibi proponitur, manebit.

Hactenus rationes expoſui, quibus quæ de beatæ Virginis dormitione quondam legebantur in Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio, videntur mihi non modò retinenda eſſe, ſed etiam rejicienda, quæ ab Auctore [1] Vindiciarum Parthenicarum ita per αὐστηρίαν τιν' αὐθάδη ſcribuntur in cap. CLIII. *Evicimus, & luce meridiana clariùs demonſtravimus, univerſam Eccleſiam inter præſcriptos octingentorum, vel nongentorum annorum limites miro conſenſu aſſumptionem beatiſſimæ Virginis corpoream ad noſtram ætatem profeſſam fuiſſe.* Scilicet per tot annorum ſpatium corpoream Virginis aſſumptionem conſenſu miro profeſſa eſt, cùm Romæ, Lutetiæ, Senonis, Rotomagi, & in aliis locis innumerabilibus Uſuardi vel Adonis Martyrologium recitabatur ad XVIII. Calend. Sept. Si autem quod falſum eſt, verum eſſet, univerſa Eccleſia conſenſu miro à ſeipſa diſcrepaſſet, & ſeipſam iis, qui ſeorſum à nobis per religionem ſentiunt, irridendam propinaſſet. Huc ſpectat beati Auguſtini locus in libri I. de Geneſi ad literam capite XVIII. *Et in rebus obſcuris, atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſiqua inde ſcripta etiam divina legerimus, quæ poſſint ſalva fide, quâ imbuimur, alias atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut ſi fortè diligentiùs diſcuſſa veritas eam rectè labefactaverit, corruamus, non pro ſententia divinarum ſcripturarum,* (dicamus Eccleſiæ) *ſed pro noſtra ita dimicantes, ut eam velimus ſcripturarum* (dicamus Eccleſiæ) *eſſe, quæ noſtra eſt, ſed potiùs eam, quæ ſcripturarum* (dicamus Eccleſiæ in Martyrologiis ſuis locutæ) *eſt, noſtram eſſe velle debeamus.*

Verùm enimverò quoniam igitur cauſa veritatis, occurrunt Tertullianus, & Auguſtinus ipſe, qui his in rationibus, quæ lite conteſtata ſatis ſuperque ſufficerent, ſiſtendum non eſſe pronuntiant. Ille in libri de velandis Virginibus cap. I. *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum.* Hic in libri de mendacio cap. I. *In qua* (ſententia) *ſi ullus error eſt, cùm ab omni errore veritas liberet, atque in omni errore falſitas implicet, nunquam errari tutiùs exiſtimo, quàm cùm in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falſitatis erratur. Qui enim ſeverè reprehendunt, hoc nimium dicunt eſſe; ipſa autem veritas fortaſſe adhuc dicat, nondum eſt ſatis.* Ad me quod attinet, Tertullianum & Auguſtinum libenter audio, & inveniendæ aſſerendæque veritatis, & rejiciendæ damnandæque falſitatis conditiones omnes amplector. His autem ita conſtitutis præ me fero, ad normam traditionis antiquiorum Patrum Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium hac in parte concinnatum ac diſpoſitum fuiſſe.

I. In ſcammate hoc primus ſeſe offert Ambroſius lib. II. in Lucam cap. XI. *Et tuam*, inquit, *ipſius animam pertranſibit gladius. Nec litera, nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe. Non enim anima, ſed corpus materiali gladio transverberatur.* Qua ratione Doctor Eccleſiæ probat, beatam Mariam ex hac vita corporalis necis paſſione non migraſſe, eadem & probatur, ad cælum haud migraſſe corporaliter, quia id nec litera docet, nec hiſtoria: & hæc ratio eò eſt validior, quòd nec auctoribus vetuſtioribus Ambroſio, nec æqualibus, id eſt, qui rem meliùs noverint, refelli poſſit. Atque hic eſt unicus modus quærendæ & aſſerendæ veritatis, quæ ex ſcripturis & priſtina Eccleſiæ traditione pendet. Captus eſt, qui aſſentietur, nullus, qui diſſentiet. Balabit extra caulas, & toto aberrabit cælo.

Ambroſius præterea beatæ Mariæ vitam & converſationem in libro de Virginibus II. exequitur: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas vitaque beata Maria, de qua velut in ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effu-*

[1] *Vindiciarum Parthenicarum*] Studio & labore *Nicolai Ladvocat Billiad* Doctoris Sorbonici nec non Eccleſiæ Pariſienſis Canonici. Opus editum eſt in 12. anno 1670.

effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre? quid ſplendidius ea quam Splendor elegit? quid caſtius ea quæ corpus ſine corporis contagione generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum; corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere, nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes, &c. Sed hìc de aſſumpto in cælum corpore nil penitùs tradit, traditurus aliquid ſine dubio, ſi tunc aſſumptam in corpore Mariam creditum eſſet in Eccleſia Dei: non tacendi, ſed loquendi proprius erat locus. Ille tacuit, cùm ex Scriptura & traditione quid loqueretur, nihil haberet.

II. Ambroſium ſequitur Epiphanius, qui quicquid tunc temporis hac de re jactabatur, collegit in hæreſi LXXVIII. ſub finem: *Præterea poſtquàm illud ita geſtum eſt, & ad ſe illam accepit, non ampliùs apud ipſum permanſit. Quod ſi falſò jactari quiſpiam à nobis eximet, licet ſacrarum literarum veſtigia conſectari, in quibus nullam de Maria obitu mentionem reperies, mortua ſit necne, ſepulta, aut non ſepulta fuerit. Ac cùm Joannes interim in Aſiam profectus ſit, nuſquam tamen beatam Virginem itineris comitem ſecum illam habuiſſe ſignificat; ſed de ea re ſcriptura penitus conticeſcit. Id quod propter admirationis vehementiam factum arbitror, ne hominum animos majorem quendam in ſtuporem conjiceret. Ego enim illud pronuntiare vereor, & tacita apud me cogitatione reputans ſilentium mihi indico. Quippe haud-ſcio, cùm de ſanctiſſima illa, & beatiſſima Virgine obſcura quadam inveniri veſtigia poſſint, quæ incertam nobis illius mortis fidem faciant. Nam ex una parte illud occurrit, quod de illa pronuntiat: Et tuam ipſius animam pervadet gladius, ut retegantur ex multorum cordibus cogitationes. Aliunde verò in Apocalypſi Joannis legimus, draconem adsùs mulierem properaſſe, quæ Mariam pepererat, & datas ei eſſe pennas, à quibus & tranſlatam eſſe in deſertum, ne draco comprehenderet; quod quidem in illa eſſe poteſt impletum, quanquam illud non affirmo penitùs, neque aut immortalem perſeveraſſe definio, aut utrum mortua ſit confirmare poſſum. Quippe Scriptura ſacra mentis humanæ captum prætergreſſa, rem in incerto reliquit propter vas illud eximium ac præſtans, nequis carnis propriam ullam ei fœditatem adſcribat; ſive igitur mortua ſit Maria neſcimus, ſive conſepulta. Non tamen ullam eſt maculam corporis experta, abſit ut illud exiſtimemus.* Epiphanius ex traditione non habuit aliud, quod ſcriberet: negligentiæ accuſaretur immeritò, niſi quis vetuſtiorem Epiphanio ſcriptorem ederet, qui tradidiſſet pro certo quod Epiphanius pro incerto tradidit. Interim dum hoc fiat, obſervandum eſt, Uſuardum videri ante oculos habuiſſe verba Epiphanii, cùm ad XVII. Calend. Septembris ſcripſit: *Quo autem venerabile illud Spiritus ſancti templum, nutu & conſilio divino occultatum ſit, plùs elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.*

III. Proclus Cyzici Epiſcopus, cùm eſſet Conſtantinopoli, ſedente in Eccleſia civitatis hujus Neſtorio, orationem habuit, in qua beatæ Virginis laudes ſic exequitur: *Hic nos quippe modò ſancta Dei genitrix in unum coëgit, impollutus ille virginitatis theſaurus, ſpiritalis ſecundi Adami paradiſus, unionis naturarum officina, ſalutaris commercii nundina, thalamus in quo Verbum ſibi carnem deſponſavit, animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non combuſſit; verè levis illa nubes, quæ ſedentem ſuper Cherubim corporatum portavit; mundiſſimum vellus imbris cæleſtis, ex quo paſtor ovem induit. Maria, inquam, ancilla & mater, virgo ac cælum, Dei ad homines unicus pons, horrendum Incarnationis textorium jugum, in quo ineffabili quadam ratione unionis illius tunica confecta eſt, cujus quidem textor extitit Spiritus ſanctus, netrix virtus obumbrans ex alto, lana antiquum Adami vellus, trama impolluta caro ex Virgine, textorius radius immenſa geſtantis gratia, artifex tandem Verbum per auditum illabens. Quis vidit, quis audivit inhabitaſſe Deum in utero incircumſcriptè, ac eum, quem cæli capere non poterant, nullis arctatum anguſtiis ventrem Virginis comprehendiſſe?* Et poſt alia: *O uterum, in quo communis hominum libertatis libellus compoſitus eſt! ô ventrem, in quo adversùs mortem fabrefacta ſunt arma! ô arvum, in quo natura ipſe colonus ſine ſemine ſpicam edidit! ô templum, in quo Deus Sacerdos effectus eſt, non naturam demutans, ſed eum per miſericordiam induens, qui eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech! Verbum caro factum eſt.*

Deinde in alia oratione beatæ Virginis laudes ſic pariter exequitur: *At quamvis omnium Sanctorum memoria mirabiles ſint, nihil tamen diei hujus ſolemniis æquale ad glo-*

gloriam. Abel ſacrificii cauſa nomen habet; Enoch quòd Deo placuerit, celebri memoriâ commendatur; Melchiſedech ut Chriſti imago illuſtri praconio celebratur; Abraham propter fidem praclaris laudibus cumulatur; Jacob ob luctam beatus pradicatur; Joſeph ob caſtitatem honori habetur, Job patientia laude beatus celebratur; Moyſes Legiſlatoris nomine boneſtatur; Jeſus Nave ducis exercitus titulo poſteris commendatur, Sampſon ut Dei familiaris beatus pradicatur; Elias amulator celebratur; Iſaias Theologi nomine commendatur; Daniel ut perſpicax ad intelligendum pradicatur; Ezechiel tanquam arcanorum ſpectator admirationem habet; David ut pater myſterii in carne celebri laude habetur; Salomon ſapientia titulo admirationem habet. Verùm nihil ejuſmodi eſt, ut cum Dei genitrice Maria comparari poſſit. Ipſa enim quem illi in anigmate viderunt, incarnatum in utero portavit, nihilque hinc Dei Verbi diſpenſationi obſtitit. Et paullo pòſt: *Nihil itaque mundo ejuſmodi eſt, qualis Dei genitrix Maria cunctas res creatas, ô homo, cogitatione percurre, ac perſpice num quicquam ſancta Virginis ac Dei genitricis Maria aquale ſit, aut ipſa fortaſſe majus.*

Tum in oratione tertia beatæ adhuc Virginis laudibus prædicandis vacat: *Quibus ergo encomiorum coloribus virginalem depingam imaginem? quibus laudum praconiis incontaminatum exornabo caſtimonia characterem? Eſt hac penetrale innocentia ſacrarium, eſt ſanctificatum Dei templum, aureum altare holocautomatum, divinum compoſitionis thymiama, ſacrum unctionis oleum, pretioſum nardi piſtici alabaſtrum. Hac ſacerdotale Ephod divinam ſignans voluntatem: hac aureum candelabrum ſeptem ellychniorum lucernam portans: hac arca intrinſecùs & extrinſecùs deaurata, corpore ſcilicet & ſpiritu ſanctificata, hac primogenita illa jugi expers ac rufa vitula: cujus cinis, Domini ſcilicet corpus ex ea aſſumptum, inquinatos ab impura peccatorum lue emundat: hac porta ad Orientem reſpiciens, propter Domini per eam ingreſſum egreſſúmque in perpetuum clauſa: hac novus novi Teſtamenti tomus, per quam feſtinè ſpoliatum eſt imperium damonum, citòque humana dirempta captivitas: hac trina humani generis menſura, Gracorum ſcilicet, Romanorum ac Judaorum, in qua ineffabilis Dei ſapientia fermentum bonitatis ſua abſcondit: hac paterna benedictionis ager, in qua dominica diſpenſationis theſaurus repoſitus fuit: hac navis regia, qua de Tharſis divitias portat, qua, inquam, caleſti Regi Jeruſalem ex gentilium regione gentium converſionem afferat: hac pulcra Canticorum ſponſa, qua veterem exuit tunicam, lavitque legales pedes, ac ſponſum immortalem in ſuo ipſius thalamo reverenter ſuſcepit: hac tabernaculum fidelium, qua animatam œconomia portaverit arcam, ac per primiparas juvencas, utrumque, inquam, teſtamentum, in rectam ſalutis viam directa ſit: hac tabernaculum teſtimonii, ex qua verus* JESUS *cùm Deus eſſet, poſt ſtatum embryonis novem menſium tempus egreſſus eſt: hac fiſcella intrinſecùs ac extrinſecùs bitumine illita, nimirum prudentia ac pietate exornata, in qua ſpiritalis Moyſes è myſtico ſalvatur Pharaone, cujus filia, gentilis nempe Eccleſia, in virgineis ulnis nutriens (matri ipſi lactanti) aterna vita mercedem daturam promittit: hac quintus puteus veri juriſjurandi, in qua immortalitatis aqua per adventum Domini in carne in plenitudine quinti fœderis effluxit.* Et paullo pòſt: *Hac incontaminatum vellus in mundi area poſitum, in quam ſalutis pluvia è calo deſcendens terram univerſam ab immenſa malorum illuvie ſiccavit, rurſúmque vellus ipſum à ſubſidente affectionum humore exſiccans, copioſo bonorum munere replevit. Hac oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus ſanctus Dominici corporis ramum accipiens, tempeſtate jactato humano generi detulit, fauſtè de calo annuncians pacem. Ipſa floribus ac immarceſcibilis hortus, in qua lignum vita plantatum univerſis liberè fructum immortalitatis prabet. Ipſa nova natura caleſtis globus, in qua Sol juſtitia nunquam occidens omnem ab anima omni peccatorum noctem fugavit. Ipſa virginum gloriatio, matrum exultatio, fidelium ſuſtentatio. Eccleſia diadema, recta fidei expreſſa forma, pietatis ſignaculum, veritatis norma, indumentum temperantia, veſtis virtutis, juſtitia munitio, ſancta Trinitatis domicilium, juxta quod habet Evangelica narratio: Spiritus ſanctus, inquit, ſuperveniet in te,* &c. Hæc omnia ex Combefiana editione & recenſione, in quibus cumulata ſunt Deiparæ encomia: ſed in cumulo, & acceſſione laudum tanta deſideratur corporea in cælum migratio, quæ ſi facta eſſet, utique non deſideraretur. Integrum haberet encomium, in quo Proclus ex Cyziceno factus Conſtantinopolitanus Antiſtes toto eloquentiæ campo decurreret.

IV. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus cùm eſſet Epheſi, contra Neſtorium homiliam habuit, in qua nihil prætermiſit, quod ad Matiæ gloriam & commendationem attineret. Verba ſunt: *Salve à nobis Deipara Virgo, venerandus totius orbis theſaurus, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, ſceptrum recta doctrina, templum indiſſolubile, locus ejus, qui loco capi non poteſt, mater, & virgo, per quamvis benedictus in ſanctis Evangeliis nomi-*

nominatur, qui venit in nomine Domini: ſalve, qua immenſum incomprehenſumque in ſancto virgineo utero comprehendiſti, per quam ſancta Trinitas glorificatur & adoratur, per quam pretioſa crux celebratur, & in univerſo orbe adoratur, per quam cœlum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cælo decidit, per quam prolapſa creatura in cœlum adſumitur, per quam univerſa creatura idolorum veſania detecta ad veritatis agnitionem pervenit, per quam ſanctum baptiſma obtingit credentibus, per quam exultationis oleum, per quam toto terrarum orbe fundata ſunt Eccleſiæ, per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam, per quam unigenitus Dei filius iis, qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant, lux reſplenduit, per quam Prophetæ prænunciarunt; per quam Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt, per quam mortui exſuſcitantur, per quam Reges regnant. Hîc nullus rationem redditurus eſt unquam, cur corporea Virginis in cælum aſſumptio in panegyrici hujus partem non venerit, ſi de ea rumor tunc inter Chriſtianos fuiſſet vel leviſſimus. Hærebit attentus & prudens homo, & ſi vocem comprimat, hanc comprimet ut indicem aſſenſionis ſuæ.

Porrò autem hîc in anteceſſum de Proclo, qui Conſtantinopoli laudavit beatam Virginem, & de Cyrillo, qui Epheſi, præſcribitur adversùs poſteriora quorundam Græcorum inventa, quæ refellentur poſtea & diſpellentur. Cùm Proclus & Cyrillus illa tacent, tacenda eſſe palam loquuntur, nec ullius accuſari poterunt [illegible], niſi per auctores qui quæ ſunt beatæ Virginis, calluerint meliùs, vetuſtiores, æquales, vel ætate ſuppares, à quibus ſi ſuppleantur quæ illi tacuerint, noſtra corruet obſervatio; ſi verò non ſuppleantur, firmiſſima perſiſter, & recentiora inventa extabeſcent. Sed Auctor Vindiciarum Parthenicarum mirificus eſt, cùm ait in cap. LXXVII. *Græci Patres uno omnes ore confitentur, beatam Virginem ſuper choros Angelorum ad regna cœleſtia unà cum corpore & anima evectam eſſe.* De tota Græcia ſecuri prorſus eſt animi, cùm talia conſcribit. Quaſi verò Ignatius, Athenagoras, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius, Thaumaturgus, Methodius Tyri Epiſcopus, Euſebius, Athanaſius, Titus Boſtrenſis Epiſcopus, Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, Ephræmius, Gregorius uterque Nyſſenus & Nazianzenus, Macarius Ægyptius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius, Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota, Amphilochius, Cyrillus Alexandrinus, Socrates, Zozomenus, Theodoretus, Baſilius Seleucienſis, Joannes Climacus, UNO OMNES ORE *confiterentur, Virginem in cælum cum animato corpore evectam eſſe*, quorum ne unus quidem id memoriæ mandavit. Profectò leges hiſtoriæ non poſſunt magis negligi, quàm hoc in loco negliguntur, niſi forſan ille velit, Græcos non eſſe Patres, quos ego recenſui. Quid verò dicat Epiphanius jam obſervatum eſt.

V. Romana ſynodus, quæ libros authenticos ab aprocryphis diſtinxit, librum de tranſitu beatæ Mariæ inter apocryphos retulit. Ex quo luculenter apparet, Romanæ Eccleſiæ non placuiſſe opinionem eorum, qui beatam Virginem in cælum aſſumptam eſſe in corpore docebant.

Quis modò non videt; Romanam Synodum editi ab Uſuardo & à Pariſienſi Eccleſia adoptati Martyrologii firmamentum eſſe?

VI. Fuit qui poſt Romanæ Synodi tempus, ſed incomperta ætate ſermonem de Aſſumptione beatæ Virginis ſcripſerit, Paulæ & Euſtochio inſcripſerit, & ſancto Hieronymo adſcripſerit. Conſtituit Auctor librum de tranſitu beatæ Mariæ refellere, & varias de corporea illius Aſſumptione opiniones referre. Hic autem ſermo quamvis [k] Hieronymi non ſit, nec ut ſit, auctoritas ulla poſſit efficere; hinc tamen non ſequitur, contentam in eo doctrinam cum duobus veræ Theologiæ principiis, Scriptura & Catholicæ Eccleſiæ traditione, pugnare, aut tenendam non eſſe, ut tenetur ab iis Auctoribus qui ſub nomine Hieronymi ſermonem laudarunt, & à Breviariis Romano & aliis, quæ in feſto de Aſſumptione Virginis lectiones ex ſermone decerpſerunt. Sed audiendum eſt, quod vir & eruditione magna & pari judicio præditus Fronto Ducæus in ſimili cauſa dixit. Illius ergo verba ſunt è notis ad Joannis Chryſoſtomi tomum VI. *Neque verò mirum, quoſdam ex illis* (ſermonibus) *in antiquis etiam Synodis ſub nomine Chriſoſtomi citari, cùm jam in uſu eſſent in Eccleſiis, neque ſoleant Concilia, dum teſtimonia proferunt, in auctores inquirere, aut alias quæſtiones excutere ab ea diverſas, quam præ manibus habent; ſed quæ paſſim offeruntur, uſurpare, & quacunque ratione receptos ſcriptores hæreticorum*

[k] *Hieronymi non ſit*] *Totus hujus Epiſtolæ*, ſeu ſermonis *ſtylus*, inquit Martianæus pag. 82. Tom. V. operum S. Hieronymi, *ſic abhorret ab Hieronymo ut non dubitem negare Latinum fuiſſe qui ſcripſerit, ſed Græcum. Reſipit enim ſermo totus*, Græcitatem quandam & Balbutiem hominis in aliena linguâ verſantis. Vide etiam pag. 423. Vindiciarum Parthenicarum.

commentis opponere: quemadmodum & Apoſtoli & reliqui Patres apocryphos libros, ut Hermæ, Paſtoris, & Evangelium Hebræorum ac Nazaræorum citarunt, licèt jam ab illorum temporibus mos ille inoleviſſet, ut Patribus ſuppoſititios fœtus attribuerent; quemadmodum & ipſis Apoſtolis περίοδον *Pauli & Teclæ, & acta Petri atque Apocalypſim adſcripſerunt.* Deinde in Tract. de ſancto Thoma: *Licèt autem ut genuinum eum* (ſermonem) *auctoris noſtri fœtum propter ſtyli diſparitatem non agnoſcamus; tamen eum commendat auctoritas Synodi Lateranenſis ſub Martino I. coacta circa annum* DCL. *contra Monothelitas.* Et poſt allatum è ſermone locum, quo de agebatur, ſubjicit: *Profertur idem locus in ſexta Synodo univerſali Conſtantinopoli ſub Agathone habita contra eoſdem Monothelitas.* Similiter licèt ſermonem quem citamus, beati Hieronymi fœtum propter ſtyli diſparilitatem non agnoſcamus; tamen eum commendat auctoritas Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, Odilonis Cluniacenſis Abbatis, Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, Hugonis de ſancto Victore, Durandi Mimatenſis Epiſcopi, complurium Eccleſiarum, & præſertim Romanæ, quæ in feſto de Aſſumptione Virginis lectiones ex eo ſermone ſibi aliquando compararunt. Id pari jure dici nequit de libro tranſitus beatæ Mariæ, quem nemo unquam expreſſo nomine laudavit. Inſigne diſcrimen illud eſt, quod inter librum de tranſitu beatæ Mariæ, & ſancti Hieronymi ſermonem intercedit, & vehementer obſtat, ne quod de libro iſto nobis ſumimus, de ſermone illo contra nos ab aliis ſumatur. Sic igitur habet ſermo: *Ut collegium veſtrum diſcat qualiter favente Deo per ſingulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur, ne fortè ſi veniat in manus veſtras illud* APOCRYPHUM DE TRANSITU EJUSDEM VIRGINIS, *dubia pro certis recipiatis; quod multi Latinorum pietatis amore & ſtudio legendi charius amplectuntur, præſertim cùm ex his nihil aliud experiri poſſit pro certo, niſi quòd hodierna die glorioſa migravit à corpore.* Et paullo pòſt: *Hæc idcirco dixerim, quia multi noſtrorum dubitant, utrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus ejus inde ablatum fuerit, vel ubi tranſpoſitum, utrúmne reſurrexerit, neſcitur, quamvis nonnulli aſtruere velint, eam jam reſuſcitatam & beata cum Chriſto immortalitate in cæleſtibus veſtiri: quod & de beato Joanne Evangeliſta ejus miniſtro, cui virgini à Chriſto virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeverant, quia in ſepulchro ejus, ut fertur, nonniſi manna invenitur, quod & ſcaturire cernitur. Veruntamen quid horum verius cenſeatur ambigimus,* &c.

VII. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in libro de vita & morte Sanctorum, cap. LXVIII. *Specialiter nulla docet hiſtoria Mariam gladii animadverſione peremptam, quia nec obitus uſpiam legitur, dum tamen nec reperitur ſepultura.* Quid, quæſo, pro Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio contra illius adverſarios manifeſtius?

VIII. Ildeſonſus Toletanus Archiepiſcopus, in ſermone VI. de Aſſumptione beatæ Virginis: *Nec ſanè*, inquit, *omittere debemus, quòd multi pietatis ſtudio libentiſſimè amplectuntur, eam hodierno die à filio ſuo Domino* JESU *Chriſto ad cæli coporaliter ſublevatam palatia: quod licèt ſit pium credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere. Verum enim hoc ſit, necne, non tamen credere convenit eam filio ſuo in cæleſtibus conregnare.* Ildefonſus Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio præluxit.

IX. Andreas Cretenſis Archiepiſcopus in oratione I. de dormitione beatæ Virginis: *Puto autem valde conſequens ac commodum, ut & veſtigando quæ ad ſacra hujus ſemper Virginis occultam glorioſámque dormitionem ſpectant, bonorum ac contemplationis divinorum amantibus apponam.* Infrà: *Cùm enim juxta divinum oraculum non ſit homo qui vivat, & non ſit viſurus mortem, fuerit autem etiam homo, quam celebramus, ac major homine; probatum utique perſpicuè manet, eandem & ipſam nobiſcum legem naturæ impleſſe, quamquam* FORTE *non ea, qua ipſi, ſed altiori & ſupra hominem ratione, ac præter eam, qua id ipſi omnino cogimur ſuſtinere.* Infrà: *Enimverò* MANEANT HÆC DIVINA SEMPER OBSCURITATE MYSTICE OCCULTIÚSQUE HONORATA PARITER ET CONSERVATA, *verámque propriam rationem inconcuſſam uſque ad ſupremam rerum in integrum reſtitutionem retineant. Ut ne nos tamen divinarum tuarum rerum expertes dimiſeris, verbum largire, ſeu Verbi mater, modúmque edoceat, quo tua illa migratio ſe habuit.* Infrà: EGO, inquit, NIHIL IMMUTAVI EORUM QUÆ ESSENT JURIS NATURÆ; OMNIBUS VERÒ DECORÈ, AC RATIONE COGNITA PATRATIS, ANIMA QUIDEM MAGNIFICO DOMINUM, ET SPIRITU EXULTO; CORPORE AUTEM TRASMUTOR, *principium ac finem eam faciens deïtatis gratiam, quam diviniſſimus ille in meo arcanè utero incarnatus oſtendit.* Infrà: *Mea autem ab humanis in alias & cæleſtes ſedes migrationis clariorem certa conjectura notitiam habueritis* A LOCO UNDE *tranſlata terreni hujus tabernaculi, virginalis, inquam, & aſſumpti à Deo corpuſ-*

culi

culi CONSPERSIO MIGRAVIT, *ex quo ſimplex* JESUS *compoſitionem aſcivit: nam quiſquis velit dicta omnia certò conjecerit ex viſis. Proſtant ergo ob eorum oculos, qui fideli animo divina contemplantur, aperta quadam imagines, vivíque ac loquentes characteres* TRANSLATIONIS MEÆ, NEMPE HOC IPSUM SEPULCHRUM IN PETRA EXCISUM: *quod etiam conſiſtens incolume irrequieta voce* TUMULATIONIS MEÆ SYMBOLA COMMONSTRAT, *quòd ſanè in eo corpore decubuerim, veriſſimi teſtes ſunt cavitates illa, qua decoras ſacrorum membrorum deformationes in petra repraſentant, primúſque torrens ille Cedron, quo hac undique clarâ ceu tuba voce miracula pradicat, quo, inquam vallis Clauthmonis, in qua ſitum eſt ſepulchrum Joſaphat Regis Juda, ubi beata illius Paſſio, qui à paſſione immunis eſt, ſumpſit exordia,* Infrà, *Ceterùm non defuerit, qui ſciendi cupidus meritò dubitet quaratque,* CUR NAM NEMO, QUOD SCIAMUS, THEOLOGORUM, DOCTORÚMQUE SACRORUM, QUÆ AD DEI GENITRICIS INTEMERATUM VENERABILISSIMÚMQUE TRANSITUM SPECTANT, CONSCRIPSERIT, AUT ALIQUAM NOBIS DE EA RE SCRIPTURAM RELIQUERIT *eo modo, quo ii divina Evangeliorum compoſuerunt volumina, theologicáſque expoſitiones tradiderunt. Id verò cauſa reſpondemus, quòd longo poſtea tempore Deo afflata dormitio illa acciderit. Ferunt enim ubi ad extremam deveniſſet ſenectutem, migraſſe ab humanis, vel quia necdum ea tempora harum rerum explicationem permitterent. Nam neque congruum erat, ut cùm primùm conſcribi cœpit Evangelium, mox ſeminatus œconomia ac incarnationis ſermo hac ſibi diſquirenda ac exponenda aſſumeret, qua utique peculiari alio, quàm pro temporis ratione & otio & opera indigerent: utrum ſiquidem ob eas rationes nec ſcimus quid loquamur: ſin autem quòd divino ſpiritu afflati viri aduſque tantum Verbi in carne nobiſcum commorationem ſermonem œconomia, & ſpectantem ad Sacramentum aſſumpti hominis produxerunt, nec aliud ulteriùs, quam aſcenſionem à terra docuerunt,* EÒ ILLIS SILENTIUM INDICTUM SIT, ETIAM IPSE MOREM GERÓ. *Enimverò ut ne qui dum interim multa loquimur, exiſtimaverint omnino traditum ſilentio dici Sacramentum, opera pretium judicavi, ut ad propoſita rei intelligentiam & confirmationem, quod licuit invenire, deinceps dicam. Quanquam enim res obſcuriùs cognita ſit, haudquaquam manſit nihil omnino traditum ſacris eloquiis. Dictum itaque eſt à quodam Theologo & Doctore, eóque ſapienter ac ſcitè in divinarum rerum ſcientia exculto,* Et paullo poſt: *Vir iſte Dionyſius eſt*, & continuò refert quod ex libro de divinis nominibus referetur poſtea, & per partes exponit & amplificat: ſed in contextu toto nihil de corporea Virginis in cælum Aſſumptione. Mox ſubdit: *Dei ſiquidem mater in ejus manus depoſitâ animâ, in cujus manu omnium noſtrûm anima poſita ſunt, vitam in carne finivit. Tum verò ubi ordine elatum funus erimus proſecuti, ſecuto à pompa cantico carmen ſunebre adjungamus. Sic enim nobis ſecundo curſu decurret oratio, & ea qua dicta ſunt, liquidò exponentur: ut ergo hac fuerint: Veni, dilecte, vade & procede, latiſſima ac maximè alacri animi perſpicacitate ad honorabilem Gethſemani, tibique ipſe, viva expreſſáque deformata imagine, iis qua evenerunt, dicta compone.* Infrà: *Circumſpice verò fidei luminibus decubantis Deipara depicta membra* BREVI A FUNERE, SACRO EJUS TRANSLATO TABERNACULO, NULLA MANUUM OPERA, CAVANTE IPSA CÆLATURIS PETRÆ DEFORMATA.

Deinde in oratione II. de eadem dormitione: *Sacramentum eſt hodierna celebritas, cui ratio & argumentum Dei genitricis dormitio, vimque totam ſermonis ſuperat. Sacramentum* HACTENUS PAUCIS QUIDEM CELEBRATUM, *quod tamen omnes honori ac deſiderio habeant.* Infrà: *Heus tu! memini ſanctiſſima Sion, quid in ea docti ſumus, magnum hoc Dei genitricis Sacramentum, in ea ſtrata ad pavimentum tabula, ſacrorum caſtiſſimi corporis genuum recubitus clara conſtantique voce clamant. Toto enim incolatus ſui tempore eam habuit domicilium, illicque natura legibus obſecuta finem vita accepit.* Infrà: *Non enim aquè omnibus acceſſus perviúſque Sanctorum locus, ſed iis tantùm qui mentis puritate concreta materia omnia ſupergreſſi ſunt, tranſieruntque, ſi qua cadunt ſub ſenſum, quibus maximè ſanctiſſimum Dei tabernaculum tranſeuntibus auram faciens magnificè ingreſſum concedit.* Infrà: *Hodie, qua pulvis caleſti gloria elatus eſt, pulverem exuit, inditúmque ab ortu velamen deponit, ac terra, quod terra cognatum eſt, reddit. Vita auctrix* AD NOVAM MIGRATIONE EXCURRIT VITAM, LOCÚMQUE IMMORTALIS VITÆ A CARNALI OMNI VITIOSÀQUE AFFECTIONE SEJUNCTAM INGREDITUR, *ac demum quod oculis conſpicuum eſt corporalibus, abſtractum unà cum ſpiritu velut ſpiritaliter abit; quibus novit rationibus is, qui olim ambo devinxerat, quique iterum à ſolutione devinxit, niſi ego inconceſſa praſumens, temerarius ſum, ac nemo fidem abnuat, qui* ENOCH ET ELIAM COGITET. Infrà: *Ut enim minimè corruptus eſt parientis uterus, ita nec interiit defuncta caro. O mirandas res! partus omnino corrup-*

tionem effugit, nec ſepulcbrum illam à morte extremam corruptionem admiſit: haud enim eà ſancta attigerit. Vultis ut ejus rei probationes edicam. Ac quæro, adſtantium nemo monumentum vacuum ullo modo irrideat: QUÆRO ENIM QUOMODO DEFUNCTÆ CORPUS OBSCURUM? *quo modo ſepulchralia abſunt loculis, niſi quod fuit tumulatum? corruptionem effugit, niſi theſaurus eſt? ſin autem ſic habet, qui vera tranſlatio, quando etiam concurrerunt alia, nimirum anima à corpore diviſio, carnis depoſitio, compoſitionis ſolutio, disjunctio partium, reſolutio, conjunctio, compactio, ac denique in obſcurum ſubductio? quippe hactenus ſepulchrum vacuum manet ipſum teſtimonium habens; quódque tranſlata teſtimonio ſit.* HAUD NOVI SATIS, AN PARTIBUS IN UNAM COMPOSITIONIS CONCRETIONEM ITERUM COEUNTIBUS: NAM ET IN ISTIS NONNIHIL PHILOSOPHABOR, UT ITA FORTE ARCANO SUÆ VOLUNTATIS CONSILIO COGITARIT OPIFEX DEUS PARENTEM HONORARE, AUT CERTÈ ALTERA ALTERI EMINENTE: ATQUE ITA UT A MUTUA ILLA DISJUNCTIONE ALTERA VELUT EXTRARIAM, ET ULTRA FINES, ALTERA CONFINEM SEDEM SORTITA SIT, AUT DENIQUE NOVO ALIQUO AC IMMUTATO ORDINE MIRABILITER IN EA CONCURRENTE, UT REVERA RES EJUS *omnes novitatem haberent, ac velut propriam à natura rationem ſuprà naturam; eximiámque tanquam rationem omnem & ſcientiam ſuperantes reciperent.*

Tum in oratione III. de eadem dormitione: *O virginalis terra, ex qua novus Adam, & ſecundo illo vetuſtior prodiit: quod te ſepulchrum tacturum eſt, quæ te ſuſceptura terra; quæ cælum & cæli naturam puritate ſupergreſſa es? quænam tua illa ſepulchralia? quænam faſcia? qui amictus?* QUÆNAM VERÒ TUUM CORPUS DELIBATA SUNT UNGUENTA? CORPUS, INQUAM, ILLUD SUAVE FRAGRANS, CORPUS INTEMERATUM, CORPUS ILLUD BONI PLENUM, *remiſſionem ſcaturiens, ceu fons manans incorruptionem.* Infrà: *Satis verò pro virili ſermonis debito defunctus ſum, nullo, ut arbitror, omiſſo eorum, quæ ſpectant ad præſentis diei feſtum.* Infrà: *Quomodo ſepulta ſit, quomodo tranſlata, ut vacuum ſepulchrum honori habeatur?* Infrà: *Læta eſt præſentis diei ſolemnitas, non lamentabilis Gethſemani. Suſcipe coronam regiam, para ſepulchrum, profer ſepulchralia, loculum unguentis perorna: ſit tibi urna theſauri cuſtos, ſanctum ſecurè cuſtodiatur. Siquidem enim ſervatum manſerit in ſepulchro, communis Angelis hominibúſque poſſeſſio venerationi habebitur. Sin autem acciderit aliquid novi, tranſlatúmque* INTEMERATUM ILLUD CORPUSCULUM FUERIT, *tu mane prædicans miraculum, enarra* TRANSLATIONEM *futuris poſtmodum generationibus; ſpiritum quidem Deipara ſupernis cedens ſpiritibus, nobis autem ceu ex perenni fonte corpuſculo illo ſuavi quidem fragrantia ſanctimoniam tribuens.* Infrà: *Ecce propitiatorium illud ad Sancta Sanctorum, & in penetralibus divina myſticaque arca depoſitum, quod modò quidem Seraphinorum pennis obumbretur: modò autem myſtico* JESU *adventu peccata noſtra expiet. Haud ultrà verò Iſraëli imponitur legalis ſervitutis jugum, quod aſſerta nimirum nobis libertatis literas ſervitute illa & cultu in ſpiritu tanquam in charta in Deipara corpuſculo ſua Chriſtus manu deſcripſerit.* Infrà: *Ejuſmodi ſunt, ô Deipara,* ALTISSIMÆ DORMITIONIS TUÆ SACRAMENTA; *hæc pompa ſacra tabernaculi tui, cui parentavit Deus, epitaphia; hæc pro exitu laudatio; hæc ante póſtque ſepulturam monumenta;* HÆC IGNOTISSIMÆ TUÆ TRANSLATIONIS, CEU DEDUCTIONIS OFFICIA.

Et hæc ſunt quæ ex Combeſiana editione & recenſione de tribus Andreæ Cretenſis in Deiparæ dormitionem orationibus excerpenda habui, in quibus multa diligenter ac curioſè obſervari debent.

I. Quòd Andreas Cretenſis aſſeveret æquales beatæ Mariæ ſcriptores nihil de illius dormitione, nihil de iis, quæ dormitionem ſecuta ſunt, memoriæ tradidiſſe: Dionyſium tamen Areopagitam excipit quem non excepiſſet perſuaſus judicio, quod Catholici præſules in habita Conſtantinopoli cum Severianis collatione ann. Chr. DXXXIII. tulerunt, de libris illius.

II. Quòd Andreas Cretenſis dilatet quidem Areopagitæ orationem; ſed nihil de iis, quæ beatæ Mariæ dormitionem ſecuta ſunt, adjiciat, & omiſſum ab Areopagita ſepulturæ locum exprimat.

III. Quòd Andreas Cretenſis nihil ſcribat factis antea ex Procli & Cyrilli ſilentio præjudiciis repugnans, aut contrarium: etiamſi triplex de beatæ Virginis dormitione encomium exaraverit.

IV. Quòd Andreas Cretenſis non ſemel atque iterum, ſed pluries affirmet, obſcura & caliginoſa eſſe, quæ ad beatæ Virginis dormitionem, ſepulchrum, ſepulchri vacuitatem, transla-

tranſlationem, & tranſlationis locum pertinent. Et hæc omnia ſermone brevi complectitur Uſuardi Martyrologium, quod Pariſienſis, Romana, & aliæ infinitæ Eccleſiæ adoptarunt.

v. Quòd Andreas Cretenſis videatur illis tacitè occurrere, qui vel libro de tranſitu beatæ Mariæ fidem adhibere, vel novis de Mariæ dormitione commentatinnibus contra receptam à majoribus ſobrietatem Eccleſiæ indulgere vellent. Id inter præcipua orationum trium argumenta reperiet, qui illas ſtudioſè volvet & revolvet.

Scio quidem in [l] Aſſumptione Mariæ Virginis vindicata cap. v. art. vi. & in vindiciis Partheniciis cap. LXXXVI. Andream Cretenſem ut apertum corporeæ in cælum Aſſumptionis vindicem ac patronum laudari: ſed quanta fide laudatus fuerit, ſuperiora è tribus Andreæ orationibus excerpta condocefaciunt.

x. Venerabilis Beda, vel alius apud ipſum in libelli de locis ſanctis cap. vi. *Ad ejus dexteram monumentum vacuum, in quo Sancta Maria aliquando pauſaſſe dicitur; ſed à quo vel quomodo ſit ablata, neſcitur.* Sed aliter in MS. codice Monaſterii ſancti Germani Pratenſis legitur ad cap. XII. *Ad dexteram verò ejuſdem* (Eccleſiæ in valle Joſaphat) *parte beata Maria ſaxeum ineſt vacuum ſepulchrum, in quo aliquando ſepulta requievit, ut ſatis apparet. Sed de eodem ſepulchro quomodo, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctum corpus ejus ſit ſublatum, vel in quo reſurrectionem expectat, nullus pro certo, ut prædictus vir teſtatur, ſcire poteſt.* Hæc ad Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium non tam accurrunt, quàm advolant. Hæc autem & Arcwlfi Galliæ Epiſcopi, & Bedæ dici poſſunt. Arcwlfi quidem, quia teſtis & auritus & oculatus dictavit Adamnano Presbytero & Hiienſis Monaſterii Abbati, qui literis mandavit: Bedæ, verò, quia probavit & probando ſua fecit. Sed audiatur in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro v. cap. xvi. *Scripſit idem vir* (Adamnanus) *de locis ſanctis librum legentibus multùm utillimum, cujus auctor erat docendo & dictando Galliarum Epiſcopus Arcwlfus, qui locorum gratiâ ſanctorum venerat in Hieroſolymam.* Et paullo pòſt: *Porrexit autem librum hunc Adamnanus Alfrido Regi, ac per ejus eſt traditionem etiam minoribus ad legendum contraditus. De cujus ſcriptis aliqua decerpere, ac noſtra huic Hiſtoriæ inſerere commodum fore legentibus reor.* Mox in fine capitis XVIII. *Hæc de opuſculis excerpta præfati ſcriptoris ad ſenſum quidem verborum illius, ſed brevioribus ſtrictiſque ſermonibus noſtris ad utilitatem legentium Hiſtoriis indere placuit. Plura voluminis illius ſiquem ſcire delectat, vel in ipſo volumine, vel in eo, quod dudum ſtrictim excerpſimus, epitomate requirat.* Igitur qui Hieroſolymam ſe contulit, & loca ſancta luſtravit, & quæ tunc, id eſt, ad annum DCCXX. de rebus ſanctorum locorum in traditione erant, didicit, ſic dictavit Adamnano: *De eodem ſepulchro quomodo, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctum ejus* (Mariæ) *corpus ſit ſublatum, vel in quo reſurrectionem expectat, nullus pro certo, ut prædictus vir* (Arcwlfus) *teſtatur, ſcire poteſt.* At qui tunc ſciverit exploratæ fidei ſcriptor nullus monumentis illuſtravit ſuis. Quidquid in cauſa, Hieroſolymitanæ traditioni cedendum eſt, vel ei vetuſtior opponendus eſt auctor, qui rem meliùs noverit, & contrarium literis prodiderit. Interim quæ retulimus, accedunr ad decretorium ſtylum: & tamen in Vindiciis Parthenicis cap. CCLXXXIX. litigioſa diſputati ne ſic occurritur, *Bedam non ex ſua, ſed* [m] *ex Arcwlfi mente fuiſſe locutum.* Beda loquitur ex mente & auctoritate illius, quem citat & ſequitur, ut Vindiciarum Parthenicarum auctor loquitur ex mente & auctoritare Baronii & aliorum, quos citat & ſequitur. Illa verba fugientis ſunt hominis, cui metum incutit nuda & obvia veritas, quæ ceteroquin alios ad amorem ſui trahit.

Præterea in Retractationibus in Acta Apoſtorum, cap. VIII. *Si diſperſâ Eccleſiâ Apoſtoli remanſerunt in Jeruſalem, ut Lucas ait, conſtat quia mendacium ſcripſit ille, qui ex perſona Militonis Epiſcopi Aſiæ librum exponens de obitu beatæ Genitricis Dei dicit, quòd ſecundo poſt Aſcenſionem Domini anno Apoſtoli fuerint omnes toto orbe ad prædicandum in ſuam quiſque provinciam diviſi, qui univerſi appropinquante obitu beatæ Mariæ de locis in quibus prædicabant Verbum Dei, elevati in nubibus rapti ſunt in Hieroſolymam, ac depoſiti ante oſtium domus ejus, inter quos etiam Paulus nuper ex perſecutore ad fidem Chriſti converſus, qui aſſumptus eſt cum Barnaba in miniſterium gentium: quæ Scriptura etiam ſpecialiter de Joanne Apoſtolo refert, quod eo tempore Epheſi prædicaverit. Quæ cuncta verbis beati Lucæ apertè contradicunt, quibus narrat Apoſtolos ceteris fidelibus ab Hieroſolymis propulſis remanſiſſe ibidem, & prædicaſſe per omnia, donec Eccleſia per totam Judæam & Samariam*

[l] *Aſſumptione Mariæ Virginis Vindicata*] Opus eſt Jacobi Gaudin Canonici Pariſienſis, contra Cl. Jolii Diſſertationem. Prodiit in 12. anno 1670.

[m] *Ex Arcwlfi mente &c.*] Ut imminuat Arcwlfi auctoritatem, Hunc Billialdus Vind. Parth. pag. 290., clamat fuiſſe Linguarum tum Græcæ, tum Latinæ penitùs ignarum.

riam & Galilææm pacem haberet; (quod in uno anno perfici non potuiſſe nulli dubium eſt) qui etiam manifeſtè inſinuat Paulum non ſecundo poſt Aſcenſionem Domini anno, ſed longo poſt tempore in miniſterium gentium cum Barnaba ordinatum. Abſit autem ut credamus; beatum Joannem Apoſtolum, cui Dominus in cruce matrem ſuam virginem virgini commendavit, poſt unum annum receſſiſſe, & eam reliquiſſe ſolam, ac tanto tempore dejectam, ut etiam corpus ſuum defuncta timeret ab hoſtibus eſſe comburendum, eúmque propter quam raptus eſt in nubibus ad ſe rediiſſe, velut oblitum ſive incurioſum ſui ſollicita precaretur dicens: Rogo te, fili Joannes, ut memor ſis verbi magiſtri tui Domini mei JESU CHRISTI, *qui me commendavit tibi. Ecce enim vocata ingrediar viam univerſæ terræ Audivi autem conſilia Judæorum dicentium: Expectemus diem quando moriatur, quæ portavit* JESUM *Nazarenum, & corpus ejus comburamus. Nunc ergo, fili, curam habeto exequiarum mearum. Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato volumini contra auctoritatem beati Lucæ incautâ temeritate aſſenſum præbere.* Quibus, ni fallor, verbis Gregorium Turonenſem perſtringit. Hîc celebris Anglorum Doctor ſtatuit propugnaculum, non quo Uſuardus in edendo Martyrologio tegatur, ſed quo qui contra editum Martyrologium dicunt, longè latèque propellantur ac propulſentur.

XI. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, in ſermone I. de dormitione ſanctæ genitricis Dei: *Quid*, inquit, *primùm dicam, quidve ſecundo loco enarrandum remittam? Tuane in carne cum hominibus converſationis laudes celebrem? An migrationis in ſpiritu,* QUA SOMNO VIVIS EXCESSISTI, *gloriam plauſu excipiam? Sunt ambo hæc tremenda, horrendum utrumlibet. Verùm ſermo quidem enarrandis ceu tranſitu triumphis tuis poſitus ērit: proceſſu autem hodierni argumenti præclara tua ac glorioſa, ô Deipara, migrationis canticum inchoaverit. A terrenis migrantem liquet aſcendiſſe cæleſtia: ceterum neque olim eras cæleſtium expers, neque migrans exceſſiſti à terrenis, quando etiam ſublimiores cæleſtibus ordinibus ſedes petiſti.* Infrà: *A te pro tua in nos protectione cognoſcamur, tuam ſemper auxiliatricem agnoſcimus protectionem. Nihil enim illa animam inter & corpus diviſio, tuam ac ſervorum tuorum dignationem prohibere poſſit: haud quippe dimiſiſti, quibus fuiſti ſaluti: haud abs te congregatos dereliquiſti: nam ſpiritus tuus ſemper vivit,* NEC CARO CORRUPTIONEM SEPULCHRI SUSTINUIT. Infrà: *Nihil enim caro tui ſpiritus virtuti ac efficaciæ officit: quippe tuus ille ſpiritus ubi vult ſpirat, qui nimirum mundus ſit, ac vacuus materia, incorruptus ac incontaminatus, ſanctique Spiritus ſodalis ac Unigeniti deitatis delectus. Tu juxta quod ſcriptum eſt, ſpecioſa es, tuúmque illud corpus virginale totum ſanctum eſt, totum caſtum, totum Dei domicilium, ut ideo quoque à reſolutione in pulverem deinceps ſit liberum: quod quidem ceu humanum ad ſummam incorruptionis vitam ſit immutatum, ſitque nihilominus ipſum incolume ac prægalorioſum, conſummata vita, ac inſoporabile: quatenus impoſſibile erat, ut mortuorum ſepulchro clauſum teneretur; quod vas Dei ſuſceptivum eſſet, ac ſanctiſſima Unigeniti deitatis animatum templum. Idcirco verò te, ô Deipara, nobiſcum credimus obambulare: verè etenim verè etiam iterum grati animi dicam exultatione, quanquam ab humanis migraſti, haud tamen à Chriſtianorum gente receſſiſti.* Infrà: *Quomodo carnis te diſſolutio in cineres ac pulverem potuiſſet redigere, quæ humanum genus à mortis corruptione per nati ex te aſſumptam carnem liberaſſes? Migraſti ergo ab humanis, ut horrenda Incarnationis ſolida veritate, nulla apparentia conſtans, confirmatum pateſceret ſacramentum, ut, inquam, tuo illo à temporaneis ac ſæculo diſceſſu, qui ex te natus eſt Deus, perfectus nihilominus ex vera matre crederetur proceſſiſſe filius, quæ nimirum neceſſitatum naturæ legibus ſubjaceret, divinæ juſſionis definitione, ipſoque ad mundi vitam conceſſo tempore ſolicitante, cujus corpus ut unius haberet reliquarum mulierum, eóque communis hominum mortis occurſum vitare nequiviſſes. Quo etiam modo filius tuus ac Deus univerſorum ob noſtrum, ut ita dicam, univerſi generis, mortuum hominem, ſimilem & ipſe carne guſtavit mortem, mirabilia planè operatus, cùm in ſuo ipſius ac vivifico ſepulchro, tum in tuo dormitionis vitam ſuſcipiente monumento, ut ea amborum quidem corpora veritate ſuſceperint, haudquaquam verò corruptionem induxerint. Neque enim fieri poterat, ut quæ Dei capax vaſculum eſſes, emortuum corpus corrumpente difflueres pulvere. Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat à principio ac vita ſæculis antiquior: utique par quoque erat, ut vitæ mater, vitæ pariter contubernalis fieret, dormitionémque ſomni inſtar ſuſciperet, ac migrationem haud ſecus atque expergefactionem ceu vitæ parens ſubiret.* Infrà: *Sic porrò rebus caducis emortua ad immortales æternorum demigraſti manſiones, ubi Deus inhabitat, cum quo pariter ipſa agens, Dei genitrix, ab ejus converſatione non diſcedis. Quippe ei, ô Deipara, corporalis domus, quâ quieſceret, es effecta; ipſéque viciſſim, ô laudatiſſima, domus requietionis migranti efficitur. Hæc enim requies mea in ſæculum ſæculi, hoc eſt caro, quam is ex te, ô Deipara, induit;*

induit, qua indutus nedum præſenti ſæculo apparuiſſe creditus eſt, ſed & eſt futurum, ut eâdem ipſa veniens judicare vivos & mortuos indutus appareat. Ergo te, ut quæ æterna ei requies eſſes, à corruptione liberam ad ſe aſſumpſit, ſuis te, ut ita dicam, & afflatibus & viſceribus volens prporiùs affixam. Idcircò quidquid ab eo quæris, id illo filiorum lugenti ſortem tribuit.

Deinde in ſermone II. de eadem dormitione: *Faceſſat in te mors, ô Deipara, quòd vitam mortalibus produxeris; faceſſat in te ſepulchrum, quando inexplicabilis ſublimitatis divinum facta es fundamentum: faceſſat pulvis, nova quippe informatio es, quod iis qui in limo luti corrupti eſſent, domina facta ſis. Te igitur unà nobiſcum certa confitemur fide. Niſi enim noſtra in eo eſſet poſita conſolatio, deficeret præ tui deſiderio ſpiritus noſter. Quomodo autem juxta ſcripturam fide intelligimus aptatos cælos, ita & te etiam à migratione corporis, accendentem nobis comitem velut oculis contueri credimus: non enim tantùm doles anima, cùm à corpore avellitur, quantus dolo eſt te privari, ô immaculatiſſima. Hinc juxta Scripturam, etſi corpus tuum dormit, cor tamen tuum vigilat, & quanquam inevitabilem humanæ conditionis mortis neceſſitatem ſubiiſti, non tamen dormitabit, autve dormiet nos cuſtodiens oculus tuus. Non enim teſtibus caret tranſitus tuus, nec dormitio tua quicquam falſi habet. Enarrat cælum gloriam eorum, quæ in te tunc concurrerunt: terra eorum repræſentat veritatem, nubes honorem, quem famulatu exhibuerunt, clamant denique Angeli, quod id temporis ſatellitium ſtiparet, annunciant ut nimirum Apoſtoli ad te Hieroſolymam convenerint, quemadmodum etiam Habacuc Propheta hora una in nube raptus ſurripiente angelica dextera ex partibus Orines Judæque, Babylone Perſidis ad lacum Danielis præſto fuit. Enimverò ut gutta una nihil mari adjicit, neque pauperis crumena divitis theſaurum evacuat, ita nemo tuarum celſitudinem laudum oratione ſatis extulerit. Habes planè ipſa à te propriam laudem, quòd Deipara effecta ſis. Non enim quia hoc tantùm exponente Scriptura auribus noſtris audivimus, neque iterum quia patres noſtri hoc nobis veriſſima narratione annunciaverunt, Deiparæ appellationem ſortita es: ſed quia ipſum opus, quod es operata in nobis, propriè & verè, nihilque gratificante lingua, & orthodoxè Dei te matrem ab ipſis rebus confirmat. Ideóque par erat, ut ne revera corpus illud tuum, quod vitam ſuſcepiſſet, mortifera corruptione involveretur: at verò ut & ſepulchrum, velut hominis propriam maſſam ſuſciperet, atque vita conſummatione à tua ipſa vita migrante ad cæleſtia, monumentum quidem tua carne oſtenderetur vacuum; tuus verò ſpiritus inveniretur ab humana converſatione inſeparabilis, inviſibili ejus virtute, qui ex te virgine natus eſt Chriſtus Deus noſter.*

Hæc ex Combefiana editione & recenſione, in quibus quæ ſequuntur, obſervo.

Et primùm quidem Germanus Deiparam naturæ ſatisfeciſſe cenſet, idque probat rationibus, quæ ad ſacram Chriſti œconomiam pertinent; deinde corpus Deiparæ migrante ſpiritu incorruptum remanſiſſe ponit, atque id plauſibilibus argumentis ſuadere conatur, quæ tamen ſi convincerent, Deiparam mori non debuiſſe convincerent, ut argumenta meditanti conſtabit. Sed iſtud ab auctoris intentione valde alienum eſt.

Tum etſi videtur dicere, Deiparæ corpus ad vitam revocatum eſſe, nuſquam tamen dicit, Deiparam cum redivivo corpore in cælum abiiſſe. Nam aliud eſt, Deiparæ corpus expers corruptionis ſervari, quod Germanus aſſerit; aliud, Deiparam cum reſumpto copore in cælum conſcendiſſe, vel in corpore & anima aſſumptam eſſe, quod nuſquam aſſerit.

Quartò, licèt nonnullis in commatibus nonnihil obſcurè loquatur, tamen de ſola animæ ſeu ſpiritus in cælum migratione locutus commodè intelligi poteſt, ne hac in parte videatur ab antiqua traditione diſcrepare: & ſanè mirum eſſet, Germanum plura hac de re ad annum DCCXL. quàm Andream Cretenſem ad annum DCCXX. pronunciare.

Quintò, quæ de Apoſtolis Hieroſolymam convenientibus narrat, ſi ad literam ſumantur, ex apocrypho de tranſitu beatæ Mariæ libro deprompta videbuntur. Id enim nec ex Actis Apoſtolorum, nec ex priſcis Eccleſiæ Patribus confirmari poteſt. Eſt aliquid ſimile in libro de divinis nominibus: ſed Auctor poſt Epheſinam ſynodum vixit, & id ex libro de tranſitu beatæ Mariæ mutuatus eſt.

Sextò, Germanus de ſuo nonnulla tradit, quæ Epiphanius trecentis annis & eò ampliùs Germano vetuſtior non tradit, nec tradere ſe poſſe ſcribit. Quò fit ut ſi res inter utrumque in diſceptationem venerit, Germanus inferior erit Epiphanio, ſi Tertullianus appelletur ut judex in libri IV. contra Marcionem capite IV. ita ſcribens: *Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod poſterius revincetur?* Tertulliano ſuccinit Baronius, cùm in apparatu ad Annales Eccleſiaſticos ait: *Quod à recentiori auctore de*

rebus

rebus adeo antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur. Uſuardi & Eccleſiarum, quæ illius Martyrologium in familiam & nomen ſuum olim adoptarunt, hoſtes non provocabunt, opinor, ab hoc auctore, quem opinionis ſuæ principem & ut architectum venerantur. His adde, Germanum progreſſum eſſe ultra Proclum deceſſorem ſuum antea citatum, qui ex Cyziceno factus eſt ad annum Chriſti CCCCXXXIV. Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Hoc autem animadvertiſſe, Germani ſermones ſufflaminaſſe, & ad juſtam dicendi formam revocaſſe eſt.

Ceterùm perpenſis his omnibus, ſi Uſuardo Germanus prodeſſe non poſſit, certè obeſſe non poteſt.

Nunc valde miror fieri quî potuerit, ut qui *Aſſumptionem Mariæ virginis vindicatam* edidit, tanta cum aſſeveratione ſcripſerit in capitis IV. articulo II. pag. 101. *Quotquot ante Uſuardum ſcripſerunt, (ſi unum Pſeudo-Hieronymum, & paucos ab eo deceptos excipias) aſſumptam corpore & anima Mariam virginem apertè profeſſi ſunt.* Quaſi verò apertè profeſſi eſſent Ignatius, Athenagoras, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Gregorius Neocæſarienſis, Arnobius, Lactantius, Methodius Tyri Epiſ. Euſebius, Athanaſius, Optatus, Hilarius, Baſilius Cæſarienſis, Ephræmius, Gregorius Nyſſenus, Pacianus, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Amphilochius, Ambroſius, Epiphanius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Iſidorus, Peluſiota, Oroſius, Cyrillus Alexandrinus, Leo I. Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Maximus, Petrus Chryſologus, Ennodius, Gregorius Magnus, Iſidorus Hiſpalenſis, Andreas Cretenſis, Venerabilis Beda. Hi ſunt tractatores Eccleſiaſtici, qui ante Uſuardum ſcripſerunt, & de corporea Virginis in cælum aſſumptione nihil apertè profeſſi ſunt. Nunc auctor *vindicatæ Aſſumptionis* fidem in citandis Patribus ſuam apud pios & eruditos homines liberet neceſſe eſt: interim quod ſibi ſumpſit quò confugiet, neſcio; arcem nullam, portum nullum video, quò lemma illiuſmodi confugiens in tuto eſſe poſſit.

Verum enim verò ne diſſimulationis ullius accuſemur, ſincerè referenda ſunt ea, quibus qui Pariſienſis Martyrologii de dormitione beatæ Virginis lectionem antiquam non eſſe judicant, nituntur.

I. Dionyſius [n] Areopagita in libro de divinis nominibus: *Apud ipſos*, inquit, *divino ſpiritu plenos Pontifices noſtros cùm & nos, ut noſti, & plerique alii ex ſanctis fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ Deumque receperat, convenisſemus; (aderat autem frater Domini Jacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen) ubi poſt contuitum placuit, ut infinitè potentem divinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro captu ſuo. Ille denique Hierotheus, ut noſti, poſt Apoſtolos omnibus aliis Doctoribus ſuperior eſt.* Qui ut corporalem Virginis in cælum aſſumptionem probet, locum hunc adfert, ultro ſibi facit injuriam, quia ibi de corporali in cælum aſſumptione nec vola, nec veſtigium. Hoc autem cùm ita ſit, Auctor prodeſt potiùs, quàm obeſt Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio. Hic neceſſe non eſt animadvertere, auctorem libri de divinis nominibus ex libro de tranſitu beatæ Mariæ profeciſſe, cùm ait Apoſtolos ad tranſitum illius conveniſſe.

II. Gregorius Nazianzenus in Tragœdia de Chriſto patiente:

O ter, inquit, *beata mater, ô lux virginum.*
Quæ templa cæli lucidiſſima incolis,
Mortalitatis liberata ſordibus,
Ornata jam immortalitatis ſtolâ.

Profectò intus ſibi canit, qui his in verſibus reperire ſe putat, beatam Virginem in cælum cum redivivo corpore migraſſe. Apoſtolos cælo receptos jam reſumpſiſſe corpora quis diceret, quia immortalitatis ſtolâ ornantur? aut immortalitatis ſtolâ non ornari quis diceret, quia corpora ſua non reſumpſerunt? Hi verſus juxta communem hominum intelligentiam Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio prodeſſe poſſunt, obeſſe non poſſunt.

III. Gregorius Turonenſis in libri I. de miraculis capite IV. *Poſt admirabilem*, inquit, *igitur Dominicæ Aſcenſionis gloriam, quæ, contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cæleſtia animavit, ſancti Apoſtoli Domini & Salvatoris noſtri cum beata Maria matre ejus in unam congregati domum, omnia ponebant in medio, nec quiſquam ſuum aliquid eſſe dicebat, ſed unuſquiſque cuncta poſſidebat in charitate, ſicut ſacer Apoſtolicæ actionis narrat ſtylus.*

Poſthæc

[n] *Areopagita*] Dicere debuiſſet pſeudo-Areopagita, quem ſcripſiſſe volunt Guillelmus Cave Hiſt. Litt. & Dallæus Lib. de ſcriptis Dionyſii Areopagitæ, ad annum 362. *Libri omnes*, inquit P. Le Quien pag. 879. Tom. II. Damaſceni, *Zenonis imperio poſteriores ſunt, nec citari proinde potuerunt tempore Concilii Chalcedonenſis.*

Poſthac diſperſi ſunt per regiones diverſas ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto à beata Maria hujus vitæ curſu, cùm jam vocaretur à ſæculo, congregati ſunt omnes Apoſtoli de ſingulis regionibus ad domum ejus, &c. apud Notkerum ſuprà, qui, ut vidimus, Gregorii narrationem varia ſpeculatione atque emendatione ſua confixit. Deinde Gregorius narrationem ſuam è libro de tranſitu ſeu obitu beatæ Mariæ accepit, & ob id à Venerabili Beda tacitè reprehenditur, cùm ait: *Nonnullos novi præfato volumini incautâ temeritate aſſenſum præbere.* Excuſandus eſt Gregorius, qui libros de miraculis & de gloria Confeſſorum juvenis ſcripſit, & ſcribendo non inquiſivit in auctores, quibus uſus eſt.

IV. [o] Gregorius Magnus in Sacramentario: XIX. *Calend. Sept. Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ.* XVIII. *Cal. Sep. Aſſumptio ſanctæ Mariæ virginis. Præfatio: Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, & te in veneratione ſacrarum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare, inter quas intemerata Dei genitrix virgo Maria, cujus* [p] *Aſſumptionis dies glorioſa effulſit* &c. *Oratio: Veneranda nobis, Domine, hujus eſt diei feſtivitas, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum de ſe genuit incarnatum.* Hic, ut apparet, animus jam aliqua opinione occupatus ſibi omnia concinere ut cupit, ita & retur. Qui hæc profert in medium, ſibi pro certo ſumit, nomen *aſſumptionis*, & verbum *aſſumere* vel *aſſumi* corporalem in cælum migrationem per ſeſe importare: quod & apud Latinos & apud Græcos à vero penitus abhorret. Id Patres ipſimet Latini & Græci nos docebunt.

I. Cyprianus in epiſtola IX. ad Martyres & Confeſſores, de Mappalico, ubi ſancti Pauli verba in epiſtolæ II. ad Timotheum capite IV. *Ego jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*, ſic exponit: *Item certamen ſuum oſtendens, & hoſtiam ſe Domini citò futurum eſſe promittens, ait: Ego jam delibor, & tempus inſtat aſſumptionis meæ.* Deinde in libri III. teſtimoniorum ad Quirinum capite XVI. de bono martyrii: *De hoc ipſo ad Timotheum in ſecunda: Ego jam delibor, & tempus inſtat meæ aſſumptionis.* Sic beato Cypriano ἀνάλυσις idem eſt quod ἀνάληψις, reſolutio quod aſſumptio, vel è contra.

II. Euſebius in libri III. de vita Conſtantini capite XLV. de Helenæ tranſitu: *Animus*, inquit, *corporis compagibus ſolutus ad immortalem & angelicam naturam, atque adeo ad ipſum Servatorem* ASSUMPTUS EST: ψυχὴ ἀναλαμβανομένη.

Deinde in libri IV. de vita ejuſdem Conſtantini capite LXIV. de tranſitu Conſtantini: *Hujus in celebritatis extremo ferè die*, (Pentecoſtes) *quam ſiquis omnium celebritatum principem & maximam vocet, haud aberraverit, omnia iſta conſecutus Imperator ipſa meridie ad Deum ſuum* ASSUMPTUS EST, ἀναλαμβάνεται, *partem ſui mortalem mortalibus cognatam relinquens humi, ſed animi partem intelligentem & divinam Deo conjungens ſuo.*

III. Hilarius in libro, qui incipit, *Sancto Spiritu*, inter illius fragmenta: *Et huic*, inquit, *tanta & tam gravi Apoſtolicæ auctoritati ego quoque inter ceteros, ſiquid mihi poſt eos loci eſt, teſtimonium reddo per hanc charitatem repoſitam nobis ante tempora ſæcularia in cæli ſpem* ASSUMPTIS. Ut Fideles in cæli ſpem, ſic & in cælum aſſumuntur. Huc adhuc ſpectat Hilarius, cùm in Matth. cap. XXVI. ita ſcribit de aſſumendis & relinquendis: *Duo autem ſunt in lecto eandem paſſionis Dominicæ requiem prædicantes, circa quam & hæreticorum & catholicorum eadem atque una confeſſio eſt. Sed quia unitatem Patris & Filii, & communem eorum theotetam, quam deitatem nuncupamus, catholicorum veritas prædicabit, & eandem rurſum plurimis contumeliis hæreticorum falſitas impugnabit; idcirco ex duobus in lecto alter relinquitur, & alter aſſumitur: quia fidem confeſſionis utriuſque in uno aſſumendo, & in altero relinquendo divini arbitrii judicium comprobabit. Atque ut ignorantiam illam diei omnibus taciti non ſine utilis ſilentii ratione eſſe ſciremus, vigilare nos propter adventum furis admonuit.* Sic fidelium dies ultimus mors ſeu aſſumptio vocatur ab Hilario: ídque convenienter ſcripturæ ſacræ.

IV. Gregorius Nazianzenus in funebri oratione pro Gorgonia ſorore ſua: *Sic illa ſolvitur, aut*, UT MELIÙS LOQUAR, ASSUMITUR, προσλαμβάνεται, *aut avolat, aut tranſmigrat, aut paullum ante corpus abſcedit.* Synonyma ſunt Nazianzeno verba hæc omnia, quibus ille Gorgoniæ mortem deſcribit, & mutuam ſibi præbent intelligentiam.

V. Martyrologium, quod [q] ſub Hieronymi nomine publicatum eſt: VI. *Calend. Januarii*, ASSUMPTIO *Sancti Joannis Evangeliſtæ apud Epheſum.* Hieronymus aſſumptionem interpretatur mortem in catalogo virorum illuſtrium: *Joannes ſub Pertinace principe redit Epheſum, ibique uſque ad Trajanum principem perſeverans totas Aſiæ fundavit rexitque Eccleſias, & confectus ſe-*

[o] *Gregorius Magnus &c.*] Sacramentorum Liber, inquit D. Martenne p. 1546. Tomi III Novi Anecdotorum Theſauri, tot additionibus, tot truncationibus diminutus, ut jam primarius auctoris fœtus, quàvis adhibitâ diligentiâ agnoſci nequeat.

[p] *Aſſumptionis*] In editione San-Marthani additur, *Diem celebramus.*

[q] *Sub Hieronymi nomine*] Illud Martyrologium haud aliud fuiſſe, quàm illud quod ſub S. Hieronymi nomine circumferebatur, centum ſaltem circiter annis ante Gregorii Pontificatum, cujus meminit Caſſiodorus in Libro divinarum inſtitutionum, non ſine fundamento *Florentinus* Lucenſis in admonitionibus prævis ad ſuum S. Hieronymi Martyrologium. Utrùm autem, inquit D. Martenne p. 1546. Tomi III. Novi Anecdotorum Theſauri, alicubi extet quod ſub Hieronymi nomine conditum eſt Martyrologium purum putum quale fuit ab auctore conſcriptum, temerè aſſerere nolim. Poſtea tradit idem accidiſſe Hieronymiano Martyrologio quod & Gregorii Sacramentorum libro. Vide notam o.

nio, ſexageſimo octavo poſt paſſionem Domini anno mortuus juxta eandem urbem ſepultus eſt. Abſcedat procul, qui hoc in loco ait corporalem in cælum aſſumptionem intelligi: quaſi verò non de ſua, ſed de aliorum mente locutus eſt in Martyrologio, vel in catalogo, ut ſomniant.

VI. Auguſtinus in Sermone XXXIII. de diverſis, de S. Stephano: *Mulier quadam amiſit in gremio agrotantem filium catechumenum, infantem, lactentem. Qua cùm vidiſſet amiſſum, & irreparabiliter perditum, cæpit eum magis flere fideliter, quàm mater: non enim filii ſui deſiderabat vitam, niſi in futuro ſaculo, & hanc ſibi ablatam & periiſſe plangebat. Impleta affectu fiducia tulit illum mortuum, & cucurrit ad memoriam beati Martyris Stephani, & cæpit ab illo exigere filium, & dicere, Sancte Martyr, vides nullum mihi remanſiſſe ſolatium: non enim poſſum dicere filium praceſſiſſe, quem noſti periiſſe. Tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conſpectum coronatoris tui. Hac & talia cùm precaretur, lacrymis quodammodo non petentibus, ſed, ut dixi, exigentibus, revixit filiùs ejus. Et quia dixerat. Noſti quare illum quaram, oſtendere voluit etiam Deus verum animum ipſius. Continuò tulit illum ad Presbyteros, baptizatus eſt, ſanctificatus eſt, unctus eſt, impoſita eſt ei manus, completis omnibus Sacramentis* ASSUMPTUS EST. *Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem ſepulchri.* Sic de nomine & notione *aſſumptionis*, & *aſſumpti* ad Deum hominis quæſtio ſolvitur. Baptizatus infans ASSUMPTUS EST.

VII. Auctor ſermonis de Aſſumptione Virginis Hieronymo adſcripti, non obſcurè ſignificat, *aſſumptionis* nomen corporalem in cælum migrationem per ſeſe non ſonare. Verba ſermonis antè relata ſunt.

Atque hi ſunt auctores Gregorio Papa vetuſtiores, qui aſſumptionem non aliter, quàm pro migratione in anima ſumpſerunt.

VIII. Gregorius Turonenſis Gregorio Papæ æqualis, in libri I. Miraculorum cap. IV. de beata Virgine: *Cùm audiiſſent Apoſtoli, quia eſſet aſſumenda de mundo, vigilabant cum ea ſimul. Et ecce Dominus* JESUS *advenit cum Angelis ſuis, & accipiens animam ejus tradidit Michaeli Angelo, & receſſit.* Sic etiam in apocryphis reperitur animæ duntaxat in cælum aſſumptio. Deinde ea reperitur in ſcriptis legitimis, nempe in libri de gloria Confeſſorum capite XCIX. de Avito Aurelianenſi Confeſſore: *Poſt cujus obitum, cùm anniverſarius* ASSUMPTIONIS ejus *dies cum ſummo coleretur honore*, &c. Ecce tibi Confeſſoris Aviti ASSUMPTIO.

IX. Ildefonſus Toletanus Archiepiſcopus, Gregorio Papæ ætate ſuppar, multos de Aſſumptione Virginis ſermones edidit, minimè perſuaſus, Virginem cum redivivo corpore in cælum migraſſe.

X. Venerabilis Beda, qui annis poſt Gregorium Papam centum & triginta floruit, in hyemali homilia de B. Benedicto Biſcopio Abbate: *Cujus*, inquit, *venerandam* ASSUMPTIONIS *diem cum debita ſolemnitate recolimus.*

Deinde in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro II. cap. I. *Anno Dominica Incarnationis ſexcenteſimo quinto beatus Papa Gregorius defunctus eſt, atque ad aternam regni caleſtis ſedem tranſlatus.*

In ejuſdem Hiſtoriæ libro II. cap. VII. *Hoc regnante Rege B. Archiepiſcopus Laurentius caleſte regnum conſcendit.*

In ejuſdem libri capite XVIII. *Inter hac Juſtus Archiepiſcopus ad caleſtia regna ſublevatus eſt.*

In ejuſdem libri capite XX. *At ipſe* (Paulinus Epiſcopus) *ſuo tempore ad caleſtia regna cum glorioſi fructu laboris aſcendit.*

In ejuſdem Hiſt. libro IV. cap. III. *Dixítque Ecbert: Scio hominem in hac inſula adhuc in carne manentem, qui cùm vir ille de mundo tranſiret, vidit animam Ceddi fratris ipſius cum agmine Angelorum deſcendentem de calo, &* ASSUMPTA *ſecum anima ejus ad caleſtia regna redire.*

In ejuſdem libri capite XIV. *Hac etenim die idem Rex* (Oſwaldus) *ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad ſempiterna animarum gaudia* ASSUMPTUS *in calum, & electorum eſt ſociatus agminibus.*

In ejuſdem libri capite XXIII. *Nunciavit matrem illarum omnium Hildam Abbatiſſam jam migraſſe de ſaculo, & ſe aſpectante cum luce immenſa duobus Angelis ad aterna lumina lucis, & ſupernorum conſortia civium aſcendiſſe.*

Inſignis Anglorum Doctor variis utitur locutionibus, quæ rem eandem, ut apparet, ſignificant. Beatorum nunc alius in cælum ſublatus eſt, nunc alius cælum conſcendit, nunc alius ad cælum aſcendit, nunc alius in cælum aſſumptus eſt. Atque hinc prorſus efficitur, ut Beatorum in cælum ſublatio, tranſlatio, conſcenſio, aſcenſio dici poſſit aſſumptio: & tamen nec ſublatio, nec tranſlatio, nec conſcenſio, nec aſcenſio, nec aſſumptio corporalis intelligitur. Quocirca diſputator litigioſus eſt, qui aſſumptionem beatæ Virginis in Bedæ Martyrologio aliter interpretatur: dato tamen, quòd vox illa in puro puto Bedæ Martyrologio extiterit. Non extitit, ut ex illo conſtat, quod Actis Sanctorum Martii Godefridus Henſchenius præfixit, ubi ſic habetur: XVIII. *Calend. Sept. Sancta Maria dormitio.* Nunc Beda venit in partem conviciorum omnium, quibus propter adhibitum nomen iſtud Uſuardus in *Aſſumptione vindicata*, & in *Vindiciis Parthenicis* urgetur & opprimitur.

XI. In veteribus quibuſdam Martyrologiis; quæ nec Uſuardi ſunt, nec Adonis, *dormitio* & *aſſumptio* promiſcuè uſurpantur. In exemplum ſtatuo antiqua Matiſconenſis Eccleſiæ Martyrologia duo manuſcripta, quorum alterum priùs, alterum poſteriùs exaratum eſt. In iis ergo ita legitur: XIX. *Calend. Sept. Vigila Aſſumptionis:* mox: XVIII. *Calend. Sept. Dormitio ſanctæ Mariæ.* Idem quoque legitur in manuſcripto Martyrologio Vaticanæ Bibliothecæ, num. 5413. Eodem recidit manuſcriptum ſupra annos plus minùs quingentos Breviarium, quod in Monaſterio ſancti Germani Pratenſis aſſervatur. In illius Calendario ad XVIII. Calend. Sept. ponitur. *Dormitio ſanctæ Dei genitricis*; & in ejus diei Officio notatur. *In Aſſumptione ſanctæ Mariæ.* Huc accedit Beda, in cujus Martyrologio ponitur; *Sanctæ Mariæ dormitio*, & in hyemali homilia de B. Benedicto dicitur, *Benedicti aſſumptio;* & in Hiſtoria Eccleſiaſtica, *Rex Oſwaldus* legitur *aſſumptus.*

XII. Innocentius II. in diplomate, quo Hugonem Gratianopolitanum Epiſcopum conſecravit, Hugonis aſſumptionem celebrandam eſſe ſtatuit: *Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guidoni Priori Carthuſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Divinis reſpondentes beneficiis, cognita vita, & auditis quæ per B. Hugonis merita ſiunt, miraculis, ſupernæ majeſtatis clementiam collandavimus, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Cardinalium, atque aliorum, qui nobiſcum aderant, communicato conſilio, ipſum inter Sanctos & electos honorari præcepimus, & diem ejus* ASSUMPTIONIS *cum gaudio ſolemniter celebrari.*

XIII. Alexander III. in diplomate, quo Eduardum Angliæ Regem Sanctorum catalogo adſcribit, illum de præſenti ſæculo aſſumptum eſſe tradit: *Inde utique fuit, quòd ſuper petitione, quam de Eduardo glorioſo quondam Rege Anglorum canonizando, & in Sanctorum catalogo adſcribendo, tam cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus illuſtris Anglorum Rex, quàm vos ipſi nobis inſtantiùs porrexiſtis, ſolicitam cum fratribus noſtris deliberationem habentes, libro miraculorum inſpecto, quæ dum in carne mortali viveret, & poſtquam de præſenti ſæculo eſt* ASSUMPTUS, *omnipotens Dominus per ſuam miſericordiam declaravit*, &c.

XIV. Celeſtinus III. in diplomatè, quo Ubaldum Eugubinum Epiſcopum Sanctorum faſtis intulit, Deum ſua pietate homines ad ſe aſſumere docet: *Benedictus Deus....: homines ex lutea materia conſtitutos in conſortium Angelorum & gloriam ſua pietate* ASSUMIT.

XV. Clemens IV. in diplomate, quo Hedwigem Poloniæ Duciſſam in Sanctorum ordinem collocavit, Henricum Poloniæ Ducem aſſumptum eſſe de medio ſcribit: *Henrico Poloniæ Duci matrimonium duxit legitimè contrahendum, in quo tripartitum bonum conjugii ſalubriter conſervando, ſic prudenter ſe geſſit, quòd thori fidem inviolatam cuſtodiens, & prolem in Dei timore ſuſceptam erudiens, ab ipſo Duce; cui non præcipiti voluptatis affectu, ſed diſcreto ſemper inhæſiſſe judicio creditur rationis, quouſque eſt* ASSUMPTUS *de medio, per ſeparationis injuriam non divertit.*

Nunc viri boni, *vindicatæ Aſſumptionis, & Vindiciarum Parthenicarum* Auctores; in tantum lætentur, in quantum humana lætitia intelligi poteſt, quòd Romanis Pontificibus quatuor, Innocentio, Alexandro, Celeſtino, Clemente, ſua è cathedra loquentibus cauſam amiſerint, & Uſuardus cum Pariſienſi & aliis Eccleſiis, quæ illius integro uſæ ſunt, hodiéque utuntur Martyrologio, in victorem evaſerit.

XVI. Joannes Belethus, qui Alexandri III. ætate claruit, in explicatione divinorum Officiorum, cap. XLI. *Scire*, inquit, *oportet, quod Sanctorum tranſitus appellatur multis modis. Dicitur enim exitus, tranſitus, obitus, natale, nativitas, natalitium, dormitio, depoſitio; quemadmodum & Joannis Evangeliſtæ paſſio & aſſumptio: ſed hoc nomen quaſi per antonomaſiam ſolummodo de beata Maria dicitur.* Poſtrema verba hæc commoda expoſitione indigent, ita ut *aſſumptio* frequentiùs tunc temporis de beata Virgine diceretur. Nam & auctoris hujus ævo de ſanctis Hugone Epiſcopo, de Eduardo Rege, & de Ubaldo Epiſcopo dicebatur, & noſtro de ſancto Martino dicitur in Romana Eccleſia *aſſumptionis* nomen.

XVII. Verba hæc, *aſſumptum eſſe*, non ſolùm de Sanctis qui cælo aſſerti ſunt, ſed etiam de iis qui aſſerti non ſunt, dicuntur. Euſebius, *Conſtantinum ad ſervatorem ſuum aſſumptum fuiſſe* dicit, ut vidimus: & Clemens Papa IV. *Henricum Poloniæ Ducem aſſumptum eſſe de medio* affirmat.

XVIII. Pariſienſis Eccleſia, ex quo beati Aviti feſtum XVI. Calend. Julii celebrat, Gregorii Turonenſis textum de Avito in lectiones Breviarii ſui convertit, ac conſecravit plurimorum ſæculorum uſu, & ſua conſecratione perfecit, ut *aſſumptionis* nomen in

priſtino ſignificatu etiamnum retineretur, & contra Eccleſiaſticæ latinitatis non intelligentes præſcriberetur. Sic quæ præcipua laus eſt Pariſienſis Eccleſiæ, conteſſerationem illius cum Cypriano, Euſebio, Hilario, Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Auctore ſermonis Hieronymo adſcripti, Gregorio Turonenſi, Ildefonſo, Beda, veteribus Martyrologiis Matiſconenſibus & Vaticanis, Innocentio II. Alexandro III. Celeſtino III. Clemente IV. non alia exigit ratio, quàm ejuſdem in eodem ſenſu vocis traditio.

XIX. Romana Eccleſia per Reſponſorium in nocturno III. poſt Evangelium & inſequentem lectionem VII. in feſto S. Martini, rem totam abſolvit, eòque feliciùs, quòd Reſponſorium hujuſmodi ſic olim decantarit, hodiéque per traditionem certam decantet: ℟. *O beatum virum, in cujus tranſitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniúmque cæleſtium virtutum occurrit pſallentium exercitus.* ℣. *Eccleſia virtute corroboratur, Sacerdos Dei revelatione glorificatur, quem Michaël* ASSUMPSIT *cum Angelis.* Si Michaël Martinum aſſumpſit, Martinus à Michaële aſſumptus rectè dicitur; & ſi rectè dicatur Martinus à Michaële aſſumptus, Martini aſſumptio rectiſſimè dicetur: mox ex iſtis verbis facilè conſtruetur hic Miſſæ Introitus: *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore beati Martini, de cujus aſſumptione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei.*

Gregorius igitur Papa cùm inter recenſitos auctores medius vixerit, ab illis ita circundatur, ut vix poſſit *aſſumptionis* nomen accepiſſe aliter, quàm vetuſtiores & æquales acceperint. Quidquid id eſt, in Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, Eduardi Angliæ Regis, Ubaldi Eugubini Epiſcopi, Hedwigis Duciſſæ Poloniæ in Sanctorum ordinem relatione, & in feſto ſancti Martini Romana, ut vidimus, decidit Eccleſia: cui ſi Uſuardi poſſint adverſarii, fauces elidant, & cruenta oratione parentent.

Deinde quis ſana mente præditus crederet, Gregorium Magnum *aſumptionis* nomine id voluiſſe intelligere, quod Gelaſius deceſſor & Romana ſynodus in libro de tranſitu beatæ Virginis damnarunt? Hæc autem cùm ita ſint, Gregorius Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio prodeſſe poteſt, obeſſe non poteſt. Hinc ſibi & aliis fucum facit, cujus liber ſic inſcribitur: *Aſſumptio B. Mariæ virginis vindicata:* ſic enim liber aliquis inſcribi poteſt: *Aſſumptio beati Pauli*, vel *aſſumptio Helenæ*, vel *aſſumptio Conſtantini*, vel *aſſumptio fidelium de quibus loquitur Hilarius*, vel *aſſumptio Gorgoniæ*, vel *aſſumptio beati Joannis Evangeliſtæ*, vel *aſſumptio infantis ab Auguſtino prædicati*, vel *aſumptio Aviti Confeſſoris*, vel *aſſumptio Benedicti Abbatis*, vel *aſſumptio Oſwaldi Regis*. vel *aſſumptio Hugonis Epiſcopi*, vel *aſſumptio Eduardi Regis*, vel *aſſumptio Ubaldi Epiſcopi*, vel *aſſumptio Henrici Poloniæ Ducis*, vel tandem *aſſumptio beati Martini vindicata.* Igitur cùm ille librum inſcripſit Aſſumptionem beatæ Mariæ virginis vindicatam, & aſſumptionem vi nominis intellexir corpoream, impegit in ipſo limine, & cecidit cantherius in porta.

Sic disjecta & proſtrata operis inſcriptione, quæcunque inſcriptioni reſpondent, cohærentque, hæc omnia veluti neceſſario quodam labefactata motu concidanr, oportet. Caſum hunc minimè retardabit, quæ in *Aſſumptionis vindicatæ* capite IV. art. II. ſequitur magnifica & glorioſa oſtentatio: *Non eſt quòd ſperet adverſarius huic argumento, quod ex nomine aſſumptionis ducimus, ſe reſponſione ulla facturum ſatis; niſi plurimis exemplis fidem fecerit, hoc ipſum nomen promiſcuè in Eccleſia uſurpatum in Sanctorum morte deſignanda. Quòd ut hactenus non præſtitit, ita nec deinceps præſtiturum aſſeverare non dubitem.* Et paullo pòſt: *Quid igitur obeſt, quominus fidentiſſimè aſeveremus, vel uno aſſumptionis nomine manifeſtum fieri, quòd Eccleſiæ perpetuus ac conſtans ſenſus hic fuit, Virginem Deiparam non anima ſolùm, ſed etiam corpore in cælum fuiſſe tranſlatam?* Nunc tam magnifica & tam glorioſa oſtentatione quid fiet? Hæc in Oriente & in Occidente; in Cappadocia prima & tertia, in Dalmatia, in Africa, in Hiſpania, in Anglia, in Gallia, in Italia, & Romæ ipſo in mundi capite, ubique gentium ſugillabitur, cædetur, & miſerè peribit. Ceterùm eùm hîc & poſtea pag. LXXXIV. conceptis verbis pronuntiat, *nunquam aſſumptionis nomen in Sanctorum morte deſignanda uſurpatum fuiſſe ab Eccleſia*, profectò vel ſplendidè fallitur, vel apud ſe reputat, Innocentium II. in Hugonis Epiſcopi, Alexandrum III. in Eduardi Angliæ Regis, Celeſtinum III. in Ubaldi Epiſcopi conſecratione *aſſumptionis* & *aſſumpti* nomen uſurpantes ſuo quemque tempore ad Eccleſiam non pertinere. Dico ampliùs, Romanam ipſam & alias Eccleſias, quæ in feſto ſancti Martini Romano utuntur Breviario, ad Eccleſiam ſimiliter non pertinere, vel neſcire, quid ad Eccleſiam pertineret. At quis Auctoris ænigmata hæc intellecturus eſt, niſi ſphingem domi habeat?

Sed ille adhuc feſtivus eſt, qui orationis allatæ verba hæc, *nec tamen mortis nexibus*

bus deprimi potuit, de corporea in cælum aſſumptione interpretatur. Capienda ſunt de nexibus peccatorum, quibus nuſquam depreſſa eſt, quibus nuſquam ſuccubuit. Memorata igitur interpretatio auctori ſuo, ut Aurelianenſis gloſſa, relinquenda eſt. Hùc Vincentius Lirinenſis ſpectat in Commonitorii I. capite XI. cùm accuſat eos, qui novandi cupiditate ducuntur: *Captant*, inquit, *plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta paullo involutiùs edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud neſcio quid quodcumque proferunt, neque primi neque ſoli ſentire videantur.*

Et hæc ſunt quæ ad Gregorii librum Sacramentorum hactenus obſervavimus: ſed gratis omnino ac liberaliter, ſi per ſeſe Gregorius attendatur. Quæ enim in *Aſſumptione vindicata*, & in *Vindiciis Parthenicis* ex eo libro tam effusè proponuntur, & quibus reſponſum eſt ſuprà, non ſunt Gregorii, ſed alterius, à quo ſunt addita, cùm deſcriberetur. Id notavit Grimoldus Abbas in præfatione libri, quem ipſe de Sacramentis compoſuit: *Hucuſque*, ait, *præcedens Sacramentorum libellus à B. Papa Gregorio conſtat eſſe editus: exceptis his, quæ in eodem in Nativitate vel Aſſumptione beatæ Virginis, & præcipuè in Quadrageſima, & virgulis antepoſitis lectoris inveniet jugulata ſolertia.* Jacobus Pamelius in tom. II. Liturgiccon, è regione verborum, quæ nunc habet Sacramentarium Gregorii, appoſuit: *Hoc Officium: Vigilia Aſſumptionis, & ſequens, ex præfatione libri II. qui eſt Grimoldi, conſtat non eſſe Gregorii.*

Ad hanc obſervationem fulguritaſſunt quæcunque in *Aſſumptione vindicata*, & in *Vindiciis Parthenicis* de *Aſſumptionis* nomine & feſto per plures & varias paginas ex Gregorii Sacramentario repetuntur, infiguntur, inculcantur. Ergo, ſi ſuperis placet, Gregorius Magnus Uſuardi, Pariſienſis, Romanæ & aliarum Eccleſiarum Martyrologio non opponetur ampliùs: qui tamen cùm oppoſitus eſt, eum inſcienter (abſit verbo injuria) oppoſitum eſſe, ut modò vidimus, quis non facilè perſpicit?

Fortaſſis, inquient, illa quæ objecta ſunt ex libro Sacramentorum Gregorii, prout ex Miſſali MS. ſancti Eligii editus eſt, ſin eo reperiri. Verum eſt, ſed in eo reperiuntur ſimiliter, quæ IV. Idus Martii in natali ſancti Gregorii Papæ recitanda præſcribuntur. At quis ſibi perſuaderet, præſcripta hæc eſſe à Gregorio? Sic purus putus non eſt Gregorii liber Sacramentorum, prout ex Miſſali MS. ſancti Eligii in lucem prodiit.

V. Eſt inter beati Athanaſii commentarios de ſanctiſſima Deipara ſermo, quem objiciunt, ubi ſic habetur: *Nunc ſcilicet adeſt regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta variegata, eò quòd ſecundùm ſexum femineum regina & domina & mater Dei appellari debeat. Eaque nunc ut regina aſſiſtens à dextris filii ubique regnantis, quaſi in veſtitu deaurato incorruptionis & immortalitatis circumamicta & variegata, ſacris & ſolemnibus verbis celebratur, non quidem ſecundùm ſpiritualem ſimplicitatem, aut quaſi ſine carne & corpore aſſiſtat, ſed quòd induta ſit (quantum ſpectat ad ſanctiſſimam ejus carnem) incorruptibilitate & immortalitate. Variegata rurſus eſt, quantum attinet ad oſſa ſanctiſſima, quæ ejus carnem ſuffulciunt. Nam ex carne ejus, & ex oſſibus ejus, veluti ex veteri Adamo, novus iſte Adam, ut vicem ejus expleret, coſtam ſibi finxit, nimirum iſtam Incarnationem, eamque ſemel indutam perpetuò geſtat. Ac proinde iſta nova Eva mater vitæ appellatur variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium. Dicimus eam igitur iterum atque iterum & ſemper & undequaque beatiſſimam. Sicut ergo cùm ad ipſum reſpicimus, regem, Dominum & Deum appellamus: ita quoque cùm ad eam oculos rejicimus, reginam, dominam, & Deiparam eſſe animadvertimus, idque contemplatione oculi mentalis.* Ex ſermone plura, quàm alii deſcribunt, ego deſcripſi, ut quid auctor ſibi velit, & quod ſpectet, faciliùs intelligatur. Intelligetur verò, ſi ſemel animadvertas auctorem de duobus potiſſimùm, Angelica Annuntiatione, & Dominica Incarnatione ſermonem inſtituere. Hoc ſermonis argumentum eſt, eóque referre oportet quæ retulimus. Non eſt ibi quæſtio de dormitione Virginis, nec de iis quæ dormitionem conſecuta ſunt. Quo conſilio, quave prudentia tractaretur de rebus dormitionem conſequentibus, cùm nulla dormitionis præceſſit mentio? Igitur quidquid tractatur, Angelicæ Annuntiationis, & Dominicæ Incarnationis finibus continetur. Et ſanè miror fuiſſe, qui nonnulla ex iis, quæ retulimus, verba ad corpoream Virginis in cælum aſſumptionem flexerint. Sed id fecit mentis occupatio, non meditatio ſermonis, in quo quicquid de beatæ Virginis auxilio, corpore, carne & oſſibus aſſeritur, ad Dominicæ Incarnationis œconomiam & finem convertendum eſt.

Ceterùm aſſentior [r] Baronio, qui ſermonem hunc poſt ſynodum ſextam editum, &

[r] *Baronio &c.*] Conſule p. 391. T. II. Novæ Athanaſianæ editionis ubi integra aſſertur Baronii Epiſtola, ad firmandam opinionem ſuam. *Spurium eſſe hunc Sermonem*, inquit ibidem Monfauconius p. 390., *nemo jam eruditus non judicat, cum ſole clarior ſeſe prodat ſtyli hujuſce ab Athanaſiano diſcrepantia. Athanaſii enim oratio nitida puraque eſt. Contra verò hujuſce Scriptoris; ita perplexa & obſcura ut vix intelligatur.*

Athanaſio ſubjectum eſſe cenſet; ſed quo vel quanto poſt ſynodum tempore id acciderit, nec dicit, nec dici facilè poteſt: quidquid id eſt, ſermoni auctoritatem omnem in ſanciendis Eccleſiæ dogmatibus abjudicat. Nihilominus tamen adjudicant Baronii ſectatores, qui antiquarum probationum inopes cùm ſint, imitantur eos, qui contra proverbium ex quolibet ligno Mercurium effingunt.

VI. Nunc veniendum eſt ad Achillem, quem Joannes Damaſcenus in oratione II. de Aſſumptione inſtruit & adornat: *Videtis ergo, patres ac fratres, quibus verbis celeberrimum illud templum ad nos utatur. Quòd autem hæc ita ſe habeant, liquet ex Euthymiaca hiſtoria, in qua libro III. capite XL. diſertè ita ſcriptum eſt: Superiùs commemoratum eſt, quemadmodum ſancta Pulcheria Chriſto in urbe Conſtantinopolitana plures conſtruxit Eccleſias. Harum autem una eſt ea, quæ in Blachernis ædificata eſt primis annis imperii Marciani divæ memoriæ. Cùm igitur celeberrimæ ac ſanctiſſimæ Dei genitrici, perpetuæque virgini Mariæ venerandam ædem illic exſtruxiſſent, atque omnibus ornamentis illuſtraſſent, ſanctiſſimum, quódque Deum ſuſcepiſſet, corpus conquirebant, accitoque Juvenali Hieroſolymorum Archiepiſcopo, ac Palæſtinæ Epiſcopis, qui tum ob Concilium Chalcedone coactum in imperiali urbe verſabantur, his eos verbis alloquuntur: Hieroſolymis principem & eximiam Dei genitricis ac perpetuæ virginis Mariæ Eccleſiam eſſe audimus in eo loco, qui* [f] *Gethſemane vocatur, ubi corpus ipſius, quod vitam tulit, in loculo conditum eſt. Placet itaque has reliquias huc afferri, ut imperatrici huic urbi præſidio ſint. Excipiens autem hunc ſermonem* [t] *Juvenalis, in hæc verba reſpondit: Etſi quæ in ſancta Dei genitricis Mariæ morte contigerunt, ſacra divinitus inſpirata ſcriptura monumentis minimè prodita ſunt; tamen ex priſca ac veriſſima traditione hoc accepimus, quòd glorioſi ipſius obitus tempore ſancti omnes Apoſtoli, qui gentilium ſalutis causâ terrarum orbem peragrabant, temporis momento per altum abrepti in Jeruſalem convenerunt, ibique cùm eſſent, Angelica ipſis viſio contigit, divinuſque præſtantiorum virtutum cantus auditus eſt: ſicque cùm divina ac cœleſti gloria in manus Dei animam ſanctam commendavit: ejus autem corpus, quòd Deum ſuſceperat, cum Angelico & Apoſtolico cantu funere elatum apud Gethſemanem in loculo conditum eſt. Quo quidem in loco Angeli totos tres dies choros agere atque canere non deſtiterunt. Cùm autem ipſi exactis tribus diebus canendi finem feciſſent; Apoſtoli qui aderant, propterea quòd unus ex ipſis, Thomas nimirum qui funeri non interfuerat, poſt tertium diem veniens corpus illud, quo Deus ſuſceptus fuerat, adorare cupiebat, tumulum aperuerunt, ac ſacratiſſimum quidem illud corpus haudquaquam invenire potuerunt: cùm autem jacentia tantùm ipſius lintea reperiſſent, atque ex iis inenarrabili quadam ſuavitate perfuſi fuiſſent, loculum clauſerunt, atque myſterii illius admiratione perculſi hoc ſolùm ſecum reputare poterant, quòd Deus Verbum ac gloriæ Dominus, qui in perſona propria carnem ex ea induere ac fieri homo voluerat, idem etiam poſt diſceſſum è vita immaculatum ac ſpurcities expers ejus corpus incorruptibilitate ac tranſlatione ante communem & generalem reſurrectionem honeſtare voluiſſet. Aderant porrò tum unà cum Apoſtolis ſanctiſſimus Apoſtolus, ac primus Epheſiorum Epiſcopus Timotheus, & Dionyſius Areopagita, quemadmodum ipſemet Magnus Dionyſius de beato Hierotheo, qui ipſe tunc aderat, in libris quos ad prædictum Apoſtolum Timotheum elaboravit, in* [u] *hæc verba teſtatur*, &c. *Quæ cùm Imperatores audiſſent ab Archiepiſcopo Juvenali, contenderunt, ut ſanctus ille loculus unà cum glorioſæ ac ſanctiſſimæ Dei genitricis veſtimentis, quæ in eo poſita erant, ad ſe tutò mitterentur. Quod cùm contigiſſet, eum in veneranda æde ſanctæ Dei matris, quæ in Blachernis extructa erat, condiderunt, atque hæc ad hunc modum ſe habuerunt*, &c.

O quàm miſerè cauſa defenditur, in qua monimentorum, quibus defendatur, delectus nullus apparet, in qua veri & falſi diſcrimen nullum geritur, in qua de cauſæ defenſoribus quid & quale futurum ſit cordatorum atque eruditorum hominum judicium, non reformidatur!

Imprimis expendendum erat, utrum in orationem Damaſceni ſecundam aliquid ex apocryphis derivatum ſit, necne. Non expenditur. Apocryphi tamen & damnati de tranſitu

[f] *Gethſemane*] Omnes, *inquit P. Le Quien Tom. II. Damaſceni p.* 858. delatum ſepulturamque *Mariæ* corpus aiunt in valle Joſaphat, in prædio Gethſemani. Quam quidem traditionem auctore Juvenale Patriarcha Hieroſolymitano inoleviſſe ſatis veriſimile eſt.

[t] *Juvenalis &c.*] Cæterùm, *inquit P. Le Quien p.* 879. *Tomi II. Damaſceni*, Marcianum & Pulcheriam certiores factos eſſe à Juvenale Hieroſolymitano de Deiparæ Virginis aſſumptione neutiquam auſim inficiari, uti nec affirmare, hæc perinde conficta eſſe ab eodem Juvenale, ac commentitia illa ſcripta quæ ab eo producta fuiſſe ad obtinendum Paleſtinæ principatum, Leo Magnus queritur in Epiſtola ad Maximum Antiochenum.

[u] *Hæc verba &c.*] Omiſit Launoius Dionyſii locum, ex quo, *inquit Doctiſſimus Le Quien p.* 880. *Tomi II. Damaſc.*, colligere eſt *narrationem de obitu Virginis vulgatam fuiſſe ante quinti ſeculi finem; quo tempore ſub Dionyſii Areopagitæ nomine libri illi prodire cœperunt.*

tu beatæ Mariæ libri pars magna derivata eſt, nempe hæc: *Ex priſca & veriſſima traditione hoc accepimus, quòd glorioſi ipſius obitus tempore ſancti omnes Apoſtoli, qui gentilium ſalutis cauſâ terrarum orbem peragrabant, temporis momento per altum abrepti in Jeruſalem convenerunt*, &c. Et hæc ſunt quæ, ut jam vidimus, Venerabilis Beda in Retract. in Act. Apoſt. cap. VIII. confixit, & ut fabulam abjecit.

Deinde expendendum erat, cur ſi hæc omnia contigerint, beatus Lucas in Apoſtolorum Acta non retulerit. Non expenditur: & tamen Lucas in Actis memorat nihil, quod ſit memoratu dignius, quod ſit Apoſtolorum cœtui commendabilius, quod ſit Virgini glorioſius, quod ſit ob tantum miraculum auguſtius. Quis verò reciperet, Lucam quidquid id eſt de induſtria prætermiſiſſe, ſi uti narratur in Euthymiaca hiſtoria, contigiſſet?

Tum expendendum erat, quis [x] Euthymiacam hiſtoriam conſcripſerit, quodnam apud antiquos habuerit illa teſtimonium ſui. Non expenditur Hiſtoria hæc ante & poſt Damaſcenum incognita eſt, auctorum omnium obruitur ſilentio. Si talis extitiſſet poſteritate digna hiſtoria, quo tempore Photius Bibliothecam ſuam confecit, nonne illius meminiſſet, & more ſuo redegiſſet in compendium, aut excerpta quædam Bibliothecæ intuliſſet? Et hoc eſt fabuloſæ hiſtoriæ argumentum certiſſimum. Id ex eo validè confirmatur, quòd ſub finem codicis CCLXXV. teſtetur legiſſe Modeſti orationem, quæ inſcribitur: *Encomium in obdormitionem Deiparæ Virginis; ſed nihil neceſſarium, nec præcedenti* (quæ eſt de Virginibus unguentiferis) *quid familiare cognatúmque adferrem.* Ex quo liquid præter obdormitionem notatum eſſe à Modeſto, Photius, opinor, excerpſiſſet.

Quartò expendendum erat, veráne ſint an falſa, quæ de Pulcheria, de Marciano, de Juvenali Hieroſolymorum Epiſcopo narrantur. Non expenditu. Quæ tamen de iis omnibus narrantur, ſi vera eſſent, illa Hiſtorici æquales vel ætate ſuppares memoriæ prodidiſſent. Non prodiderunt qui Acta Chalcedonenſis Concilii exararunt: non prodidit Proclus, qui ex Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Preſbytero Cyzicenus factus eſt Epiſcopus, mox ex Cyziceno Epiſcopo Conſtantinopolitanus Patriarcha: non prodidit Cyrillus Alexandrinus: non prodidit Theodorus lector: non prodidit Liberatus: non prodidit Evagrius: non prodidit Andreas Cretenſis: non prodidit Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha; ne recentiores quidem prodiderunt, Georgius Cedrenus, Joannes Curopolata, Joannes Zonaras. Prodidit Nicephorus Calliſtus, qui fabulas hujuſmodi prodere conſuevit.

Dico ampliùs: ſi quæ de Pulcheria, de Marciano, de Juvenali dicuntur, contendantur cum panegyricis, quos Proclus & Cyrillus beatæ Virgini dixerunt, hæc ſtatim ut anilia commenta evaneſcent. Proclus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Preſbyter fuerat, qui Cyzici ordinatus eſt Epiſcopus, & eam ob cauſam ignorare vix potuit, quæ apud Damaſcenum traduntur, ſi vera eſſent: illa pariter ſi falſa non eſſent, Cyrillum haud fugiſſent. Damaſcenus Proclo & Cyrillo ut diligentiſſimis beatæ Mariæ laudatoribus cenaras. Proderet, cum iis neutiquam pugnaret.

Quintò expendendum erat, conſtarétne ſibi tota narratio, in qua Pulcheria & Marcianus ad annum Chriſti CCCCLI. putant Mariæ corpus Hieroſolymis jacere, & tribus poſt obitum diebus ſepulchrum corpore vacuum repertum eſſe. Non expenditur; & tamen hæc omnia nec ſibi conſtant, nec ſibi conſtare poſſunt. Qui, quæſo, fieret, ut priſca & veriſſima eſſet traditio, Mariæ ſepulchrum poſt dies ab illius obitu tres vacuum corpore inventum eſſe præſentibus Apoſtolis, qui aderant, & traditionis hujus, quæ tam vulgata, támque publica erat, cognitionem nondum perveniſſe Conſtantinopolim, quo tempore Pulcheria & Marcianus imperabant? Hac autem in narratione nondum pervenerat. Qua in re tota manifeſtum eſt falſitatis indicium.

Sextò expendendum erat, cur Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui in homiliis de unguentiferis Virginibus de obdormitione beatæ Mariæ loquitur, occaſione data de mirabilibus deceſſoris ſui Juvenalis eventibus non loquatur. Non expenditur, etiamſi loquendi ſeges eſſet ampliſſima: ſed periculum erat, ne detegeretur nondum inventum eſſe, quod poſt Modeſti tempus otioſi homines de Pulcheria, de Marciano & de Juvenale fictis fabulis memoriæ prodiderunt occaſionem illam loquendi datam eſſe qui iret inficias, cùm Modeſtus apud Photium codice CCLXXV. ſermonem de unguentiferis Virginibus ſic inſtituit? *Hiſtoria tradunt, Magdalenam, de qua Dominus ſeptem dæmonia*

[x] *Euthymiacam Hiſtoriam*] Euthymiaca illa Hiſtoria, *inquit P. Le Quien Tom. II. Damaſc.*, Flaviano & Pulcheriâ nec non Marciano Imperatore longe recentior fuit; Si modo certum ſit, ejus auctorem ſcripſiſſe, à Juvenale allegatum coram Marciano & Pulcheriâ fuiſſe pſeudo-Dionyſii teſtimonium ex cap. 3. Lib. de div. nom. Etenim ut ſingulari diſſertatione oſtendo libri omnes Zenonis Imperio poſteriores ſunt, nec citari proinde potuerunt temporè Concilii Chalcedonenſis.

nia ejeci, hanc virginem fuiſſe, & martyrium hujus memoratur, ubi dicitur, propter ſummam illius virginitatem & puritatem illam tanquam vitrum purum tortoribus viſam fuiſſe. Poſt obdormitionem ſanctiſſima Domina noſtra Deipara profecta eſt Epheſum ad dilectum diſcipulum, ubi curſum Apoſtolicum per martyrium unguentifera Maria perfecit. De obdormitione beatæ Mariæ ſimpliciter loquitur, non ita ſine dubio locuturus ſimpliciter, ſi quando quæ ſuprà relata ſunt, eveniſſent. Dixiſſet ut minimùm, Magdalenam poſt corporalem Deiparæ in cælum aſſumptionem profectam eſſe Epheſum ad dilectum diſcipulum, &c. Sed tanta non erat adhibenda diligentia, ne rei ſuprà narratæ falſitas aperiretur, vel ne qui narrationem illam inſumunt ad comprobandam corporalem Virginis in cælum aſſumptionem, argumento vacui deprehenderentur.

Septimò expendendum erat, utrum quod de beato Thoma ponitur, fabuloſum appareret, necne: *Nempe unus ex Apoſtolis Thomas, qui funeri non interfuerat, poſt tertium diem veniens, beatæ Mariæ corpus adorare cupiebat; ſed aperto tumulo inventum non eſt corpus*: Non expenditur; ſiquidem id fictum eſt ad formam rei, de qua quia narratur in Joannis Evangelio, dubitare non licet. *Thomas*, inquit Joannes, *unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit* Jesus. *Dixerunt ergo ei alii diſcipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, &c. Id, inquam, fictum ei videbitur, qui narrationis filum magis ac magis conſideraverit.

Octavò expendendum erat, utrum ſecunda illa oratio de Aſſumptione, ubi Damaſcenus Euthymiacam laudat hiſtoriam, [y] Damaſceni ſit, necne. Non expenditur: & tamen viro tunc in paucis apud Græcos nominatiſſimo ſubjici potuit, ut fides aliqua fabuloſæ hiſtoriæ conciliaretur. Fuiſſe in Oriente, qui circa illa tempora de Sanctis commenta traderent, Trullana ſynodus nos docet can. LXIII. *Quæ à veritatis hoſtibus falsè conficta ſunt martyrum hiſtoriæ, ut Dei martyres ignominiâ afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerent, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tanquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.* Et ſanè à veritatis hoſtibus, quos ſemper experta eſt Eccleſia, oratio illa ſecunda Damaſceno tam potuit ſubjici, quàm liber de tranſitu beatæ Mariæ Militoni Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopo perilluſtri ſubjectus eſt.

Nonò expendendum erat, utrum iſtud: *Beata Maria corpus cum Angelico & Apoſtolico cantu funere elatum apud Gethſemanem in loculo conditum eſt*, cum [z] Epheſina ſynodo, quæ ad Clerum populùmque Conſtantinopolitanum ita ſcribit: *Quare & Neſtorius... cùm in Epheſiorum civitatem perveniſſet, in qua* (ἔνθα) *Joannes Theologus, & Deipara Virgo ſancta Maria, & ſanctorum patrum & Epiſcoporum cœtu ultro ſeipſum abalienans..condemnatus eſt*, conveniat, necne. Non expenditur: & tamen verba hæc, *in qua*, (ἔνθα) ſignificant, ut Joannem, ita & Deiparam Epheſi obdormiviſſe. Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus in homilia de unguentiferis Virginibus id quoque, velint nolint, ſignificat. Cyrillus etiam ſignificat, cùm in laudata jam homilia ſcribit: *Salve à nobis ſancta myſtica Trinitas, quæ nos omnes in hanc ſancta Maria Deipara Eccleſiam convocaſti*: quæ Eccleſia in obdormitionis loco ædificata erat, & ubi celebrata eſt ſynodus.

Verùm celandum hîc nihil eſt de re ulla, quæ ad inveniendam & aſſerendam, ſi fieri poſſit, veritatem conducat. Argumentum ex Epheſinæ ſynodi verbis ſuprà ductum minùs certum redditur, non ex oratione Damaſceni, quem annis poſt ſynodum illam trecentis, & poſt Mariæ tranſitum ferè ſeptingentis claruiſſe conſtat; ſed ex Epheſinæ urbis elogio, quod Polycrates illius Epiſcopus non longè à temporibus Apoſtolorum ſcripſit, apud Hieronymum in Catalogo virorum illuſtrium: *In Aſia*, inquit, *elementa maxima dormierunt, quæ reſurgent in die Domini, quando venturus eſt de cælis in majeſtate ſua reſuſcitaturus omnes Sanctos. Philippum loquor de duodecim Apoſtolis, qui dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ virgines ſenuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu ſancto plena in Epheſo occubuit. Sed & Joannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus auream laminam in fronte portans martyr & doctor in Epheſo dormivit.* Hæc ille,

[y] *Damaſceni ſit, necne*] Idem ſubodoratus erat Jolius p. 74. primæ Diſſert., eoquod Billius Græcum Auctoris verſioni ſuæ non adjunxit. At cum ediderit Michael Le Quien, nullus eſt ſubdubitandi locus; Hanc etiam orationem recenſuit Labbeus in ſuo Damaſceni operum conſpectu.

[z] *Epheſinâ*] Sanctum quoque Epiphaneum, *inquit Le Quien eodem Lib. jam citato p.* 858., genere Paleſtinum, qui diù in Paleſtina verſatus eſt, norunt omnes palam declaraſſe incompertum eſſe, B. Virgo mortua ſit necne *Hæreſi* 78ª. Quod viri quidam eruditi non ita pridem affirmaverunt, eam Epheſi defunctam eſſe ac ſepultam in Eccleſiâ quæ idcirco in ejus honorem conſecrata ſit, & de ejus nomine, *Maria*, nuncupata in quâ Synodus tertia generalis celebrata eſt, hoc Epiphanii verba falſi arguunt.

[a] *Significant*] Hanc interpretationem ſequitur Doctiſſimus ac piiſſimus Tillemontius Tom. I. Commentariorum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Notâ 15. *De Virginis Reſurrectione*.

ille, qui beatam Virginem Epheſi dormiviſſe non dicit, dicturus, ni fallor, ſi hoc contigiſſet, quia tantus fuiſſet elogii cumulus quantus eſſe potuit. Hæc autem cùm ita ſint, quo in loco beata Maria dormierit, non planè conſtat. Andreas Cretenſis, & Arcwlfus Galliarum Epiſcopus apud Bedam, & Germanus Cônſtantinopolitanus beatam Virginem dormiiſſe Hieroſolymis ſcribunt: ſed tacentibus Hiſtoricis antiquioribus, & Patribus, qui non locuti ſunt cùm loquendi tempus erat, id minùs certum efficitur. Perpenſis ergo & ſubductis rationum momentis omnibus, quo in loco naturæ legibus ſatisfecerit incertum eſt. Quod Uſuardus cùm perſpiceret, prudenter ſcripſit in Martyrologio quod non ſemel deſignavimus, & quod plures deinceps Eccleſiæ Martyrologii hujus uſu comprobarunt.

Decimò expendendum erat, num Damaſcenus accuratus fuerit ſcriptor, & abalienato ab incertis narrationibus animo, necne. Non expenditur, etiamſi ut expenderetur maximè neceſſarium fuerit; accuratus enim & diligens non eſt ſcriptor, ſi verum eſt, eum ſcripſiſſe Trajani animam ex inferis Gregorii I. precibus liberatam fuiſſe. Damaſcenus ob id, & Menæa egregiè vapulant in Annalibus Eccleſiaſticis. Hinc ille facilè paſſus eſſet decipi ſe ab hiſtoria, quæ Euthymiaca dicebatur. Id nullus unquam diffitebitur, qui Damaſceni pro fidelibus defunctis homiliæ locum hunc legerit: *Quod ſi alios inſuper hiſtoricos commemorare opus eſt, prodeat in medium Gregorius dialogus antiquioris Romæ Epiſcopus, vir, ut omnes norunt, tum vita ſanctitate, tum eruditione clarus & celebris, quem cùm ſacris operaretur, cæleſtem ac divinum Angelum ſacroſancti muneris ſocium habuiſſe narrant. Hic cùm per locum lapidibus ſtratum aliquando iter faceret, dedita opera conſtitit, intentiſſimaſque pro peccatorum Trajani remiſſione preces ad animarum amantem & miſericordem Dominum fudit, ſtatimque vocem hujuſmodi divinitùs emiſſam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignoſco: tu verò poſt hac caveto, ne mihi pro impiis ſupplex ſis. Quòdque iſtud verum ſit, atque ab omni calumnia alienum Oriens totus atque Occidens teſtatur.* Si (quod vix crediderim) Damaſcenus annis ab exceſſu Gregorii centum & triginta plus minùs hoc anile commentum ſcripſit, qua prudentia fides iis adhibebitur, quæ idem de beata Virgine, & de ſancto Thoma annis poſt illos fere ſeptingentis, de Juvenale, Pulcheria & Marciano annis poſt illos trecentis in ſermone ſuo tradidit? qua, inquam, prudentia fides iis adhibebitur, cùm æquales Damaſceni, Andreas Cretenſis, & Germanus Conſtantinopolitanus ea de re nihil in ſuis de dormitione Virginis orationibus tradiderint? cùm inſequenti ſæculo exeunte Leo Sapiens in oratione de Virginis dormitione, ad Andream Cretenſem ſe potiùs quàm ad Joannem Damaſcenum receperit? Profectò Damaſcenus apud me auctoritatis eſt tantæ, ut vellem ei utrumque [b] ſermonem, ſeu orationem quæ modò tractatur, adjudicari poſſe. Idonea ratio apparet ipſa narrationis inſulſitas, quæ in virum tantum cadere non poſſe mihi videtur. Unde ſi erro, pietatis error eſt: ſed ſive errem, ſive non errem, veritati ſua ſemper firmitas conſtare debet.

VII. Laudatur ſanctus Coſmas, ut corporalis in cælum aſſumptionis vindex; ſed laudator oblitus eſt referre illius teſtimonium, quod extat in Guidonis Sandionyſiaci Abbatis Sanctilogio ad XVIII. Calend. Sept. Sic igitur ſe habet: *Dixitque Dominus Petro: Corpus matris meæ cum reverentia ſepelite, & tribus diebus illud cum diligentia cuſtodite. Ego quippe tunc veniam, & illud ad incorruptionem transferam, & ſimili mecum claritate induam, ut id quod acceptum eſt, & quod accepit, pariter conveniant & concordent. Refert quoque & idem Coſmas terribile & mirabile myſterium, quod non indiget naturali diſcuſſione, nec curioſâ inveſtigatione, cùm omnia, quæ de Dei genitrice dicuntur, ſunt ſupernaturalia, admiranda & tremenda potiùs, quàm inveſtiganda. Egreſſâ, ut ait, de corpore ejus animâ, hæc verba protulit corpus: Gratias tibi ago, Domine, quia tuâ ſum digna gloriâ; memento mei, quoniam tuum ſum figmentum, & tuum ſervavi depoſitum. Expergefacti igitur ceteri videntes corpus Virginis exanime, contriſtari plurimùm ac gemere cœperunt. Tollentes igitur ſanctum corpus ad monumentum ferebant, incipiente Petro Pſalmum, In exitu Iſrael de Ægypto. Chori quoque Angelorum Virginem laudant, ita quòd Jeruſalem ad tantam gloriam eſt concuſſa. Tunc ſummi Sacerdotes cum gladiis & fuſtibus multitudinem mittunt. Unus autem impetu furens ad grabatum acceſſit, cupiens ad terram trahere corpus genitricis Mariæ: qui quia indignè trahere nititur, ejus tactu meritò privatur: utraque namque manus à cubitis avulſa abſcinditur, illis ad grabatum pendentibus, dolore horribili cruciatur. Implorat autem veniam, & promittit emendam. Cui Petrus: Nullatenus veniam conſequi poteris, niſi corpus perpetuæ Virginis oſculeris, & Chriſtum ex ea pro-*

[b] *Sermonem*] Orationem de iis qui in fide obdormierunt, non eſſe Damaſceni pronunciant Allatius & Lequien. Vide de aliis orationibus, notam y.

pagatum Dei filium eſſe confitearis. Quod cùm feciſſet, manus unde avulſa fuerant, cubitis ſunt adjunctæ. Hæc & alia referre oblitus eſt; idque mirum, cùm retulerit multa, quæ in Sanctilogio traduntur. Sed crimine ab uno diſce omnes:

Spectatum admiſſi riſum teneatis.

Ut Græci quidem olim ad Menæa ſua odas & carmina; ſic & Latini quidam olim ad Martyrologium commentarios addiderunt. Guido Sandionyſiacus Abbas id genus ſtudii aggreſſus, cùm ad XVIII. Calend. Sept. venit, relato Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologii textui ſubnectit ingentem commentarium, ſeu potiùs farraginem, quam ex libro de tranſitu beatæ Mariæ, ex Joannis Damaſceni orationibus, ex Menæis, ex Euthymiaca hiſtoria, ex Gregorii Turonenſis, Germani Conſtantinopolitani, & Coſmæ dictis, ex Pulcheriæ & Marciani petitionibus, ex Juvenalis Hieroſolymitani reſponſis, ex beatæ Elizabethæ revelationibus conſarcinavit. Farrago hæc nuncupatur *Sanctilogium*, in quo auctor, non ut ille corrector ignotus, Uſuardi, Pariſienſis Eccleſiæ, & Monaſterii ſui Martyrologii textum ſuſtulit; ſed intactum ut vetus depoſitum reliquit. Hoc opus MS. aſſervatur in Bibliotheca Cœnobii ſancti Victoris.

VIII. Laudatur Petrus Damianus in ſermone de Aſſumptione: *Hæc eſt*, inquit, *illa dies, qua calorum officinas ſublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, Angelis continua, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione conjungens. Intuere mentalibus oculis filium aſcendentem, & matrem aſſumptam; & videbis aliquid excellentius in Aſcenſione filii exhibere, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Salvator in cælum poteſtativa virtutis imperio, ſicut Dominus & creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus: aſſumpta eſt Maria in cælum, ſed gratia ſublevantis indicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam ſublevabat gratia, non natura. Ideò dies hac Aſſumptio, illa Aſcenſio vocatur, cùm aliud ſit potentia, aliud miſericordia, ſolùmque ſit ſoli privilegium Creatori, naturam rerum propriâ poteſtate ſupergredi.* Damianus his in verbis corporalem Mariæ in cælum aſſumptionem non dicit, facilè dicturus, ſi aſſumptionem fuiſſe hujuſmodi crediidiſſet. Inter modum quo Chriſtus in cælum aſcendit, & intet modum quo Chriſti mater in cælum aſſumpta eſt, comparationem tantùm inſtituit, ut ex orationis ſerie ſine difficultate ulla colligitur. Prætetea, ſi Conſtantini, vel ſancti Aviti Abbatis depingeretur in cælum aſſumptio, ut hominis aſſumptio depingeretur, etiamſi reipsâ non fieret Conſtantini, vel Aviti in corpore & in anima aſſumptio. Sic intellectus Damianus Uſuardo prodeſſe poteſt, obeſſe non poteſt. Vide quàm adverſâ Deliâ venantur, qui contra Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium pugnant. Sed demus inquirendæ & ſtabiliendæ veritatis gratiâ, Damianum diſertè aſſerere quod non aſſerit, corpoream nempe Virginis in cælum aſſumptionem; quis Damiani aſſertionem ſobrietati ab Uſuardi, Pariſienſis & aliarum Eccleſiarum Martyrologio commendatæ anteponet? Damianus annis ducentis & ſexaginta Uſuardo junior illi ſponte cedetet, tantùm abeſt ut repugnatet. Sed ut verum fatear, Damianus ex quo certum quoddam commentum de Genebaldo Laudunenſi Epiſcopo memoriæ proditum admiſit, non multum fidei rebus in hiſtoricis meretur. In Genebaldi negotio ſe libentet præbuit credulum.

IX. Laudantur Menæa Græcorum, in quibus ordinandis ſanctus Sabbas auctore Simeone Theſſalonicenſi operam aliquam poſuit. Sed Menæa, ut & Metaphraſtes, fecerunt ſua, quæ jam ex Damaſceno relata & diſcuſſa ſunt. Quo fit ut ea referre ſuperſedeam. Rivuli ſunt non illimes ex iiſdem fontibus deducti.

X. Laudatur Mauricius Pariſienſis Epiſcopus, non quòd aliquid de Aſſumptione ſcripſerit, ſed quòd perſuaſus fuerit, Mariam aſſumptam eſte in corpore, cùm ingentem illi baſilicam exſtruxerit; alioqui fortean non exſtruxiſſet: ſed nondum inventum eſt marmor, cui inſculpta ſit hæc perſuaſio.

XI. Laudantur Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, Albertus Magnus, Sanctus Thomas, Durandus de Sancto Portiano, Joannes Getſon, & quidam alii è ſchola Theologi. Sed ii non ſunt omnino, qui Uſuardo JURE poſſint opponi. Rationes ſunt hujuſmodi, quæ, niſi mea me fallit opinio, rem evincunt.

I. Uſuardo non ſunt inſtructiores ab ſcriptura, cujus auctoritate nec utuntur, nec legitimè uti poſſunt, ut corporalem Virginis in cælum aſſumptionem confirment. Nec legitimè dico uti poſſunt: nonnullos enim Theologos ſcio uti teſtimonio Pſalmi CXXXI. verſ. VIII. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua.* Sed verſus hic longè aliò ſpectat apud ſanctos Patres, Auguſtinum, Theodoretum, & ceteros qui ſuis illum commentariis illuſtrarunt. Spiſſi & non neceſſarii laboris foret, commentarios illiuſmodi referre & addenſare. Quid verò de illis Theologis Joannes Roffenſis cenſeat, libenter teferam. Sic enim in everſione munitionis Clicthovei adverſus unicam Magdalenam ſcribit:

Qui

Qui rationes invalidas & inefficaces affert, perinde eſt ac ſi nullas attuliſſet : immo longè fuiſſet ei ſatius nullas adduxiſſe. Cùm enim quis ſententiam aliquam nulla fulcitam ratione producit in medium, ſimpliciter & nudis eam verbis aſſerens, dubitare adhuc de illo poſſumus, num abditum aliquid ſoliditatis habeat, cui innitatur quod hactenus non explicuit. Verùm qui ſuam opinionem rationibus munit, quæ palam ſunt invalida, nulliúſque extant roboris, profectò ſeipſum prodit hallucinatum fuiſſe, atque fallacibus inductum rationibus, ut ita opinaretur, ſuúmque ita errorem & ipſe manifeſtum facit, quando cunctis apertiſſimè liquet, eam omni ſolida carere baſi.

II. Uſuardo non ſunt inſtructiores ab Eccleſiaſtica hiſtoria, cujus monumentum nullum hoc auctore vetuſtius adducunt. Non agitur de re, quam videre, vel ab iis qui viderint audire potuerint; ideóque non loquuntur ut hiſtorici in materia, quæ ad hiſtoriam pertinet.

III. Uſuardo non ſunt inſtructiores ab ætate, quippe qui longè magis, quàm Uſuardus, diſtent à beatæ Mariæ tranſitu, & eam ob cauſam ubi & quando tranſierit & ſepulta ſit, minùs perfectè cognoverunt. Inter cordatos & eruditos homines ſatis convenit, eorum ſcriptis magi ſtandum eſſe, qui rerum geſtarum temporibus viciniores fuerunt.

IV. Uſuardo non ſunt inſtructiores ab lectione veterum Patrum, ex quibus ne unum quidem adferunt, qui pro certo tradiderit beatam Virginem in cælum cum redivivo corpore aſcendiſſe. Libenter adferrent librum de tranſitu beatæ Mariæ, & opuſculum ſanctæ Elizabethæ: ſed utrumque Romana improbavit Eccleſia.

V. Non diſputant ut Theologi, quorum principia ſunt duo, divinæ legis auctoritas, & Catholicæ Eccleſiæ traditio. Quidquid enim de corporali Virginis in cælum aſſumptione ſcribunt, id his non innititur principiis.

VI. Diſputant ut homines humano affectu ducti: humanus autem affectus in Theologia vel in Hiſtoria argumentorum ſedes non eſt, niſi fortaſſis inanium.

VII. Quidam ad revelationes confugiunt, alii ad alia non meliora, ut legere eſt, præſidia, quæ tenebras potiùs, quàm lucem expoſtulant.

VIII. Ad Prædicatores quod attinet, hi non alio quondam, quàm Uſuardi utebantur Martyrologio, quod ſuum probando fecerant. Martyrologium hoc regnante beato Ludovico deſcriptum eſt in ingenti quodam Ordinis [c] Breviario, quod aliàs in Cœnobii ad portam Sanjacobæam ſiti Bibliotheca vidi & legi, & quod hodiéque, ni fallor, ibidem aſſervatur.

Igitur Albertus, Thomas, Durandus, collegæ ceteri aliter canebant in choro, aliter in muſæo ſcribebant; & tamen opponuntur Uſuardo, & venditantur ut teſtes peridonei traditionis, quæ illorum tempore de corporali Virginis in cælum aſſumptione celebraretur. Benè ſit, Martyrologium in choro decantatum privatis Doctorum Alberti, Thomæ, Durandi, reliquorum Fratrum ſcriptionibus præponderabit. Quid ita? Martyrologium in Liturgici & Eccleſiaſtici Officii partem venit, privatæ Doctorum illorum ſcriptiones non veniunt. Sed beatus Thomas valde urgetur, & laudatur opuſculum VIII. quod quidem ſanctus Antoninus inter illius opuſcula numerat, ſed Nicolaus Trivetus Antonino vetuſtior, & beato Thomæ vicinior in opuſculorum catalogo non recenſet. Præterea S. Doctor opinionem ſuam munit auctoritate Pſalmi CXXXI. de quo ſuprà. Tum in ſupplementi quæſt. LXXVII. I. art. I. Virginem cum Joanne Evangeliſta conjungit in anticipatæ reſurrectionis privilegio. Auguſtinus illam de reſurrectione Joannis opinionem *ſcripturis quibuſdam apocryphis* tribuit, tract. CXXIV. in Joannis ipſius Evangelium. Adde quòd ſanctus Doctor Damaſcenum ſecutus Trajani animam ex inferis Gregorii precibus ereptam eſſe ſcribit; nec tamen multùm cogimur in hanc ejus doctrinam conſentire. Sic autem ille ſcribit in primum ſent. diſt. XLIII. quæſt. II. art. II. *Ad quintum, dicendum, quod idem eſt de Trajano, qui fortè poſt trecentos anos ſuſcitatus eſt, & de aliis qui poſt unum diem ſuſcitati ſunt.* Deinde in IV. ſent. diſt. XLV. quæſt. II. art. V. *Ad quintum, dicendum, quòd de facto Trajani hoc modo poteſt probabiliter æſtimari, quòd precibus beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſſionem peccatorum habuit. Vel dicendum ſecundum quoſdam, quod anima Trajani non fuit ſimpliciter à reatu pœnæ æternæ abſoluta; ſed ejus pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, ſcilicet ad diem judicii.* Fidem adhibuit narrationi; quæ à Damaſceno refertur in argumentis, quibus reſpondet. Illa poſt homines natos fabuloſiſſima ſunt. Ad hæc omnia ſi convertiſſent oculos *vindicatæ Aſſumptionis*, &

[c] *Breviario*] Habetur etiamnum in Bibliothecâ Prædicatorum San-Jacobæâ, Unde exire non datur.

Vindiciarum Parthenicarum Auctores, judicaſſent, opinor, eſſe ſatius Thomam illaudatum dimittere, quàm laudatum objicere, & ei decretorium ſtylum aſſerere.

IX. Alberti & Thomæ ævo Urbanus IV. in paternis apud Trecenſes ædibus ædificari curavit Eccleſiam, quæ Urbano Papæ Martyri conſecrata eſt. In ea quotannis ab initio decantata ſunt, & etiamnum per octavarum feſti Aſſumptionis dies ſingulos decantantur certa quædam Virginis elogia, quorum duo id quod agimus, mirificè illuſtrant, & Uſuardi Martyrologium confirmant.

Primum eſt in die quinto, & ſic ſe habet: *Hinc ſanè pulſantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec aſſumptio ejus cum carne, ut in apocrypho legitur, in catholica reperitur hiſtoria. Quibus ita dicendum eſt, quia ſi Moyſi corpus ab homine non invenitur in terra, cum quo locutus eſt Deus facie ad faciem, illius quærere clementia eſt, per quem idem majeſtatis Deus incarnatus effulſit in terris.*

Secundum in die VI. & eſt hujuſmodi: *Neque enim dignum eſt de corporis ejus notitia ſollicitum quempiam eſſe, quam non dubitavit ſuper Angelos elevatum cum Chriſto regnare. Sufficere debet tantùm humana anima, hanc verè fateri reginam cælorum pro eo quòd regem peperit Angelorum. Sed nec invenitur apud Latinos, aliquem tractatorem de ejus vita morte quippiam apertè dixiſſe. Nam cùm illum Evangelii verſiculum quem Simeon ad matrem Domini, Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, beatæ recordationis tractaret Ambroſius, ait: Nec hiſtoria, nec litera docent, Mariam gladio vitam finiiſſe. Hinc & Iſidorus ait: Incertum eſt per hoc dictum, utrum gladium ſpiritus, an gladium perſecutionis vixerit. Sed quid de iis, de quibus loquor, dicam, cùm nec ipſe, qui eam ante crucem Domini accepit in ſuam, id eſt, Joannes Evangeliſta, de hoc poſteris aliquid retinendum ſcriptis mandavit? Nullus enim hoc fideliùs narrare potuit, ſi illi Deus manifeſtare voluiſſet, quàm ille utique, qui hanc nutriendam ſuſcepit, nec contra morem matrem filius reliquit. Reſtat ergo ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Verùm autem de ejus aſſumptione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundùm Apoſtolum, ſive in corpore, ſive extra corpus ignorantes aſſumptam credamus.*

Hæc eo tempore, quo Theologi è ſchola, Juris Antiſtites, & inſignes Hiſtorici regnabant & poſtea regnarunt. E quorum numero plures inter Pontianum & Antherum ſediſſe Pontificem nomine Cyriacum à Baronio rejectum non minùs aſſeveranter, quàm Virginem in cælum corpore & anima ſublatam eſſe, tradiderunt. Robertus Antiſſiodorenſis in Chronico: *Dicit ſanctimonialis Eliſabeth, quòd quidam Papa urbis Romæ Quiriacus nomine XIX. poſt Petrum, cum illis* (undecim mille virginibus) *paſſus ſit. Fuit ſiquidem Pontiani Papæ ſuceſſor, & rexit Eccleſiam anno uno & menſibus decem. Sic in loco ſuo virum ſanctum, qui Antherus dictus eſt, ordinavit, & cum undecim millibus virginum diſcedens ſedem ſuam reliquit.* Infrà: *Et quia ſedem Apoſtolicam invito clero reliquit, nomen ipſius de catalogo Romanorum Pontificum idem clerus eraſit*, &c. Idem narrant qui ſequuntur Hiſtorici, Theologi, Juriſperiti. Albericus Monaſterii Trium-Fontium Abbas in Chronico. Martinus Polonus in Chronico. Vincentius Bellovacenſis in libri XX. Speculi hiſt. capite XL. Thomas Cantipratanus in libri II. de Apibus capite LIII. Jacobus Genuenſis Archiepiſcopus in Legenda Sanctorum, XXI. Octobris Joannes Pariſienſis in libri de poteſtate Papali & regia capite XXIV. Auguſtinus Anconitanus in Summa, quæſt. IV. art. VIII. de renuntiatione Pontificatus. Albericus Roſate in Dictionario, verbo *Renuntiatio*. Joannes Andreas in Novella VI. Dominicus à ſancto Geminiano in receptam VI. Decret. gloſſam. Sanctus Antoninus part. III. Speculi hiſt. tit. XXIII. cap. IV. Joannes Turrecremata, Card. in caput *Quàm periculoſum*. Petrus Equilenſis Epiſcopus in libri IX. de Sanctis capite LXXXVIII. Compilatio Chronologica. Joannes Nauclerus in volum. II. Chronographiæ, generatione VIII. Joannes Thewrochius in Chronicis Hungarorum, cap. XVII. Antonius Bonfinius in libro V. decadis I. Martyrologium Coloniæ poſt Lombardicam hiſtoriam editum anno M. CCCC. XC. Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ. Silveſter Prieras in Summa, verbo *Papa*. Jacobus Bergomenſis in Supplem. Chronic. libro VIII. Liber VI. Decretalium juxta Lugdunenſem editionem anni M. D. XX. M. D. L. & M. D. LIII. Romanum Breviarium anno M. D. L. editum in lectione IV. & V. feſti undecim mille virginum. Antonius Cucchus in lib. II. Pand. cap. II. Bartholomæus Fumus in Armilla, verbo *Papa*. Lælius Zocchus in libr. de Republ. Eccleſiæ, num. XXV. Nicolaus Olahus in hiſtoria Attilæ. Ecce nubes pro Cyriaco Papa teſtium, quos illuſtriſſimus Annalium Eccleſiaſticorum conditor ut non ſatis idoneos & conſcios, & nimiùm à Pontiani & Antheri Pontificum temporibus remotos ejurat. Quod facti genus ſi revocaſſet in memoriam, cùm agit de Aſſumptione Virginis, per multos in medium profert teſtes quos non protuliſſet, ratus parium eadem eſſe naturam, & potentiam, ut ipſis legibus ſancitur.

Nunc

Nunc diligentiùs inſpicienda ſunt duo. Unum eſt, quod beatus Bernardus in epiſtola CLXXIV. ad Lugdunenſes Canonicos ſcribit: *At valde*, ait, *honoranda eſt (inquis) mater Domini, bene admones; ſed honor reginæ judicium diligit: exalta exaltatam ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna. Hæc mihi de illa cantat Eccleſia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, ſecurus & teneo & trado, quod non ſcrupuloſiùs, fateor, admiſerim. Accepi ſanè ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum.*

I. In his verbis nulla fit mentio corporalis in cælum aſſumprionis: non agebatur quæſtio hæc: Bernardus cum Lugdunenſis Eccleſiæ Canonicis diſputabat de Conceptionis, non de Aſſumprionis feſto.

II. De Aſſumptione Virginis ſecurus tenet & tradit quod acceperat ab Eccleſia optimè verò: ſed non acceperat alia, quàm quæ Ambroſius, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Romanæ ſynodi Patres, ſermonis Auctor ſub nomine Hieronymi, Iſidorus Hiſpalenſis, Ildefonſus, Beda, Uſuardus, Ado, Hincmarus, & Odilo tradiderant.

III. Bernardus ſanctæ Elizabethæ æqualis non aliter, opinor, de Aſſumptione Virginis ſenſit, quàm quod tunc Romana ſentiebat Eccleſia, cùm ſanctæ Elizabethæ opuſculum rejecit. Ad hoc ipſum Arnoldus Bonævallis Abbas, qui vixit tunc temporis, advertebat, cùm in libello de laudibus beatæ Mariæ ſcripſit: *Angelis occurrentibus & deportantibus illam inclytam animam, aſſumpta eſt in cælum. Utrum in corpore, vel ſine corpore, nullius canonicæ ſcripturæ definivit auctoritas. Sed quocunque modo, eam cum Chriſto eſſe nulli dubium eſt. Nec fas homini loqui, quid illud gloriæ ſit, quæ beatitudinis plenitudo, qua illa perfruitur.* Cùm ait, *nullius canonicæ ſcripturæ definivit auctoritas*, non obſcurè ſignificat, ſe non canonicos tantùm, ſed etiam authenticos libros comprehendere, prout ab apocryphis ſecernuntur.

IV. Bernardi locus Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologio non poteſt opponi, præterquàm ab iis qui ſuis occupantur præjudiciis: quod enim Martyrologium in Pariſienſi legebatur Eccleſia, in Ciſtercienſibus legebatur monaſteriis. Quo ita poſito, Bernardus ad Uſuardi, Pariſienſis Eccleſiæ, & Ciſtercienſium monaſteriorum Martyrologium magis accedit, quàm ad illorum ſententiam, qui Bernardum Martyrologio huic objiciunt, non objecturi, ſi ad Bernardi teſtimonium cum adjunctis omnibus, quæ mox expoſuimus, attendiſſent.

Alterum eſt Facultatis, ut aiunt, Theologiæ Pariſienſis cenſura, quæ anno M. CCCC. XCVII. VII. Calend. Septemb. lata eſt in propoſitiones quatuor, quarum duæ noſtrum ad inſtitutum pertinent.

Tertia propoſitio: Chriſtum occurriſſe virgini Mariæ in ſua Aſſumptione apocryphum eſt. Falſa eſt contra ſcripta Doctorum, impietati favens, piarum aurium offenſiva, detractiva populi à devotione; quam habet ad Virginem Dei genitricem; ideo revocanda.

Quarta propoſitio: Nos non tenemur credere ſub pœna peccati mortalis, quòd Virgo fuit aſſumpta in corpore & anima, quia non eſt articulus fidei. Ut jacet; temeraria, ſcandaloſa, impia, devotionis populi ad Virginem diminutiva, falſa & hæretica; ideò revocanda publicè.

I. Qui mos tunc temporis ſervabatur in ferendis cenſuris, in hac cenſura ſervatus non eſt, Cenſura non dicitur lata communi Magiſtrorum omnium conſenſu, vel repugnante nemine, vel repugnante uno vel altero, ut dici conſueverat. Hoc tantùm dicitur: *Qualificavit Facultas, approbando novem deputatorum ſententiam, propoſitiones Fratris Joannis Morcelle Prædicatoris modo qui ſequitur.* Qua ratione apparet, Magiſtros ſingulos per ſeſe, ut oportet, non examinaſſe quæ & qualis propoſitionum veritas ſit aut falſitas, quæ & qualis veritatis aut falſitatis conditio. Generatim & per averſionem Facultas cenſuit, quæ deputati novem cenſuerant. Id autem in re ponderis tanti non poteſt non eſſe vitium.

II. Cenſura nimis feſtinanter lata eſt: propoſitiones à Joanne Morcello prædicatæ ſunt XVIII. Calend. Septemb. & cenſurâ notatæ VII. Calend. Septemb. At inter prædicationem propoſitionum, & earumdem notationem dies tantùm undecim intercedunt. Itaque fieri qui potuit, ut Theologi novem in tam brevi temporis intervallo volverent, & revolverent Scripturas, Concilia, Latinos & Græcos Patres, Eccleſiaſticos tractatores, & celebriores è ſchola Magiſtros, & his demum volutis ac revolutis in ferenda cenſura æquitatem ſervarent? Quod enim tam citò pronunciatur judicium, ætatem ferre non poteſt. Et certè ſi quo in judicio feſtinandum eſt, lenè in eo maximè, in quo Theologicæ propoſitiones aliàs involutæ & obſcuræ his ſunt vel illis compungendæ notis. Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius memoriæ prodidit, Theologiæ Facultatem aliquando in examinanda propoſitione una conſumpſiſſe biennium, & eam indemnatam reliquiſſe.

 III. Cen-

III. Cenſuta pugnare ſecum videtur: propoſitiones ut notatæ revocantur x. Calend. Septemb. non mentior, ſic ſe res habet: *Anno Domini* M. CCCC. XCVII. XXVI. *Auguſti qualificavit Facultas.* Et paullo pòſt: *Revocata ſunt* XXIII. *per Prædicatorem Fratrem Joannem Morcelle in præſentia Facultatis.* Integra ſunt inſtrumenti publici verba. Id pugnæ genus nimiam feſtinationem rurſus indicat, & ingentia demonſtrat partium ſtudia, quibus Cenſores in Morcellum accendebantur.

IV. Quod in propoſitione III. dictum eſt apocryphum, verè affimatéque dici apocryphum poterat. Id enim habetur in libro de tranſitu beatæ Mariæ, quem Romana ſynodus inter apocryphos amandavit.

V. In cenſura propoſitionis III. Romana ſynodus obliquè damnatur, & eam ob cauſam cenſura deſendi non poteſt. Hinc notæ omnes & ſingulæ concidunt, Cenſoréſque novem in eandem ſecum trahunt ruinam.

VI. Difficile eſt prorſus authenticos nominare Doctores, qui Chriſtum occurriſſe Virgini Mariæ in ſua Aſſumptione tradiderint. Si Cenſores Melitonem Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopum libri de tranſitu beatæ Mariæ, in quo illud ſcriptum eſt, auctorem eſſe putaverunt, decepti ſunt: ſi reſpectum habuerunt ad Gregorium Turonenſem Epiſcopum, decepti quidem non ſunt, ſed deceptus eſt Gregorius, qui librum apocryphum in auctoritatem admiſit, & ob id à Beda tacitè reprehenſus eſt. Si confugerunt ad Damaſceni ſermonem, ad cenſuræ fundamentum ruinoſum & malè materiatum confugerunt. Sic Damaſceni auctoritate, & perperam adducto Orientis totius & Occidentis teſtimonio damnari poſſet illorum ſententia qui negareot, Trajani animam ex inferis Gregorii Papæ precibus liberatam eſſe.

VII. Ruente & præcipitante propoſitionis III. cenſura, propoſitionis IV. cenſura ſtare non poteſt: quibus enim præſidiis fultam exiſtimarunt propoſitionis III. cenſuram, iiſdem & fultam propoſitionis IV. cenſuram exiſtimarunt.

VIII. Poſtrema nota, quæ *hæretica* eſt, Cenſoribus ſubreptum eſſe demonſtrat. Cùm enim articulus fidei non ſit, Virginem in corpore & anima ad cælum aſſumptam eſſe; negare Virginem in corpore & anima ad cælum aſſumptam eſſe, hæretica non poteſt eſſe propoſitio: contrariorum leges id prorſus exigunt.

Quænam enim ſynodus, & quinam Pontifices Virginis in corpore & anima ad cælum aſſumptionem articulum eſſe fidei declararunt unquam? Quænam ſynodus, & quinam Pontifices Virginis in corpore & anima ad cælum aſſumptionem negare hæreticum eſſe definierunt unquam? Quæ ſcriptura, quæ Catholicæ Eccleſiæ traditio definitioni hujuſcemodi præivit? Joannes Major, Pariſienſis Theologus, qui Cenſores videre & alloqui potuit, in tertium ſent. diſt. XXXVII. quæſt. XVI. dicit: *Non eſt minùs hæreſis aſſerere aliquid eſſe de fide, quod nullatenus de fide eſt, quàm negare aliquid de fide, quod eſt de fide.* Qua Majoris aſſertione Cenſores irretiuntur. Judocus Clicthoveus, Pariſienſis quoque Theologus, qui Cenſores videre & alloqui potuit, in deſenſione diſceptationis de Magdalena, ſuppoſitione VII. dicit: *Apocrypha & quæ ſunt incerti auctoris, contra rationem & majorum ſcripta nullum habere momentum, nec conſuetudinem iis viis introductam.* Hac autem Clicthovei ſuppoſitione propoſitiones duæ, tertia & quarta, labefactantur. Deinde hic Theologus in ſermone II. quem de Aſſumptione beatæ Virginis habuit, propoſitionis IV. notas pœne omnes elevat, cùm ait: *Aſſumpta eſt in corpore & anima jam glorificata, ut ſancta tenet Eccleſia, & Auguſtinus illud multipliciter comprobat in ſermone & libello de Aſſumptione beatæ Virginis, quemadmodum in ſecunda parte præcedentis ſermonis eſt deductum: & certè pium eſt admodum rationabile ita ſentire.* Cum opinionis hujus modeſtia ſtare non poſſunt notæ graviores, quibus propoſitio IV. percellitur. Ad hæc cùm ita piè & rationabiliter ſentiendum eſſe ſentit, ex eo inducitur, quòd laudatum à ſe Auguſtini ſermonem genuinum eſſe putaverit. At genuinus reipſa non eſt, incerti auctoris ſermo eſt, ideóque illud *pium & rationabile eſt ita ſentire*, vulnus accipit ab ipſiuſmet Clicthovei ſuppoſitione VII. quæ mox relata eſt: &, ni fallor, illud quoque *ſancta tenet Eccleſia*, incommodatur nonnihil, cùm, ut ſatis apparet, Auguſtini libello inædificatur, neque profert aut proferre poteſt aliud, cui poſſit inædificari. Antiquiores Cenſoribus Theologi apud Guillelmum Okamum in libri II. Dialogorum cap. VI. hæreſim ſic definiunt: *Hæreſis eſt dogma falſum fidei orthodoxæ contrarium.* Hæc definitio nec convenit, nec poteſt convenire propoſitioni, cui hæreſeos notam inurunt: atqui hoc adeò verum eſt ac perſpicuum, ut argumentum nullum quærat. Quinetiam cenſuræ editor ſic contra illam cenſuram dicere non veretur in vindicatæ Aſſumptionis capite II. *Ego*, inquit, *lubentiùs aliorum ſententiæ accedo; qui id fide divina conſtare negant; quia nimirum nec ſcriptura ſacra, nec tradito Dei verbo*

conti-

continetur, ac proinde revelatum non ſit. Sic cùm lubentiùs ad aliorum ſententiam accedit, lubentiùs quoque recedit à Theologicæ, ut putat, Facultatis ſententia, quam nihilominus adverſario opponit, eámque ad ejuſdem Facultatis ſententiam adducere conatur. Similiter recedit alter in Vindiciis Parthenicis, cap. CCXLVIII. *Cajetanus*, inquit, *Sotus & Abulenſis à diſſertatore adducti negant quidem doctrinam de aſſumpto in cælum Virginis corpore eſſe hujuſmodi, ut qui contradixerit, hæreſeos arguendus ſit. Quod etiam ultro concedimus.* etiamſi non ſemel urgeat Theologicæ, ut loquitur, Facultatis Cenſuram, in qua Morcelli negans corpoream Virginis aſſumptionem propoſitio hæreſeos nota compungitur. Et hæc eſt in duobus ſcriptoribus ultima [illegible] linea, dum uterque cenſoriam notam elidit ut immoderatam, quæ aut certiſſima veritate confirmanda, aut in præteritis relinquenda fuit.

Tum ſi hae in nota Cenſores modum exceſſerint, in ceteris cur non exceſſiſſent? Auguſtinus notas illas omnes in libri de vera religione cap. LV. penitus exſcindit: *Non ſit*, inquit, *nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt qualecumque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt. Melior eſt vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Et meo quidem judicio nihil eſt omnino pium, niſi quod idem verum eſt. Hinc in cap. XLII. lib. I. Capitul. Caroli Magni repetirur Africani. Concilii Edictum, & Gallicanæ Eccleſiæ moribus infertur: *In Concilio Africana, ut falſa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoriæ non venerentur.* De veritate igitur rei priùs, quàm de pietate ſtatuere oportet, cùm apud Chriſtianos pietas veritati ſuperſtruenda ſit. Apud Chriſtianos dico, quia res aliter ſe habet apud Gentiles. Polybius in excerptis è libro XVI. Hiſtoriæ: *Fama eſt, eáque apud Bargylietas pro vera obtinet, ſimulacrum Dianæ Cyndiadis etſi ſub dio poſitum, neque mingi unquam, neque compluì; quod etiam de Veſta apud Jaſſenſes dicitur. Nec deſunt ne ex hiſtoria quidem ſcriptoribus, qui hac in literas retulerint. Ego verò dictis ejuſmodi eorum qui res geſtas ſcribunt, neſcio quomodo contradicere paſſim in hoc opere ſumſolitus, eáque ferre impatienter. Nam equidem pueriles duco levitatis omnia, quæ propiùs conſiderata non ſolùm à rationibus probabilibus abhorrent, ſed etiam ab eo quod fieri poteſt. Dicere enim quædam corpora in lumine poſita umbram non efficere, hominis eſt deploratè perditi. Hoc tamen Theopompus fecit. qui auctor eſt, eos qui in templum Jovis in Arcadia. quod à nemine aditur, fuerint ingreſſi, umbra expertes reddi. Cui ſimile eſt quod modò dicebamus. Enimvera in iis quidem, quæ ad conſtruendam vulgi pietatem erga numen pertinent, danda eſt nonnullis ſcriptorum venia, ſi miraculorum narrationibus, & id genus fabulis indulgeant, verumtamen quod modum excedit, illis non condonandum. Eſt quidem fortaſſe in omni re difficile terminum invenire ubi ſiſtas; non planè tamen ejus inveniendi negata eſt facultas. Itaque ſi meo ſtandum eſt judicio, detur his venia, aut ignorantibus quædam. aut falſa etiam opinantibus dumtaxat intra modum. Sin autem res modum penitus exceſſerit, repudianda cenſetur.* Sic ergo apud Gentiles contrà quàm apud Chriſtianos, aliquando rebus incertis & fabuloſis, ſi tamen hæ modum non exceſſerint, pietas inædificatur. Temperamentum iſtud rejicit Eccleſia Dei, in qua ſemper obſervatum & ſemper ſtatutum eſt, ut Deo & ejus Sanctis cultus exhibeatur puriſſimus, & ſacrorum rituum codices ab omni errore & falſitate purgentur.

Ceterùm in utriuſque propoſitionis condemnatione modus omnis exceditur, quia condemnantur Romana, & aliæ pœne infinitæ Eccleſiæ, & Monaſteria, quæ olim Uſuardi vel Adonis Martyrologium ſuos in uſus derivarunt, & probando ſuum ſecerunt. Neque verò in iis quæ ad fidem & veram pietatem attinent, præſentis ævi Eccleſia antiquæ poteſt opponi Eccleſiæ, præterquàm ab eo, qui præſentis & priſci ævi Eccleſiam è medio tollere voluerit, idque maximè, cùm præſens Eccleſia novis ſubinde revelationibus minimè regatur. Ad hæc Proclus Cyzicenus, & Cyrillus Alexandrinus inſimulabuntur agreſtis & inhumanæ negligentiæ in panegyricis, quos beatæ Virgini dixerunt. Id quippe omiſerunt, quod ſpectatis cenſuræ notis omitti ſine piaculo non debuit.

IX. Pariſienſis Eccleſia cenſuræ hujus rationem nullam habuit, cùm ab anno M. CCCCXCVII. uſque ad ann. M. D. XL. vel M. D. XLIX. Martyrologium intactum relictum fuerit, & quotannis XVIII. Calend. Sept. quod in eo de dormitione beatæ Virginis exarabatur, recitatum, & recitatum eſſet ultra ann. M. D. XL. vel M. D. XLIX. niſi quis auctoritate privatâ expunxiſſet, quæ antea recitabantur. Profectò ſi nulla ſerverent partium ſtudia, mirarer cur id non obſervavetint, aut obſervatum non occupaverint, qui cenſuram Cenſoribus parum honorificam publica luce donarunt.

Porrò autem quamvis amicior ſit Platone veritas; tamen quæ in cenſuram quantâ potui modeſtiâ animadverti, nunquam animadvertiſſem, niſi coactus eſſem ab iis, qui ſilentium noſtrum in conſcientiam aſſumpſiſſent. Perperam gnavi & induſtrii ſunt homines,

qui

qui undequaque proficere conantur. Utinam ſimiles fuiſſent beatis illis fratribus, qui nuditatem ipſam reverendi patris neque ſuis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt; ſed averſi, ut ſcribitur, texerunt eum: quod eſt, interprete Vincentio Lirinenſi, *erratum ſancti viri nec approbaſſe, nec prodidiſſe; atque idcirco beata in poſteros benedictione donati ſunt.*

Quæ de cenſura hujuſmodi ſcripſi hactenus, non ſcripſiſſem, niſi me mea decepiſſet credulitas. Putabam eſſe Theologicæ Facultatis cenſuram, quæ ab Uſuardi, Pariſienſis & aliarum Eccleſiarum Martyrologii hoſtibus in medium prolata fuerat. Quod poëtæ licuit, mihi non licet dicere:

Sed non ego credulus illis.

Cenſuram hanc Theologicæ Facultatis opus non eſſe, tria manifeſtiſſimè confirmant. Et primùm quidem Robertus Guaguinus, qui magna cum eruditionis laude tunc Pariſiis enituit, de puritate Conceptionis Virginis Mariæ adverſus Vincentium Caſtronovanum concertationem oratione ſtricta lucubravit, eámque in Pariſienſium Theologorum nomine apparere voluit. Nuncupatoria epiſtola ſic inſcribitur: *Sacro Theologorum Doctorum Pariſienſis Academia Collegio, Robertus Guaguinus in eadem Academia Pontificis Juris Interpres, Ordinis S. Trinitatis de Redemptione captivorum Miniſter generalis, ſalutem.* Adſcribo verba, è quibus invicta eruetur probatio: *Quandoquidem tota Theologici ſtudii atque certaminis hac diſceptatio eſt, veſtrum examen jure ſubibit, quo permulti olim aut ſteterunt, aut ceciderunt. Quod enim veſtro libratum eſt ſcrutinio, sd ſine dubietate verum juſtumque à fideliſſimis quibuſque ſuſcipitur: Chriſtiana nempe religioni non minùs firmamento, quàm arrogantia plurimorum formidini ſemper fuiſtis. Nam Theologica ſapientia & laudis veſtra eſt majorum veſtrorum gravis quondam in Joannem de Monteſono definitio. Cujus defenſorem Ebroicarum Pontificem Guillermum pœna ſimilis complexa eſt. Quot ad parem errorem ſectatus Joannes Thomas veſtro examine damnationem accepit. Eodem exemplo Adam Sueſſionaus plexus eſt. Nec veſtram Gaufridus de ſancto Martino cenſuram evaſit. Joannes Ada temeritas erroris ſui perfidiam, vobis inſequentibus abnegavit. Sed nunquid Petrus de Canchero, Joannes Nicolai, Petrus quoque de Cheriaco, veſtris diſputationibus ſuperati, publica retractationis diffamatione ſe inſignes reddiderunt & famoſos?* & poſt alia: *Ex Divi Maturini Pariſienſis Cœnobio, Kalend. Octobris* M.CCCCXCVII. At Joannis Morcelli propoſitiones damnatæ ſunt VII. Calend. Sept. ejuſdem anni M. CCCCXCVII. Id autem ſiqua veritate niteretur, Guaguinus Joanni Morcello non condonaſſet, in accuſatoriæ narrationis cumulum addidiſſet. Remotiora & vidit & citavit, proxima nec vidiſſet, nec citaſſet, quæ diebus abhinc triginta quinque contigiſſent, & in oculos incidiſſent omnium? Et ſanè quò diligentiùs circumſpicietur Guaguini narratio, eò invictior apparebit noſtra probatio. Deinde Clicthoveus de Virginis aſſumptione capitibus XVIII. conſtantem librum [d] anno M. D. XIII. edidit, & anno M. D. XVII. recudi curavit. Et quamvis totus ſit in probanda aſſumptione corporea, obdormitionis tamen, obitus, emigrationis, tranſitus & aſſumptionis voces conſcientia remota & ſine religione ulla uſurpat, Hieronymi & Auguſtini ſermones de Aſſumptione ut proprios fœtus adducit, nunc Hieronymo de ſuo ſenſu accommodat, nunc Hieronymum excuſandum eſſe judicat, quòd quæ de Aſſumptione Virginis ſcripſit, ante determinationem Eccleſiæ ſcripſerit. Abſoluta ſuis numeris fuiſſet excuſatio, & munitum Auctoris opuſculum & ſententia, ſi vel Eccleſiaſticæ determinationis verba prodidiſſet, vel quo tempore, & quo in loco, & à quibus facta fuerat illa determinatio, notaſſet. Horum nullum præſtitit, nec præſtare, opinor, potuit. Sed quouſque illa pervadat determinatio, Clicthoveus ſuis ipſe verbis explanat. In Auguſtini ſermone tota conquieſcit. Tunc igitur laudandæ Pariſienſium Theologorum cenſuræ ſponte oblata eſt occaſio. Laudata eſt nuſquam; laudanda erat non ſolùm pro re nata, ſed etiam quia caput VIII. ſic inſcribitur: *Obdormitioni ſancta Virgini Chriſtum interfuiſſe:* & Morcellus quia prædicaverat apocryphum illud eſſe, cenſoriæ ſeveritatis nota confixus eſt. Tunc, inquam, laudata & allata non eſt cenſura, cùm vel maximè laudanda & afferenda erat. Clicthoveus in ſermonibus de Conceptione, & in eo de puritate Conceptionis libro, quem tunc edidit, Theologicæ Facultatis ea ſuper re decretum laudat, & ad faciendam fidem perurget: cur pari modo prædictam cenſuram non laudaret, & ad faciendam fidem perurgeret, ſi eam & juſtam, & Theologicæ Facultatis opus eſſe legitimum credidiſſet? Cenſuram in Morcelli propoſitiones

[d] *Anno M. D. XIII.*] Hanc editionem non recenſuit Launoius in Hiſtoriâ Navarræi Collegii Lib. 3. partis 3. cap. 32. ubi de Clicthoveo.

tiones ætate ſua latam, ſi à Facultate lata eſſet, ignorare non potuit Clicthoveus, qui, ut ex ejus opere liquet, multò remotiora noverat: nimirum Virginem per annos duodecim, quibus Chriſto in cælum aſſumpto ſupervixit, bis & illis piis vacaſſe exercitiis, ſacramenrorum Euchariſtiæ & Extremæ-Unctionis perceptione obirum ſuum præmuniviſſe, Chriſtum, bonos & non malignos ſpiritus obdormitioni Virginis interſuiſſe. Hæc, inquam, noverar: & qui præterea quanta fuerit illius ſupra beatos Angelos gloria, exaratis diagrammatibus metitur. Clicthoveum igitur noviſſe hæc omnia, & latam à Facultate in Morcelli propoſitiones cenſuram, ſi quando lara eſſet, ignoraſſe, affirmare quis auderet? Et ſanè quò magis vir prudens & præjudicio vacuus rationis hujus momenta perpender univerſa, eò magis cenſuram à Facultare Theologiæ abalienabit.

Denique anonymus ille, qui ad annum M. D. XL. vel XLIX. homiliam loco Martyrologii XVIII. Calend. Sept. recitandam compoſuit, cenſuræ mentionem nullam fecir, facturus ſine dùbio, ſi eam Theologicæ Facultatis opus eſſe legirimum putaſſet. Nonne citaſſet & exaggeraſſet cenſuram, quæ modò citatur, & ram confidenrer exaggeratur? Sed exaggerata perit conrumaci rrium hominum ſilentio, quod in conſcientiam rei perperam geſtæ duci meritò poteſt. Uſuardi, & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologii hoſtes nihil modò præter unum boneſtè confiteri poſſunr & ingenuè; quod confitebunrur, opinor, nuſquam, è tenebris in lucem opus edidiſſe ſe, quod expenſis rationum momentis omnibus edendum non erat, & id pro Theologicæ Facultatis opere, quod Theologicæ Facultatis opus non erar, venditaſſe. Hæc tertia ratio, quæ ex opportunitatibus hominis Pariſienſe Martyrologium corrigentis quæritur, dubitare non ſinit, quin latam in Morcelli propoſiriones cenſuram, ſi vera eſſer, nec Facultati Theologicæ ſubjecta, ſuos in uſus cupidiſſimè derivaſſet. His autem de cauſis facile adducor ut credam modò memoratam cenſuram Theologicæ Facultatis opus non eſſe, contrà quàm antea nimia credulitate deceptus credideram.

Hæc habui, quæ ad retinendum in integrirate ſua Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium diſſererem, in quo à matris tantæ filiis non ſatis animadvertitur, comparationem inſtitui, eámque juſtiſſimam: *Plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum atque apocryphum inde tenendo docere.* Uſuardus poſtremis verbis reſpectum habet ad ea, quæ de corporali aſſumptione in libro de tranſitu beatæ Mariæ traduntur, quæque à Venerabili Beda ante annos plus minùs ſexaginta confixa fuerant. Quâ enim ætate Uſuardus ſcripſit, qui conrrà ac ipſe tam modeſtè & tam prudenter ſentir, ſentirent, nulli fuere, niſi quibus fortè liber de tranſitu beatæ Mariæ impoſuerat. Et ſanè cùm in aliis, tum in hoc quoque, quod obſervatione ſumma dignum eſt, Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologii defenſio conſiſtit.

Ceterùm ad hanc defenſionem ut cumulus accedit, librum ſic inſcriptum. *Aſſumptio Mariæ virginis vindicata*, è pluribus objicere duo, quibus liber ipſe totus evertitur.

Prius eſt in pag. LIX. *Unde enim probat, aſſumptionis nomen migrationem duntaxat ex hac vita deſignare? Exemplis aliquot, tum Euſebio & Gregorio Turonenſi, tum ex Martyrologio beati Hieronymi, & Lectionibus Breviarii Pariſienſis die* XVII. *Junii. Sed quàm facilis reſponſio? Scripſerit enim Euſebius, Conſtantinum ad Deum ſuum aſſumptum eſſe: ſcripſerit etiam Gregorius Turonenſis, cujus verba excerpſit auctor Lectionum Breviarii, cui proinde eadem reſponſione fiet ſatis, aſſumptum eſſe ſanctum Avitum Abbatem Carnoteni pagi; an hoc eſt alicujus momenti? Quis neſcit, ſcriptores Chriſtianos, maximè oratores & hiſtoricos voces non eo ſemper uſurpare ſenſu, quo uſurpat Eccleſia?* Sic aliquis peræquè diceret: Hic vel ille Chriſtianus orator vel hiſtoricus ſcripſerit, (ſi tamen ſit aliquis qui ſcripſerit) aſſumptionem in corpore & anima migrationem importare: ſed quàm facilis eſt reſponſio? an hoc eſt alicujus momenti? quis neſcir, ſcriptores Chriſtianos, maximè verò oratores & hiſtoricos voces non eo ſemper uſurpare ſenſu, quo uſurpat Eccleſia? Mox peræquè diceret, Auctorem libri quo de agimus, quia orator eſt diſertiſſimus, oratoris licentia uſum eſſe, & aſſumptionis vocem non eo uſurpare ſenſu, quo Euſebii tempore uſurpabat, hodiéque uſurpar Eccleſia? ac proinde inſcriptionem incertam & vanam eſſe, & de inſcriptionis vanitare cenſendam operis partem ſat magnam, quæ vocabulo huic inædificatur. Ad hæc ubicumque occurret incommodum aliquid à ſcriptore Chriſtiano qui non ſir poëta, ſed oratore vel hiſtorico dictum, facilis erit tunc reſponſio: An hoc eſt alicujus momenti? Nam difficultare rei præpedirus præ ſe feret, oratorem vel hiſtoricum eſſe qui ſcripſir, eúmque voces, quibus ſenſa ſua expreſſit, non eo ſemper uſurpare ſenſu, quo uſurpat Eccleſia.

Ceterùm cùm pro certo reſponſionis ſuæ fundamento ſibi ſumit Eccleſiam *aſſumptionis*, vel *aſſumpti* ad Deum hominis nomen uſurpaſſe aliter, quàm Euſebius de Conſtan-

tino locutus uſurpaverat, exemplis id confirmare neceſſariò debet. Igitur à Chriſto ad Conſtantinum uſque & Euſebium quærenda ſunt Concilia, in quibus Chriſtiani nominis repræſentatio celebrata fuerit; quærendi Patres, qui populos rexerint: & tunc in Conciliis & Patribus inveniendum eſt, *aſſumptionis*, vel *aſſumpti* ad Deum hominis nomen aliter accipi, quàm in Euſebio accipi videmus. Atque hic eſt unicus docendi modus, Euſebium in uſu hujus nominis Eccleſiæ leges, & Patrum morem contempſiſſe. Quod vindicatæ Aſſumptionis auctor niſi bona fide præſtiterit, ludionem agere, & orbi ſumos vendere cenſebitur.

Poſterius ex tribus potiſſimùm locis colligitur: I. ex pag. CI. *Quotquot ante Uſuardum ſcripſerunt, (ſi unum Pſeudo-Hieronymum, & paucos ab eo deceptos excipias) aſſumptam corpore & anima Mariam virginem apertè profeſſi ſunt.* II. ex pag. CCLXXII. *Hieronymi libello aliquot in dubitationem adductos eſſe non diffitemur; qua tamen paucorum dubitatio non interrupit ſeriem conſtantis & perpetua traditionis Eccleſia de aſſumpto corpore Virginis.* III. ex pag. CCCXLVIII. *Quòd autem in Officio Eccleſiaſtico lectus fuerit aliquando Pſeudo-Hieronymi libellus, id à privatis incautè factum, qui beato Hieronymo adſcribendum putarent.* Sic alius peræquè diceret, qui ante Uſuardum Mariam in corpore aſſumptam eſſe ſcribunt, paucos eſſe, eóſque deceptos ab auctore libri de tranſitu beatæ Mariæ, Gregorium imprimis Turonenſem, qui ob id à Beda tacitè redargutus eſt. Deinde libro de tranſitu beatæ Mariæ aliquos adductos eſſe in opinionem de corporali Virginis aſſumptione non diffitemur, quæ tamen paucorum opinio non interrupit traditionem ſobrietatis illius, quam Uſuardus Martyrologio intulit. Tum ſiquid (quod tamen nondum oſtenſum eſt) in Officio Eccleſiaſtico ad corporalem Mariæ aſſumptionem pertinet, id à privatis incautè factum eſſe, qui vel ab illo libro de tranſitu beatæ Mariæ, vel à Coſmæ relationibus, vel ab opuſculo beatæ Elizabethæ quidquid id eſt, accepiſſent. Quæ verò Auctor de conſtanti & perpetua traditione Eccleſiæ circa aſſumptum corpus congeminat, præjudiciis occupatus ſuis congeminat, & hiſtoriæ leges negligit. Atqui hæc ſunt rationum momenta duo, quæ nobis Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologii adverſarius ſuppeditat. Dum illa redduntur auctori ſuo, ſi recipiat, caſſus & inutilis eſt illius labor; ſi reſpuat, quæ ſua ſunt, oſtendet ea ſimilia eſſe adulterinæ monetæ, quam qui cudunt, ut maximè volunt aliis tradere, ſic & maximè nolunt eam redditam ab aliis recipere, quo pacto artem ſuam patefaciunt, & in apertum crimen incurrunt.

Quæ autem duo in vindicata Aſſumptione obſervavi, & in exitium operis paravi; hæc eadem in Vindiciis Parthenicis facile obſervarem, & in exitium operis ſimiliter pararem, niſi graviora me vocarent alia, quibus hoc ipſum ſtupendum in modum perficerem. Res igitur eſt hujuſmodi: Vindiciarum Auctor cùm Romanum Martyrologium vetus ab Heriberto Roſweydo editum, & Uſuardi Martyrologium cauſæ ſuæ incommodare, quòd dormitionis potiùs, quàm aſſumptionis nomine uterentur, animadverteret, Martyrologium utrumque rejicere, & ut ſibi iniquum ejurare ſtatuit, & ob id turpiſſimi erroris accuſat. Et primùm quidem in cap. LI. dum ait: *Deniquè minimè Romanum dici debere Martyrologium illud, quod à Roſweydo vulgatum eſt, demonſtrat conſcriptus inter Sanctos in eodem Martyrologio ſecunda die Novembris Theodotus Anteſignanus Ariana hereſis, ut ex Theodoreto liquet, qui etiam poſt Nicanum Concilium conſpiratione cum Arianis facta, Euſtachium Antiochenum Antiſtitem de ſede dejecerit, ut ab eodem Theodoreto narratur. Qui autem cùm eorum maximè recens eſſet memoria, tantus error in antiquum Romanum Martyrologium cadere potuit?* Deinde in cap. CLXXII. *Nunc quoniam de Sanctorum beatitudine ex occaſione textus ſancti Thoma incidit ſermo, atque iſta ad Uſuardum maximè pertinere videntur, qui Sanctorum feſtivitates in quandam unitatem collegit, ut ipſe de ſeipſo teſtatur; quarere libet à Diſſertatore, num Sanctos illos, (de Euſebio Caſarienſi, & Theodoto, qui inter Sanctos iſti Martyrologio inſcripti ſunt, hic ſecunda die Novembris, ille XXI. Junii, manifeſtis Ariana impietatis ſectatoribus, hic mentionem nullam fieri volo) quos teſte Uſuardo ſacro cultu Eccleſia veneratur, cum Chriſto in calis regnare pro certo habeat? Fatebitur utique Diſſertator, quòd nemo ſine impietate negaverit. Si quis tamen tam aperta veritati non acquieſceret, quomodo cum illo agendum putaret? An petitis ex hiſtoria pro tot Sanctorum aſſerenda gloria argumentis adverſarium urgeret? Verùm ubi illi tanta hiſtoriarum ſeges, cùm ferè omnium Martyrum res geſta interciderint?* Quis modò in animum induceret ſuum, Vindiciarum Parthenicarum Auctorem duobus in locis operæ poſuiſſe tantum, ut ipſe ſibi ſuo juramento malum accerſeret? Nil enim unquam ſuſcipere potuit, quod aſſequeretur feliciùs. Quibus enim rationum momentis Martyrologia duo, unum vetus ab Adone deſcriptum, & alterum

Uſuar-

Uſuardi, à propoſitæ quaſtionis judicio rejicere ſe putat, iiſdem & hodiernum Romanum Martyrologium, & illius aſſertorem Baronium omnino rejicit, etiamſi rejice e nolit. Momenta rationum tanti ſunt roboris & efficaciæ, ut ſtatim atque in actum eruperunt, illarum impetus retardari ampliùs non poſſit.

Non ſecus ac nervo per nubem impulſa ſagitta, quæ tunc agit naturâ, non arbitrio.

Hodiemum Martyrologium quod Romanum dicitur, eſt ipſiuſmet Uſuatdi Martyrologium minutum & variatum in paucis, & auctum iu pluribus. Id mutua utriuſque Martyrologii facilè docebit contentio. Sed illud revera neſciit Baronius, ut in nuncupatione operis hujus indicavi, ubi cùm aio Romanam Eccleſiam olim uſum eſſe Uſuardi Martyrologio, hodiéque non uti, præcidere non eſt animus; (hodie enim illo utitur, minuto quidem & variato) ſed quòd olim integro ſcilicet, nec minuto, nec variato uteretur, ſpectabam. Hoc advertendum fuit, ut inter ſe cohærerent omnia, nec poſteriora diſcrepare à prioribus viderentur. Ex quo autem tempore illud in Romanæ Eccleſiæ uſum venerit diſquirere non eſt neceſſarium impræſentiarum, obſervare ſufficit, Bellinum Patavinum Auguſtinianum Theologum, exeunte ſæculo XIV. vel ineunte XV. curaſſe, ut iſtud Martyrologium ad uſum Romanæ Eccleſiæ in lucem prodiret. Qua de re ſic Bernardinus Scardæonius in libro de antiquitatibus urbis Patavii, & de claris illius civibus loquitur: *Paulo Zabarellæ ferme par floruit Bellinus inſignis Theologus, cui non modica laudi fuit editio & correctio Martyrologii, quod olim cùm præ ſua raritate in choris tantum, & in conventibus publicè legeretur, nunc hujus opera factum ut ab omnibus legatur; & propterea meritò ejus nomen non tantùm in illa prima impreſſione mille & ampliùs voluminum inſcriptum eſt, ſed poſtea quoque quoties hujuſmodi opus imprimitur, nonniſi ſub Bellini Eremitani Theologi Patavini correctoris nomine publicatur.* In hac Patavina, ſicut & in Veneta editione, quæ an. M. D. XXII. & XLIX. facta eſt ſub hoc titulo: *Martyrologium ſecundùm morem Romanæ Eccleſiæ*, Euſebius Cæſarienſis, & Theodotus Laodicenus leguntur: ille XI. Calend. Jul. *Civitate Cæſarea, ſancti Euſebii Epiſcopi & Confeſſoris, viri excellentiſſimi ingenii, & Hiſtoriographi:* hic IV. Non. Novembris: *Apud Laodiciam ſancti Theodoti Epiſcopi, qui non ſolùm verbio, ſed etiam virtutibus extstit ornatus.* Ab an. M. D. XLIX. expunctus eſt Euſebius: ſed Theodorus in Martyrologio, quod notis illuſtravit Baronius, perſtitit hoc modo: IV. *Non. Novembris. Laodicea in Syria, ſancti Theodoti Epiſcopi, qui non ſolùm verbis, ſed rebus & virtutibus fuit ornatus.* Nunc Auctoris Vindiciarum Parthenicarum critica ſecutus præ me fero, Romanum iſtud Martyrologium minimè Romanum dici debere, & Romanæ abjudicandum eſſe penitus Eccleſiæ, quòd Euſebius & Theodotus manifeſti Arianæ impietatis ſectatores in Sanctorum numero venerandi à nobis & colendi proponantur; quòd Theodotus anteſignanus Arianæ hæreſis, conſpiratione cum Arianis facta, Euſtachium Antiochenum Epiſcopum de ſede dejecerit. Tum præ me fero, funditus everti quidquid Martyrologio huic pro corporea Virginis in Cælum aſſumptione ſuperſtruitur, quòd Martyrologium hoc minimè Romanum dici debeat, & Romanæ prorſus abjudicandum ſit Eccleſiæ: nam Romanum Baronii Martyrologium non minùs quàm Uſuardi Martyrologium, & vetus ab Adone deſcriptum, Arianæ hæreſi patrocinatur. Denique præ me fero, Baronium cum Uſuardo amandandum eſſe in morboniam; idque duabus de cauſis maxime: & primùm quidem quòd in Martyrologio non ampliùs dicendo Romano Arianæ hæreſis anteſignanum Epiſcopum inter Sanctos tanquam *alterum inter Prophetas Saulem* retineat: deinde quòd Martyrologii non ampliùs dicendi Romani textum de Theodoto Laodicenſi Epiſcopo confirmet auctoritate Uſuardi. Verba ſunt ad IV. Non. Novembris: *Theodoti Epiſcopi. Beda, Uſuardus, Ado, & alii.* Duobus igitur in locis obliterat elogia omnia, quæ Baronio ut veritatis aſſertori paſſim addere non ceſſat. Nunc ſi Vindiciarum Parthenicarum Auctor Romanum Martyrologium, & Baronium erraſſe dicat, ut debet ineluctabili conſecutione dicere; peribunt Vindiciæ: ſi verò dicat ſe turpiter erraſſe, reddetur indignus, quocum adverſarii certare uſquam velint, poſtquam homo minimè malus amicos & clientes ſuos, hodiernum Romanum Martyrologium, & illius aſſertorem Baronium tam immaniter tractaverit, & eò uſque redegerit, ut commiſſum ab illis crimen non poſſit niſi graviſſimo ſupplicio elui. Quod in poſteriori loco non obſcurè ſignificat, cùm in Diſſertatorem propiùs invadit. Sic ille in cap. LI. & in cap. CLXXII. Sejanum imitatus,

numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſa præceps immane ruina.

Ceterùm difficile non eſſet, Romanum Martyrologium, confirmatorem illius Baronium,

Euſebium, & Theodotum contra Vindiciarum Parthenicarum Auctorem defendere, ſi ſuſcepti operis ſcopus id exigeret. Non exigit, πάρεργον eſſet μεῖζον τοῦ ἔργου. Ad hominem tantùm diſputo, & ſuis illum telis confodio. Evitaretur diſputandi genus illud inextricabile, ſi beatus Paulus audiretur ad Romanos ſcribens, *Non plus ſapere, quàm oportet; ſed ſapere ad ſobrietatem*, ſi adeò inciviliter non tractaretur Uſuardi & Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium, in quo præceptum Pauli tanta cum circumſpectione ſervatur.

Habetis, VIRI CLARISSIMI ET AMANTISSIMI, tractatum, non qualem fortè poſtulaſtis, ſed qualem pro modulo meo conficere potui. Illum ut vitaretur confuſio, tres in partes diſtribui. In prima explicantur rationes numero ſeptem, quibus Pariſienſis Eccleſiæ Martyrologium deſcribendum eſſe tale, quale admiſſum eſt ab initio, comprobatur. In ſecunda, Martyrologii hujus auctorem Uſuardum in eo conſcribendo majorum traditionem ita ſecutum, ut nihil ab ea diverſum, nihil diſſonum exaraverit, oſtenditur, prolatis ſanctorum Patrum teſtimoniis, quæ ut faces ad certam veritatis indagationem accenſæ Uſuardo præluxerunt. In tertia objectis ea datur reſponſio, quæ ſæpè ſolvit & ſimul impugnat, nunc eliſis ut invalidis militibus, nunc illatis in abſurdas complexiones auctoritatibus quæ proponuntur, nunc ex occaſione data productis aciem copiis, quidem literaria concertatio, niſi tota, illius certè pars non minima cum athletis exercitatiſſimis profligatur. Atque ita pars tertia ut primæ & ſecundæ partis confirmatio accedit. In unaquaque verò parte feci, quod Eccleſiarum magiſter Hieronymus faciendum eſſe monet in dialogo contra Pelagianos tertio: *In dogmatibus & quæſtionibus diſſerendis non perſona, ſed cauſa quærenda eſt*. Et ſanè diſceptantium modeſtia defendendæ cauſæ bonæ officere non poteſt, nec veritas indiget vel indiguit unquam patrocinio dicacitatis.

DIVERSI GENERIS ERRATORUM,

QUÆ IN VINDICIIS PARTHENICIS EXTANT,

SPECIMEN*.

CAPUT I.

Nicolaus Advocatus Billiadus non diſponit Sermones ſuos in judicio.

ID probant excerpta quæ ſequuntur. In pagina XXIV. *poſtea liquido apparebit*. in pag. XLIII. *commodior occurret poſtea dicendi locus*. in pag. XLVII. *de quo poſtea*. in pag. L. *ſuo loco demonſtrabitur*. in pag. LII. *verum de his alias*. in pag. LIII. *ſed hac obiter*. in pag. LXXIII. *ex dicendis magis conſtabit*. in pag. LXXXII. *qua deinceps dicenda ſunt*. in pag. LXXXVII. *de quo modo non eſt diſſerendi locus*. in pag. CIII. *uti mox videbitur*. in pag. CXXXI. *de quibus infra*. in pag. CXXXII. *de quo ſuo loco diſputandum erit*. in pag. CXXXV. *ſed de hoc iterum erit dicendi locus*. in pag. CXXXIX. *ex dicendis paulo poſt perſpicuum erit*. in pag. CLVII. *ut ſuo loco diſſeretur*. in pag. CLXIV. *de quo poſtea*. in pag. CLXVII. *de quo ſuo loco*. in pag. CLXXV. *verum de hoc deinceps*. in pag. CLXXXVII. *ex Dionyſii auctoritate demonſtrabimus*. in pag. CXCIII. *iterum infra*. in pag. CC. *de quo iterum infra*. in pag. CCIX. *infra demonſtrabitur*. in pag. CCXI. *qua infra*. &c. in pag. CCXX. *ut ex mox dicendis planum fiet*. & paulo poſt, *de hoc vero poſtea*. in pag. CCXXIX. *poſtea evincetur*. in pag. CCXL. *paulo poſt ediſſeremus*. in pag. CCXLII. *ſuo loco ſic demonſtrabitur, ut*, &c. in pag. CCLIX. *uti ſuo loco videbitur*. in pag CCLXXII. *ex mox dicendis clariſſimum evadet*. in pag. CCLXXIII. *Andreas Cretenſis loco infra citando*. in pag. CCLXXV. *quod ſuo loco præſtabimus* in pag. CCLXXXI. *amplius ex dicendis conſtabit*. in pag. CCLXXXVII. *de quo poſtea*. in pag. CCXCVI. *de quo poſtea*. in pag. CCCV. *quod amplius declarabitur*. in pag. CCCXXI. *amplius conſtabit ex dicendis*. in pag. CCCXL. *Cujus verba infra adducentur*. in pag. CCCXLIV. *uti non multo poſt demonſtraturi ſumus*. in pag. CCCXLIX. *de quo infra*. in pag. CCCLII. *ex dicendis amplius conſtabunt*. in pag. CCCLVI. *de quo poſtea*. in pag. CCCLX. *ut ex mox dicendis patebit*. in pag. CCCLXIII. *ſed de Gelaſio iterum paulo poſt*. in pag. CCCLXVII. *ſuo loco diſſeretur*. in pag. CCCLXVIII. *de eodem auctore plura poſtea*. in pag. CCCLXXII. *de quibus iterum*

* Editum anno 1671. ut ait Launoius in Catalogo operum ſuorum quem in Hiſtoriâ Navarrici Collegii inſeruit.

rum poſtea. in pag. CCCC. *cujus rei rationem poſtea ex ipſomet Andrea referemus.* in pag. CCCCV. *de quo paulo poſt.* in pag. CCCCX. *de quo ſtatim.* in pag. CCCCXXVI. *& alia quæ mox videbimus.* in pag. CCCCXL. *ex iis quæ poſtea dicentur, planum fiet.* in pag. CCCCLIV. *de quo paulo poſt.* in pag. CCCCLVI. *de quo iterum infra.* Hæc pauca de multis, quæ capitis argumentum manifeſtiſſime & invictiſſime juxta confirmant.

CAPUT II.

Parergis, & inopportunis decidendæ rei ſermonibus Lectorem, ſi quem nactus eſt, fatigat.

SI quem nactus eſt, dicitur, quod vix ullum reperias hominem, qui Billiadi librum integrum ſe ſine moleſtia perlegiſſe teſtetur. Et quamvis ut propoſito capiti ſatisfiat, notare ſufficiat, in paginis pene ſingulis parerga occurrere, & inopportunos decidendæ rei ſermones; nihilominus tamen paginas nonnullas deſignabo.

In pag. XLIV. *Conſtat autem ex hiſtoria Joannis Juvenalis Urſini, Nicolaum de Ordcomonte, ejuſdem nominis Cancellarii Franciæ filium, ditiſſimum ſuæ ætatis Clericum fuiſſe, qui cum in crimen læſæ Majeſtatis incidiſſet, tanquam perduellionis reus condemnatus eſt a Capitulo Pariſienſi, & perpetuo carceri dicta ſententia mancipatus.*

In pag. XLV. *Sedebat tunc temporis in Pariſienſi Eccleſia Epiſcopus Gerardus de Monteacuto, vir doctrina & ſingulari in rebus gerendis prudentia clarus, qui quidem ex Præſide Rationum Regiarum in urbe Pariſienſi ad Epiſcopatum Pictavienſem aſſumptus, non multo poſt ad Pariſienſem tranſlatus eſt. Is fuit alterius ſibi cognominis Archiepiſcopi Senonenſis frater. Idem quoque doctrinæ ſuæ ſpecimen non vulgare edidit, condemnato Joannis Parvi errore. de neſaria Ludovici Ducis Aurelianenſis cæde; quæ ab eo lata ſententia Conſtantienſi præluxit, in quo idem Joannis Parvi error condemnatus eſt.*

In pag. LXXXVI. *Sanctus Baſilius Chriſtum Dominum rite catholicoque ſenſu hominem deiferum vocavit,* θεοφόρον *eadem tamen vox in Baſilio probata, qui non aliter de aſſumpta humanitate ab æterno Dei filio in unitatem perſonæ, quam ipſa Eccleſia. ſenſiſſe putandus eſt: poſtmodum exorta hæreſi Neſtoriana, quæ Chriſtum divideret, duaſque in eo induceret perſonas, a Patribus Epheſinis confixa eſt, ut videre eſt apud ſanctum Cyrillum libro de Incarnatione*, & cætera per reliquam paginam & inſequentes LXXXVII. LXXXVIII.

In pag. CXVII. *Nunc eo unde digreſſi ſumus, revertamur.*

In pag. CC. *Nunc ad propoſitum revertamur.*

In pag. CCXXII. *Porro cum multorum errorum parentem extitiſſe Abailardum dixerimus; non erit fortaſſe extra rem hic ipſius ingenium deſcribere, ut innoteſcat ex quo fonte omnium pene opinionum novitates ſcaturire ſoleant*, & cætera per reliquam paginam & inſequentem.

In pag. CCXXIII. *Sed ad inſtitutam diſputationem revertamur.*

In pag. CCCII. & CCCIII. *Quantam ex utrinſque Eccleſiæ, tum Græcæ, tum Latinæ; conſenſu lucem doctrina hæc accipiat, inde eo evidentius colligitur, quod ab eo tempore ſæpe Græca Eccleſia ab Romana diſciſſa, ſæpe etiam eidem rurſum conjuncta fuerit; nunquam tamen altera alteri hac de re quæſtionem illam moviſſe agnoſcatur*, & cætera, in quibus quæſitum ab illius quæſtionis ſilentio argumentum perſequitur, oblitus eorum, quæ in fine pag. CXVII. & in principio pag. CXVIII. ſic pronunciat: *Sed, ut dixi; id genus argumenta, (negativa) quæ apud diſſertatorem nuſquam non occurrunt, apud eos qui rectas diſſerendi leges norunt, inania profecto & futilia eſſe habenda certiſſimum eſt.* Præterea Billiadus illo argumenti genere probarer Græcam & Latinam Eccleſiam ſummopere conſenſiſſe in * Damaſceni ſententiam, quæ docet Trajanum Gregorii Papæ precibus ex inferis liberatum eſſe.

In pag. CCCXLV. *Quodlibeto nono, art. XVI. quærit ſanctus Doctor, utrum omnes Sancti, qui ſunt per Eccleſiam canonizati, ſint in Cælo; & ſic in corpore loquitur*, & cætera per paginam hanc CCCXLV. & inſequentes CCCXLVI. CCCXLVII. CCCXLVIII. Hic finiendum & ſecandum eſt, cum ubique paginarum Billiadus poſuit: *ad propoſitum revertamur, ad inſtitutam diſputationem revertamur.*

CAPUT III.

Vulgato Bedæ Martyrologio inconſiderate utitur, quod illi reipſa nocet.

INCONSIDERATI uſus ratio hæc eſt, quod ad Uſuardi & Adonis præfationem non attenderit, cum Bedæ Martyrologium laudans attendere neceſſario debuerit. Uſuardus

* Vide Notam (aa) Superioris Tractatis.

dus enim de Bedæ Martyrologio ſcribit *Præterea & venerabilium Hieronymi ſcilicet ac Bedæ Presbyterorum piis, quamvis ſuccinctis, ſuper hoc provocabar deſcriptis: quorum prior brevitati ſtudens, alter vero quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis præteriiſſe neceſſaria.* Ado quoque ita ſcribit: *Ne putes me in hoc opere in vacuum laboraſſe, & rem non neceſſariam executum fuiſſe, breviter tibi cauſam facti aperiam. Primum fecit imperium ac juſſio ſanctorum virorum, ut supplerentur dies, qui abſque nominibus Martyrum in Martyrologio, quod venerabilis Flori ſtudio in labore domini Bedæ accreverat, tantum notati erant.* Ex his ergo luculenter apparet in Martyrologio quod Beda concinnaverat; permultos dies Sanctorum nominibus vacaſſe. Quo ita poſito, certum eſt Martyrologium illud, quod Bedæ operibus inſertum eſt, proprium Bedæ opus non eſſe, quia dies nullus Sanctorum nominibus vacat. Iis pleni ſunt dies omnes. Deinde ſciri nequit, quinam dies pleni fuerint, quinam vacui, niſi Martyrologium quale Beda edidit, offendatur. Billiadus harum rerum minime ſatagens, & omnino incogitans ſic laudat Bedæ Martyrologium.

I. In pagina XCVIII. & XCIX. *Verum quidem eſt, Diſſertatorem in Martyrologio Bedæ, ubi* Aſſumptio *legitur, vocem Dormitionis reponendam eſſe, conjecturis plane futilibus aſſequi* Deinde ſub finem pag. XCIX. *Neque enim Beda alio quam* Aſſumptionis *nomine potuit ſolennitatem aſſumptæ Virginis appellare: quo nimirum univerſa Eccleſia Latina tunc temporis utebatur.*

II. In pag. CXXXIII. *An non ipſe Beda eandem celebritatem in ſuo Martyrologio Aſſumptionem vocat?* Et paulo poſt: *Quin potius* (Uſuardus) *inde affectatæ novitatis convincatur, quod Martyrologio ſe Bedæ adjutum profeſſus, familiarem nihilominus Eccleſiæ Latinæ feſti nuncupationem, & a Beda uſurpatam reſpuerit, ac peregrinam, & Latinæ Eccleſiæ ignotam Dormitionis vocem induxerit.*

III. In pag. CXXXIV. *Exploratum eſſe debet, Bedam, qui cum Eccleſia locutus eſt, Aſſumptionem Martyrologio ſuo inſcribendo, illudque feſtum eo nomine deſignando, cum eadem Eccleſia ſenſiſſe; aliud enim de tanto viro ſuſpicari vere non poſſumus.* Billiadus iſtic, utrum quæ citat ex Beda, Bedæ ſint, necne, ne dubitat quidem, cum inſpecta Uſuardi & Adonis præfatione dubitare debuit. Bedæ non eſſe docet purum putum illius Martyrologium, quòd tribus abhinc annis Godefridus Henſchenius juris publici fecit, & actis Sanctorum Martii præfixit. Qui poſt Uſuardi & Adonis tempus, Bedæ Martyrologium auxerunt, & dies vacuos quibus voluerunt auctibus impleverunt, in Auguſti die XIV. poſuerunt Aſſumptionis Vigiliam, & in die XV. Dormitionis vocem in Aſſumptionis vocem converterunt. Nam habetur in Martyrologio: XVIII. *Calend. Sept. Sancta Maria Dormitio.* In Archivis Vaticanis manuſcriptum aſſervatur Bedæ Martyrologium, ubi XVIII. *Calend. Sept.* ponitur *Sancta Maria Dormitio.* Sic Billiadus inconſiderate utitur Bedæ Martyrologio, quod illi reipſa nocet.

CAPUT IV.

Uſuardum injuſte torquet & crudeliter, ſed tortus ſtabit torquente fortior.

TORQUENTIS injuſtitiam & crudelitatem oſtendunt excerpta quæ ſequuntur.

In pag. XIX. *Illud itaque primo loco quæretur, an* Dormitionis *vocabulum, quo uſus eſt Uſuardus ad deſignandum Aſſumptæ Virginis feſtum, ab eo rite uſurpatum ſit: tum etiam an ab antiquis Eccleſiæ Patribus deſumptum ab eo fuerit, oſtendeturque Uſuardum in ea voce fucum quæſiviſſe, atque ipſum, ſi verum eſt quod Diſſertator ſcripſit, ſub initium Imperii Caroli Magni Martyrologium ſuum edidiſſe, primum fere hujuſce nomenclaturæ in eadem Latina Eccleſia auctorem habendum eſſe.*

In pag. LXXXV. *Addendum eſt, & an aliquos hujuſce nomenclaturæ duces in Eccleſia Latina habueri, vel potius annon primus Uſuardus peregrina iſta voce, & toti Latinæ Eccleſiæ ignota uſus fuerit.*

In pag. CLXXIX. *Itaque huic primæ parti Diſputationis noſtræ finem imponamus, ubi* di Dormitionis *voce ita egimus, ut illam contra totius Eccleſiæ ſenſum moremque & uſum Eccleſiæ Latinæ, ab Uſuardo adhibitam fuiſſe, & à nullo ex ſanctis Patribus Latinis ante ipſum uſurpatam, luce clarius oſtenſum ſit.*

In pag. CXC. *Oſtenſumque Uſuardum nullum habuiſſe ex Patribus Latinis, quem in uſurpando* Dormitionis *vocabulo ducem ſequeretur.* At quam injuſte & crudeliter Uſuardum torqueat, ex capite ſuperiori liquet, ubi probatum eſt, Bedam Uſuardo in uſurpanda *Dormitionis* voce præluxiſſe. Uſuardus igitur intra Latinos primus non eſt qui *Dormitionis* vocem uſurpavit.

C A-

CAPUT V.

Impacta Uſuardo calumnia in Bedam recidunt, neceſſaria conſecutione.

QUOD hoc in capitulo ſumitur, ex capite III. ex capite IV. neceſſaria conſecutione derivatur. Nam cauſa cur Billiadus Uſuardum adeo iniquè & immanirer vexavit, hæc eſt, quia Uſuardus *Dormitionis* vocem primus uſurpavit in Martyrologio. At non Uſuardus, ſed Beda vocem illam prior uſurpavit in Martyrologio, quod quale Beda compoſuit, ab Henſchenio vulgatum eſt. Accedit & manuſcriptum illud Martyrologium, quod Romæ Baſilica Sancti Petri aſſervat. Sic Beda non eſt uſus *Aſſumptionis* nomine, *quo* nimirum *univerſa Eccleſia Latina tunc temporis utebatur.* Sic Beda *affectatæ novitatis revincitur*, *quod in Martyrologio* Domitionis *vocem adhibuerit.* Sic oſtenditur, Bedam *in* Dormitionis *voce fucum quæſiviſſe*, *quod ab antiquis Patribus deſumpta non fuerit.* Sic oſtenſum eſt, Bedam *nullum habuiſſe ex Patribus Latinis*, *quem in uſurpando* Dormitionis *vocabulo ducem ſequeretur.*

CAPUT VI.

Baronium hæreticorum nunc ut exciſorem, nunc ut ædificatorem excipit.

ID genus lemmatis ex duobus locis conflatur. Primus eſt in pag. LXII. *Videat tamen ipſe*, *quanta cum bonorum omnium offenſione*, *quantoque ſectariorum gaudio*, *doctiſſimis ſcriptis*, *quibus elucubrandis eruditiſſimus & piiſſimus vir Baronius contra hæreticos pro Catholica veritate inſenuit*, *auctoritatem derogare non dubitet.* Alter eſt in pag. CXI. *Denique minime Romanum dici debere Martyrologium illud*, *quod à Roſweydo vulgatum eſt*; *demonſtrat conſcriptus inter Sanctos in eodem Martyrologio ſecunda die Novembris Theodotus Anteſignanus Arianæ hæreſis*, *ut ex Theodoreto liquet*: *qui etiam poſt Nicænum Concilium*, *conſpiratione cum Arianis facta*, *Euſtachium Antiochenum Antiſtitem de ſede dejecerit*, *ut ab eodem Theodoreto narratur.* Non diſſimili modo dici poteſt· Minime Romanum dici debere Martyrologium, quod à Baronio vulgatum eſt, demonſtrat conſcriptus inter Sanctos in eodem Martyrologio ſecunda die Novembris Theodotus Anteſignanus Arianæ hæreſis. Tum Baronius in notis ad IV. Nonas Novembris Theodotum inter Sanctos confirmat hoc modo: *Theodoti Epiſcopi*, *Beda*, *Uſuardus*, *Ado & alii. Scribit de eodem Euſebius hiſt. lib.* VII. *cap. ult. & Nicephorus lib.* VI. *cap.* XXXVI. Baronius in priori loco hæreticos deſtruit, in poſteriori ædificat. Præterea Billiadus in Arianorum ædificatione Baronio Romanum Martyrologium adjungit cum Pontifice, qui Martyrologium probavit.

CAPUT VII.

Græcis Patribus turpiter imponit.

ID videre eſt in pag. CLXXIX. cum Billiadus ita ſcribit: *Græci Patres tametſi feſtum aſſumptæ in cælum Virginis*, *Dormitionem dixere*, *ſive* [illegible]; *uno tamen omnes ore confitentur illam ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna una cum corpore & anima evectam fuiſſe.* Arqui hoc ipſum eſt, quod, qui ſequuntur Græci Patres, confeſſi ſunt nuſquam in commentariis, quos reliquerunt Ignatius, Athenagoras, Juſtinus, Hegeſippus, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Neocæſarienſis, Methodius Tyri Epiſcopus, Euſebius, Athanaſius, Titus Boſtrorum Epiſcopus, Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, Ephrem Edeſſæ Diaconus, Gregorius Nazianzenus, Cæſarius illius frater, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Macarius Ægyptius, Timotheus Alexandrinus, Epiphanius, Joannes Chryſoſtomus, Iſidorus Peluſiota, Syneſius, Amphilochius, Proclus Conſtantinopolitanus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Baſilius Seleucienſis, Aſterius Amaſeæ Epiſcopus, Theophilus Alexandrinus, Joannes Climacus, Evagrius Scholaſticus, Anaſtaſius Sinaita, Eulogius Alexandrinus, & alii. At tantum abeſt, ut Græci Patres relati uno omnes ore Virginem in cælum cum anima & corpore aſſumptam eſſe confeſſi fuerint, ut ne unus quidem illam conceptis id verbis confeſſus unquam fuerit. Qui tanta in re audaciùs imponeret, hactenus inventus eſt nemo. Num Patres relatos fuiſſe Græcos omnes, non ibit, opinor, inficias.

C A-

CAPUT VIII.

Cæſarium Arelatenſem ſancti Brunonis æqualem facit ſumma cum inſcitia.

STUPENDUS hic error ſemel atque iterum eminet in pagina CCCLXXIV. *De hac*, inquit, *hiſtoria* (ſeceſſus ſancti Brunonis in eremum) *multi poſt Cæſarium Arelatenſem, Antoninum ac Gerſonem meminerunt, nulla facta auctorum iſtorum mentione. Igitur nec Cæſarius Arelatenſis, nec Gerſon, nec Antoninus quidquam de terrifico illo ſpectaculo ſcriptis mandaverunt.* Cæſarius Arelatenſis claruit ad annum DXXV. ſanctus vero Bruno Cartuſianorum auctor ad annum MLXXXVIII. Billiadus ex Cæſario Monacho Archiepiſcopum, & ex Ciſtercienſi vel Heiſterbachenſi Arelatenſem fecit. Duplex eſt metamorphoſis, qua nulla unquam fuit illuſtrior. Taceo, Cæſarium hunc ne verbum quidem ullum de Brunone injicere, tantum abeſt, ut ſeceſſus Brunonis in eremum hiſtoriam perſequatur.

CAPUT IX.

De Hieronymi ad Paulam & Euſtochium Epiſtola vel Sermone, crambe ad nauſeam repetita.

IN pagina XXXI. *Uſuardus falſum dogma ab ignoti nominis veteratore illo hauſit, qui ſub ementita Hieronymi perſona, ejus ſcriptis inſeritur.*

In pag. XLVII. *In Pariſienſi Breviario anni* MDXLV. *habentur lectiones ex pſeudo-Hieronymo, qui ſe erroris ducem ceteriſque ab eo deceptis præbuit, ementito Hieronymi nomine, tanquam obducta larva contectus.*

In pag. XCIX. *Relatis Beda ex pſeudo-Hieronymo depromptis verbis.*

In pag. CXLIX. *Sic auctor ſermonis de Aſſumptione apud Hieronymum.*

In pag. CCXXVII. *Ab auctore illo, qui apud Hieronymum ad Paulam & Euſtochium ſermonem de Aſſumptione inſcripſit, hæc pauca ſubjicimus.*

In pagina eadem ſub finem: *Teſtatur ideo ad Paulam & Euſtochium ſcribere ſe de Aſſumptione beatæ Virginis ſermonem.*

In pag. CCXXVIII. *Quæ modo ex falſo iſto Hieronymo retulimus.*

In pag. CCXXIX. *Quomodo, inquam, ex toto illo ſermone de Aſſumptione, qui habetur apud Hieronymum, (cujus actorem impoſtorem manifeſtum fuiſſe poſtea evincetur) colligere potuit.*

In pag. CCXXX. *Quod ſi idem veterator Hieronymianus addit hæc verba: Multi noſtrûm dubitant, an aſſumpta fuerit cum corpore, an abierit relicto corpore; more veteratorum facit.*

In pag. CCXXXII. *Sicque tot laudum præconiis beatiſſimam Virginem eo libentius cumulaſſe viſus eſt, ut ſub illa pietatis larva, ementitoque ſancti Hieronymi nomine, audacius Aſſumptioni corporeæ detraheret.*

In pag. CCXXXV. *Ex pſeudo-Hieronymo.*

In pag. CCXLII. *Quæ habetur in ſermone ad Paulam & Euſtochium, ementito ſancti Hieronymi nomine inſcripto.*

In pag. CCXLVIII. *Quam ex pſeudo-Hieronymo antea deſcripſimus.*

In pag. CCXLIX. *Uſuardus ſcribebat trecentis vel quadringentis annis poſt Hieronymi Martyrologium, ac pſeudo-Hieronymi epiſtolam.*

In pag. CCLXXX. *Confutato item libro de tranſitu beatæ Virginis, falſo Melitoni Sardenſi Epiſcopo adſcripto, pſeudo-Hieronymo, aliiſque nonnullis.*

In pag. CCCX. *Quantumvis ovina pelle tectus, ſub perſona ſancti Hieronymi deliteſcat, lupum agnoſcimus.*

In pag. CCCLVI. *Agnovit auctor ille, qui primus contra veritatem Aſſumptionis corporeæ, ementito Hieronymi nomine inſurrexit.*

In pag. CCCLXVIII. *Auctor ille, qui de Aſſumptione ementito Hieronymi nomine ſcripſit*, &c.

In pag. CCCCII. *Ut quam impoſturæ notam Baronius ſuppoſititio Hieronymo inuſſit, ab Aſeodem abſtergere conetur.*

In pag. CCCCXXI. *Ad auctorem illum accedendum eſt, qui epiſtolam ſeu ſermonem de ſumptione ad Paulam, & Euſtochium inſcripſit, habeturque inter ſancti Hieronymi opera; à quo quidem auctore hic error, quem modo confutamus, in ceteros propagatus eſt.*

In pag. CCCCXXIII. *An non ille inſignis impoſtor, qui ſtatim maxime pudendo mendacio illi epiſtolæ dedit initium?*

In pag. CCCCXXV. *An non impoſtor dicendus eſt, qui ſimiliter mortuum Hieronymum inducit mortuam Paulam adhortantem?*

In

In pag. CCCCXXVI. *An non impoſtor dicendus, qui falſam Paula viſionem ex ſuo cerebro affingit?*

In pag. CCCCXXVII. *An non impoſtor, qui turpiſſimo anachroniſmo peccat?*

In pag. CCCCXXVIII. *An non impoſtor dicendus eſt, qui ut ſalſo ſuo dogmati fidem quæreret, mendaciſſime ſcribit*, &c.

In pag. CCCCXXX. *An denique impoſtura nota vacare dicendus eſt, qui ſancti Hieronymi, Paulæ & Euſtochii nomina eo opere eſt mutuatus ad promerendam fidem*, &c.

In pag. CCCCXLI. *Poſt ſuppoſititium Hieronymum, quem modo exploſimus.*

In pag. CCCCXLII. *Sequuntur Uſuardus & Ado, quibus ſe erroris duces pſeudo-Hieronymum, atque alium etiam inſertum ſcriptis ſancti Auguſtini tomo decimo, ipſum quoque falſa Hieronymi auctoritate perculſum ſcriptorem, non obſcuris veſtigiis deprehendimus.*

In pag. CCCCXLIII. *Nulli dubium eſſe poteſt, quin qua modo ex Beda retulimus, ex pſeudo-Hieronymo deprompta ſint.*

In pag. CCCCXLIV. *Pro ſermone pſeudo-Hieronymi.*

In pag. CCCCXLV. *Non Hieronymus, ſed Hieronymi larva.*

In pag. CCCCXLVI. *Patet etiam quantam ſtragem veterator iſte Hieronymianus in Eccleſia Dei ediderit.*

In pag. CCCCXLVII. *Hildefonſus aperte in pſeudo-Hieronymi ſententiam conceſſit.*

In pag. CCCCXLIX. *Sermone autem ſexto manifeſte ſententiam pſeudo-Hieronymi amplectitur.*

In pag. CCCCL. *Sed quidquid ſit de iſtius auctoris mente, quem ſalſa ſancti Hieronymi deluſit auctoritas.*

In pag. CCCCLII. *Sed omnes, Guibertum Abbatem de Novigento, Arnoldum Carnotenſem Durandum & Belethum, ex eodem corrupto fonte errorem ſuum hauſiſſe clarum eſt.*

In pag. CCCCLIII. *Sermonem de Aſſumptione recentioris eſſe auctoris, & ab pſeudo Hieronymo decepti, certum eſt.* Et hæc pauca de pluribus.

His autem in Billiadi libro ſic conſtitutis, de illo auctore vere affirmateque dici poteſt, vel de nullo unquam dicetur:

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

CAPUT X.

Qua Billiadus ſoperiori capite declamitat adverſus pſeudo-Hieronymi ſermonem, hæc æqua lance recidunt in Romanam & alias plures Eccleſias.

HIc non argumentatione, ſed narratione ſola opus eſt, ut quod inſcriptio capitis præ ſe fert, appareat.

I. Romana Eccleſia, quæ ceterarum caput eſt, cùm primum cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum agere, in Breviario ſuo recitavit lectiones, quæ ex beati Hieronymi ſermone decerpuntur. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtantur manuſcripta Breviaria, quæ paſſim aſſervantur in Eccleſiarum Bibliothecis, & quæ Venetiis anno MCCCCLXXXI. in lucem prodierunt. Lectiones illæ poſtquam immenſo tempore in Romana recitatæ ſunt Eccleſia, ibi anno MDLXX. recitari deſierunt.

II. Remenſis Eccleſia cum primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, in Breviario ſuo recitavit lectiones, quæ ex ſermone beati Hieronymi depromuntur. Incipiunt. *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtantur manuſcripta Breviaria, & quæ edita ſunt Pariſiis anno MDXLIII. auctoritate Caroli Lotharingii Remenſis Archiepiſcopi.

III. Monaſteria ſancti Remigii & ſancti Nicaſii Remenſis cum primum celebrare cœperunt Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, recitarunt in ſuis Breviariis lectiones, quæ ex ſermone ſancti Hieronymi deſumuntur. Incipiunt: *Cogitis me, o Paola & Euſtochium*, &c. Id teſtantur antiqua Breviaria manuſcripta, quæ Remis aſſervantur.

IV. Bellovacenſis Eccleſia cùm primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, in ſuo Breviario recitavit lectiones, quæ ex beati Hieronymi ſermone deſumuntur. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtantur Breviaria, quæ anno MDLIV. ex manuſcriptis prodierunt.

V. Laudunenſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, in ſuo Breviario recitavit lectiones, quæ ex ſermone beati Hieronymi deſumuntur. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmant antiqua Breviaria manuſctipta, quæ & in choro & extra chorum Eccleſiæ aſſervantur.

VI. Præmonſtratenſis Ordo, cujus caput eſt in Laudunenſi pago, cùm primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, in ſuo Breviario recitavit lectiones, quæ ex

ex ſermone beati Hieronymi repetuntur. Incipiunt: *Fratres cariſſimi, de Aſſumptione beatæ Mariæ qualiter favente Deo per ſingulos annos tota hac dies expendatur*, & cetera quæ in eodem ſermone traduntur. Id vero confirmant manuſcripta Ordinis Breviaria, quæ Lauduni in cœnobio beati Martini aſſervantur.

VII. Monaſterium de Monaſteriolo dictum in Laudunenſi pago, cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, deſumptas è ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Fratres cariſſimi, de Aſſumptione beatæ Mariæ qualiter favente Deo per ſingulos annos tota hac dies expendatur*, & cetera quæ in eodem ſermone habentur. Id confirmat manuſcriptum Monaſterii hujus Breviarium, quod Lauduni apud Fratres Minimos aſſervatur.

VIII. Noviomenſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas ex ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Id teſtatur illius Breviarium quod ex manuſcripto codice prodiit anno MDXLVI.

IX. Pariſienſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, decerptas ex ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat Breviarii hujus editio, quæ ex antiquis codicibus manuſcriptis prodiit anno MCCCCLXXIX. & anno MCCCCXCII.

X. Inſigne beati Dionyſii in Francia, ut loquuntur, Monaſterium, ex quo agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ, comparatas ex ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat Breviarii hujus editio, quæ ex manuſcriptis nata eminuit anno MDL.

XI. Aurelianenſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, deſumptas ex ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id vero teſtatur Breviarii hujus editio, quæ ex manuſcriptis prodiit anno MDIV. & anno MDLXXIV. repetita eſt.

XII. Metenſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas ex ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtatur illius Breviarium manu exaratum, quod habet Bibliotheca cœnobii ſancti Victoris ad Lutetiam.

XIII. Celebris beati Martini apud Turonos Eccleſia, cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, deductas è ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat Breviarii hujus editio, quæ ex manuſcripto codice prodiens anno MDXIX. apparuit.

XIV. Fontis-Ebraldenſis Ordo, cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtantur Breviaria manuſcripta quæ anno MDXLV. typis mandata ſunt, & anno MDLXXXVII. recuſa.

XV. Gratianopolitana Eccleſia cùm primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Id confirmat Breviarii hujus editio, quæ ex manuſcripto procedens ante annum MDL. facta eſt.

XVI. Maſſilienſis Eccleſia cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, collectas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat ipſum Breviarium juris publici factum ad annum MDV.

XVII. Belnenſis Eccleſia in Æduenſi pago, cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, deſumptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtatur Breviarium anno M. D. XVI. editum.

XVIII. Canonici regulares Ordinis ſancti Auguſtini cùm primum agere cœperunt Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas è ſermone ſancti Hieronymi lectiones recitarunt in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtantur manuſcripta Breviaria, quæ anno MDXXII. in lucem prodierunt.

XIX. Congregatio Monachorum Caſæ-Dei, Ordinis beati Benedicti, cùm primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmant manuſcripta Breviaria, quæ anno MDXXXIV. typis mandata ſunt, & anno MDLXXXVI. recuſa.

XX. Monaſterium beatæ Mariæ de Bellomonte prope Turones, cùm primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas e ſermone beati Hieronymi lectiones reci-

recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id vero confirmat Breviarii hujus *ad uſum Romanæ Eccleſiæ* editio, quæ anno MDXLIII. curata eſt.

XXI. Cæleſtinorum Ordo cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtatur Breviarii hujus editio, quæ anno MDXLVI. facta eſt.

XXII. Minorum & Eremitarum beati Auguſtini Ordo cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, non alio uſus eſt, quam Romanæ Eccleſiæ Breviario, ac proinde deſumptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in officio ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c.

XXIII. Lochenſis Eccleſia in Tutonenſi pago, cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in ſuo Breviario. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id teſtatur Breviarii hujus editio, quæ anno MDXXXVI. curata eſt.

XXIV. Trecenſis Eccleſia cum primum agere cœpit Aſſumptionis feſtum, excerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Dominica infra octavam. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat Breviarium quod anno MDXLIV. editum eſt.

XXV. Forojulienſis Eccleſia cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, excerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat Breviarium ipſum, quod Taurini anno MCCCCXCV. editum eſt.

XXVI. Vivarienſis Eccleſia cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmat ipſummet Breviarium quod anno MDLVII. impreſſum eſt.

XXVII. Albienſis Eccleſia cum primum celebrare cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, quæſitas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo, quod ante annos centum viginti & eo amplius impreſſum eſt.

XXVIII. Narbonenſis Eccleſia cum primum agere cœpit Aſſumptionis feſtum, comparatas ex eodem beati Hieronymi ſermone recitavit in Breviario ſuo, quod olim ſimiliter typis mandatumeſt.

XXIX. Aquiſextienſis Eccleſia cum primum agere cœpit Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtum, deſumptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo, quod ſine ulla loci & temporis mentione editum eſt. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c.

XXX. Ciſtercienſis Ordo quem beatus Bernardus illuſtravit tantopere, cum primum agere cœpit Aſſumptionis feſtum, decerptas e ſermone beati Hieronymi lectiones recitavit in Breviario ſuo. Incipiunt: *Cogitis me, o Paula & Euſtochium*, &c. Id confirmant Ordinis Breviaria, quæ ab illius initio uſque ad annum MDCLIV. lectiones hujuſmodi repræſentant. His accedit Cæſarius Heiſterbacchenſis Monachus in libro Mirabilium ſeptimo, capite XXXVIII. *In Longobardia*, inquit, *in quadam domo Ordinis noſtri*, (Ciſtercienſis) *qua Carixtus dicitur, ante paucos annos Monachus quidam extitit, nomine Bertramus: iſte tam ferventi motu caritatis Dominam noſtram ſanctam Dei genitricem amabat, ut non ſine magno cordis cruciatu audire poſſet, ſi forte dubitative quis diceret vel legeret de corporali illius Aſſumptione. Cum eam exegiſſet in Ordine quindecim annos, adhuc juvenis ætate, in vigilia Aſſumptionis ejuſdem glorioſæ Virginis, rogavit Abbatem, ut ſibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicens ſe non poſſe audire neque ſermones Hieronymi in choro, neque ſermonem in Capitulo, timens quod prædictum eſt: erat enim Grangiarius. Abbas ejus ſanctitatem turbare timens, annuit ejus petitioni.* Hæc ille, qui beato Bernardo ætate ſuppar fuit. Poſthabita viſione & ceteris quæ deinceps recenſet auctor, Hieronymi ſermo recitari non deſiit in Ciſtercienſi Ordine. Atque iſta ſunt pauca de pluribus Eccleſiis & Monaſteris, in quibus, ut par eſt credere, dum agebatur feſtum Aſſumptionis, lectiones e ſermone beati Hieronymi deſumptæ recitaræ fuerunt. Ceterum ſi Billiadus audiatur, dicendum eſt, Eccleſias omnes, & cum primis Romanam, & Monaſteria omnia quæ laudavimus, *ſæviſſe conſilio veteratoris, qui Hieronymi perſonam indutus fidem populorum ac veram Eccleſiæ doctrinam de evecto in cælum Virginis corpore radicitus evellere conatus eſt.* Potuiſſet ſane cum Romana & aliis Eccleſiis & inſignibus Monaſteriis mitius agere ac modeſtius: ſed ita agendum eſſe non cenſuit.

Billiado de hac re ſi non tam bene cum Ordine Ciſtercienſi conveniat, at valde bene con-

convenit cum Bertramo fratre, quem ille fortitus eſt parem ingenio, ſi doctrinam ſpectes; religione, ſi animi teneritudinem; auribus, ſi chori melodiam & habitam in Capitulo concionem.

Verum, ut quod mihi videtur, ingenue proferam, quamvis ſermo ille non ſit Hieronymi, tamen ex eo tot Eccleſiæ, & cum primis Romana, & tot Monachorum congregationes ſermonem illum nunquam in ſacris legiſſent officiis, ſi ab antiqua traditione tunc de beatæ Mariæ Aſſumptione ſenſiſſent aliter, quam ſentiendum eſſe ſermo idem præſcribit: quis prudens & attentus iret inficias? Crediderunt ſermonem idoneum eſſe, qui Uſuardi vel Adonis Martyrologio junctus, hinc apochryphum de tranſitu beatæ Mariæ libellum omnino deſtrueret, & inde derivatam ab initio traditionem apprime conſervaret, niſi quidquid id eſt, temere & ſine conſilio geſtum eſſe tu velis, ut relatæ Billiadi calumniæ locus detur ampliſſimus.

CAPUT XI.

Quod de ſcriptoribus, qui poſt vulgatam ſub nomine Hieronymi epiſtolam ſeu ſermonem ad Paulam & Euſtochium locuti ſunt, Billiadus ſibi ſumit; pari modo de ſcriptoribus, qui poſt vulgatum ſub nomine Melitonis Sardenſis Epiſcopi librum de tranſitu beatæ Mariæ ſcripſerunt, ſumi poteſt.

PLuribus in locis ait, ſcriptores illos, qui convenienter Uſuardi Martyrologio de beatæ Virginis Aſſumptione locuti ſunt, deceptos eſſe ab illo, qui ſub nomine Hieronymi ſermonem ſeu epiſtolam ad Paulam & Euſtochium exaravit.

In pag. XXXI. *Uſuardus falſum dogma ab ignoti nominis veteratore illo hauſit, qui ſub ementita Hieronymi perſona ejus ſcriptis inſeritur.*

In pag. XLVII. *In Pariſienſi Breviario anni* MDXLV. *habentur lectiones ex pſeudo-Hieronymo, qui ſe erroris ducem Uſuardo ceteriſque præbuit, ementito Hieronymi nomine, tanquam obducta larva contectus.*

In pag. CCCCXXI. *Ad auctorem illum accedendum eſt, qui epiſtolam ſeu ſermonem de Aſſumptione ad Paulam & Euſtochium inſcripſit, habeturque inter ſancti Hieronymi opera, à quo quidem auctore hic error quem confutamus, in ceteros propagatus*, &c.

In pag. CCCCLII. *Sed omnes, Guibertum, Arnoldum, Durandum & Belethum, ex eodem corrupto fonte errorem ſuum hauſiſſe clarum eſt.*

Sic quia libet de tranſitu beatæ Mariæ prius ſub nomine Melitonis Epiſcopi editus eſt, quàm ſermo ſeu epiſtola ad Paulam & Euſtochium ederetur, longe veriſimilius dicitur, Menæorum auctores, Damaſcenum, Coſmam, & ſi quos alios pro corporea Virginis in Cælum Aſſumptione locutos Billiadus adducit, ex pſeudo-Melitone deceptos eſſe, erroremque ſuum hauſiſſe. Hoc, inquam, veriſimilius dicitur tribus maxime de cauſis. Prima eſt, quod ante Romanam Synodum anno CCCCXCIV. habitam, in qua liber de tranſitu beatæ Mariæ ut apocryphus rejectus eſt, nullus adferri poſſit Auctor qui conceptis verbis tradiderit Virginem in anima & corpore ad cælum evectam fuiſſe. Altera, quod epiſtola, ſeu * Sermo de Aſſumptione ad Paulam & Euſtochium ut apocryphus a nulla Synodo Romana rejectus eſt. Tertia, quod plures ſunt Eccleſiæ, & cum primis Romana, quæ in officio de Aſſumptione Virginis lectiones ex illa epiſtola, ſeu ſermone deſumpſerint; ſed nulla eſt Eccleſia, quæ in eodem officio lectiones ex libro de tranſitu beatæ Mariæ deſumpſerit. Sed ne hoc veriſimilius dici poſſit, ſufficit quod æque veriſimiliter dicatur, ut Billiadus culpa ſua & communi loco, qui quia omni materiæ, ideo nulli convenit, in laqueos incidat inexplicabiles.

Ceterum ut dicam libere quod ſentio, hæc inter Hieronymi ſermonem & apocryphum de beatæ Mariæ tranſitu libellum facta contentio & comparatio videtur rupes eſſe, in quam cum Billiadus roſtratas naves ſuas impulit, retuliſſe dicendus eſt quod aſſolet temeritas.

—— Laxis laterum compagibus omnes,
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.

CAPUT XII.

Circa ſermonem de Aſſumptione, qui extat apud ſanctum Auguſtinum, pugnantia ſecum loquitur.

IN pag. CCCLXXXV. *Eſt & alius inſignis locus incerti Auctoris apud ſanctum Auguſtinum tomo nono, ſermone de Aſſumptione, non minus etiam pietate quam doctrina conſpicui, qui venerandam quoque antiquitatem præ ſe ferre videtur.*

* Conſule notam (*b*) Prioris Tractatûs.

In

In pag. CCCCXLII. *Sequuntur Uſuardus & Ado, quibus ſe erroris duces pſeudo-Hieronymum, atque alium etiam inſertum ſcriptis ſancti Auguſtini tomo decimo, ipſum quoque falſa Hieronymi auctoritate perculſum ſcriptorem, non obſcuris veſtigiis deprehendimus.*

In pag. CCCCLIII. *Sermonem de Aſſumptione tomo decimo apud ſanctum Auguſtinum recentioris eſſe auctoris, & ab pſeudo-Hieronymo pariter decepti certum eſt.*

In primo loco Billiadus dicit duo, ſermonis auctorem non minus pietate quam doctrina conſpicuum eſſe, & venerandam antiquitatem præ ſe ferre. In duobus aliis locis dicit quoque duo, ſermonis auctorem in errorem induxiſſe Uſuardum & Adonem, quod illius judicio pietati convenit, & recentiorem eſſe, & eam ob rationem venerandam antiquitatem non præ ſe ferre. Difficile eſt athletam offendere, qui Andabatarum more acrius pugnet & apertius.

CAPUT XIII.

Ut conſcriptam ſub nomine Hieronymi ad Paulam & Euſtochium epiſtolam rejicit, ſic & alium editum ſub nomine Athanaſii ſermonem de beata Virgine rejiciet.

DE hoc ſermone ita loquitur in pag. CCCLXXXIV. *Profertur, ſub nomine ſancti Athanaſii inſigne de aſſumpta cum corpore Virgine teſtimonium, ex ſermone de ſanctiſſima Deipara. Quamvis enim Athanaſii minime eſſe non neſcius ſim, ut probant illa, quæ contra Neſtorianam impietatem diſſerit, cum iſta hæreſis non niſi poſt Athanaſii mortem fuerit exorta, nihilominus antiqui auctoris eſſe videtur, & inſigniter eruditi ac pietate præſtantis.* Et primum quoties auctor ſermonis ſeu epiſtolæ ad Paulam & Euſtochium, *pſeudo-Hieronymus* ſupra in cap. IX. dicitur, toties auctor ſermonis apud Athanaſium de ſanctiſſima Deipara *pſeudo-Athanaſius* dicetur. At dicetur duodecies. Deinde quoties auctor ſermonis ſeu epiſtolæ ad Paulam & Euſtochium, *veterator* dicitur; ſic & auctor ſermonis apud Athanaſium de ſanctiſſima Deipara *veterator* dicetur. At dicetur ſemel, iterum & tertio *veterator*. Tum quoties auctor ſermonis ſeu epiſtolæ ad Paulam & Euſtochium *impoſtor* dicitur; ſic & auctor ſermonis apud Athanaſium de ſanctiſſima Deipara *impoſtor* dicetur. At dicetur ſexies, *quia ementito Athanaſii nomine tanquam obducta larva contectus*, ſermonem illum conſcripſit ad promerendam ſibi fidem majorem.

Præterea auctor ſermonis apud Athanaſium de ſanctiſſima Deipara, non eſt auctor ſermonis ſeu epiſtolæ ad Paulam & Euſtochium antiquior, nec ut epiſtola ad Paulam & Euſtochium habet ullum ſui apud veteres teſtimonium.

Denique Athanaſii ſermo perinde laudatur, acſi conceptis verbis de corporea Virginis Aſſumptione loqueretur: non loquitur niſi apud eos qui oſcitantes hallucinantur, & uti ſomniantes delirant.

CAPUT XIV.

Sacramentarium Gregorii paſſim laudat, eique tribuit, quod reipſa tribui non poteſt.

IN pag. LXXXIII Aſſumptionis *voce ſemper Romana Eccleſia uſa eſt, ut videre eſt in Ordine Romano, Sacramentario ſancti Gregorii*, &c.

In pag. CIX. *Gregorius Magnus in ſuo Sacramentorum libro voce uſitata* Aſſumptionis *uſus eſt.*

In pag. CXXIV. *Gregorius aperte feſtum evectæ in cœlum Virginis, Aſſumptionem vocat.*

In pag. CLXXI. *Quidquid ſit, in antiquiſſimo atque ita authentico Sacramentorum libro, non modo Aſſumptionis beatæ Mariæ ſolennitas* XV. *menſis Auguſti inſcripta eſt, ſed ei quoque pridie ejus feſti Vigilia prætexitur.* Loquitur de eo libro quem ex Urbe in Galliam ad ſanctum Eligium, cujus nomine inſcribitur, miſſum fuiſſe ſcribit.

In pag. CCXLVIII. *In Sacramentorum libro ſancti Gregorii Aſſumptionis celebritas præcipuum locum obtinet.*

In pag. CCCLVIII. *Sacramentorum liber ſancti Gregorii aperto de Aſſumptione corporea loquitur.*

Citati toties libri Sacramentorum Gregorii verba ſunt hæc: XIX. *Calend. Sept. Vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ.* XVIII. *Calend, Sept. Aſſumptio ſanctæ Mariæ Virginis.* Præfatio: *Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; Et te in veneratione ſacrarum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare, inter quas intemerata Dei genitrix Virgo Maria, cujus Aſſumptionis dies glorioſa effulſit*, &c. Oratio: *Vene-*

randa nobis, Domine, hujus eſt diei feſtivitas, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, qua filium tuum de ſe genuit incarnatum. At hæc omnia Gregorii non eſſe, ſed alterius, qui librum Sacramentorum Gregorii interpolavit, Grimoldus Abbas olim admonuit in præſatione libri, quem ipſe de Sacramentis edidit: *Hucuſque*, inquit, *præcedens Sacramentorum libellus a beato Gregorio Papa conſtat eſſe editus, exceptis his, quæ in eodem in Nativitate vel Aſſumptione beatæ Virginis, & præcipue in Quadrageſima, & virgulis antepoſitis lectoris inveniet jugulata ſolertia.* Jacobus Pamelius in tomo II. Liturgicon adverſus illa verba, quæ nunc habet liber Sacrementorum Gregorii, appoſuit: *Hoc Officium, Vigilia Aſſumptionis, & ſequens ex præfatione libri* II. *qui eſt Grimoldi, conſtat non eſſe Gregorii.* At ſi quis nunc Billiadum imitari vellet, Gregoriani operis interpolatorem, nomine Gregoriani *veteratoris* aut *pſeudo-Gregorii* deturparet, quia Gregorio hac in parte tribui, quod reipſa non poteſt tribui, ſicut nec Officium ſancti Gregorii ſancto Gregorio tribui poteſt.

Porro autem Oratio hæc, *Veneranda nobis, Domine, hujus eſt diei feſtivitas*, Romanæ Eccleſiæ uſu nuſquam conſecrata eſt. Quinetiam Romana Eccleſia in Aſſumptionis feſto ea utitur ſecreta, quæ quidquid Billiadus per verba hæc, *nexibus mortis deprimi non potuit*, interpretatur, facile rejicit. Secreta eſt hæc: *Subveniat plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam & ſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus, in cæleſti gloria apud te pro nobis intercedere ſentiamus.* De corporali migratione ſermo ita inſtituitur, ut ſimul de corporali Aſſumptione inſtitutus eſſet, ſi tuliſſet Romanæ Eccleſiæ traditio. Hinc Innocentius in duobus de Aſſumptione Virginis ſermonibus corporeæ Aſſumptionis mentionem nullam facit, facturus, opinor, ſi potuiſſet ex Romanæ Eccleſiæ traditione fieri.

Antiqua Remenſis Eccleſiæ Miſſalia, quæ anno MDXII. & XIV. Pariſiis edita ſunt, hac in Oratione Romanam ſequuntur Eccleſiam.

Mediolanenſis Eccleſia in Ambroſiano Miſſali, quod anno MDXLVIII. editum eſt, collectam, *Veneranda nobis, Domine*, non habet, ſed habet collectam, *Subveniat nobis, Domine*.

Quidquid id eſt, non omnes eodem modo verba hæc, *nec tamen nexibus mortis deprimi potuit*, interpretantur. Teſtis eſt Albertus Magnus in quæſt. CXXX. ſuper *Miſſus eſt*: *Modo*, inquit, *quæritur quid appellatur nexus mortis. Vel eſt bonum vel malum: non malum, quia omnis boni capax fuit. Item bonum non deprimit, ſed elevat: ergo nexus non nominat ibi aliquid boni. Si autem eſt malum, aut eſt malum culpa, aut malum pœna, quia mors non eſt nexus ad culpam: quia poſt mortem non eſt ſtatus culpa, ſed pœna. Item nihil dictum eſſet, quod poſt mortem non poſſet peccare, quia eſſet Mater Dei, cum poſt mortem nullus peccet. Si autem eſt malum pœna, quæro quam pœnam importat. Non gehenna, quia ad illam non nectit mors, quia multi moriuntur, qui non vadunt ad gehennam: eadem ratione nec ad purgatorium, quia multi moriuntur, qui non vadunt ad purgatorium; nec etiam poteſt dicere pœnam temporalem, quia ad illam non nectit mors, ſed abſolvit ab illa. Nam non poteſt dicere pœnam mortis, quia beata Virgo vere mortua fuit: ergo relinquitur, quod non poteſt ſignificare niſi incinerationem: ergo iſt ſenſus, non potuit nexibus mortis deprimi, id eſt, non potuit incinerari; & niſi ſtatim reſurrexiſſet, fuiſſet incinerata, ut alia corpora.* Et ſic Albertus per varias complexiones & ab omni Scriptura & traditione vacuas ad id, quod animo imbiberat, devenit; ab omni Scriptura, inquam, vacuas: nam his verbis Pſalmi CXXXI. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ;* abutitur, & in ſuum ſenſum contra literam detorquet, ut per ſanctorum Patrum expoſitionem demonſtratum imus.

Primus nobis erit beatus Hilarius in eundem Pſal. *Ex ipſis nunc*, inquit, *Scripturarum cæleſtium auctoritatibus demonſtrandum eſt, ad perſonam Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& ad Eccleſiæ ſanctificationem pſalmum eſſe referendum.* Et quibuſdam interpoſitis: *Poſtquam enim requiem Dei audivit & reperit, poſtquam introiturum ſe adoraturumque credidit, ſpei tanta fieri jam particeps deprecatur. dicens: Exurge, Domine, in requiem tuam, quam reperturum ſe David tuus vovit, quam nos in Euphrata audivimus, quam in campis ſilvæ invenimus, in cujus tabernacula introibimus, adoraturi illic ubi pedes tui ſteterunt. Exurge igitur in eam requiem, quæ voti ſacramento quæſita eſt, quæ prophetiæ ſcientia in loco audita eſt, quæ in gentium fructu frugiſero reperta eſt, quæ introeuntibus frequentabilis eſt, quæ loco indemutabilis eſt, quæ adorantium religione venerabilis eſt, ſed non ſolum, tu Domine, exurge in requiem tuam, ſed & tu, & arca ſanctificationis tuæ. non arca teſtamenti, non arca legis; ſed arca ſanctificationis tuæ. Et quidem eſſe arcam teſtamenti meminimus intus ac foris auream, ubi tabulæ lapidum, ubi ſancta litera, ubi liber teſta-*

teſtamenti, ubi Gomor manna. Sed hac omnia ejus quod Dominus aſſumpſit, corporis ſpecies eſt, omne in ſe ſacramentum continens legis, nunc & deitatis ſpiritu & origine carnis munitum, intus ſcilicet ac foris aureum.

Lucifer Caralitanus Epiſcopus in libro I. pro Athanaſio ad Conſtantium Imperatorem: *Sacra Scriptura probant vos ex actibus veſtris non eſſe Dei ſervos, ſed filios diaboli. Si enim non es unus ex illis quos tales futuros eſſe ſacra clamant Scriptura, cùm ſcriptum inveneris in Pſal.* CXXXI. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua; (Sacerdotes tui induantur juſtitiam) cur damnari à nobis abſentem voluiſti? Certe ut juſtitiam, qua nos indueras Deus, amitteremus.*

Joannes Chryſoſtomus in eundem Pſal. *Hac autem omnia dicunt locum arca, quod ex eo loco edebantur voces horribiles de rebus, qua ad Judaos pertinebant, qua erant dubia & obſcura ſolventes, & futura pradicentes. Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua: alius dicit fortitudinis, alius potentia ſua; utraque autem vera. Illinc enim tradebatur ſanctitas, & que erant ei impoſita litera, erant & ſanctitatis effectrices & roboris. Pulcre ergo ſic dixit: Magnam enim Deus per eam potentiam oſtendis ſemel & bis & ſapenumero, ut quando capta ab Azotiis, quando ſimulacra dejecit, quando eos qui coeperant, percuſſit, quando ea reddita, ut plaga ceſſaret, effecit, & per alia, qua illic fecit, ſuam oſtendit potentiam. Quid eſt autem? Surge in requiem tuam, fac, inquam, ut nos deſiſtamus errare, & arcam circumferri, & ea tandem aliquando conquieſcat.*

Sanctus Hieronymus in eundem Pſalmum: *Exurge, Domine, in requiem tuam, jam explesti juramentum, reddidiſti votum. Jam inveniſti locum Deo, jam produxiſti ex latere tuo Eccleſiam. Exurge nunc ab inferis, revertere in tabernaculum, abiens in requiem, de quibus ſuperius locutus es; & non ſolum tu; ſed & tu & arca ſanctificationis tua, corpus ſcilicet aſſumptum, quo divinitas tegebatur, a quo via, veritas & vita nobis oſtenſa eſt.*

Sanctus Auguſtinus in eundem Pſalmum: *Exurge, Domine, tu & arca ſanctificationis tua; id eſt, exurge ut exurgat & arca ſanctificationis tua, quam ſanctificaſti ipſe caput noſtrum, arca ejus, Eccleſia ejus. Surrexit prior, ſurgit & Eccleſia: non autem auderet ſibi reſurrectionem corpus promittere, niſi prius exurgeret caput. Exurge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua. Et corpus Domini noſtri* Jesus Christi, *quod ex Maria natum eſt, intellectum eſt à quibuſdam arca ſanctificationis tua, ut hoc diceret: Exurge, Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tua. Cum corpore exurgo, ut palpent qui non credebant.*

Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in eundem Pſal. *Surge, Domine, in requiem tuam. Reſurrectionem Dei vocant cultum ſecundum legem non hoc indigentis, ſed offerentium pietatem amplectentis: & obſecrant ut ejus gratia acturum appareat, utque priſtinum ſplendorem templo largiatur. Tu & arca ſanctificationis tua, quoniam in Sanctis Sanctorum arca ſtabat tabulas legis habens: imminebat autem hinc propitiatorium: per illud autem Pontifici indicia quadam divini adventus fiebant. Jure arca meminit: nam Deus qui fecit calum & terram, ſecundum beati Pauli vocem, non in manufactis templis habitat. Sic etiam ſapiens Salomon precatus eſt: Si calum & calum cali non ſufficient tibi, hoc etiam univerſorum Deus ait: Calum mihi ſedes, terra autem ſcabellam pedum meorum: quam domum adificabitis mihi? aut quis locus requiei mea eſt?*

Arnobius junior in eundem Pſalmum: *Huic* (Jesu Christo) *dicimus quotidie: Exurge, Domine, in requiem tuam. Requies Dei in* Jesu *evidens & ſpecialis eſt, in quo eſt arca, id eſt, arcana ſanctificationis ejus, per quam Apoſtoli ſunt indui juſtitia, & Sancti omnes exultant propter David ſervum Dei: quia de fructu ventris ejus poſuit Deus ſuper ſedem ſuam, per quam cuſtodiunt filii ejus teſtamentum, id eſt, Apoſtoli ex femore Juda ſecundum carnem venientes, qui non ſolum cuſtodierunt teſtamentum Domini noſtri* Jesu Christi, *ſed & teſtimonia ejus qua docuit nos, nunc filii eorum uſque hodie ſedent ſuper ſedem eorum, habentes & ipſi ſolvendi ac ligandi poteſtatem.*

Caſſiodorus in eundem Pſal. *Exurge, Domine, in requiem tuam,* &c. *Poſtquam Domini Chriſti promiſſiones, qua ſuperius dicta ſunt, Propheta perfectas eſſe cognovit, ne quicquam debitum eſſe conſtaret, exclamat ad Dominum: Exurge in requiem tuam; ut eventum rerum perfecte veritatis ordine declararet, id eſt, ab inferis reſurgeret in deitatis ſua beatitudinem ſempiternam. Et vide quod addidit tuam, quam ſibi tua majeſtas tribuit, qua regnat cum Patre poteſtate aquali & gloria ſempiterna. Et ne putares caput membra ſua poſſe derelinquere, adjecit: Tu & arca ſanctificationis tua; hoc eſt, Eccleſia, quam membra ſua faciens ſanctificare dignatus es: non enim dixit, arca Noe, non arca teſtamenti,*

qua

Digitized by Google

quæ tamen utraque typum portare videbatur Eccleſiæ; ſed ipſam ſpecialiter deſignavit. cùm addidit, ſanctificationis tuæ.

Bruno Herbipolenſis Epiſcopus in eundem Pſalmum: *Surge, Domine, id eſt, ab inferis revertere in deitatis tuæ beatitudinem ſempiternam. Tuam dico, quam tibi tua majeſtas attribuit: tu & arca, id eſt, Eccleſia, quam ſanctificare dignatus es.*

Bruno Cartuſianus in eundem Pſalmum: *Surge, Domine. Pater ſublimis & potens, appare, eundo in requiem tuam: ſcilicet per hoc manifeſta potentiam tuam, ut venias non localiter, ſed ſecundum inoperantem gratiam in nos, quos adventu tuo facies requiem tuam, id eſt, adeo ſanctos facies, ut ni nobis quieſcas, id eſt, delecteris, ſicut aliquis in quiete delectatur. Tu, inquam, ſurge, & per tuum ſurgere, ſurgat etiam arca ſanctificationis tuæ, id eſt, ſublimetur arca tua, quam ſanctificaſti per mortem & reſurrectionem tuam, & peccatorum remiſſionem: & nos videlicet ſublimemur, qui ſumus Eccleſia tua, dicti arca tua, eo quod præfigurata fuit ad Eccleſiam per arcam Domini.*

Ex his autem Parrum teſtimoniis luculenrer oſtenditur, Albertum alio quam ſpectant Scripturæ verba detorſiſſe. Præterea hic Doctor excruciavit ſe mirum in modum, ut qui ſint nexus mortis explicaret, & ea tandem intricata verborum complexione flecteret: & primum ad incorrupti corporis ſtatum, deinde a morte ad vitam revocationem, tum demum ad animæ & corporis gloriam. Ar quis prior diſpuratore tali, *mortis nexibus deprimi non poſſe*, tria hæc ſignificare docuir? Ur quæſtio hæc tractetur, Scripturis armari ſacris, antiqua inſtrui tradirione, ſuccingique oportet, miſſis argumentationibus, quæ in Academia volarica parantur.

Er ſane miror cur Oratio hæc: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*; non exrer in Romanæ Eccleſiæ officio: quia verba, *mortem ſubiit temporalem*, & *mortis nexibus deprimi non potuit*, inrer ſe pugnant, ut mortalibus ſeu mortis nexibus expediri, (ut eſt in Sacramentario Gregorii inter orationes pro mortuis) mori eſt: ſic e contra mortalibus ſeu mortis nexibus non deprimi, vel deprimi non poſſe, mori non eſt. Hoc ipſum, opinor, non adverterunt, qui orationem illam Gregorii Sacramentario inrulerunr, & qui illaram deinceps ad probandam Virginis a morte ad viram revocationem uſurparunt, Albertus, Petrus Sotus, & quidam alii. Quare ut pugna illa tolleretur, verba hæc, *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, alibi de peccatorum nexibus intelligenda eſſe duxeram. Verum quia liber Sacramentorum Gregorii orationem, *Veneranda*, &c. non habuir ab initio, nec etiamnum habet vel habuir unquam Romanæ Eccleſiæ officium: illa rem non decidit, etiamſi pugnantia non continerer, & ſibi contrairet.

Porro autem quæ ad Scripturæ locum animadvertimus, eo animadvertimus fine, ut Billiadus Eccleſiaſticæ tradirionis apparatu inſtructus & ornatus errata ſua corrigat: ſi tamen gratis conceptum in nos odium; idque Vatiniano majus permiſerit.

CAPUT XV.

Romana Eccleſia tribuit quod ſalva veritate tribui nequit.

IN pag. LXXXIII. *An non præcedebant, quæ ſectari debuiſſetis, Romani Martyrologii veſtigia antiquiſſima, in quo non Dormitio, ſed Aſſumptio dicitur? Qua voce ſemper Romana Eccleſia uſa eſt, ut eſt videre in Ordine Romano, Sacramentario ſancti Gregorii, aliiſque antiquis Ritualibus & Miſſalibus libris.* Ex capite ſuperiori conſtat, Romanam Eccleſiam Aſſumprionis voce uſam non eſſe, cum quo tempore Gregorius Romanæ Eccleſiæ Antiſtes Sacramentorum librum compoſuit, nihil illi intulit, quod ad Officium Aſſumprionis pertineret. Ar ſi Romana Eccleſia *Aſſumptionis* voce uſa non eſt Gregorio Pontifice, affirmari vere non poteſt, Romanam Eccleſiam *Aſſumptionis* voce ſemper uſam eſſe. Ad Romanum Ordinem quod attinet, ſi qualis ille ab initio exaratus eſt, haberetur, *Aſſumptionis* vocem non repræſentare dicendum eſſet, ſi de Sacramentario Gregorii ſumendum ſit judicium.

Rem decidir Sergius Papa I. qui anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, hoc eſt, anno poſt Gregorium I. octogeſimo quarto, Romanam adminiſtrare cœpir Eccleſiam, cum decrevit, *ut in diebus Annunciationis, Domini Nativitatis, & Dormitionis ſanctæ Dei genitricis, Litania exeat a ſancto Hadriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat.* Hæc in vira Sergii tradir Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliorhecarius, qui Nicolao I. Pontifice inclaruir. Hinc planum efficirur, Dormitionis nomen de Romana Eccleſia tanquam de puriſſimo fonte in Bedæ Martyrologium, & de Bedæ Martyrologio

logio in Uſuardi & Adonis Martyrologia deductum eſſe. Billiadus potuiſſet non interturbaſſe deductionem hanc, quæ per tot annos, ſi non ubique, at Romæ, in Anglia & in Galliis conſecrata eſt.

Si poſtea mutatum eſt in nomine, nihil mutatum eſt in re, dum ut in re mutaretur, per Scripturæ auctoritatem, & Catholicæ Eccleſiæ traditionem non licuerit. Qui ſcribendo de rebus ſacris, hæc veræ Theologiæ principia duo deſerit, inducendæ in religionem novitati, ἐθελοθρησκείᾳ, ſtudet.

Romanum Martyrologium hodiernum, Uſuardi reipſa eſt Martyrologium, quod ſuas vices habuit. Bellinus illud edi curavit juxta morem Romanæ Eccleſiæ. De eo detraxit, & ei addidit quod voluit. Ille, ni fallor, primus in Uſuardi Martyrologio, cum edebatur, *Dormitionem* in *Aſſumptionem*, non publica, ſed privata auctoritate mutavit. Dico, cùm edebatur, quia fieri potuit, ut alius exſcribendo Uſuardi Martyrologium id ante fecerit, quod poſtea Bellinus typis mandando fecit. Porro Martyrologium a Bellino editum Patavii, Uſuardi Martyrologium eſſe, cùm alia permulta, tùm maxime quæ ſequuntur, oſtendunt: *Calend. Octob. Tornaco ſancti Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cùm beato Dionyſio Epiſcopo, ejuſque ſociis*, &c. *Quinto Nonas Octobr. Natale beati Dionyſii Epiſcopi & Martyris*, &c. *Septimo Idus Octobr. Natale ſanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi*, &c. ut apud Uſuardum, qui ſolus horum trium Dionyſiorum mentionem facit. Hæc eſt nota notiſſima, quæ Uſuardi Martyrologium a ceteris Martyrologiis diſtinguit. Quidquid in cauſa, manifeſtè falſum eſt dicere, Romanam Eccleſiam *Aſſumptionis* voce ſemper uſam eſſe.

CAPUT XVI.

Quidquid pluribus in locis ex Martyrologio & Ordine Romano, & Miſſalibus, Ritualibuſque libris, & Sacramentario Gregorii diſputas in gratiam corporeæ Aſſumptionis, id omne uno in loco funditus evertit.

BILLIADUS ut fidem omnem Uſuardo detrahat, eum violatæ religionis arguit, pugnatque eum in Sanctorum numero collocaſſe Theodotum Laodicenum, Arianæ factionis anteſignanum. Fœdavit hocce ſcelere Romanum Martyrologium, quod in partem ſacrorum Romanæ Eccleſiæ rituum venit. Sed tam luctuoſa ſtrages conſpiciendam ſponte ſe objicit in pag. CCCXLVII. ubi ſic legitur. *Nunc quoniam de Sanctorum beatitudine, ex occaſione textus ſancti Thomæ, incidit ſermo, atque iſta ad Uſuardum maxime pertinere videntur, qui Sanctorum feſtivitates in quandam unitatem collegit, ut ipſe de ſeipſo teſtatur: quærere libet a Diſſertatore, num Sanctos illos, (de Euſebio Cæſarienſi, & Theodoto, qui inter Sanctos iſti Martyrologio inſcripti ſunt, hic ſecunda die Novembris, ille* XXI. *Junii, manifeſtis Arianæ impietatis ſectatoribus, hic mentionem nullam fieri volo) quos teſte Uſuardo, ſacro cultu Eccleſia veneratur, cum Chriſto in Cælis regnare; pro certo habeat.* Sic ab Romana quæret Eccleſia, cur Theodotum Arianæ impietatis ſectatorem ſacro cultu veneretur: cur cum Chriſto in Cælis illum regnare pro certo habeat. Fatebitur utique Romana Eccleſia *quod nemo ſine impietate negaverit*, & cetera, quibus tantum Uſuardi, dicamne Romanæ Eccleſiæ? crimen perſequitur. Faceſſant igitur argumenta illa, quæ pro corporea Virginis in Cælum Aſſumptione ex ſacris Romanæ Eccleſiæ Officiis & Ritibus repetit & inculcat.

CAPUT XVII.

Pari modo ſentiendum eſt de argumento, quod ex Hymnis, Proſis & Collectis Pariſienſis Eccleſia depromit

PARISIENSIS Eccleſia hodieque in Martyrologio ſuo Euſebii Cæſarienſis, & Theodoti Laodicenſis memoriam celebrat, & eam ob cauſam, & Billiadi judicio crimen, profligandæ ſunt Proſæ, Hymni & Collectæ, ex quibus argumentum colligit & urget in paginis XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. &c. Qua enim ratione vir prudens contendit profligandum eſſe Uſuardi Martyrologium, quia Euſebii & Theodoti, Arianæ impietatis ſectatorum, memoriam celebrat, eadem & Hymnos, Proſas & Collectas Pariſienſis Eccleſiæ profligare contendet, quia Eccleſiæ hujus Martyrologium Arianos duos, Euſebium & Theodotum numero Sanctorum adſcribit. Tunc Pariſienſis Eccleſia filio ſuo reddet, quod in pagina CCCXXIII. ex Hieronymo producit: *Judicio tuo, fili, meretrix ſum, mater tua ſum, non ſervo unius tori caſtitatem. talis eram quando conceptus es.*

CAPUT XVIII.

Fallit, vel fallitur ex voce Aſſumptionis *philoſophatus.*

BILLIADUS pro comperto tenet, quod non incompertum modo eſt, ſed etiam falſum, *Aſſumptionis* vocem in ritibus ſacris beatæ Mariæ in Cælum quoad animam & corpus ſublationem per ſe importare. Inani fundamento huic ſuperſtruitur quidquid fere a prima libri pagina uſque ad ultimam de corporea Virginis Aſſumptione diſputat. Id nec ulla Patrum ſeu Latinorum, ſeu Græcorum auctoritate, vel Eccleſiaſtica traditione confirmat. Quinetiam jus illud, quod ex illa voce ſibi vendicat, Latinis & Græcis Patribus adverſatur; Cypriano in epiſtola IX. ad Martyres, & in libri III. teſtimoniorum ad Quirinum capite XVIII. Euſebio in libri III. de vita Conſtantini capite XLV. et in libri. III. de vita ejuſdem Conſtantini cap. LXIV. Hilario in libri, qui incipit *Sancto Spiritu* inter illius fragmenta, & in Matthæum cap. XXVI. Gregorio Nazianzeno in funebri oratione pro ſorore ſua Gorgonia; Martyrologio ſub nomine Hieronymi edito; Auguſtino de diverſis ſerm. XXXIII. de ſancto Stephano; auctori ſermonis de Aſſumptione Hieronymo adſcripti; Gregorio Turonenſi in libri de gloria Confeſſorum capite X. Ildefonſo Toletano Archiepiſcopo in ſermonibus de Aſſumptione; Venerabili Bedæ in Homilia hiemali de ſancto Benedicto, in libri IV. Hiſtor. capite XIV. Innocentio II. in diplomate conſecrationis beati Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi; Alexandro III. in diplomate conſecrationis Eduardi Angliæ Regis; Celeſtino III. in diplomate conſecrationis Ubaldi Eugubini Epiſcopi; Clementi IV. in diplomate conſecrationis Heduvigis Poloniæ Ducíſſæ; Pariſienſi Eccleſiæ in feſto ſancti Aviti; Romanæ Eccleſiæ in lectionibus nocturni III. de ſancto Martino, in reſponſorio VII. Laudati ſcriptores voce aſſumptionis utuntur iis in operibus & operum locis, quæ notantur. His adde Franciſcanorum Generalem Miniſtrum, in funebri laudatione Alexandri V. qui Bononiæ obiit anno MCCCCX. Laudationis thema fuit: *Aſſumptus eſt in Cælum*, ut refert Caroli VI. hiſtoria M. S. quam habet Bibliotheca Thuana.

Præterea quæ ſequuntur, adjunge.

Beatus Auguſtinus in libri de Paſtoribus capite XI. *Iam aſſumptus eſt*, inquit, *Petrus in requiem Apoſtolorum & Martyrum.*

Paulinus in epiſtola ad Amandum Epiſcopum: *Quem* (fratrem meum) *etiamſi temporaliter ſciamus aſſumptum, in illo nobis cito conſequendum, tamen ea verius cauſa obiiſſe lugemus.*

Maximus Taurinenſis Epiſcopus in Homilia I. de ſancto Laurentio: *Ergo ut comperit ore Sacerdotis & Martyris, ſe quoque omnimodis aſſumendum, congregatis inopum turbis, Eccleſiaſticum cenſum religioſa liberalitate diviſit.*

Remigius Remenſis Epiſcopus in epiſtola conſolatoria ad Clodoveum: *Angit me & ſatagit veſtra cauſa triſtitia, quod glorioſa memoria germana veſtra tranſiit Alboſledis; ſed conſolari poſſumus, quia talis de hac luce diſceſſit, ut recordatione magis inſpici debeat, quam lugeri. Illius enim vita fuit, quod aſſumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migravit ad Cælos.*

Bonifacius Moguntinus Epiſcopus in vita ſancti Livini martyris, ſeu potius Livinus ipſe in oratione quam ſic habet: *Et maxime, Domine, qui hunc diem Aſſumptionis meæ cum devota habuerint memoria, habeant totum annum mihi præſentia gratiæ tuæ ſecurum.*

Sanctus Bernardus in vita ſancti Malachiæ Epiſcopi: *Anno ætatis quinquageſimo quarto, loco & tempore, quo praelegit & prædixit Malachias Epiſcopus & Legatus Sedis Apoſtolicæ, velut e noſtris manibus aſſumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino.*

Cæſarius Ciſtercienſis in libro VIII. cap. XX. de Conrado fratre converſo: *Obiit autem in ipſa dulciſſima feſtivitate Aſſumptionis Dominæ noſtræ, ipſius, ut ſpero, precibus, cui devote ſervierat, die tali de terris aſſumptus in cælum.*

Senonenſis Eccleſia in feſto beati Auguſtini in Antiphona ad *Magnificat: Adeſt dies celebris, quo ſolutus nexu carnis ſanctus Præſul Auguſtinus aſſumptus eſt cum Angelis.*

Breviarium Ciſtercienſis Ordinis, quod anno MDCLVI. Lutetiæ recuſum eſt, in Antiphona ad Canticum *Benedictus: Benedictus Dominus Deus Patris noſtri, qui ejus doctrina & exemplo ædificavit Eccleſiam ſuam, ejus felicî aſſumptione lætificavit civitatem ſuam, ejus ſolenni recordatione præſentem hodie conſolatur familiam ſuam.* Sic felix beati Bernardi aſſumptio per univerſum Ordinem decantatur.

Bre-

Breviarium Ermontenſis Eccleſiæ in Pariſienſi pago, in Antiphona ad *Magnificat: Adeſt dies celebris, quo ſolutus nexu carnis ſanctus Confeſſor Flavius aſſumptus eſt ab angelis, ubi eum omni militia cæleſtis exercitus contemplando vultum Dei, noſtra excuſet ſcelera.*

Breviarium beati Iſidori, quod anno MDII. Toleti editum eſt, ubi agendum Conceptionis beatæ Mariæ feſtum ita præſcribitur: *In feſto Conceptionis beatæ Virginis Mariæ omnia dicantur ut in Aſſumptione Virginis Mariæ; & ubi dicitur Aſſumptio, dicatur Conceptio.* Quod perabſurdum videretur eſſe, ſi tunc in Aſſumptionis Officio legeretur aliquid, quo ſignificaretur corporalis Aſſumptio.

Walafridus Strabo, qui ad annum DCCCXL. claruit, inter poemata ſua in Aſſumptionem beatæ Virginis Mariæ:

Virgo Dei genitrix de corpore ducta pudico,
Ad requiem Domini tranſiit ecce ſui:
Ad quam nos precibus tranſire juvantibus ejus;
Æterna proles Virginis alma velit.

Hic Auctor non ita ceciniſſet in Aſſumptionem beatæ Virginis, ſi qua vixit ætate, vox *Aſſumptionis* aliud in Virgine, aliud in aliis Sanctis importaſſet. *Nam inſtar religionis eſt fidem de temporibus aſſerere*, Tertullianus in Apologetici capite XIX.

CAPUT XIX.

Fallit, vel fallitur in deſignanda vocis hujus κοιμήσεως antiquitate.

HAc de re ita ſcribit in pag. CLVI. *Probabilius mihi videtur, nomenclaturam illam apud Græcos recentiorem eſſe, vixque excedere tempora ſancti Damaſceni*, quem ad annum DCCXL. claruiſſe certum eſt. At Modeſtus Hieroſolymorum Epiſcopus, qui multo ante Joannem Damaſcenum claruit, κοιμήσεως voce utitur apud Photium in Bibliothecæ codice CCLXXV. ſermone de unguentiferis Virginibus: *Magdalena poſt κοίμησιν ſanctiſſima Dominæ noſtræ Deiparæ profecta eſt Epheſum.* Deinde ſub finem codicis hujus teſtatur Photius legiſſe ſe Modeſti encomium in κοίμησιν, obdormitionem Deiparæ Virginis.

Modeſtus, qui, ut opinor, Zachariæ Hieroſolymitano Patriarchæ ſucceſſerat, hanc vocem κοίμησιν, & rem voce ſignificatam à majoribus retro verſùs Apoſtolos acceperat per traditionem, de qua quis præter Billiadum ambigeret? At nullus ambigeret quia per vetuſtiora Eccleſiarum monumenta non eſſet ambigendi locus. Libellum de tranſitu beatæ Mariæ Melitoni Sardenſi Epiſcopo adſcriptum minime moror, quia monumentum hoc Romæ judicatum eſt apocryphum.

Heic igitur certa ſunt tria. Et primum quidem, quod Billiadus ſine dubio fallitur cùm ait: *Probabilius mihi videtur nomenclaturam illam κοίμησιν apud Græcos recentiorem eſſe, vixque excedere tempora ſancti Damaſceni.* Deinde, quod nomenclatura illa, cujus agitur epocha, ſit ita vetus, ut illius poſt Apoſtolorum ætatem initium deſignari nequeat. Denique, quod quidquid eſt, hac in materia negotii dirimitur, adhibita Tertulliani regula, quæ ſic ſe habet in libri IV. contra Marcionem capite IV. *Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod poſterius revincetur.* Conſentientem regulæ huic Billiadum velit nolit habemus. Neque enim ob aliud nomenclaturæ illius, cujus fortuna in conſpectu, &c. ut ita dicam, ſub ictu eſt, antiquitatem veritatis indicem denegat, niſi quod eam inſtar incorrupti judicis controverſiæ finem imponere vir tunc prudens & attentus proſpiciat.

Exinde quoque factum eſt, ut Billiadus Uſuardo violatæ traditionis dicam omnino grandem impingere non ſit veritus, quaſi ille primus omnium dormitionem beatæ Virginis Martyrologio indiderit. Uſuardus vir per antiqua rei Eccleſiaſticæ monumenta ſapiens, traditionem minime violavit, illius curſum non interrupit, ſed caſtè atque integrè retinuit. Traditionem hanc veluti per manus accepit a Beda, qui multiplici eruditione & inſignibus commentariis non Anglicanam modo, verumetiam univerſam illuſtravit Eccleſiam. Vir venerabilis dormitionem beatæ Mariæ Martyrologio ſuo intulit, ut probavimus, quemadmodum eam vetuſtioribus illatam Martyrologiis oſtenderat. Nonne id cuique ſerio cogitanti & nullis occupato præjudiciis videtur veriſimillimum? Ar demus, Bedam primum inter Latinos dormitionem beatæ Virginis inſeruiſſe Martyrologio: quis propterea crederet uſque adeo illuſtrem Magiſtrum id eo feciſſe conſilio, ut receptam de Virginis migratione fidem mutaret? Mutationis ejuſmodi ſtatim a piis eruditiſque hominibus interceſſum eſſet: *Neque hoc ſane novum; ſiquidem mos iſte*

ſemper in Eccleſia viguit, ut quo quiſque foret religioſior, eo promptiùs novellis adinventionibus contrairet, ut Vincentius Lirinenſis teſtatur in Commonitorii I. capite IX. A nemine, quod ſciam, interceſſum eſt. Quo fit, ut ſi à Beda mutatum eſſet in nomine, nihil in doctrina mutatum eſſet.

Porro autem ex his omnibus perſpicue liquet, cum ad annum DCCXV. quo Beda claruit, tam apud Latinos, quam apud Græcos, diem quo Deipara migravit, ſub nomine dormitionis celebratum eſſe, tum ſapienter fieri poſſe peniculum, quo vindiciarum errata & maculæ omnes hac in parte deleantur.

CAPUT XX.

In excernendis apocryphis veras non ſervat Critica Leges.

EXEMPLUM ſtatuimus in pag. CLXXXVII. & CLXXXVIII. ubi de orationibus ſancti Joannis Damaſceni agitur: *Diſſertator multa in orationibus ſancti Damaſceni haberi contendis, qua & ipſa apocrypha ſunt, & à Baronio in apocryphorum numerum rejiciuntur: quale eſt illud, quod ibidem refertur, de raptis per aera Apoſtolis, ac vel uno temporis puncto Hieroſolymam convenientibus, ut funeri & exequiis beatiſſima Virginis intereſſent, eique juſta perſolverent, quibus peractis, interveniente poſt tres dies ſancto Thoma, qui cum ceteris minime præſens adfuiſſet, reſerato ſepulcro, corpus beata Virginis haudquaquam inventum fuiſſe; itaque (verba Damaſceni ſunt) myſteriis illius admiratione perculſos, hoc ſolum ſecum reputare potuiſſe, quod Deus Verbum, & gloria Dominus*, &c. *immaculatum, ac ſpurcitiei expers ipſius corpus incorruptibilitate & tranſlatione ante communem & generalem reſurrectionem honeſtare voluerit. At demus, nonnulla ex illis non omni certitudine niti, puta ſic per aera raptos fuiſſe Apoſtolos, aut ſiquid aliud eſt ejuſmodi, an veris & legitimis univerſaque Eccleſia conſenſu firmatis detrahere fidem poſſunt? Quis hoc dixerit?* At revocata ad Damaſceni tempus controverſia, quærendum eſt quid ex Damaſceni orationibus ut falſum rejiciendum, quid ut verum retinendum ſit, adhibitis Criticæ legibus Billiadus non quærit ſed continuò ponit id eſſe ex Eccleſiæ conſenſu retinendum, quod arbitrio libidineque ſua retinendum videtur. Ut ille ſcribit, hoc vel illud univerſæ Eccleſiæ conſenſu retinendum eſſe; ſic & adverſarius ſcriberet, hoc vel illud univerſæ Eccleſiæ conſenſu rejiciendum eſſe. Gratuita eſſet utrobique aſſertio; ſed nulla veritas aſſerta. Producendi ſunt in medium teſtes Eccleſiaſtici conſenſus, Damaſceno vetuſtiores, quorum opera verum à falſo ſecernatur. Billiadus nullos producit; ſed quod cenſetur apocryphum, aliis apocryphis ita defendit: *Alioquin*, inquit, *ſi ex intermixtis falſis & incertis omnia in dubium revocare fas eſſet, cum non defuerint apocryphi libri de vita & morte Chriſti Domini*, &c. Cum legitima diſquiſitione facta revocantur in dubium, quæ revocanda ſunt. Tunc quæ ad vitam & mortem Chriſti pertinent, intermixta veris falſa per Evangelium, reliquas ſcripturas, & derivatam ab initio traditionem ſecernuntur. Sed quæ in Damaſceni orationibus intermixta ſunt veris falſa, Billiadus nec per antiquiores Damaſceno Patres, nec per deductam à tranſitu beatæ Virginis traditionem ſejungit. Non utitur Auctoris ſui Baronii regula, quæ eſt in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos: *Quod à recentiori Auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Vetuſtiorem intelligit, qui cognitus ſit, nec fabuloſus audire, nec excipi jure poſſit.

Billiadus hac inſuperhabita regula, ſic perſequitur. *Neque ſane hac à nobis ſic dicta volumus, quaſi ea omnino nutent, qua ibi à Damaſceno de hoc Apoſtolorum raptu referuntur: neque enim illa de ſuo prompſit, ſed ab Juvenale Patriarcha Hieroſolymitano accepta eſſe commemorat. Juvenalem autem id ab antiqua traditione ad ſua tempora derivatum retuliſſe, non modo Euthymiaca refert hiſtoria, ſed & illud ipſum Nicephorus aſſerit.* Hic vindicatæ orationis Damaſceni capita ſunt quatuor, Juvenalis Patriarchæ Hieroſolymitani auctoritas, antiqua traditio ad illius ætatem derivata, Euthymiaca hiſtoria, & Nicephori teſtimonium. Poſtremum caput ad rem non pertinet, niſi Billiadus velit Nicephorum Damaſceno antiquiorem eſſe. Nicephorus, qui ad annum MCCCXX. claruit, narrationem de hac materia ſuam à Damaſceno accipere potuit. Damaſceno verè ſuam à Nicephoro accipere non potuit. Reliqua capita non aliunde, quam ex ipſamet Damaſceni oratione conſtant. Et ſic idem peridem probatur: quæ vitioſa eſt probatio. Nempe in omni judicio teſtes de quibus conveniat proferri debent. Hic proferuntur, de quibus eadem eſt ac de Damaſceno controverſia. Sed multo eſſet veriſimilius, ſi quidquid id eſt, ex libro de tranſitu beatæ Mariæ, qui Melitoni Sardenſi Epiſcopo adſcribitur, derivari affirmaretur. Et ſane Billiadus quibus modis hanc Damaſce-

ni

ni orationem tuetur, iiſdem & aliam ejus tueretur oratione, ubi precibus Gregorii Papæ animam Trajani ex inferis ereptam eſſe ſcribit. *Quod ſi alios*, inquit Damaſcenus, *inſuper hiſtoricos commemorare opus eſſet, prodeat in medium Gregorius Dialogus, antiquioris Romæ Epiſcopus, vir, ut omnes norunt, tum vita ſanctitate, tum eruditione clarus & celebris, quem, cum ſacris operaretur, cæleſtem ac divinum angelum ſacroſancti muneris ſocium habuiſſe narrant. Hic cum per locum lapidibus ſtratum aliquando iter faceret, dedita opera conſtitit, intentiſſimaſque pro peccatorum Trajani remiſſione preces ad animarum amantem & miſericordem Dominum fudit, ſtatimque vocem hujuſmodi divinitus emiſſam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignoſco: tu verò poſt hac caveto, ne mihi pro impiis ſupplex ſis. Quodque iſtud verum ſit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens teſtatur.* Hic Damaſcenus pro unico Orientis Patriarcha Hieroſolymitano, pro Euthymiaca hiſtoria Occidentis & Orientis profert teſtimonium, quo nullum proferri poteſt majus aut fide dignius: & tamen laudatus paſſim à Billiado Baronius, ea ſuper re cum Damaſceno pugnaciſſimè certat, & illius narrationem principiis fidei adverſari putat, & anilibus commentis adnumerat.

CAPUT XXI.

Henricum Valeſium, nunc ut Virum doctiſſimum prædicat, nunc ut Arianæ hæreſis patronum accuſat.

IN pagina CIII. *Cum non ſit*, inquit Billiadus, *dubium, quin eruditiſſimam Henrici Valeſii de iſto Martyrologio Diſſertationem legeris, qua vir doctiſſimus pluribus invictis argumentis probat, minimè pro Romano Martyrologio habendum eſſe, eique fidem omnem abrogat.*

In pag. CXII. *Hæc fere ex doctiſſima Valeſii diſputatione delibavimus.* Et hæc ſunt quæ ad laudem pertinent. Quæ vero ad vituperationem, non ante referenda ſunt, quam vituperationis argumentum referatur. Id à Valeſio litteris proditum eſt in Euſebii vita, quam ille edidit, & Euſebii hiſtoriæ latinitate nova donatæ præfixit. Verba ſunt: *Cum de Euſebio noſtro variæ ſint antiquorum ſententiæ, & quidam eum Catholicum, alii hæreticum, nonnulli* δίγλωττον, *id eſt, dubiæ atque ancipitis fidei fuiſſe cenſuerint, inquirendum nobis eſt, cui potiſſimum ſententiæ debeamus accedere. Conſtans Juris regula eſt, in dubiis æquiorem potius ac mitiorem ſententiam amplecti oportere. Deinde, cum Occidentales omnes, uno fere excepto Hieronymo, de Euſebio noſtro honorificè ſenſerint, cumque Eccleſia Gallicana Sanctorum numero eum adſcripſerit, ut ex Victorio Aquitano, Uſuardo, aliiſque colligitur: ſatius ſine dubio eſt, ut Patrum noſtrorum, quam ut Orientalium Schiſmaticorum judicio ſubſcribamus. Denique quorum auctoritas hac in re major eſſe debet, quam Pontificum Romanorum? Atqui Gelaſius in libro de duabus naturis, Euſebium noſtrum inter Catholicos ſcriptores retulit, duoque ex ejus libris teſtimonia recitavit. Sed & Pelagius Pontifex eum inter hiſtoricos honoratiſſimum nominat, & ab omni hæreſeos labe immunem eſſe pronuntiat, tametſi Origenem hæreticum ſummis laudibus extuliſſet. At dicet aliquis, Orientalium potius ſequendum eſſe judicium, cum Orientales Euſebium, utpote hominem lingua ſua melius noſſe potuerint. Sed reſponderi poteſt, non deeſſe quoſdam ex Orientalibus, qui de Euſebio noſtro bene ſenſerint, inter quos eſt Socrates & Gelaſius Cyzicenus. Quod ſi ſeptimæ Synodi œcumenicæ judicium nobis opponatur, in promptu eſt reſponſio. Neque enim de fide Euſebii agebatur in illa Synodo, ſed de imaginum cultu, ad quem ſubvertendum cum adverſarii paullo ante in urbe regia congregati, teſtimonium ex Euſebii ad Conſtantiam epiſtola protuliſſent, eoque maxime uterentur, Patres ſeptimæ Synodi ad elevandam hujus teſtimonii auctoritatem acclamarunt, Euſebium Arianum fuiſſe. Verum id obiter tantum, ex occaſione & odio illius epiſtolæ ab eis factum eſt: non autem data opera, aut cauſa prius cognita. Proferunt quidem loca quædam ex Euſebio, quibus approbent illum Ariano dogmati adhæſiſſe. Sed nullum diſcrimen adhibent inter libros ante Concilium Nicænum, & inter eos, qui poſt illud Concilium ab Euſebio ſunt elaborati; quod tamen fieri omnino debuerat, ut de Euſebio fides certum ac legitimum judicium promereretur. Quæcumque enim ante Nicænam Synodum ſcripta ſunt, Euſebio objici & imputari non debent. Porro Euſebii epiſtola ad Alexandrum, qua pro Ario illum interpellat, ſcripta eſt proculdubio ante Synodum Nicænam: proinde teſtimonium illud Patrum ſeptimæ Synodi adverſus Euſebium, etſi maximam habeat auctoritatem, tamen præjudicium potius, quam ſynodale judicium nobis videtur. Sed Græcis liceat de Euſebio noſtro ita ſentire, eumque adfinem Arianæ hæreſi, aut etiam Arianum*

voca-

vocare. Hieronymmum vero quis patienter ferat, qui non contentus hæreticum illum & Arianum dicere, Arianorum ſigniferum non ſemel nominat? Poteſtne Arianorum ſignifer merito dici is, qui Arianorum dogma poſt Nicænam Synodum perpetuo damnavit? Leguntur ejus libri de Eccleſiaſtica Theologia, quos contra Marcellum ſcripſit, diu poſt Concilium Nicænum. Inveniemus id quod dixi, damnatos ab eo fuiſſe qui dicerent, Filium Dei de non exſtantibus eſſe factum, & fuiſſe tempus cum non eſſet. Idem etiam de Euſebio teſtatur Athanaſius in Epiſtola de decretis Nicænæ Synodi his verbis: Et profecto infelix in eo fuit; ut enim ſeipſum purgaret, accuſavit deinceps Arianos, quod cum dicerent, Filium Dei non extitiſſe antequam gigneretur, hoc pacto negarent eum extitiſſe ante incarnationem. Et Athanaſius quidem, qui privatas inimicitias cum Euſebio geſſit, hoc Euſebio perhibet teſtimonium. Hieronymus vero qui nullas odii cauſas adverſus Euſebium habebat: immo qui ex illius ſcriptis tantopere profecerat, qui Chronicum ejus, Canonem & librum de locis Hebraicis in Latinum ſermonem converterat, hoc Euſebium infamat elogio, quod ne inſenſiſſimi quidem hoſtes unquam illi tribuerunt. Cujus rei cauſam invenire non poſſum, niſi quod Hieronymus, ſuſcepto adverſus Origenem odio, cunctos ejus dogmatum defenſores, ac præcipue Euſebium noſtrum immodice eſt perſecutus. Fatendum quidem eſt, Euſebium noſtrum, etſi Arianorum ſignifer merito dici non poſſit; tamen cum Arianorum ſigniferis poſt Nicænam Synodum perpetuo verſatum fuiſſe, & una cum illis impugnaſſe Catholicos Epiſcopos, Euſtatium ſcilicet & Athanaſium, præcipuos ὁμοουσίου *defenſores.* Billiadus hæc omnia diſſimulat, & Valeſium ſuppreſſo illius nomine, & Uſuardum, ut Arianæ hæreſeos fautores ignominioſe traducit. In pag. XXXI. *Verum à Diſſertatore libenter quæſierim, ſi ea eſt Uſuardi cauſa, cur invitis quoque cælitibus Euſebius Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus pro ſancto habebitur. Conſtat enim illum non modo Arianæ hæreſi faviſſe, ſed etiam illius factionis principem ac ſigniferum à ſancto Hieronymo appellari. Et tamen Euſebius ille in Martyrologio Uſuardi, cui edendo tam ambitioſe Caroli Magni auctoritas prætexitur, XXI. menſis Junii die inter Sanctos, tanquam Saul inter Prophetas, connumeratur.* Et relatis Martyrologii verbis ſubnectit: *Sed & Synodus ſeptima aperte in eundem Euſebium, tanquam in Arianæ impietatis ſectatorem invehitur. Ejus autem verba ideo hic adſcribenda putamus, quod non deſint, qui eundem Euſebium cum Socrate excuſare nitantur, quaſi ea quæ prius de Verbo Dei impie blaſphemaverat creaturam appellando, poſt Concilium Nicænum primum, in quo ſubſcripſiſſe viſus eſt, recantaverit, ac Catholicæ doctrinæ adhæſerit,* His autem verbis: *Non deſunt, qui Euſebium cum Socrate excuſare nitantur;* non obſcure ſignificat Valeſium, quem pluries virum doctiſſimum & apprime doctum appellat; quem ſub exquiſito (*quidam*) nomine, ut trioboli hominem contemnit; quem ut Arianorum ſigniferi & principis defenſorem infamat. Hæc ſunt grati animi teſtimonia, quibus virum de ſe bene meritum proſequitur. Nunc occurrit illud Publii Mimi: *Maledicta cuncta dixit, qui ingratum hominem dixerit.*

CAPUT XXII.

Mala prorſus fide agit cum Beda.

IN pag. CCCLXXXIX. *Ex quibus inferre licet, cum Gelaſius cap.* Sancta Rom. Eccleſia, *diſt.* XV. *librum de tranſitu Virginis inter apocryphos rejicit, iſtud non ea de cauſa ab eo factum, quod in illo referatur beata Virgo cum corpore in cælo tranſlata. In illo quippe libello complura eo tempore legebantur, quæ huic cenſuræ locum dederunt; ac potiſſimum illud, quod à Beda cap.* VIII. *Retractationum in Acta obſervatum eſt: nimirum Apoſtolos ſecundo poſt Chriſti in cælos aſcenſum anno, ex univerſi orbis partibus Hieroſolymam congregatos fuiſſe. Conſtat enim ex Actibus, Apoſtolos ſecundo à morte Chriſti anno nondum per terrarum orbem Evangelii annuntiandi cauſa fuiſſe diviſos.* Hic ea diſſimulat quibus Beda libellum de tranſitu beatæ Mariæ totum configit ad Actorum caput XIII. *Cum ergo conſtet, Paulum cum Barnaba poſt tantum tempus peractæ Dominicæ paſſionis in Apoſtolatum eſſe ſegregatum, patet profecto eos multum errare, qui librum de obitu ſanctæ Mariæ compoſuerunt vel ſuſceperunt. Scriptum nempe eſt in eo figmento, ut ſæpe commemoravimus, quod ſecundo anno poſt Aſcenſionem Domini, cum moritura eſſet eadem beatiſſima Dei genitrix, Apoſtoli jam tunc per orbem ad prædicandum diſperſi, ſubito ad eam viſitandam omnes in nube rapti convenerint, in quibus & Paulus nuper ad fidem converſus, ac mox cum Barnaba gentium factus Apoſtolus. Quod longe aliter eſſe; id eſt, non eum ſecundo anno poſt paſſionem Domini, ſed decimo tertio eſſe ordinatum Apoſtolum, omnis, qui beato Lucæ credit, intelligit, ac per hoc præfatum de obitu ſanctæ Mariæ libellum, cum manifeſte erret in tempore, in ceteris quoque ſuſpectæ fidei eſſe comperit.*

Igitur

Igitur Beda libellum de obitu beatæ Mariæ figmentum vocat; & cum libellus ille erret in uno, in ceteris quoque ſuſpectæ fidei eſſe cenſet. Quæ duo cum Billiadus diſſimulet, mala prorſus fide agere cùm Beda judicandus eſt.

CAPUT XXIII.

Τὴν μετάστασιν male interpretatur aſſumptionem.

CUm intus ſibi canit ut alter Cithariſtes Aſpendius, in pag. CXLVI. verba Græca hæc: *ἡ σεβασμία μετάστασις τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν*; Latine vertit: *Veneranda nimirum Aſſumptio glorioſiſſima Domina noſtra.* At *μετάστασις* non eſt *aſſumptio*, ſed *tranſitus* ſeu *migratio*, *ſublatio de medio.*

Ponamus enimvero ibi non legi, *ἡ σεβασμία μετάστασις*, *veneranda migratio*, ſed *ἡ σεβασμία ἀνάληψις*, *veneranda aſſumptio.* Billiadus adhuc ne hilum quidem proficiet. Fuit enim inter Judæos liber antiquas narrationes de Moſis corpore continens, cui nomen *ἀνάληψις Μωσέως*, *Moſis aſſumptio*, ut obſervat Hugo Grotius in caput XVI. beati Marci. Exponeturne hic corporea Moſis aſſumptio? minime gentium. Deinde in libri I. Machabæorum capite II.. verſu LIX. de Elia dicit vulgata Editio: *Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum: ἀνελήφθη ἕως εἰς τὸν οὐρανόν.* Franciſcus Varablus ita vertit: *In cælum uſque ſublatus eſt.* An Elias in corpore & in animo receptus aut ſublatus eſt in cælum? Quidquid ergo Billiadus in opere ſuo toto, voci aſſumptionis inædificat, funditus corruit: primum à Scriptura, quæ Eliam in cælum receptum eſſe dicit: deinde à libro quem Judæi Moſis *ἀνάληψιν* appellarunt: tum ab illuſtrioribus Eccleſiæ tractatoribus, qui ſanctorum & piorum hominum migrationem voce aſſumptionis donarunt.

Cyprianus in epiſtola IX. ad Martyres, verba epiſtolæ II. Pauli ad Timotheum interpretatus, eadem in Paulum convertit: *Ego jam delibor, & tempus inſtat aſſumptionis meæ.*

Euſebius in libri IV. de vita Conſtantini capite LXIV. Imperatorem hunc ad Deum aſſumptum eſſe tradit.

Hilarius in libro, qui incipit, *Sancto Spiritu*, inter illius fragmenta, nos in Cæli ſpem aſſumptos eſſe dicit.

Gregorius Nazianzenus in oratione funebri pro Gorgonia ſorore ſua, hanc aſſumptam fuiſſe affirmat.

Martyrologium, quod Hieronymo adſcribitur, ſancti Joannis Evangeliſtæ aſſumptionem notat.

Auguſtinus in libro de Paſtoribus, Petrum in Apoſtolorum requiem aſſumptum eſſe; & in ſermone XXXIII. de diverſis, puerum qui recens baptizatus fuerat, ſtatim aſſumptum eſſe prædicat.

Paulinus in epiſtola ad Amandum Epiſcopum, fratrem ſuum temporaliter aſſumptum eſſe ſcribit.

Remigius Remenſis Epiſcopus in epiſtola conſolatoria ad Clodoveum, Alboſleidem Clodovei ſororem aſſumptam eſſe teſtatur.

Gregorius Turonenſis in libri de gloria Confeſſorum capite XCIX. Aviti Confeſſoris aſſumptionem laudat.

Beda in homilia de Benedicto Biſcopio Abbate, hujus aſſumptionem anniverſaria ſolemnitate recolere ſe; & in libri II. hiſtoriæ capite XIV. Oſwaldum Regem aſſumptum in Cælum eſſe ſcribit.

Bonifacius Moguntinus Epiſcopus Livinum Martyrem de die aſſumptionis ſuæ loquentem inducit in libro, quem de vita illius edidit.

Innocentius II. Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi aſſumptionem celebrandam eſſe ſtatuit in diplomate, quo illum Sanctorum numero adſcribit.

Bernardus Malachiam Epiſcopum aſſumptum ab angelis fuiſſe tradit in libro, quem de illius vita compoſuit.

Alexander III. Eduardum Angliæ Regem de præſenti ſæculo aſſumptum eſſe memorat in diplomate, quo illum conſecravit.

Celeſtinus III. Deum in conſortium Angelorum aſſumpſiſſe Ubaldum Eugubinum Epiſcopum tradit in diplomate, quo illum in ordine Sanctorum collocat.

Cæſarius Ciſtercienſis Conradum fratrem converſum de terris aſſumptum in cælum eſſe, memoriæ prodidit in libro Memorabilium VIII. cap. XX.

Clemens IV. Henricum Poloniæ Ducem de medio aſſumptum fuiſſe, tradit in diplomate, quo Hedvigim Poloniæ Duciſſam in Sanctorum numerum retulit.

Miniſ-

Miniſter Generalis Ordinis Minorum in oratione quam in Alexandri V. funere habuit, Pontificem hunc aſſumptum in Cælum themati ſuo præfixit.

Romana Eccleſia in Reſponſorio lectionis VII. de feſto ſancti Martini canit Michaelem cùm Angelis Martinum aſſumpſiſſe. Eccleſia hæc, quæ ceterarum caput eſt, rem apud æquos æſtimatores decidit.

Pariſienſis Eccleſia Aviti Confeſſoris aſſumptionem canit in illius feſto, quod XVI. Calend. Julii celebrat.

Ermontenſis Eccleſia in Pariſienſi agro Flavium Presbyterum ab Angelis aſſumptum prædicat, cum feſtum illius diem colit.

Senonenſis Eccleſia beatum Auguſtinum cum Angelis aſſumptum modulatur in Antiphona ad canticum *Magnificat*, cum illius feſtum agit.

Univerſus Ciſtercienſium Ordo felicem Bernardi aſſumptionem decantat in Antiphona ad canticum *Benedictus*, ubi feſtum illius celebrat.

Defuerunt variis, ut apparet, ætatibus homines Billiado perſimiles, qui ne ulli præterquam beatæ Virgini tribueretur aſſumptio, intercederent, & irreligioſitatis litem inferrent in eos, qui detrectarent interceſſioni parere. Sed ô temporum infelicitas! defuerunt: non defuiſſent tamen, ſi alibi quam in Aſia, vel in Africa, vel in Europa lis dirimi quiviſſet. In his enim mundi partibus nulli reperirentur judices a quibus cauſam potuiſſent obtinere. Vadimonium ſiſtere non auderent, ſed indecore deſerere cogerentur.

CAPUT XXIV.

Theologia vera principia duo, Scriptura auctoritatem, & Catholica Eccleſia traditionem, philoſophando paſſim excedit.

PAGINAS complures notare poſſem, ubi Billiadum Theologum non eſſe verum liquido patet. Paginæ notantur duæ tantum brevitatis cauſa.

In pag. CXLV. de Aſſumptione corporea, *De qua iiſdem pene verbis mihi utendum videtur, quibus ob negatum liberum arbitrium Manichaos inceſſebat ſanctus Auguſtinus. Hoc norunt in montibus paſtores, in circulis mulieres, in compitis indocti, in bibliothecis doctores, Antiſtites in ſacris.* Quaſi vero paſtores, mulieres & indocti, quos Auguſtinus in rei naturaliter hominibus inſitæ, id eſt, liberi arbitrii teſtimonium adducit: in rei naturam excedentis, ſcilicet Virginis a mortuis excitatæ, & in Cælum evectæ, teſtimonium ſimiliter adduci poſſint.

In pag. CCLXI. & CCLXII. *Aſſumptio corporea veluti quoddam Eccleſia dogma eſſe intelligitur, quodam tamen certitudinis gradu finitum. Cui non ideo aſſenſum damus, quod ab hiſtoria acceperimus, Apoſtolos (cum e ſacro mortis ſomno beata Virgo excitaretur, atque ad caleſtia tabernacula procederet) tanti miraculi ſpectatores fuiſſe: divina enim ſapientia, cujus conſilia inſcrutabilia ſunt, aliter viſum. Sed quia iſtud Eccleſia toto orbe diffuſa profitetur, tum communi ſanctorum doctorumque conſenſu, tum Annuo feſto ſolenniſſimo, eoque auctoritate celeberrimi Concilii ab impugnantium calumniis aſſerto, quod & ipſum ſacrum illius diei Officium, per Collectam, Antiphonas, Lectiones, ceteraque iſtiuſmodi teſtatiſſimum facit.* Ubinam Scripturæ auctoritas? ubinam Catholicæ Eccleſiæ traditio, quam Vincentius Lirinenſis in Commonitorio primo deſcribit?

Quæ dicuntur in Miſſa ſancti Martini, non minus expreſſa ſunt, quam quæ dicuntur in Miſſa Aſſumptionis beatæ Mariæ. In Miſſa Aſſumptionis dicuntur; in Introitu, *de cujus Aſſumptione gaudent Angeli*; in Offertorio. *Aſſumpta eſt Maria in Calum, gaudent Angeli*; in Præfatione, *Et te in Aſſumptione beata*, &c. in Communione. *Maria Virgo Calos aſcendit.* In Miſſa ſancti Martini; in Graduali, *Beatus Martinus urbis Turonis requievit, quem ſuſceperunt Angeli atque Archangeli, Throni, Dominationes & Virtutes.* His adde Romanum Breviarium, in Reſponſorio lectionis VII. *O beatum virum, in cujus tranſitu ſanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumque caleſtium Virtutum occurrit pſallentium exercitus; Eccleſia virtute roboratur, Sacerdos Dei revelatione glorificatur, quem Michael aſſumpſit cum Angelis.* Quis autem Theologus, præter Billiadum, corpoream hinc beati Martini aſſumptionem colligeret?

C A

CAPUT XXV.

Billiadi liber vitio petitionis principii paſſim ſordeſcit, gratis & ſine ratione pro certo ſibi ſumens quod reipſa incertum eſt.

In pag. CLXII. *Dormitionem cum Aſſumptione conjungi de beata Virgine, factum eſſe credit Eccleſia, quam à mortuis ſuſcitatam una cum corpore ad Cælum aſcendiſſe profitetur.*

In pag. CLXXIX. *Sancti Patres Latinæ Eccleſiæ feſtum aſſumptæ in Cælum Virginis conſtantiſſima denominatione* Aſſumptionem *appellavere.*

In pag. CLXXX. *Quo nomine Eccleſia Latina corporeum ejus ad cælum tranſitum deſignavit, quemque ſemper Eccleſia univerſa profeſſa eſt.*

In pag. CCCXLIV. *Cum igitur per tot ſæcula nos Eccleſia erudierit, docueritque beatiſſimam Dei matrem cum corpore ad cæleſte regnum tranſmigraſſe; cum hoc tamen diſcrimine, quod nullum hac de re in plenario Concilio decretum fecerit: nefarium judicamus ejus hac in re conſenſui repugnare, maxime cum ejuſdem doctrinæ veſtigia ab ipſo fere naſcentis Eccleſiæ exordio non obſcura deprehendantur.*

In pag. CCCLV. *Audiat inconcuſſum Eccleſiæ conſenſum, qui certiſſime, conſtantiſſime, invictiſſime ſanctiſſimam Virginem una cum corpore & anima in Cælum aſſumptam fuiſſe profitetur.*

In pag. CCCLVII. *Veriſſimam dicamus de Aſſumptione corporis beatæ Virginis doctrinam, nec ab ullo, qui procaciter contra matris Eccleſiæ auctoritatem obluctari nolit, in dubium revocandam.*

In pag. CCCCXXXIV. *Eccleſia tum Græca, tum Latina per omnes mundi plagas aſſumptæ corporaliter Virginis celebritatem ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris inſtitutam annuo cultu, eodemque longe celeberrimo veneratur.*

Hæc pauca de multis, in quibus vir apprime Dialecticus Billiadus principium petit. Neque id tantum, ſed per ſummum nefas Eccleſiæ tribuit, quod Eccleſiæ tribuendum non eſſe capite x. mox vidimus.

Itane Romana credebat Eccleſia, cum depromptas è ſermone beati Hieronymi lectiones decantabat? Itane ceteræ credebant Eccleſiæ, cum in ſacris Officiis Romanam imitabantur Eccleſiam?

Itane credebat Innocentius III. qui ſermones de Virginis Aſſumptione duos habuit, in quibus altiſſimum eſt de illius à morte ad vitam revocatione, vel de corporea in Cælum Aſſumptione ſilentium? cujus cauſa nulla fuit alia, quam receptum ubique Uſuardi vel Adonis Martyrologium, quod erudito Pontifici ſilentium indixit.

In eodem ſilentio, & in eadem ſilentii cauſa beatus præceſſerat Bernardus, qui de Aſſumptione Virginis ſermones habuit numero quinque, in quibus de corporea in Cælum ſublatione mentionem nullam facit, facturus ſine dubio ſæpius, ſi, ut potuiſſet facere, paſſa tunc eſſet certa Eccleſiæ traditio. Occaſionem in tot ſermonibus oblatam eſſe, quis ſana mente præditus negaret? In unoquoque ſermone, & in quarto potiſſimum laudanda Virginis argumenta diſquirit, & iis diſquiſitis, eam à reſurrectione & corporis in Cælum evectione neutiquam laudat. Id taciturnitatis genus eum urget loquendi neceſſitas, rem ipſam apud æquos judices perſpicue demonſtrat. Nonne poſtquam Bernardus in ſermone I v. Mariam à virginitate, ab humilitate, à miſericordia, à maternitate virginitati juncta laudavit. & ſtatim ſubjicit: *Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri; ſingulare eſt, ſed continuo etiam indicibile invenitur;* dicendi locus erat opportuniſſimus, Mariam ſurrexiſſe à mortuis, & in corpore ad Cælum ſublatam fuiſſe? Nonne dixiſſet: Mariæ privilegium eſt, non dabitur alteri; ſingulare eſt, quod divinis efferendum laudibus occurrit?

Guerricus Igniacenſis Monaſterii Abbas, qui annis poſt beatum Bernardum quatuor diſceſſit è vita, ſermones de Virginis Aſſumptione quatuor habuit, nec de Mariæ reſurrectione, nec de corporea illius ſublatione in Cælum loquitur: quinctiam in ſermone II. Hieronymi ſermonem citat & ſequitur.

Arnoldus Bonævallis Abbas Bernardo & Guerrico æqualis, illis aſſentitur, cum in libello de laudibus beatæ Mariæ ſcribit hoc modo: *Angelis occurrentibus & deportantibus illam inclytam animam, aſſumpta eſt in Cælum. Utrum in corpore, vel ſine corpore, nullius canonica Scripturæ definivit auctoritas, ſed quocunque modo eam eſſe cum Chriſto, nulli dubium eſt: nec fas homini loqui, quid illud gloria ſit, quæ beatitudinis plenitudo, quæ illa perfruitur.*

Itane, Deus immortalis! ſcripſiſſet Arnoldus, ſi quæ tot in locis Billiadus ſcribit, veritate certa niterentur? & ſi auſus fuiſſet ſcribere, an tuliſſet impune? Verum accedat Innocentius IV. qui hominem ad ſcribendi licentiam tam effuſum coerceat, ſi poſſit, eum in Comment.

ad Decretal. tit. de Conſtitut. cap. *Ne innitaris*, annos poſt Bonævallis Abbatem centum ita pronuntiat: *Si Sancti diverſas opiniones inter ſe habeant, ut de corpore beatæ Mariæ aſſumpto, vel de Salomone damnato, licitum eſt cuique quod vult dicere.* Nunc damnandus eſt Innocentius vel Billiadus. Damnandum eſſe Innocentium nemo dicturus eſt unquam: ſed damnandum eſſe Billiadum quod ita, ut relatum eſt, ſcripſerit, dicturi ſunt omnes, quos Chriſtianæ æquitatis Schola nutrierit, & ad Eccleſiaſticam in ſentiendo moderationem, majorumque inſtituta erudierit.

Innocentio IV. ſuccinit Breviarium Ordinis ſanctæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, quod anno MDXIV. editum eſt Lutetiæ. Nam in lectione III. feſti Aſſumptionis beatæ Mariæ dicitur: *Hodierna die aſſumpta fuiſſe traditur Virgo Maria; ſed quo ordine ad ſuperna tranſierit regna, nulla Catholica narrat Eccleſia. Hinc ſane pulſantur multi, quia nec corpus ejus invenitur in terra, nec Aſſumptio ejus, ut in apocrypha legitur, in Catholica reperitur hiſtoria: quibus ita dicendum eſt, quod ſicut Moyſis corpus ab homine non invenitur in terra, cum quo locutus eſt Deus de facie in faciem, ita illius corpus quærere dementia eſt, pro qua idem majeſtatis Deus incarnatus effulſit in terris.* Hæc Pariſiis & aliis in locis, ubi reperiuntur Monaſteria hujus Ordinis, decantabantur, repugnante nemine.

CAPUT XXVI.

Contumeliarum numerus infinitus.

PERSUASUS Auctor id quod verum eſſe putat, ad ſui defenſionem indigere contumeliis, has exquiſito & diligenti ſtudio per omnes fere paginas adhibet. Hinc efficitur neceſſe non eſſe, ut paginæ deſignentur: ſufficit noviſſe libri paginas eſſe quingentas duodecim, ut quis norit totidem eſſe contumelias, quæ corrigendæ ſunt, ſed adæquatis ſingillatim paginis: nonnullæ quippe ſunt paginæ, quæ contumeliis vacant, ſed contra ſunt aliæ, quæ ſcatent pluribus; vel aliquando continuatur per unam vel alteram paginam contumelia, quæ pluribus æquipollet. Verius diceretur & brevius, Billiadi librum contumeliam unam conviciorum plauſtrum unum eſſe, ſi à majori parte fiat denominatio, uti eam fieri poſſe norunt, qui Rhetorum & Philoſophorum Scholas à limine ſalutarunt.

In pagina CCLXXXII. Billiadus, quia vere & ſincere Chriſtianus eſt, hac de re dolere cœpit, & ita ſcribit: *Et hæc quidem non niſi inviti referimus, cogente veritate ipſa, quam prodere in hac cauſa religioni duceremus. Teſtem Deum appello, teſtimonium etiam mihi perhibente conſcientia, quia non mentior; ſatinſque mihi eſſet cum vetere ſodali antiquam amicitiam fovere, obſequioque virum mulcere, quam ex veritate quæ odium parit, in illius, quem ſemper ex animo colui, offenſionem incurrere.* Hæc eſt vera Billiadi pœnitentia: ſed ea hoc in loco peracta, relapſus eſt, & novæ in admiſſam noxam lapſionis cauſam accipe ex poſtrema libri pagina, quæ eſt quingenteſima duodecima. *De cetero Diſſertatorem rogo, ut ſiquid in hujuſce diſceptationis ſerie moleſtius forte durinſque exciderit, id non hoſtili cuidam infenſoque animo, ſed religioni, æquiſſimo beatæ Virginis cultui, uni denique veritatis tuendæ ſtudio adſcribat.* Locus eſt communis, quo qui alios dictis petulantibus proſcindunt, uti ſolent, quaſi vero infinitis convitiis religio, cultus Virginis, & veritas indigerent.

LECTORI.

ECCE tibi ſpecimen erratorum, quæ in libro Billiadi percurrendo deprehenſa ſunt. Longe plura, mihi crede, ſi per otium liceret; evolvendo ipſe deprehenderes: vix enim ulla pagina nævo caret. Interim vero ex hoc ſpecimine judicabis, quam ſint pii & veri Theologi, quam æqui ſint rerum æſtimatores, & circumſpecti judices * G. L. & F. H. qui librum Billiadi inenarrabili deturpatum fœditate probarunt, & probando ſuum fecerunt, aſſerentes nihil in eo libro *bonis moribus contrarium eſſe, & doctrinam in eodem contentam ſinceræ & publicæ erga ſanctiſſimam Virginem in cælos cum corpore aſſumptam venerationi conſentaneam eſſe.*

Ceterum Billiado non fuiſſet admodum difficile abſtinere ſe tum à committendis erratis, tum à faciendis contumeliis, ſi non tantopore ſpreviſſet eos Chriſtianæ moderationis fines, quos homines duo de univerſa Eccleſia bene meriti, Uſuardus Monaſterii ſancti Germani Pariſienſis Monachus, & Ado Viennenſis Archiepiſcopus, ſuo quiſque tempore repræſentarunt.

Uſuardus in ſuo Martyrologio: XVIII. *Calend. Sept. Dormitio ſanctæ Dei genitricis Mariæ,*

* Scilicet G. De Leſtocq & F. de Hodencq. De his Conſule pag. 108. Diſquiſitionis Hiſtoricæ de approbationibus Librorum auctore Jacobo Boileau in min. in 12. 1708.

Maria, cujus ſacratiſſimum corpus, etſi non invenitur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus ſancti templum nutu & conſilio divino occultatum ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſia cum pietatem neſcire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.

Ado in libello de ſeſtivitatibus ſub finem. *Cujus* (ſanctiſſimæ Dei genitricis) *dormitionem* XVIII. *Calend. Septembris omnis celebrat Eccleſia, cujus & ſacrum corpus non invenitur ſupra terram, ſicut nec beati Moyſi ſepulcrum, quem ſacra Scriptura dicit à Domino ſepultum: tamen pia mater Eccleſia, qua ſuis obſervationibus integerrima fide fundata conſiſtit, ejus venerabilem memoriam ſic feſtivam agit, ut pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Ubi autem venerabile Spiritus ſancti templum illud, id eſt, caro ipſius beatiſſima Virginis Maria divino nutu & conſilio occultatum ſit, magis elegit ſobrietas Eccleſia cum pietate neſcire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ei ad ſanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam Evangeliſtarum teſtimonia, nec de ea ultra quarere neceſſarium putat.*

Hæc Uſuardus & Ado publicis cum illuſtrarunt monumentis, in orbe Chriſtiano, qui repugnaverit, contrariumve ſcripſerit, & eos violatæ traditionis arguerit, inventus eſt nemo? En apertum & minime fallax Eccleſiaſtici ſenſus & religioſæ moderationis teſtimonium, quo quid hac de re ſentiendum ſit, in lucem proditur clariſſimam. Conſentient nobiſcum ſine negotio, qui Vincentii Lirinenſis commonitorium adverſus profanas hæreſeon omnium novationes legerint, ubi cap. IX. ſibi ſumit: *Neque hoc ſane novum: ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, ut quo quiſque foret religioſior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.*

Athanaſius hoc modo deceſſorem ſuum Dionyſium defendit ab hæreſi quam illi Ariani impingebant. *Iſtos*, inquit, *impios & mendaces eadem ipſa veritas redarguit, quoniam Arii aliquid Dionyſius Epiſcopus neque ſenſit, neque veritatem ignoravit. Sed & tunc temporis Judai, & nunc iſti novi a patre ſuo diabolo hanc furiam adverſus Chriſtum rebellem hæreditati ſunt, quod magno indicio eſt, quia calumniari tantum volum illi viro, & non attendere, quod neque aliis Epiſcopis de impietate accuſatus eſt, aut de Epiſcopatu dejectus, ſicut iſti ex Clericatu, neque ille velut hæreſim defendens de Eccleſia diſceſſit, ſed in eadem tamen defunctus eſt, & memoria ejus uſque nunc cum Patribus celebratur.* Athanaſius Dionyſium nihil Arianam hæreſim ſapientem docuiſſe colligit, quod neque ab Epiſcopis de impietate tali accuſatus eſt, neque de Epiſcopatu dejectus, ut Arianæ hæreſeos fautores multi de Clericali dignitate dejecti fuere.

Malchion Antiochenæ Eccleſiæ Preſbyter, Paulo Samoſateno Artemonis hæreſim inſtauranti reſtitit, ut Hieronymus tradit in catalogo virorum illuſtrium: *Malchion diſertiſſimus Antiochena Eccleſia Preſbyter, quippe qui in eadem urbe Rhetoricam florentiſſime docuerat, adverſus Paulum Samoſatenum, qui Antiochena Eccleſia Epiſcopus dogma Artemonis inſtaurarat, excipientibus notariis diſputavit.*

Hieronymus Helvidio, Joviniano & Pelagio reſtitit. Auguſtinus Donatiſtis & Juliano Pelagii defenſori, Maximino & Fauſto Arianis reſtitit. Id libri ab Hieronymo & Auguſtino adverſus illos editi teſtantur. Tertullianus Marcioni, Hermogeni, Valentiniano, Praxeæ reſtitit: neque id tantum, ſed præterea librum ſcripſit, quo docuit qua ratione nos hæreticis reſiſteremus. Id ab Irenæo acceperat, quem in hoc diſputandi genere magiſtrum ac ducem babuit. Epiphanius in Panario, & Theodoretus in hæreticarum fabularum libris tradunt, fuiſſe ſemper, qui ſuis quiſque temporibus exortis novitatibus reſtiterint.

Uſuardi ævo Helipandus Toletanus Archiepiſcopus, Chriſtum Dei Filium adoptivum eſſe docuit, ſed ſtatim adverſus illum Æterius Uxamenſis Epiſcopus, & Beatus Preſbyter calamum ſtrinxerunt.

Beatus Paulus exemplum dederat in epiſtolæ ad Galatas capite II. *Cum autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtitit, quia reprehenſibilis erat.*

Ex his autem omnibus facile colligitur, inter Chriſtianos extitiſſe ſemper, qui volentibus inducere novitatem reſtiterint: ſed cum Uſuardo & Adoni Caroli Magni, Ludovici Pii, & Caroli Calvi Regum & Imperatorum ætate nullus reſtiterit, argumentum eſt certiſſimum, Scriptorum par illud nobile ad XV. diem Auguſti, novitatis nihil in religionem veram induxiſſe: & ſi dicendum ſit, quod conſequenter dicendum non immerito videtur, Eccleſiam in Uſuardi & Adonis doctrinam conſenſiſſe.

B. CARPENTARII * THEOLOGI EPISTOLA.

De contentione orta inter Canonicos Pariſienſes, ſuper verbis Uſuardi, ad feſtum Aſſumptionis B. Virginis Mariæ.

Edita eſt Duaci, ſeu Senonis Anno 1671.

DOCTISSIMO VIRO FRANCISCO RICARDO THEOLOGO, BERNARDUS CARPENTARIUS THEOLOGUS.

S. P. D.

NOn dubito, Vir eruditiſſime, quin controverſiæ illius, quæ inter Canonicos Eccleſiæ Pariſienſis de Uſuardi Martyrologio verſatur, plenam notitiam acceperis: tùm ex eorum libris, cùm ex judicio Joannis Launoii de ipſorum controverſiâ. Equidem ſimul atque Claudii Jolii diſſertatio ſub finem anni 1669. prodiit, eò diligentiùs illam legi, quò Màrtyrologium noſtrum Rotomagenſe ab illius adverſariis peti cernebam memor periculi cùm *proximus ardet Ucalegon*.

Verùm enimverò rem in tuto collocatam eſſe arbitrabar, cùm de Uſuardo nihil amplius audirem, donec ſub finem anni præteriti duo libri atroces Jacobi Gaudini, ac Nicolai Ladvocati ad me è Lutetiâ miſſi ſunt, qui ex pacto conveniſſe videntur, ut Jolium hinc inde aggreſſi ſubitò confoderent. Hos ego illicò perlegi attentiùs; tum epiſtolam Jolii apologeticam pro Uſuardo & concluſione Capituli Pariſienſis 1. menſis Auguſti 1668. ac poſtremò librum Launoii primò ac ſecundò editum.

Cùm autem hæc perluſtrarem, mihi quoque in mentem venit, contentionem iſtam ad vos pertinere, cùm, ſi quid eſt periculi, Eccleſiæ veſtræ maximè immineat, in quâ Martyrologium Uſuardi in viridi obſervantiâ eſſe didici. Quid autem dico periclitari Eccleſias Pariſienſem, Rotomagenſem, Senonenſem, cùm omnes omninò Baſilicæ Franciæ jacturam eamdem experturæ ſint, ſi Uſuardus turpi exilio mulctetur.

Si patria fines & dulcia liquerit arva.

Nam tametſi viri eruditiores & cordatiores Uſuardum & Adonem innocentes, integros, religioſos judicent, nihilominùs alii ſunt, indocti, præoccupati, antiquitatis Eccleſiæ neſcii ac negligentes, denique torrente novitatis ac falſæ devotionis abducti, quæ maxima pars eſt, qui reos illos, vel indictâ causâ pronuncient, & veterem eorum poſſeſſionem novo Advenæ facilè adjudicent, qui audacter dicat...... *hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.*

Quocircà non ſolùm Jolium de Eccleſiâ Pariſienſi benè meritum eſſe cenſeo, qui ſuam ipſi traditionem antiquam vindicare, illibatamque ſervare ſtuduerit, ſed etiam de noſtrâ, de veſtrâ, de omnibus. Equidem Jolium de facie non novi: ſed audio virum eſſe bonum & candidum, totum Eccleſiæ ac bibliothecæ ſuæ addictum, qui nullâ occaſione, quâ poteſt codicibus ſuis cùm impreſſis, tùm manuſcriptis, quibus abundat, bonas literas tam ſacras quàm profanas juvare ac promovere non ſtudet.

Nec parùm profectò debemus Launoio noſtro, qui ſuaptè Jolio, ſolo veritatis amore, ſuppetias tulerit. Launoius enim non vulgari ac reconditâ ſcientiâ atque acri judicio quo pollet, Uſuardi cauſam adeò efficaciter propugnavit, ut jam Jolius alio ſcuto non egeat, quo ſe contra inimica tela tegat, & intactus atque invulneratus abſcedat.

De Gaudino ſi vis dicam quid ſentiam, uno verbo mihi videtur is eſſe, qui hancce occaſionem, quaſi ſpecioſam, arripuerit, quâ in Aulâ atque apud Magnates innoteſceret, homo

* Jacobus Boileau auctor eſt hujus Epiſtolæ. Cum in hac, optimè de omni Controverſiâ judicetur, hanc ut potè rariſſimam & breviſſimam, edere viſum eſt.

mo nempe, ut ſcis, rebus ſuis attentus atque invigilans: quod ſatis oſtendit illa ſui libri inſcriptio Regi Chriſtianiſſimo; de cætero non incommodus, nec à jocis facetiiſque alienus.

Ladvocatus non ità in collegio noſtro Sorbonico notus eſt, quippe qui nondum ibi locum ſuum obtinuerit, cùm ſacrum Preſbyteratûs ordinem non adeptus ſit, ſed ex ejus libro vel potiùs volumine nemo eſt qui non videat, hominem eſſe maximè verboſum.

Sed quid nobis opus eſt de Autorum genio inquirere? Noſtrâ nil intereſt, an albi, nigrive ſint. De libris eorum ſolis agitur, an benè vel malè ſcripti ſint: de quo quidem ſententiam tuam libenter accipiam, ſi proferre vacat.

Et quidem de Uſuardi causâ ſupervacaneum mihi videtur, ampliùs diſputare, quæ jam utrimque multis agitata, adeò explanata eſt, ut affirmare non dubitem, quin Uſuardus teſtem ſe de *inſcitiâ Eccleſiæ quò B. Virginis corpus occultatum ſit*, ſuo tempore fideliſſimum præbuerit, eamdemque inſcitiam ſapienter ac providè faſtis Eccleſiaſticis inſcribere voluerit, ne in poſterum Pſeudo-Melitonis figmenta à Papâ Gelaſio proſcripta reviviſcerent.

Verùm alia ſunt in Ladvocati ac Gaudini libris, quæ legens animadverti aliquam caſtigationem haud levem expoſcere. Ea, ſi non eſt incommodum, tibi examinanda proponam. Plura alia fortaſsè majoris momenti advertes, cùm plus videant oculi quàm oculus; de quibus me participem fieri, pro eâ quæ inter nos eſt amicitiâ, non dedignaberis.

Obſervationes in librum Nicolai Ladvocati Billiadi Canonici Pariſienſis, cui titulus eſt, *Vindicia Parthenica &c.*

Pluribus blanditiis humilibus & abjectis ergà D. Archiepiſcopum Pariſienſem abundat. Epiſtola dedicatoria.

Doctrinam de aſſumpta in cælum unà cum corpore animâ Virginis vocat chriſtianum dogma. n. IX. p. 13.
Nullum autem autorem profert qui ſic locutus ſit.

Gaudinus quoque primus eam appellat myſterium. n. XXXIX. pag. 82.

Uterque igitur ex ſacræ Facultatis cenſurâ 2. menſis Auguſti an. 1666. contra theſim propugnatam Pariſiis apud Theatinos 14. Aprilis ejuſdem anni accenſendus eſt iis *qui ſtudent vocum novitati.* n. X, p. 14.

Hanc tamen doctrinam Ladvocatus de fide divinâ eſſe negat. *1 n. 10. p. 15.

Eccleſiam Pariſienſem à centum & ampliùs annis loqui cum Uſuardo deſiiſſe obſervat. *2 n. 10. p. 16.

Igitur juxta Ladvocatum Eccleſia Pariſienſis eadem epitheta meretur, quibus Uſuardum ipſe perſtringit, *1 eum *calumniæ reum* indicans, *2 *duritiei* accuſans *3. *juratum Aſſumptionis hoſtem* appellans, *4 *fuci quæſitorem*, *5 *obſcurum hominem*, *6 *fictorem inſcitiæ*, & *falſarium* *7 cum Adone, per ludibrium *monachum*, *8 per contemptum *ſuum illum*, hoc eſt, *Jolii Uſuardum*, *9 textum Uſuardi *corruptum rivulum*. *10 Quid non illi improperat? Quid non Adoni viro inter cælicolas exalrato? Quid non vetuſto Autori Hieronymianæ epiſtolæ de Aſſumptione, quem in opprobrium tot inſignium ſcriptorum qui eum collaudârunt, totque Eccleſiarum quæ eum in officio divino adhibuerunt, appellat intrepidè *11 *veteratorem*, *ſycophantam*, *factionis ſigniferum*, *lupum ovinâ pelle tectum*, *inſignem impoſtorem*, *pudendi mendacii inventorem*. O ſeculi audaciam! ſiccine impunè licitum eſſe debet priſcos Eccleſiæ ſcriptores proſcindere ac dilacerare? Quid dico, licitum? Etiam qui talia patrant, approbatores atque ſubſcriptores è noſtris naſciſcuntur. *3 n. 12. p. 7 *4. Ibidem. *5 n. 13. p. 21. *6 n. 25. p. 51. *7 n. 121. p. 253 n. 149 p 300. n. 228. p. 429. *8 n. 143 p. 305. *9 n. 174. p. 355. *10 n 145. p. 455. *11 n. 22. p. 31. n. 110. p. 230. p. 150. n. 310. n. 219. p. 523. 425 426. 427. &c.

† *Ladvocatus ab Uſuardo decretum Eccleſiæ poſcit, quo inſcitiam ſuam ipſa declaraverit.* † n. XI. p. 15

At multò æquiùs à Ladvocato decretum peti poſſet, quo Eccleſia contrarium teſtata ſit, doctrinamque Aſſumptionis inter *dogmata* ac *myſteria* ſua collocârit.

†† *Sacra Religionis myſteria, quæ vel divina fides, vel pia fidelium credulitas adſtruit, ſine priſcis hiſtoricis, hoc eſt abſque ullis antiquis teſtimoniis, vult comprobari, ac rata haberi; ideóque nova Religionis myſteria abſque ullo antiquo autore ſtabiliri. Contrariam verò doctrinam aſſerit eſſe novam, & Catholicis Theologis hactenùs ignotam.* †† n. XXI. p. 30.

Perperàm loquitur Ladvocatus. Fides enim non ſtatuit objectum credulitatis ſed ſupponit. Quin imò hæc Ladvocati doctrina toti Eccleſiæ ruinam infert, ac januam aperit, quâ quidquid libuerit invehatur: Theologiæ fundamenta, quæ ſunt Verbum Dei in ſcripturis ſacris revelatum, & traditio, concutit ac funditùs evertit. Idque ideò cenſuræ Facultatis 2. Auguſti 1666. prorſus contrarium eſt.

[a] *In Martyrologium Uſuardi maximè invehitur, quòd Uſuardus Euſebium Cæſarienſem Arianæ blaſphemiæ aſſertorem inter ſanctos 25. Junii commemoravit.* a n. XXII. p. 33.

Sed eâdem ratione graviter invehi deberet adversùs Martyrologium Romanum Baronii, qui numero ſanctorum plures aggregavit, qui nequidem inter vivos unquam fuère. Neque tamen Martyrologia Uſuardi atque Baronii in crimen vocari debent, ſi in aliquo ipſi

rerum olim præteritarum ignari peccaverint. At in ſacto Aſſumptionis B. Virginis Uſuardus inſcitiam Eccleſiæ ſuo tempore ignorare non potuit: nec ſi ignoraſſet, eam ſaſtis Eccleſiaſticis conſignaſſet, ut conſultò ſecit, ut dixi, ne poſteà Pſeudo-Melitonis apocrypha, quibus, ut ait Beda, *1 *nonnulli incantâ temeritate aſſenſum præbebant*, rata haberentur.

*1 In lib. Retract. c. 8. n. 6. p. 21.

Sed & in ſacto iſto Euſebii paucis advertendum eſt, quàm injuſtè Ladvocatus Euſebium Cæſarienſem criminatus ſit, virum quippe magni nominis, cuique ferè omnia debemus, quæ ex primis ſeculis Religionis Chriſtianæ ad notitiam noſtram pervenerunt, Equidem non reluctor, quin Arianiſmi accuſatus fuerit. Quiſquis autem cap. 7. lib. 3. ipſius hiſtoriæ, & epiſtolam illam, quam peracto concilio Niceno Cæſarienſibus ſcripſit, *1 legere voluerit, ſententiam facilè mutabit.

*1 v. lib. 4. de demonſtr. Evang. c. 3. & lib 5. c. 2. item Theodoret. lib. 1. hiſt. c. 11. 12. 13.

Id igitur de Euſebio Cæſarienſi ante Synodum Nicenam nonnulli ſuſpicati ſunt. Sed credendum eſt hoc ipſis in mentem veniſſe, quòd Arius Euſebio Nicomedienſi ſcripſerat, Cæſarienſem à partibus ſuis ſtare, more hæreticorum, qui jactitare ſolent, viros celebriores, qualis erat Euſebius, ſecum ſentire, quò faciliùs ſimplices irretiant atque aucupentur. Verùm fides Ario non adhibenda eſt contra teſtimonium illud quod Euſebius de ſe ipſe præbuit.

At, *inquit* Ladvocatus, *S. Hieronymus Euſebium appellat Arianæ factionis principem ac ſigniferum.*

Sed veriſimile eſt, Hieronymum de Euſebio Nicomedienſi loqui voluiſſe: ſi quidem epitheta illa, quibus eum deſignat, Cæſarienſi convenire non poſſunt, cui nihil hereſeos objectat in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum; qui maximè locus erat ejuſmodi lapſum annotandi. Itaque Socrates eum ab hâc infamiâ liberat in hiſtoriâ, lib 1. c. 3. & lib. 2. c. 21. Sozomenus quoque teſtimonium dat integritatis ipſius fidei lib. 3. c. 12. Cæterùm quid iis addi poteſt, quæ S. Athanaſius in ipſius gratiam ſcribit in epiſtolâ ad Afros; & Theodoretus lib. 1. c. 8. in quo Euſebium cum Arianis primùm ſenſiſſe agnoſcens, poſteà ſententiam mutaſſe annotat? Deinde cùm Conſtantinus, qui Arianos magno odio proſequebatur Euſebium in pretio ſemper habuerit, credendum eſt, eum perpetuò ad mortem uſque de fide benè ſenſiſſe.

Ad propoſitum facit epiſtola Warihari clerici ſeu monachi Lingonenſis ad Ceraunium Epiſcopum Pariſienſem, cujus exemplar eſt apud Andream Sauſſayum in Apparatu ad Martyrologium Gallicanum, *1 in quâ hæc verba leguntur; *Unde ſancto Euſebio Cæſarienſi in æmulationis ſtudio æquandus es, & pari gloria dono perpetualiter memorandus* &c. Quæ verba *ſancto Euſebio Cæſarienſi* Sauſſayus ſic annotavit: *De hoc ſanctitatis titulo eſt apud pleroſque controverſia, cùm ſcriptorum Eccleſiaſticorum pars non modica, S. Hieronymi ſententiam ſecuta Euſebium Cæſarienſem Arianorum ſigniferum fuiſſe, & hoſtem catholicæ Eccleſiæ, indignum ideò prorſus ſanctitatis honoribus ſeriò aſſeveret. At alii eum, quem ab Arianiſmo defendere nequeunt, demùm reſipuiſſe volunt, erroriſque lapſum egregiis factis & ſcriptis compensâſſe. Hâc ex perſuaſione audio, Lemovicenſem Eccleſiam Euſebium illum pro ſancto colere, quem & novo ſanctorum catalogo x. Kal. Julii Ferrarius, ſecutus nonnullos veteres recenteſque hagiologos, inſcripſit, non improbante Urbano VIII. Pont. Max. cui catalogus ipſe dedicatus eſt*: Hæc Sauſſayus ad Wariharii epiſtolam.

*1 Cap. 10. p. 31.

n. xxix. p. 81. 82.

Fatetur Ladvocatus non-infrequenter à piis Eccleſiæ Tractatoribus in hoc argumento de piâ fide fieri mentionem, nec deeſſe, qui evecta corporaliter Virginis myſterium piâ fide credendum pronuncient: Verùm illam piam fidem longè diverſam eſſe ab eâ Jolii. Piam enim Eccleſiæ fidem indubitanter aſſeverare, cùm ſit omni humanâ major.

Numquid autem Ladvocatus hanc differentiam alicubi in horum Tractatorum operibus nactus eſt? Nihil ex iis adducit, quod id nos doceat, ſed ſeſe autorem hujuſce diſferentiæ ipſe conſtituit. Eam autem audacter nego: nec mihi minùs eſt juris negare, Tractatores iſtos *piam* hanc *fidem* aliter quàm cum dubio intellexiſſe, quàm Ladvocato affirmare, eos eamdem *piam fidem* indubitanter aſſeruiſſe. Quòd autem ipſi juxta interpretationem meam *piam fidem* cum dubietate intellexerint, id eorum verba clarè oſtendunt, cùm piè credere nihil aliud ſit quàm cum dubio credere. Tantùm valent verba quantùm ſonant.

Ibidem ut piam fidem, quæ omni humanâ major ſit, de Aſſumptione Virginis corporali credendâ faciat, fidem quandam ſtatuit, quæ media ſit inter divinam & humanam.

Sed ibidem etiam ſomniat Ladvocatus. Fidem enim hanc mediam nullo teſtimonio comprobat, nec indicat quis ejus autor ſit. Itaque novitatem doctrinæ & expreſſionis inducit, quæ ratiocinatione ipsâ deſtruitur. Quidquid enim creditur, pro motivo, quod aiunt, credendi vel revelationem divinam, vel hominum relationem habet. Nihil inter

hæc

hæc duo medium eſt. Si prius eſt, ad fidem divinam pertinet, ſi poſterius, ad fidem humanam. Ladvocato igitur incumbit nos docendi, quale ſit iſtud motivum, quod inter fidem divinam & humanam ipſe imaginatur. Si dicat, eſſe Eccleſiam; argumentum prius valet ac ſubſiſtit: nam vel Deus eſt, vel homo, qui in Eccleſiâ loquitur: Poſterius verò evaneſcit.

Conſentit Ladvocatus Græcos verbo dormitionis etiam ante Uſuardum uſos fuiſſe, ſed eos n. xliii.
aliter quàm de ſomno mortis intellexiſſe, contendit. Sed nullo ipſorum textu probat quod p. 89 90.
affirmat.

Certum ſibi eſſe ſcribit nonnullos ex iis ſcriptoribus qui Uſuardo coætanei fuerunt, qualis n. liii.
fuit autor libri illius (Alcuini) de officiis divinis, conſpiratione quâdam & factione, ut ſæpe p. 122.
in iſtiuſmodi rebus contingere ſolet, Aſſumptionis corporeæ myſterium obſcurare voluiſſe.

Bone Deus, quæ verba? Non attendis, Ladvocate, quid pronuncies. Nemo eſt, opinor, cui parùm reverentia priſcis autoribus debita cordi eſt, qui hæc legens non obſtupeſcat, vel potiùs non excandeſcat. Ergo tibi non ſufficiet, Uſuardum & S. Adonem cum Autore Epiſtolæ Hieronymianæ, quaſi viros de trivio injurioſè tractâſſe: oportet etiam, ut omnes omnino *ſcriptores qui Uſuardo coætanei fuerunt, conſpiratione quâdam & factione* Aſſumptionis corporeæ Virginis ſeſe hoſtes ex compacto præbuiſſe incules? Quis hæc ferat? Numquid tanta injuria tot tantiſque viris probitate ſingulari, vitæ ſanctimoniâ, eruditione rarâ conſpicuis inferri debuit ab homine ſacris addicto, tituloque Doctoris Theologiæ gloriante? Numquid tanti mendacii crimen atque infamia ejuſmodi viris objici debuit, qui reverà inſcitiam ſui temporis agnoſcentes, bonâ fide & veritatis amore protulerunt; manifeſtare propalam contra conſcientiam ſuam nolentes quod & ignorabant & ab Eccleſiâ ignotum eſſe cernebant? ſiccine veterum ſcriptorum autoritas ludibrio habebitur? ſiccine venerandos Patres, ab Eccleſiâ probatos, calumniari fas erit? Nec qui ita ſcripſerit, famoſi libelli reus habendus eſt?

Haud parùm quoque temerarium cenſeri debet, quod Ladvocatus de Monacho iſto annotat, qui in itinere Terræ ſanctæ comes atque interpres Arculphi Epiſcopi Francici fue- n. cxv.
rat, nec minùs malignè & contra veritatem ibidem Arculphum ipſum, quaſi hominem p. 240.
ignarum, & librum ejus de locis ſanctis, quaſi falſa referentem carpit; cùm è contrario 241. 242.
Beda lib. 1. hiſtoriæ Anglicæ cap. 16. ſic loquatur, *ſcripſit idem (Adamannus) de locis ſanctis librum legentibus multò utiliſſimum, cujus erat autor docendo ac dictando, Galliarum Epiſcopus Arculphus, qui locorum gratiâ ſanctorum venerat Hieroſolymam, & luſtratâ omni terrâ repromiſſionis &c. vi tempeſtatis in occidentalia Britanniæ littora delatus eſt &c. fecitque opus, ut dixi, multis utile &c.*

Cætera quæ ſequuntur de Aſſumptione Virginis corporali, aſſertâ à Concilio Moguntino, *1 à Ludovico Pio, *2 à Carolo Calvo, *3 de ſuo prompſit Ladvocatus, ut plu- *1
ra conſuevit, quæ pro legibus ac deciſionibus haberi vult, tametſi à Concilio Moguntino, à Ludovico Pio, à Carolo Calvo ne verbum quidem ullum de aſſumpto corpore vir- p. 245. *2
gineo prolatum ſit, ſed tantummodò de feſto Aſſumptionis; quod maximum atque cele- p. 246. *3
berrimum, quoquo modo ea contigerit haberi debere non negamus. Ibidem.

B. Virginem corporaliter in cælum aſſumptam fuiſſe, indubitanter aſſerere non veretur, eamdemque fidei profeſſionem ab omnibus chriſtianis exigi debere cenſet Ladvocatus. n. 226 p. 411. 412.

Quid ampliùs aſſeret de profeſſione fidei quoad Reſurrectionem Dominicam? Jam non occultè articulus ille fidei de aſſumpto corpore virgineo exigitur, quem tamen alibi articulum fidei eſſe negat.

Aſt ego contrà contendo, nihil aliud à Chriſtianis fidelibus exigi poſſe, præter id quod ad eorum ſalutem neceſſarium eſt. Porrò nihil neceſſarium eſt ad ſalutem, quàm quod revelatum eſt. Hæ duæ propoſitiones ſunt duo principia Theologiæ, quæ facilè ſanctorum Patrum doctrinâ probari poſſunt. Verùm juxtà Ladvocatum & Gaudinum Aſſumptio corporea Virginis revelata non eſt.

Aſſumptionem corpoream credi poſſe ſcribit eâdem fide, quâ creditur, omnes ſanctos canoni- n. 227.
zatos eſſe in cælo: fidem autem iſtam proximè fidei divinæ ſubeſſe argumentatur, quodque illi p. 412.
oppoſitum eſt, erroneum eſſe perhibet, idque ſententiam eſſe S. Thomæ dicit.

At in eo quod ad Religionem ſpectat, juxta Theologos, juxtáque ipſum Ladvocatum, propoſitio erronea non dicitur, niſi contraria ſit alteri, quæ diſcurſu Theologico ex principiis, fidei trahitur. Nam, ut ipſius exemplo utar (licet parùm ſerio, minúſque majeſtati perſonæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti congruenti, quandoquidem id non paucis riſum excitavit) qui diceret Jeſum Chriſtum non fuiſſe riſivum, propoſitionem erroneam faceret, quia nimirum hanc propoſitionem impugnaret *Chriſtus eſt homo riſivus*, quæ trahitur ex aliâ quæ de fide eſt, nempe *Chriſtus eſt homo.* Sed propoſitio quæ ſtatuit Aſſumptionem

corpo-

corporalem, ex principiis fidei, juxta ipſos Ladvocatum & Gaudinum, non trahitur. Deinde quod de canonizatione ſanctorum Ladvocatus addit, contra ipſum facit. Cultum etenim ſanctorum de fide credimus; de quo exempla ſunt in ſacris literis. Quòd autem iſte vel ille ſit ſanctus, id tantum piè credimus ob honorem, quem Eccleſiæ determinationi præſtamus, quæ magnas perquiſitiones in ſanctis nuncupandis adhibere ſolet; ita tamen, ut ſi ille verè non ſit ſanctus, in eo honorando non erremus, quem ex bonis cauſis ſanctum exiſtimamus.

n. 237. p. 435. *Contra Jolium Ladvocatus exclamat, totique eum Theologorum ordini injuriam intuliſſe queritur, quòd ſcripſerit ſcholaſticos apud veneranda antiquitatis cultores parùm pollere, niſi cum veritate antiquâ concordent. Ex quo dubitari nequit, quin hanc ipſe propoſitionem affirmet, ſcholaſticorum autoritatem magni ponderis haberi debere, tametſi cum antiquâ veritate non concordent.*

Verùm hæc Ladvocati doctrina manifeſtè repugnat Greg. IX. verbis ad Profeſſores Theologos, quæ ſic in Archivis Academiæ Pariſiis exſcripta ſunt: *Magiſtri verò & ſcholares Theologia in Facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in linguâ populi; linguam hebraam cum Azoticâ confundentes; ſed de illis tantùm in ſcholis quaſtionibus diſputent, qua per libros Theologicos* (hoc eſt ſactas ſcripturas, quas alioquin tacitè Gregorius excluſiſſet) *& per SS. Patrum tractatus valeant terminari.*

n. 272. p. 508. 509. *Poſtremò Ladvocatus librum ſuum fulcit autoritate Modeſti Hieroſolymorum Antiſtitis, ex ejus oratione panegyricâ in Aſſumptionem S. Dei Genitricis, cujus Photius meminit, & prima illius verba gracè & latinè Ladvocatus refert ex manuſcripto quodam reſidentia Conſtantinopolitana R. P. Societatis Jeſu teſte Philippo Labbao ejuſdem ſocietatis Presbytero. Verba autem latina ſunt ejuſmodi. Venerandarum Genitricis Chriſti Dei feſtivitatum ineffabilis eſt ſacroſancta notitia, quandoquidem glorioſiſſimum myſterium & omnibus poteſtatibus ac mortalibus incomprehenſibile &c.*

*1 p. 509. Hic ſubſiſtit Ladvocatus, cujus voto facilè ſubſcribo, quo maximè averet, *1 ut illo codice ſibi frui licuiſſet: nec enim dubito, quin in eo aliud offenderet, quàm quod ſe ſperare ſcribit.

Nam primùm obſervanda ſunt verba Photii de iſtâ Modeſti Panegyri. *Legi*, inquit,
*2 p. 275. *2 *ejuſdem* (Modeſti) *orationem qua inſcribitur, Encomium in obdormitionem Deipara Virginis. Longa quidem eſt oratio, ſed nihil neceſſarium, nec pracedenti quid familiare cognatumque aſſerens.* Si S. Modeſtus Virginem reſurrexiſſe crediḍiſſet, huic orationi titulum non appoſuiſſet, *Encomium in obdormitionem*, ſed inſcripſiſſet *in Reſurrectionem* vel *in Aſſumptionem*, quemadmodum audacter eam inſcripſit Ladvocatus, falſitate verbi fucum facere non veritus. Deinde, quis non videat ex verbis latinè exſcriptis, Modeſtum ibi loqui voluiſſe de myſterio incarnationis, quo S. Deiparam in ejus obdormitione ſeu morte condecorare intendit? Cum enim Labbæus annotarit, Modeſtum ab hiſce verbis orationem ſuam inchoaſſe, Modeſtus de Aſſumptione loquens, non ita ex abrupto argumentum rei aggreſſus eſſet, nec, ut vulgò dicitur, in materiam ſtatim ab initio intraſſet. Denique Photius qui hanc orationem ſe legiſſe teſtatur, nihil in eâ *neceſſarium* ſe comperiſſe profert; quod ſanè non dixiſſet, ſi Virginem corporaliter aſſumptam hæc oratio collaudâſſet. Undè facilè credendum eſt Patres Jeſuitas noluiſſe eam hactenùs publicare, ne fortè cogitationes illas, quæ nunc vulgò de Aſſumptione corporali Virginis habentur, aliquantùm averteret.

Obſervationes in librum Jacobi Gaudini Canonici Pariſienſis, cui titulus eſt.

Aſſumptio Maria Virginis vindicata.

Iiſdem ferè erroribus ſcatet, quibus Ladvocati libet. Non tot tamen atrocibus injuriis ac contumeliis exuberat; ſed jocis pluribus abundat. Utrumque verò & Sacerdote & Doctore Sorbonico ac viro dignitatibus Eccleſiaſticis inſignito, perquàm indignum eſt.

Cap. 2. p. 25. *Doctrinam Aſſumptionis corporalis fatetur nec ſacrâ ſcripturâ, nec tradito Dei verbo contineri.*

p. 27. *Fatetur quoque doctrinam contrariam non eſſe hareticam, ſed ait eſſe erroneam, quia qui id negat, illud quoque evertit quod divinâ fide certum eſt ac per ſe revelatum.*

De iſto verbo, *erroneam*, jam dictum eſt in obſervationibus ad librum Ladvocati. Quid autem hâc poſteriori propoſitione dicere vult? Satius eſt ſyllogiſmo formato mentem ejus exponere, quo loquatur apertiùs, ac ſeſe meliùs explicet.

Qui negat propoſitionem qua non eſt revelata, nec continetur in ſacrâ ſcripturâ, nec verbo Dei tradito, ille negat quod revelatum & contentum eſt in ſacrâ ſcripturâ, & in verbo Dei tradito.

Sed qui negat hanc propoſitionem, Virgo eſt aſſumpta in corpore, negat id quod non eſt revelatum.

Ergò

Ergò evertit quod eſt revelatum.

Bellum profectò argumentum! ſic tamen Gaudinus ſyllogiſat ac ratiocinatur. Ipſius igitur eſt nos docere, quæ ſit alterius cum altero connexio & conſequentia.

Eccleſiam ait eſſe, ut dicitur, infallibilem, etiam in iis quæ revelata non ſunt. Cap. 3. p. 29. &c.

Hæc propoſitio vera non eſt. Qui de Eccleſiæ infallibilitate ſcripſerunt, nunquàm eam extra fidei dogmata, & axiomata quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem extenderunt. Ad ſententiam quidem ſuam confirmandam quædam ſcripturæ loca adducit: ſed nullum proferre poteſt Theologum, ac Doctorem paululùm celebrem, qui ea ſic interpretetur. Contrarius igitur in eo eſt decreto Synodi Tridentinæ, quo prohibetur Scripturam ſanctam aliter explicari, quàm juxta ſanctorum Patrum conſenſum unanimem.

Ad id comprobandum, jejunii Quadrageſimalis exemplum affert, quod hactenùs fidelibus certò perſuaſum fuit eſſe ſanctum, tametſi non revelatum. p. 45.

Sed facilè videre eſt, quàm inopportuné & extra rem hoc exemplo utitur. Conſtat enim, iſtud eſſe revelatum, quod Quadrageſimam facit ſanctam, nempe jejunium, quod revelatum eſt in Scripturis Sacris eſſe ſanctum & ſalutare. Nec ſanè prudenter, ac nimis licentioſè hoc exemplo Gaudinus abutitur, quod impiis anſam dare poteſt jejunium contemnendi, quaſi commentum hominum, de quo nihil in ſacris literis, quod contrà in illis preſtare affirmamus.

Cenſuram Facultatis Theologiæ quam Gaudinus affert contra Joannem Morcellum Dominicanum, ipſe impugnat, cùm doctrinam illam quam cenſura hæreſeos condemnavit, reverà hæreticam non eſſe agnoſcit. Verùm ut cenſuram vindicet, ac ritè latam eſſe demonſtret, perlepidâ ſanè diſtinctione utitur. Facultas, inquit, non damnavit hæreſeos Morcellum, quòd negaret Mariam Virginem corpore in cælum evectam, ſed quòd doceret, idcò nos non teneri ſub pœnâ peccati mortalis id credere, quia non eſt articulus fidei. Cap. 5. art. 6. p. 280.

Itaque eo pacto Gaudinus vult, ut iſtud, *quia non eſt articulus fidei*, ſit hæreticum, quod quidem eſſe nequit, niſi iſtud, *eſt articulus fidei*, ſit de fide. Unde dubitandum non eſt, quin illa *certitudo omni humanâ naturali major*, quam adjuvenerunt Ladvocatus ac Gaudinus, juxta ipſos ſit merus articulus fidei, cujus autores ſe conſtituerunt, licet Aſſumptionem Virginis corpoream ſe de fide tenere pernegarint.

Baronium Gaudinus appellat, magnum, & ubique maximum, eumque collaudat traditionem Eccleſiæ per ſingulas ætates aliis in quæſtionibus feliciſſimè aſſecutum eſſe. Art. 7. p. 288. 327. &c.

Quemadmodum igitur Baronius nullibi in ſuis ſcriptis Papam infallibilem non aſſerit, & mundi, ut & Eccleſiæ Monarcham eum facit, Regumque ac terrenarum ditionum Dominum eum eſſe contendit; juxtà Gaudinum Baronius traditionem Eccleſiæ in eò quoque feliciſſimè aſſecutus eſt. Perſpicillis opus non eſt, ut dicitur, quibus videatur, nihil tam cordi eſſe Gaudino, quàm hujuſce Cardinalis autoritatem ſtabilire, tametſi hoſtis infenſiſſimi libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, poteſtatumque ſecularium. Ac reverà Gaudinus nullâ occaſione approbatorem non ſe præſtitit infallibilitatis Papæ, cæterorumque jurium quæ ipſi in Franciâ denegamus, in aliis honorem debitum Sedi Apoſtolicæ juxtà Canones antiquos religioſè ſervantes, ipſiuſque Baronii dignitati atque eruditioni reverentiam congruam deferentes. Quod hîc de Gaudini mente annotatur, facilè cognoſci poteſt ex approbatione quorumdam librorum, quibus ipſe, cum aliis doctrinæ Ultramontanorum adſtipulantibus, pluries ſubſcripſit.

Sed & apud ipſum atque Ladvocatum Canonicum benè Capillatum grande crimen eſt Baronio Italo vel minimùm obſtitiſſe: Eximia verò laus, & opus, ut ajunt, meritorium Uſuardum, S. Adonem, omneſque Francos illuſtres qui cum iis loquuti ſunt, contumeliis opprobriiſque infamare. O tempora! ô mores!

Hæc ſunt, Vir doctiſſime, quæ ex pluribus in libris Ladvocati ac Gaudini mihi animadverſione digna viſa ſunt, præteritâ, ſicuti dixi, Uſuardi cauſâ, quæ mihi ejuſce naturæ eſſe videtur, ut tametſi à Jolio atque à Launoio nullomodò defenſa fuiſſet, nihilominùs ex epigrammate, ſive ex inſcriptione, ut aiunt, ſæculi, juxta ipſum judicari potuiſſet; cùm nec eum octingentorum annorum poſſeſſione gaudentem oppugnare fas eſſet, nec ideò jam tot ſeculis ab Eccleſiâ comprobatum defendere opporteret: quem numquàm ab hac veteri poſſeſſione deturbari poſſe credendum eſt, niſi vi, ſummâque injuriâ, conſpirantibus ad id cum Ladvocato ac Gaudino hominibus ignaris ac perperam religioſis.

Et quidem à nonnullis, qui Gaudini genium ac morem agendi norunt accepi, ipſum haud adeò ſollicitum eſſe, quid de fortunâ Uſuardi eventurum ſit, modò ſuæ conſulat; cùm duabus potiſſimùm de cauſis librum ſuum emiſerit. Primâ, quam initio tetigi, quòd occaſionem opportunam nactus, hanc avidè arripuerit, quâ Regi Chriſtianiſſimo ac Magnatibus brevi innoteſceret; non perpendens tamen, quòd Carolo Imperatori ac Regi-

Franciæ, qui Uſuardum ſcribendo Mattyrologio ad uſum Eccleſiarum ſuæ ditionis, ac præſertim Franciæ elegerat, Uſuardo ipſi S. Adoni Archiepiſcopo Viennenſi ſplendidiſſimo, ac pluribus aliis Scriptoribus Francis celeberrimis, denique omnibus ferè Baſilicis injuriam inſerret, quæ nec Regi, nec ſagacioribus Magnatibus, nec Præſulibus antiquitatum ſacrarum cuſtodibus, nec viris literatis unquam placitura foret. Altera cauſa eſt, quòd Gaudinus gloriam ſibi aliquam apud diſertos viros ex ſtyli ſui elegantiâ, quam non vulgarem arbitratus erat, comparare poſſet. Neque enim parùm φίλαυτος eſt Gaudinus, neć de ſe perperàm opinatur, *tam gandet in ſe bellus ille, & Urbanns.*

De lepore quidem dictionis tibi judicandi provinciam trado, cui purioris ac caſtigatioris latinitatis eſt cognitio. De quo tamen, qualiſcumque ſit, ego non inquirerem, modò Monaſterium, ut aiunt, in ſuo veteri ſitu derelinquiſſet, & æquiùs ac ſinceriùs de Uſuardo noſtro, de Adone, de tot Francis illuſtribus, denique de totius Eccleſiæ cauſâ, quæ ab Uſuardo ſeparari nequit, locutus fuiſſet, nec nobis Martytologia noſtra, quæ à Patribus accepimus, eripere, mutilare, deturpare cum ſuo Ladvocato tentâſſet. Vale, Amice optime, & ſi vacat, meliora reſcribe. *Rothomagi Idib. Novemb.* 1670.

DE FREQUENTIS
CONFESSIONIS ET EUCHARISTICÆ
COMMUNIONIS USU
ATQUE UTILITATE
LIBER.

Editus Anno 1653. *in* 8°.

ET tu à me dudum petieras, & ego tibi ſpoponderam, VIR DOCTISSIME, fore ſimul atque mihi per otium liceret, ut ad te ſcriberem, quid de frequentis Confeſſionis & Euchariſticæ Communionis uſu ac utilitate Joannes Gerſo Pariſienſis ille Cancellarius ſentiret. Intelligebas quippe, nec te tuus ſallebat animus, Gerſonem Chriſtianæ inſtitutionis Magiſtrum optimum fuiſſe, & quod ille de hoc pietatis momento judicaſſet, magnam in auctoritatem admitti poſſe. Admiſſum eſt ab illuſtrioribus Academiæ noſtræ Theologis, qui Gerſonis ætatem exceperunt. Admiſſum eſt à pluribus Galliæ Synodis, quæ tripartitum Gerſonis opus, in quo ſuadetur frequens & confeſſio & communio, laudarunt, vehementiſſiméque comprobarunt. Admiſſum eſt à pluribus aliarum gentium Synodis, cùm provincialibus, tnm diœceſanis, quæ in eandem cum Gerſone ſententiam diſceſſerunt. Hæc autem quinque capitum argumenta cùm ſint, numero pari diſtribuo, quæ mihi de ſingulis inter legendum occurrerunt. Adjiciam quædam Gerſonis elogia, quibus illum Scriptores pii juxtà doctíque certatim exornarunt. Non quòd ſit valde neceſſarium, quando tam variæ Epiſcoporum Synodi doctrinam illius tantopore commendarint: Sed quia multum intereſt ad cauſam publicam, ut diſciplinæ convenientiſſimæ viro ſuum conſtet decus, ſua conſtet gloria, & quantæ apud omnes bonos exiſtimationis fuerit, longè adhuc faciliùs agnoſcatur. Plura forſan ad te ſcribo, quàm poſtulaveras. Sed ea ſanè pauciora ſunt, quàm quæ tu poteras jure merito poſtulare. Nihil enim eſt tam magnum, tàmque arduum, quod abhorreat ab illâ vetere amicitiâ, quam dum ad Theologici ſtudii metam unà currebamus, eodem in ſodalitio morum ſtudiorúmque ſimilitudo conjugavit; quam & ibi per annos quinque mutuis coluimus officiis, ſive dum Aquis-Sextiis in Epiſcopi miniſterio, ſive dum Lutetiæ in Theologorum ſcholis verſavêre. Quâ in temporum & locorum conditione ſic tua illuxit pietas & ingenium, ut nec laboranti pro Eccleſiâ ſuâ Epiſcopo, nec noſtræ palæſtræ Theologicæ deeſſes. Eam utrobique dabas operam, ut pleroſque ſodales illic Eccleſiaſtici, hîc ſcholaſtici muneris aſſiduitate vinceres. Id tum demum biennio præſtabas uno, ad quod ſuos conatus præſtare nemo Sodalium quiviſſet. Nempe hoc maximum eſt, quòd neque ante te, quem ru imitareris, neque poſt te, qui te imitari poſſet, repertus ſit, imò neque quiſquam alius in eo perfectiſſimus præter te reperietur. Quamobrem pro eo, quo plurimum vales, acumine ingenii, pòteras tu ipſe, quæ de me quæſieras, diligentiùs quærere, feliciùs invenire, & pluribus divinarum artium inſtrumentis locuplerare. Sed graviora Baiocenſis Eccle-

Google

Eccleſiæ negotia cùm te vocarent aliò, & vacante Sede diſtinerent vehementiùs, putaſti qualecunque amici ſtudium tibi ſatis eſſe. Putaſti ſanè, quando te id video deſiderare. Sed quia labore noſtro contentus eſſe vis, accipe quæ ſequuntur, eáque tam æquo accipias velim animo, quàm ſcripta ſunt prono.

CAPUT I.

Joannis Gerſonis Pariſienſis Cancellarii Doctrina de Uſu & Utilitate frequentis Confeſſionis & Communionis refertur.

JOANNES GERSO hanc materiam tractat duobus potiſſimùm in libris; unus eſt *Tripartitum opus*; alter *Summa doctrina ſeptem Sacramentorum*, qui & aliter inſcribitur, *Opuſculum ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & artem audiendi confeſſiones breviter declarans, omnibus Eccleſiaſticis. ac præſertim curam animarum habentibus perneceſſarium.* Hunc autem librum Operi Tripartito Antiſtites Galliæ ante annos pluſquam centum & viginti adjunxerunt, ut liquet ex Carnotenſi Synodo, quæ habita eſt anno M. D. XVI.

In priori libro ſic auctor loquitur in ſecunda parte: *Ad plenarium autem præcedentium intellectum, ut cognoſcatur qualiter ſit rite facienda confeſſio, notanda ſunt aliqua. Primò, quòd de communi regula eſt, & de præcepto Eccleſiæ tenetur quilibet, ad minus ſemel in anno circa Paſcha peccata ſua confiteri; cùm etiam Euchariſtiam, aut aliud Sacramentum ſuſcipere intendit; tum etiam cùm mortis imminet periculum; cùm præterea ipſe, qui peccatorum abſolvere poteſt, adeſt, cujus abſentia nunquam inpoſterum haberi formidatur: quamvis ſæpiùs confiteri proſit, quater videlicet annuatim, vel menſibus ſingulis, vel quâlibet ſeptimanâ, vel quolibet ſolemni feſto juxta perſonæ facultatem & ſtatum.* Sed hic maximè advertendum eſt, Tripartitum opus à Gerſone primùm Gallicè compoſitum, deinde ab alio Latinè verſum eſſe: ſed illi, cùm opus illud verteret, [a] excidiſſe iſthæc duo verba; *vel quâlibet ſeptimanâ*, quæ habet & Manuſcriptum ſancti Victotis, & gallica Editio, quam anno M. D. IX. Carnotenſis Epiſcopus adcuravit.

In poſteriori hæc tradit de Sacramento Euchariſtiæ & Pœnitentiæ: *Eſt advertendum, quòd devota Euchariſtiæ ſuſceptio multas commoditates affert: Unit enim ampliùs Deo per amorem, deperdita reſtaurat, virtutum augmentum parit, venialia remittit, & ſecundùm aliquos Doctores oblita mortalia delet præviâ examinatione diligenti, pœnam peccatis debitam remittit, & fomitem peccati minuit. Et quia iſta ſunt communia, iſta ſufficiant.* Et quibuſdam interpoſitis: *Si pœnitens recuſet propter ejus* (ſatisfactionis) *difficultatem, non recuſet propterea Sacerdos aliam mitiorem ei injungere, & eum abſolvere. Moneat autem pœnitentem, ne amodò recidivet in propria peccata, & ut frequentiùs ſolito confiteatur, oſtendátque ei pericula, quæ homini imminent ex dilatione confeſſionis.* Et paullo pòſt: *Injungitur præterea. ut ſæpiùs* (Sacerdotes) *moneant parochianos ſuos ad frequentem confeſſionem faciendam.* Hæc eſt de frequentis confeſſionis & communionis utilitate doctrina ſummi illius & incomparabilis viri, qui anno M. CD. XXIX. ex hac hominum colluvie ad ſuperos migravit.

CAPUT II.

Illuſtrium quorumdam Pariſienſium Theologorum, qui Gerſonis Doctrinam de frequentis Confeſſionis & Communionis utilitate ſecuti ſunt, teſtimonia recenſentur.

HORUM primus erit Joannes Raulinus, qui annos natus quinquaginta quinque Cluniacenſem Monachum induit circa annum Chriſti M. CD. XCVII. Sermone XX. de Pœnitentiâ. *Tertium ſignum confeſſionis ſpontaneæ eſt frequentare ipſum confeſſionis Sacramentum. Operatio enim quanto magis voluntaria, tanto magis reiteratur. Sic faciebat David dicens: Confitebimur tibi Deus, confitebimur: quaſi diceret: non ſufficit mihi ſemel confiteri: ſed id pluries volo. Ideo alibi dicit, Confitebor Domino nimis in ore meo, id eſt, pluſquam alii, vel valde frequenter.* Et poſt alia: *Qui autem diu remanſerunt in peccatis ex inveteratâ conſuetudine ſæpiùs cadunt, quàm alii. Tales magis indigent frequentare: ſicut pannus, qui ſæpe ſordidatur, ſæpe debet lavari, & qui ſæpe cadit; ſæpè ſurgere debet.* Et poſt alia: *Dicitur ſecundò quòd ſanctæ perſonæ, quæ ſuam animam frequenter candidant confitendo, ibi ſtatim unum modicum defectum vident, & magnum exiſtimant: ſicut citò apparet macula in panno albiſſimo, & in radiis ſolaribus feneſtram intran-*

[a] *Excidiſſe iſthæc duo Verba &c.*] Exciderunt etiam Dupino in ſuâ Gerſonianâ editione. Vide pag. 445. Tom. I.

tibus apparent etiam minuta atomalia. Et ideo non eſt mirum, ſi tales ſollicitant confeſſores, in quo prudentes eſſe debent confeſſores, ne eos à ſuâ devotione deſtituant.

Idem Serm. XXI. de Pœnitentiâ: *Quia dictum eſt in præcedenti ſermone, quòd ſignum ſpontaneæ confeſſionis eſt frequentare ipſius Sacramentum: nunc dicemus quinque cauſas, propter quas frequentanda eſt ipſa confeſſio. Prima igitur ratio eſt ſecuritas, quia aliquando accidit, quòd prima confeſſio non fuit vera, quia confitens non erat verè pœnitens, ſed ſecunda vel tertia, quia etiam ſæpe humiliatur quis in confeſſione, datur ſibi gratia confeſſionis vera. Unde accidit, quòd aliqui ſine verâ contritione veniant ad confeſſionem, qui tamen recedunt verè contriti virtute confeſſionis.* Et paullo pòſt: *Sic qui primò non fuit verè pœnitens, frequentando confeſſionem fit verè pœnitens. Cor enim durum peccatoris, quod primâ vice non emollitur, iteratâ confeſſione ad lacrymas ſæpe provocatur. In cujus figurâ Num. XX. elevans Moyſes manum percuſſit bis ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimè, & Judith XIII. percuſſit bis cervicem Holofernis. & abſcidit caput ejus: ſimiliter aliquando non eſt vera confeſſio, quando peccator non integrè confitetur de omnibus, de quibus recolere poſſe, ſi debitam diligentiam adhiberet, & talem diligentiam facit frequentia Confeſſionis.* Et poſt alia.

Secundò, frequentanda eſt propter ſapientiam acquirendam, quia ſicut Scholaris ad hoc, quòd fiat doctus & ſapiens Clericus in facultate ſuâ, non ſufficit, quòd ſemel in anno vadat ad ſcholas, ſed oportet eum frequentare & diligenter ſtudere: ſic qui frequentat ſcholas confeſſionis, debet melior Chriſtianus reputari: Non enim Pariſius reputatur ſcholaris, qui non vadit ad ſcholas ter vel quater in hebdomada, quomodo ergo reputabitur verus ſcholaris fidei, qui non vadit ad ſcholas confeſſionis in annò, niſi ſemel, vel bis, vel qui multa omittendo tantummodo in genere dicit peccata ſua? Non mirum, ſi tales non reputet ſuos ſcholares, qui dicit: Vos vocatis me Magiſter & Domine: Sum etenim: immo dicet eis ſemel: Neſcio vos eſſe ſcholares meos. Non enim vidi vos in ſcholis meis, niſi ſemel in anno. Verus ſcholaris erat David, qui dicebat, meditabar nocte cum corde meo: quaſi diceret, non ſufficit mihi dies ad ſtudendum in libro conſcientiæ, ideo dicit alibi, mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, &c.

Tertia ratio frequentationis confeſſionis eſt pudor, vel erubeſcentia, quæ eſt magna pars ſatisfactionis. Cùm enim quis pluries confitetur, magis erubeſcit, & confunditur, ideo quia hoc eſt difficile, pars ſatisfactionis judicatur, &c.

Quarta ratio, quia inde creſcunt ſuffragia & auxilia, Confeſſor enim debet orare pro ſibi confitentibus, tanquam pro ſibi commendatis auxilio & conſilio ejus juvandis. Ideò quanto pluries pœnitens confitetur, tanto multiplicatis interceſſoribus ſecurior recedit. Similiter plùs multiplicantur ſuffragia abſolutionis, & orationis ſæpius iterata, & majoris humiliationis. Ideo cùm quæreretur à quodam Abbate, quare ita ſæpe confiteretur, reſpondit, quia ſemper timeo me non eſſe benè confeſſum, & ſæpe id ad memoriam reduco, de quo nondum confeſſus fueram. & maximè quia à confeſſione ſemper humilior ſurgo.

Quinta ratio, quia ſæpius & multoties confitendo augetur gratia, & diminuitur pœna virtute clavium in Sacramento confeſſionis, nec ita tentatur à diabolo. Tela enim cruda frequenti ablutione candidatur, & avis elongat nidum, in quo ſæpe moleſtatur, & ova ejus ſæpe rapiuntur: Sic diabolus ab eo, qui frequenter confitetur. recedit. Qui verò non confitetur, amat quaſi ſecretarium ac theſaurarium ſuum diabolus ipſe, in quo notantur, qui tantùm ſemel in anno confitentur. Frequenter enim homines lavant manus & pedes. Si autem hoc tantùm ſemel in anno facerent, inhoneſti reputarentur. Qui ergo ſemel tantùm in anno confitetur, videtur minùs curare de inhoneſtate ſpirituali animæ, quàm pedum, vel calceorum.

Idem Sermone XXII. de Pœnitentiâ: *Et quia de frequentiâ Confeſſionis jam dictum eſt, ſupereſt inquirere, quo tempore, & quando confiteri tenetur peccator.* Infrà. *Pro reſponſione ſit prima propoſitio: Dilata confeſſio multùm periculoſa eſt, immo propter negligentiam confitendi, cùm quis poteſt, dum non vult, juſto Dei judicio infligitur non poſſe, cùm velit.* Infrà. *Propter periculum oblivionis peccatorum, quæ ipſâ vetuſtate abeunt in oblivionem, & ſui recenti memoriâ tenentur.* Infrà. *Tertiò propter periculum moræ, quæ non mediocriter aggravat peccatum.*

Secunda propoſitio. Securius eſt citò poſt peccatum confiteri, & eſt valde bonum. Quis enim homo de veſtimento ſuo vel calceamento non faciat, ut quàm citò inquinatum fuerit, illud ablui, vel abſtergi non curet? Quis in luto illud uſque ad putrefactionem dimittat? Se diſſutum, vel detritum fuerit, quis non ſtatim ſutori vel refectori tradat, ut reſuatur & reficiatur? Quis equum ſuum vel aſinum, ubi inclavatus fuerit. aut alterius læſionis quippiam paſſus, non ſtatim illum mareſchallo curandum mittat? Quâ vigilantiâ curanda ſunt deterſiones & inquinamenta veſtimentorum ſpiritualium? Præterea ſi ſerpentes & colubri à ſinu noſtro, ſi venenum de corpore expellere, ſi hoſtem vel latronem de domo noſtrâ tantis ſtudiis & cona-

conatibus ejicere properamus, & moram iſtud faciendi tam acriter, & in nobis & in aliis culpamus, & petere inducias, aut dilationes, quominus iſta fiant, tantâ diſtrictione damnamus, quid nobis de ſpiritualibus colubris & veneno, de diabolo, boſte & latrone faciendum putamus? Præterea ſi ignis incendio domum cujuſquam vaſtare cœperit, quis ſuper extinctione iſtius inducias etiam unius momenti prætendens ſuggerere audeat? Quis adeo demens, ut ſuggerentem audiat? De quo quidem incendio ſcriptum eſt, Ignis eſt uſque ad conſummationem devorans.

Idem Serm. VIII. de Sacramento Euchariſtiæ: *In hoc ſermone acturi de probatione & examinatione hujus, qui vult recipere hoc Sacramentum, dicemus tantummodo, quæ requiruntur ad debitam præparationem & probationem. Tria enim requiruntur ad debitam præparationem alicujus, antequam dignè accedat ad Altaris Sacramentum. Primum eſt diligens ſuæ conſcientiæ diſcuſſio, & debita examinatio*: & poſt alia in quintâ propoſitione.

Laudabilius eſt frequenter aut quotidie celebrare ceteris paribus, quàm à celebratione frequenter abſtinere. Infrà. *Sed ſi quis dixerit ideo vacationem à celebratione aut receptione ſacramenti bonam eſſe, ut ipſa poſtmodum reverentiùs & devotiùs, quanto rariùs impleatur, dicimus ad hoc, quòd hoc eſt poſſibile, ſed poteſt contingere ex adverſo, ut plurimùm contingit, ut talis ſubtractio removeat habituationem ad bonum, cujus effectus eſt ſecundùm Philoſophum operari delectabiliter.* Hæc ille pluribus de frequentis confeſſionis & communionis utilitate, quæ paucis Gerſo noſter executus eſt. Porro egregia ſunt planè illa, quibus frequentem confeſſionem & communionem perſuadet.

Ceterum [b] *Joannes Raulinus* is eſt, quem Sebaſtianus Brantus Argentinenſis, Juris utriuſque Profeſſor, in ſuâ ad Chriſtophorum Baſilienſis Eccleſiæ cuſtodem epiſtolâ, *famoſiſſimum Theologiæ Doctorem, celeberrimum Prædicatorem, & ſacræ Scripturæ Interpretem facundiſſimum*; quem Guillelmus Parvus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, regiæ confeſſionis exceptor, & Silvanectenſis, deinde Trecenſis Epiſcopus in quâdam ad Claudium Seſellium epiſtolâ, magno elogio *Theologum*: quem Joannes Dauronius Ludovici XII. Hiſtoriographus, *eximium Cluniacenſis Ordinis Reformatorem*: quem Joannes Major in quartum Sent. editionis ſecundæ diſt. XX. quæſt. II. *doctiſſimum piæ memoriæ virum*: quem epitaphii illius Scriptor in Antiquitatibus Pariſienſibus, *egregium admodum & indefeſſum ſuo tempore verbi divini Prædicatorem* appellat. Quem denique prophetiæ dono claruiſſe Jacobus Molinus Pariſienſis Theologus, Germanus Faber ſancti Clodoaldi Decanus, & plerique alii teſtantur apud Aſcenſium Badium in vetere ſuper Aulum Gellium Commentario.

Secundus, Ludovicus Pinella ex Cancellario Pariſienſi Meldenſis Epiſcopus, in diœceſanâ Synodo, quam habuit anno M. D. XI. *Omnes Curati & eorum Vicarii in feſtis ſolemnibus anni præmoneant & hortentur ſuos Parochianos, ſe præparare ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſaltem venire ad confeſſionem, quatenus magis propitietur eis, & liberis & familiæ ſuæ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus.* Sic frequentem commendat & confeſſionem & communionem. Hunc autem [c] Pinellam Guillelmus Mara in ſuis epiſtolis, *ſacræ Theologiæ doctorem conſummatiſſimum*: Jacobus Faber Stapulenſis in epiſtolâ nuncupatoriâ Ricardi Victorini, *perſpicaciſſimum literariæ palæſtræ cenſorem*: Ludovicus Jacobus Pariſienſis Theologus, in epigraphe cujuſdam carminis præfixi primæ Durandi editioni, *inſignem Eccleſiæ Pariſ. Cancellarium, tum literis, tum virtutibus cumulatiſſimum*: Joannes Chappuſius in epiſtolâ nuncupatoriâ Baculi Paſtoralis, *fructiferum concionatorem*: Bertoldus Remboltus in epiſtolâ nuncupatoriâ Gregoriani in ſacram Scripturam compendii, *Epiſcopum vitæ ſinceritate atque probitate commendatum*: Joannes Textor in vitâ Joannæ uxoris Philippi Pulchri, *virum laudabili ſanctitate & inæſtimabili prudentiâ* vocat.

Tertius, [d] Goffridus Bouſſardus Pariſienſis Cancellarius, in expoſitione Canonis Miſſæ ſuper hæc verba Dominicæ orationis, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: *Secundò exponitur hæc petitio de pane Sacramentali. Propter hoc enim Sacerdos hanc orationem altè pronuntiat ſecundùm Albertum, ut præmoveat populum ad panis hujus deſiderium.* Et poſt alia: *Hic panis quotidianus eſt, quia ipſo quotidie indigemus ad ſpiritualis vitæ conſervationem. Sicut enim corpus continuò cibo naturali indiget, ne deficiat ſecun-*
dùm

[b] *Joannes Raulinus*] Quæ hic de Raulino prædicat Launoius, Longius recitat Cap. VII. Hiſtoriæ Gymnaſii Navarrici, parte 3. Lib. 3.

[c] *Pinellam*] Conſule caput 6. memoratæ Hiſtoriæ, quæ hic perſtringit Launoius fuſiùs tractat.

[d] *Goffridus Bouſſardus*] Conſule Cap. VIII. Navarrici Collegii Hiſtoriæ, parte & libro jam memoratis. Liber de quo hic agitur editus eſt anno 1511. & poſtea 1520. in 4°.

dùm eſſe naturale ; ita animus eget cibo ſpirituali , ne deficiat ſcilicet ſecundùm eſſe naturale gratia. Et poſt alia : *Da quotidie ad quotidianum ſpiritualis vitæ nutrimentum , virtutis & gratiæ fomentum , amoris incrementum , omnium morborum ſpiritualium medicamentum , totius perfectionis complementum , tranſitus noſtri viaticum & confertamentum , & cœleſtium deliciarum initiale guſtamentum.* Hæc ille , quem Italia in Concilio Piſano , quem Gallia pluribus in locis & negotiis piè & eruditè dicentem audivit & demirata eſt.

Quartus , Arturus Fillonius ex Generali Vicario Rotomagenſi Silvanectenſis Epiſcopus , in * Tractatu de Confeſſione : *Quantum prodeſt frequenter confiteri peccata ſua ? Cariſſimi , licèt ſancta mater Eccleſia nos ad ſemel in anno confitendum obligare tantùm voluerit ; tamen unuſquiſque Chriſtianus , ſi ſapiat debet ob multas ejuſmodi confeſſionis utilitates , confiteri ſæpius. Veluti ſingulis diebus dominicis , aut ſingulis menſibus , aut ſaltem omnibus ſolemnioribus feſtis. Atque ut vos ad hoc pium opus excitemus , in primis tres potiſſimùm utilitates , quæ homini ſæpius confitenti eveniunt , proponimus. Prima eſt , hominem , qui ſæpiùs peccata confitetur , rariùs altero peccare. Hoc autem experientiâ propriâ conſtare poteſt. Sentitis enim voſmet , ubi legitimè confeſſi eſtis , non mediocri gaudio perfundi , & aliquandiu cavetis à peccato. Quare qui frequenter confitetur , in gratiâ Dei frequenter exiſtit , & nihil aut parum bonorum , quæ patrat , amittit. Sed qui rarò confitetur , veluti ſemel aut bis in anno , perdit omnia ferè bona , quæ operatur. Quamobrem cariſſimi intelligite & ſcitote omnia omnino bona , quæ facitis in peccato mortali mortua eſſe , nec ad vitam æternam valere.*

Secunda eſt , hominem , qui rarò confitetur , adhuc non vulgaria bona perdere. Et quidem perditis , (ſic omnes alloquitur) *quia in peccatis diu multúmque perſeveratis , & quandiu in iis perſeveratis , perditis meritum bonorum , quæ facitis , neque hoc tantùm , ſed perditis communionem bonorum omnium , quæ in Eccleſiâ Catholicâ fiunt. Cùm meditationi vacatis , in hanc cogitationem incumbite , & diligenter cavete , ne deinceps tot bonorum jacturam faciatis frequentis confeſſionis defectu.*

Tertia utilitas eſt , vos de conſcientia ſecuros fore propter duas cauſas. Una eſt , quòd frequenter confitentes , ſingulis puta hebdomadibus , veſtrorum peccatorum memineritis , atque ita bonam & integram confeſſionem obieritis : ſed ubi confeſſionem differtis quotidie , ac procraſtinatis , ſemper nec immeritò dubitatis , num veſtra confeſſio integra ſit , & ſuis abſoluta numeris. Sicque ſecuri non eſtis. Altera eſt , quòd poſt veſtram confeſſionem abſolutione Sacerdotis remittantur peccata veſtra , quamvis maximam (quæ ſcilicet tollat culpam & pœnam) *de iis contritionem non habueritis , quare certiores effecti eſtis.* Hæc ille , cujus non ſplendor natalium, vel ambitio , honorúmque contentio , ſed eximia pietas & doctrinæ celebritas effecit ; ut Silvanectenſis Clerus eum in antiſtitem ſuum optarit.

Quintus , Joannes Major in IV. Sent diſt. IX. quæſt. I. *Prima concluſio. Quilibet exiſtens in gratiâ Sacramentum Euchariſtiæ ſumens, dignè & meritoriè Euchariſtiam ſumit.* Idem quæſt. III. *Dubitatur hoc loco , an melius ſit communicare , quàm non communicare ? Reſpondetur : notum eſt , quòd exiſtens in mortali , vel erroneè judicans ſe eſſe in mortali , malè agit communicando. Is cum Petro dicat. Exi à me Domine , quia homo peccator ſum , Lucæ* V. *Sed dubitatio eſt de duobus æquè benè diſpoſitis , vel de eodem , qui poteſt abſtinere à communione , poteſt etiam communicare , utrum ſit melius ? Reſpondetur : præſtat communicare. Ratio eſt , quia datur gratia etiam ex parte operis operantis ; etiam præſervat Euchariſtia à peccato, ſecundùm illud Pſalmiſtæ : paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos , qui tribulant me , Pſal.* XXII. *hoc eſt valet contra inſultus peccati , ſicut Caſſiodorus exponit : & Joannis* VI. *qui manducat me , vivit propter me , ergo ſi quis cognoſcit , quòd reverentia ſua erga Euchariſtiam non minuitur , & ſi devotio ejus augeatur , tali conſulendum eſt , ut communicet , Apoſtolos imitetur in primitivâ Eccleſiâ , qui quotidie in fractione panis perdurabant , Actuum* II. *& Matth.* VI. *panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Tamen cui manna quotidie ſumptum eſt faſtidio , prodeſt ei interruptio ex malo ſuo appetitu, ſed non eſt defectus ex parte mannæ : & licèt centurio diceret , Domine non ſum dignus , ut intres ſub tectum meum, Matth.* VIII. *non judicans ſe dignum talem habere hoſpitem ; tamen confidat in bonitate Dei, & citiùs communicet , quàm non communicet : & licèt dicat verbo & mente, Domine non ſum dignus, tamen ſumat corpus Chriſti , ſi devotionem habeat. Epilogando dubitatiunculam hanc paucis complectar. In caſu dubitationis propoſito poteſt homo reputare ſe indignum ſumptione corporis Chriſti , & abſtinere à ſumptione , quando eſt opus conſilii : poteſt tamen ſumere , & hoc eſt multo melius ; quatenus præſervetur à peccato ratione hoſpitis, & gratia & virtus ei augeatur, more Zachæi ardenter quærat Dominum. Adde etiam quòd crebrò communicans tenet conſcientiam purga-*

* *Tractatu*] Recuſus eſt anno 1536. De Fillonio vide Cap. XVI. Hiſtoriæ jam memoratæ iiſdem lib. & parte.

purgatam per confeſſionem præviam, & hoc per accidens facit Euchariſtia. Si dicas, quotidie communicantem nec laudat, nec vituperat Auguſtinus, prout recitatur in cap. Quotidie de conſecratione diſt. II. *ex illo non ſequitur, cùm multò laudabilius ſit, quotidie communicare, ſi quam in ſe devotionem reperiat erga Euchariſtiam.*

Idem diſt. XVII. agens de obligatione annuæ confeſſionis ſubdit: *Dico, multò ſecurius eſt crebrò confiteri.* [f] Hæc ille de quo ita ſcribit Antonius Coronellus Pariſienſis Theologus, in fine Poſteriorum Ariſtotelis: *Joannes Major Theologorum Pariſienſium & Philoſophorum princeps eminentiſſimus, à quo tanquam à quodam lucidiſſimo & perenni fonte omnes artes Pariſiis vigentes emanarunt.* Idem ferè teſtatur Clicthoveus, cùm in defenſione diſceptationis de Magdalenâ ſub finem ita dicit: *Joannes Major inſignis Doctor Theologus, & in Theologiâ celeberrimi apud Pariſios nominis.*

Sextus, Judocus Clicthoveus, Carnotenſis Eccleſiaſtes, Sermone de Euchariſtia: *Ut per baptiſmum deletur peccatum originale, & per Sacramentum Pœnitentia mortalia peccata, ita per hoc Sacramentum delentur peccata venialia, quia præſupponit mortalia peccata deleta per contritionem & confeſſionem.* Et poſt pauca: *Provectiores tam viri quàm fœmina præter hoc* (feſtum Paſchatis) *in feſtis anni ſolemnibus, ut in feſto Pentecoſtes, Aſſumptionis beata Virginis, in feſto omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini, ac conſimilibus, non quidem ex obligatione, ſed ex laudabili devotione ſe diſponere debent diligenti ſtudio ad ſuſceptionem ſanctæ Euchariſtia.*

Idem Sermone II. in ſecundam Dominicam Quadrageſimæ: *Confeſſio debet fieri citò ſine dilatione uſque ad feſtum Paſcha. Frequenter facienda eſt confeſſio. Nam frequentibus morbis crebra remedia ſunt exibenda.* Sic univerſos homines ad frequentem confeſſionem & communionem hortatur ille vir, habitus à cunctis optimus, antiquis Eccleſiarum Magiſtris ſimillimus, omnibus ingenii, ſtudiorumque dotibus eminentiſſimus temporis ſui, qui pæne nihil in vitâ, niſi laudandum, aut fecit, aut ſcripſit, aut ſenſit.

Porro [g] librum Sermonum Clicthovei ex parte Facultatis Theologicæ probarunt quatuor Doctores meritiſſimi, Stephanus Loretus, Joannes Gillaïnus, Guillelmus Villerius, & Alanus Guefferus, qui librum probando, ſuum fecerunt, & memoratam de frequenti confeſſione & communione doctrinam vindicarunt.

Septimus, Navarrici Collegii Pariſienſis Catechiſmus, à Facultate Theologiæ Pariſienſis probatus ad relationem Doctorum, quibus hujus libri lectionem & examen commiſit: In explicatione præceptorum Eccleſiæ: *Sed quia periculoſum eſt confeſſionem diu differre propter oblivionem multorum peccatorum, peccandi conſuetudinem, & mortis incertitudinem, ideo conſultius eſſet ſæpe confiteri, quia ex frequenti confeſſione homo avocatur à multis peccatis, ſitque timidior ad Dei offenſionem.* Et poſt alia: *Et licèt tantummodo ex præcepto ſit ſacroſanctam Euchariſtiam tempore Paſcha ſumere, convenit tamen etiam feſtis ſolemnioribus eam ſuſcipere, cùm bona pars Laicorum, & fere omnes honeſtioris ſtatus ſoleant illis diebus ſacroſancta communionis eſſe participes. Idoneus eſt tantùm ad dignè ſumendam Euchariſtiam homo viator Chriſtianus, mente præditus, adultus, jejunus, mortalis peccati non conſcius, qui eſt ſine periculo vomitus, & qui toto corde fertur in Deum.* Hæc eſt expedita & facilis ad intelligendum doctrina, quæ ante annos centum & viginti Lutetiæ tradebatur.

Octavus, Franciſcus Picartus ſancti Germani Autiſſiodorenſis in urbe Pariſiis Decanus, Serm. in ſecundo Sabbato Quadrageſimæ: *Peccatum unum, cujus hominem citò non pænitet, alterum illicò trahit, & illud alterum advocat tertium, ſicque ſcelus ſcelere cumulas, niſi ſtatim emenderis. Quare ſimul atque peccaſti, pæniteat te, & ad Deum revertere, & veniam efflagita cum firmo propoſito confitendi tempore & loco.*

Idem Serm. XI. poſt Trinitatem: *Animadvertite, quamvis certus ſim, Deum mihi quicquid peccaverim condonaſſe, debeo tamen remiſſa peccata Deo confiteri, & de iis pænitentiam agere.* Et poſt alia: *Quoties confitemini peccata veſtra? Semel in anno. At impoſſibile eſt benè confiteri,* quaſi diceret, ut quis benè confiteatur, frequenter confiteri debet. Frequentem autem confeſſionem ex hujus temporis diſciplinâ frequens communio ſequi poteſt. Ceterum Franciſcus Picartus ille eſt, quem omnes Catholici ſummopere coluerunt, & quem nemo ſectariorum non execratus eſt. Unus inſtar omnium erit [h] Joannes

[f] *Hæc ille*] Qui de Joanne Majore plura volet, adeat Cap. XIX. Hiſtoriæ Navarrici Collegii parte 3. Lib. 3. Commentarius in IV. ſententiarum editus eſt primùm Pariſiis anno 1509 & ibidem recuſus amplior anno 1516.

[g] *Librum Sermonum*] Editus eſt primùm Pariſiis anno 1534. Conſule Cap. XXXII. Hiſtoriæ Navarrici Collegii Libro & parte jam memoratâ. Ibi excuſſimus utrum inter Sorbonicos Navarricoſne ſocios, adſcribendus ſit Clicthoveus.

[h] *Joannes Calvinus*] Mirum eſt Launoium qui importunis repetitionibus adeò delectatur, hujus Calvini teſtimonii oblitum Cap. 36. Hiſtoriæ Navarrici Collegii parte 3. Lib. 3. & Cap. V. part. I. Lib. 3. Ubi multa de Picarto dicuntur.

nes Calvinus in libro de ſcandalis : *Picartus*, inquit, *Doctor Pariſienſis, turbulenti quidem cerebri homo, adeoque fanaticus, ſed tanta inter ſuos exiſtimationis, ut pro certis oraculis habeantur omnes ejus nania, dum more ſuo pro ſuggeſtu bacchatur.* Magnæ profectò debuit eſſe virtutis & ſcientiæ, in quem homo talis tam atrociter invaderet. In præfatione horum Sermonum Renatus Benedictus αὐτόπτης cauſam refert, quòd Picartus ſuis vigiliis, laboribus & concionibus impedierit, ne Lutetia pæne tota novam Calvini doctrinam amplecteretur. Honeſtant igitur illæ contumeliæ, non turpant, non magis, quàm adverſo in Romano pectore vulnera.

Nonus, Claudius Sanctesius Ebroicenſis Epiſcopus, Repetitione ſextâ de Euchariſtiâ cap. x. *Quocirca Auguſtinus tribus verbis rectè videtur Euchariſtia finem & utilitatem comprehendiſſe, ut valeat ad pietatem in Deum augendam, caritatem erga Deum, & proximum comparandam, & unitatem ac pacem conſervandam. O Sacramentum pietatis! inquit, ô ſignum unitatis! ô vinculum caritatis!* Et poſt alia: *Porro cauſa effectuum emanantium ex ipſius Euchariſtia communione, prima eſt res contenta, Chriſtus ipſe, omne bonum, & donum perfectum, deſcendens à Patre luminum. Deinde Paſſio Chriſti, cujus organum & inſtrumentum eſt hoc Sacramentum inſtitutum maximè ad efficaciam paſſionis applicandam, ſeu cum ſuâ efficaciâ enunciandam mortem Domini. Tertia cauſa finis eſt, cui deſtinatur Euchariſtia uſus, qui eſt nos alere, & idem praſtare animabus noſtris, quod panis & vinum ac cibus quivis corporibus noſtris.* Et poſt alia: *Ex tertiâ* (cauſa confertur) *quicquid requiritur ad nos fovendos, & vegetandos in vitam illam* (æternam) *Itaque quemadmodum ad vitam tuendam corporalem primùm ea ſunt removenda, qua nocitura putantur, & poſtea adhibenda, quibus vita conſervatur, & augetur: ita ad comparandam vitam aternam primùm per Euchariſtiam curantur, qua illi adverſantur & obſunt, ut peccata, atque unà invehuntur omnia, quibus promovemur ad gloriam & vitam immortalem. Cauſa quidem & effectus breviter perſcribuntur à Scripturâ in Euchariſtia inſtitutione, ac promiſſione, atque à Patribus obſervantur. In illâ cauſa contra peccata explicantur, in iſtâ eadem apponuntur ad vitam nobis intromittendam. Illic enim dicitur: hic eſt ſanguis novi Teſtamenti, qui pro vobis funditur in remiſſionem peccatorum. In promiſſione verò apud Joannem ſcribitur: ego ſum panis vita, ſi quis mandacaverit ex hoc pane, vivet in aternum:* Et poſt alia: *Quocirca convenienter cum Scripturâ ab inſitâ vi contra peccata Ignatius atque alij invitant ad Euchariſtia frequentationem. Frangite panem (ille ait) qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed vivendi per Jeſum Chriſtum in Deo, catharticum expellens ne malum ſit in vobis. Cyprianus quoque ab eâdem virtute Euchariſtiam commendat: Panis, inquit, ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus ad ſolius hominis vitam, ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens. Ambroſius & Auguſtinus propter eundem effectum adhortantur ad quotidianam communionem.* Et poſt alia: *Deſideratur autem probatio & conatus ad purganda criminalia peccata ante ſuſceptionem Euchariſtia. non quia nequeant per ipſam purgari, ſed quoniam eſt indignum & impium, illotâ conſcientiâ & in ſordedâ veſte Chriſto velle ſe adjungere, & ejus ſanctitati irreverentiam atque contumeliam facere.* Et paullo poſt: *Quinetiam tanta virtutis eſſe Euchariſtiam Cyrillus Alexandrinus aſſerit, ut etiam à peccatore aliquando ſumpta ipſum ad pœnitentiam adducat. Diabolus, ait, Judam poſt panem omninò ſeparavit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo ejus accenderet, ac inde illuminaret, & & ad meliora retraheret.* Et poſt alia: *Deinde alia ſunt peccata, qua appellamus venialia; ſive quibus nunquam, aut vix degit infirmitas humana; ideoque ab hominum contubernio Dei gratiam non repellunt, quandoquidem novit figmentum noſtrum, quod caro eſt: ipſe autem ignis conſumens eſt. ut illa levia tanquam fœnum vel ſtipulam ſua praſentia flammâ corripiat, & abſorbeat, noſque ad caritatem accendat, qua operit multitudinem peccatorum. Hujuſmodi ſanè ad Euchariſtia communionem, tanquam ad carbonis cujuſdam applicationem colliqueſcunt, ac diffluunt, maximè ſi non nos, & noſtra à calore ejus abſconderimus, & in illis peccatis animum non obfirmaverimus. Nam Euchariſtia opus eſt ſingulare caritatis divina in nos, & noſtrum in Deum provocans & acuens amorem. Ideo utrimque communio de ſe ac per ſe fere, ut illa peccata diluat.* Et poſt alia: *Poſtremò ſicut conſultiùs cavetur malum, & venienti occurritur, quàm praſenti, vel inveterato medicina paratur: ita Euchariſtia virtutem maximam ſubminiſtrat ad arcenda peccata, & evitanda, quod Chriſtus his verbis declarat: Hic eſt panis de calo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur in aternum. Duobus autem modis id operatur, peccatorum flabella & incitamenta repellendo, reſtinguendo, ac debilitan-*

litando, ut ſunt dæmones, eorúmque adminiſtri, & innatus nobis concupiſcentiæ ſtimulus quem retundis: deinde robur & adjumentum carnis præſentis virtuti noſtræ imbecillitati, & fragilitati accumulat, ut peccatis & eorum auctori valeat reſiſtere. Hæc eſt ſententia illius, quem Joannes Maldonatus in quibuſdam ad Oſium Cardinalem & Varmienſem Epiſcopum literis, *virum optimum & doctiſſimum:* quem Genebrardus lib. IV. Chronographiæ, & [i] Barrholomæus Faius in Energumenico, *Theologum pietate & ſcriptis illuſtrem:* quem Margarinus Bignæus Pariſienſis Theologus in nuncupatione Bibliothecæ Patrum ad Gregorium XIII. *Gallicanæ Eccleſiæ columen* nominat: quem demum virtus, eruditio, & exantlati pro religione labores pæne innumerabileis ad pontificalem gradum extulerunt.

Adjiciuntur Pariſienſes magni nominis Theologi tres, qui nec frequentem nec infrequentem Euchariſtiæ communionem accuſant.

QUI nec frequentem nec infrequentem Euchariſtiæ communionem reprehendunt, cùm minimè abhorreant ab aliis, qui laudant & ſuadent, iis adjici non immeritò poſſunt. Primus eſt Claudius Eſpencæus lib. I. de Adoratione Euchariſtiæ cap. VII. *Beatus Auguſtinus ad Januarium diſputat, utrum quotidie accipienda ſit Euchariſtia, & non potiùs dies eligendi, quibus puriùs homo continentiúſque vivit; quò ad tantum Sacramentum digniùs accedat. Faciat, inquit, unuſquiſque, quòd ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & Centurionis exemplo indignum ſe putat Dominum ſub tectum ſuum recipere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere, ſed quaſi Zachæus Dominum gaudens in domum ſuam ſuſcipit. Contemptum ſolum non vult cibus hic, ſicut manna in primo populo faſtidium, ut illud unicuique ſecundùm propriam voluntatem ſapiebat: ſic Sacramentum hoc in ore cujuſque Chriſtiani quomodo ſumatur, æſtimandum. Inde enim Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à ceteris cibis, veneratione ſingulariter debitâ.* Et paullo pòſt: *De cujuſmodi ritibus Eccleſia paullo antè præſcripſerat: ſi quid horum per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Sic Auguſtini ſententiam fecit suam [k] Eſpencæus, quem Claudius Sanctesius in Reſponſione ad Apologiam Bezæ, & Barnabas Briſſonius in libro de jure Connubii, *nobiliſſimum ac eruditiſſimum Theologum* vocant; quem Genebrardus lib. IV. Chronographiæ, *Theologum Polygraphum, & ab hæreticorum furiis alieniſſimum* ſcribit; quem Beza ſub finem vitæ Calvini maledicè contumelioſéque perſequitur, hoc eſt, ſummo à Catholicis honore colendum proponit: quem denique à Pontifice judicatum Cardinalitiâ purpurâ digniſſimum teſtantur Jacobus Aug. Thuanus, & Scævola Sammarthanus; hic lib. II. Elogiorum; ille lib. hiſt. XVI. ad annum M. D. LV.

Secundus, Simon Vigoreus Narbonenſis Archiepiſcopus Sermone in Dominicâ octavæ feſti Corporis Domini: *Prodeſt-ne miſſa peccatorum expiationi? Maximè. Miſſa duobus modis conſideranda eſt. Primò quidem, ut Sacramentum, ſcilicet cum manducatur, deinde ut Sacrificium, quando videlicet Sacerdos offert per conſecrationem. At enim Miſſa ſacrificium remittit peccatum? Maximè quoque ubi peccatum aliquod oblivioni traditum eſt, nec in confeſſione expoſitum, aut cùm nonnulla peccati reliquia ſuperſunt. Tunc, ut ait ſanctus Thomas, illud omne ſacrificio Miſſæ condonatur.* In his quod præparationis genus ad Euchariſticam communionem requirat, agnoſcimus, ſcilicet ut homo peccati mortalis ſit expers, aut eſſe bonâ fide putetur.

Idem in Serm. feriæ V. poſt diem Cinerum: *Ecce tibi Centurio, qui ait, Domine non ſum dignus, &c. Hæc oratio tanti facta eſt ab antiquis, ut eam uſurpaverint in Miſſâ, uſurpant adhuc, qui ſecuti ſunt.* Et poſt alia: *Hocce loco uſus eſt beatus Auguſtinus in epiſtolâ* CXVIII. *locutus de Zachæo, & de hoc Centurione, ut reſponderet quæſtioni, quæ fieri ſolet, nimirum uter duorum meliùs egit, aut Zachæus, qui Dominum gaudens in domum ſuam ſuſcepit, aut hic Centurio, qui humilitate ductus non ſuſcepit, dicens: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſanctus Auguſtinus reſpondet: Neque enim litigaverunt inter ſe Zachæus aut Centurio, neque quiſquam eorum alteri ſe præpoſuit, cùm alter eorum gaudens in domum ſuam Dominum ſuſcepit: Alter*

[i] *Bartholomæus Faius*] Hoc teſtimonium in Laudem Sanctesii prætermiſit Launoius cap. 83. ubi de Sanctesio.

[k] *Eſpencæus*] Hæc omnia elogia fuſiùs executus eſt Launoius cap. 50. ejuſdem Hiſtoriæ.

dixit, Domine non ſum dignus, &c. Sed ambo ſalvatorem glorificaverunt diverſo & quaſi contrario modo. Ita ſi dicas: Ecce unum hominem, qui quotidie communicat: Ecce alterum, qui ſingulis tantùm feſtis diebus: uter eorum meliùs facit? dico tibi, quòd ſicut non poſſum vituperare Zachæum propter diligentiam laudabilem; ita nolo Centurionem accuſare propter humilitatem. Ita quidam ex devotione & humilitate non audent ad tantum accedere myſterium, niſi raro, & ſeipſos indignos credunt, & benè agunt. Alii verò putant nihil ſibi ex animi ſententian ſuccedere, niſi quotidie Miſſam celebrent. Ergo illi celebrent, quia ex Auguſtino unuſquiſque ſecundùm fidem ſuam faciat, quod piè credit eſſe faciendum. Quod & alibi dicit: Quotidie ſumentem Euchariſtiam nec laudo, nec reprehendo. Sanctus quoque Hieronymus contra Jovinianum non alia profitetur. Scio, inquit, Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Nam unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. Hæc ille, poſt ſuum è Tridentino Concilio reditum, in quibus & Hieronymi & Auguſtini, ut ait, de frequenti communione ſententiam amplexatur. Porro Simon Vigoreus is eſt, quem nil minùs cogitantem, *renitentibus aulicis*, ut Genebrardus ait, *ſolo virtutis & doctrinæ nomine Gregorius XIII. ad Narbonenſem ſedem evexit*: quem Bignæus laudato jam loco, *Gallicanæ Eccleſiæ columen*: quem Emarus Hennequinus Redonenſis Epiſcopus, *ætatis ſuæ Athanaſium ſive Hilarium* dicere non eſt veritus in epiſtolâ, quâ [l] librum de ceremoniis ſacrificii Miſſæ eidem Gregorio nuncupavit.

Tertius, [m] Joannes Cotereus Tornacenſis Archidiaconus, unus ex iis, qui primi Duacenſem Academiam fundarunt, Sermone ſuper Evangelium tertiæ Dominicæ poſt Epiphaniam: *Sanctus Auguſtinus de Zachæo & Centurione locutus, ut reſpondeat quæſtioni, quæ fieri ſolet, uter duorum melius fecit, aut Zachæus, qui Dominum gaudens in domum ſuam ſuſcepit, aut Centurio, qui dixit ſe dignum non eſſe, ut in ſuam intraret, ſcriptum reliquit: Neque litigaverunt inter ſe Zachæus & Centurio, neque quiſquam eorum alteri ſe præpoſuit, cùm alter eorum gaudens in domum ſuam Dominum ſuſcepit, alter dixit, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed ambo Salvatorem glorificaverunt diverſo & quaſi contrario modo.* Hæc ille, oculus Epiſcopi argutus juxtà & eruditus, vigore ingenii atque animi celeberrimus Concionator, bello contra hoſtes fidei acerrimus, virtute eximius, & relictis pluribus Sermonum voluminibus Eccleſiæ ſemper utilis futurus.

CAPUT III.

Plures Gallicanæ Synodi Chriſtiano populo commendant duos Gerſonis libros, in quibus frequens confeſſio & communio ſuadetur.

CONSIDERANDUM eſt modo, quam auctoritatem duo illi Gerſonis libri, quibus celebris de frequenti confeſſione & communione doctrina traditur, à Synodis Galliæ acceperint. Hac autem in re ſequemur ordinem temporis, quo habitæ ſunt.

Prima ergo Synodus, quæ occurrit, eſt Pariſienſis ann. M. D. VI. ubi concreditos ſolicitudini ſuæ Chriſtianos ſic alloquitur Epiſcopus: *Stephanus Dei gratiâ Pariſienſis Epiſcopus, omnibus nobis ſubditis Curatis, & eorum Vicariis, Magiſtris Scholarum, Hoſpitalium, Domorum Dei, & Leproſariarum, ſalutem, & animarum commiſſarum prudentem zelum. Conſiderantes honorem Dei & mandata ejus ac Sacramenta non parum contemni, & animas perditioni proximas, & populos captivitati, & reſpublicas deſolationi propter ignorantiam ſcientiæ ſalutaris; & deſiderantes pro debito noſtri paſtoralis officii, quàm maximè fieri commodè poteſt, his malis occurrere: Conſilio virorum ſpiritualium ac peritorum ordinavimus & ordinamus, tam pro inſtructione ſimplicium, ſeu illiteratorum Curatorum, aliorúmque ſimilium curam animarum habentium, quàm etiam quo informatione ſimplicis populi, fructuoſas prædicationes & ſalutares exhortationes ut plurimùm non audientis, publicare, ſeu publicari facere, & diligenter exponi per totam diœceſim noſtram, tenorem noſtræ fidei Catholicæ, mandata Dei & Eccleſiæ, modum examinandi conſcientiam, & ſe accuſandi per confeſſionem ad dignos fructus pœnitentiæ faciendos, & ſcientiam benè moriendi, quorum ignorantia neminem excuſat; & eorum cognitio eſt omnibus Chriſtianis perneceſſaria, & ſupra modum ſalutaris, prout deſcripta eſt ad finem intentum per venerabilem illum Doctorem Theologum Magiſtrum Joannem de Gerſono olim Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, magnum ac prudentem animarum zelatorem, & ſingu-*

[l] *Librum*] Adde, *Innocentii III.* De Simone Vigoreo lege cap. 57. Hiſtoriæ ſæpiùs memoratæ.

[m] *Joannes Cotereus*] De Joanne Cotereo Vide cap. 77. ejuſdem Hiſtoriæ.

ſingularem conſcientiarum ſerenatorem in ſuo Opere Tripartito, quod ad utriuſque ſtatûs ædificationem Latinè & Gallicè ſcripſit. Quod quidem opus ob eam rem curavimus cum additionibus noſtris caſtigatè imprimendum in utrâque linguâ, quò faciliùs ac vili pretio ab unoquoque haberetur in promptu, & intelligeretur.

Mandamus igitur ac præcipimus omnibus ſupraſcriptis, & præſertim Curatis, ac eorum Vicariis, quatenus hanc præſentem doctrinam in ſcriptis habeant, & in eâ ſtudeant diligenter, ſintque ſoliciti eam docere & exponere populo ſuo, & Magiſtri ſcholarum ſcholaſticis ſuis, & quicunque adminiſtratores animabus ſibi commiſſis. Ut autem meliùs iſta fiant, & major inde fructus ſequatur, ordinamus, quòd in omnibus diebus feſtis præceptis ab Eccleſiâ, ſed maximè diebus Dominicis in miſſâ matutinali ſervitorum, ſi aliqua celebretur, Curati, aut eorum Vicarij; aut Prædicatores ſi fortè occurrerint, legant & exponant unum capitulum præſentis doctrinæ, vel plus, vel minus juxta diſcretionem ſuam, diſtinctè & clarè & voce intelligibili ab omnibus, & quòd prævideant, & ſtudiosè relegant dictam lecturam die præcedenti cum ſuis Capellanis, ut clariùs die ſequenti ac fructuoſiùs exponant ignorantibus, & quò meliùs quilibet reſpondere poſſit, quando ſuper his interrogabitur. Declarabunt etiam populo indulgentias conceſſas bonis auditoribus, & recitatoribus hujus doctrinæ, & his, qui ea docebunt alios. In miſſâ etiam majore parochiali ſimiliter fiet, quando nulla erit tunc prædicatio, & abbreviari poterunt tunc preces communes & alia mandata ſecundùm diſcretionem eorum. In Quadrageſima autem curabunt ea legere, quæ ſpectant ad confeſſionem, & plebes ſibi ſubditas ad citò & debitè confitendum inducere. Et ne deficiente auditore lectura vana ſit, ac ſine fructu, hortamur univerſas nobis ſubditas plebes minùs eruditas præfatæ lecturæ libenter aſſiſtere, & paternam ac maternam Dei & Eccleſiæ inſtructionem attentè ac diligenter audire & intelligere, & pro viribus retinere, & illam repetere in domibus ſuis, honeſtíſque ſocietatibus, & in ea ſuos liberos, ſervitores & alios inſtruere, præſertim orphanos atque pupillos, & inſtare apud Rectores ſcholarum, ut liberi ſui ſuper his inſtruantur.

Ut autem ardentiùs quilibet contemplatione retributionis deſideret, diligat, quærat & cuſtodiat veluti pretioſum theſaurum, hanc ſanctam divinàmque doctrinam, ſine quâ vani ſunt omnes homines, & in periculo damnationis æternæ conſtituti; omnibus Vicariis & Curatis & Magiſtris, & generaliter omnibus, qui ſtudiosè docebunt, ſicut dictum eſt, præfatam doctrinam, damus & conferimus pro qualibet inſtructione quadraginta dies indulgentiæ; omnibus autem aſſiſtentibus, lecturámque ad ædificationem audientibus, ſive in Eccleſiâ, ſive alibi, & habentibus apud ſe librum hunc, ac legentibus, damus ſingulis & conferimus pro qualibet vice viginti dies indulgentiæ. Ordinamus etiam, quòd durante prædictâ inſtructione, nullâ aliâ urgenti neceſſitate, miſſa celebretur, & quòd tunc ſilentium ſervetur ab omnibus. Volumus etiam & ordinamus, quòd in omnibus Scholis, & Hoſpitalibus, & Domibus Dei, ac Leproſariis habeatur hæc doctrina in ſcriptis. Et generaliter jubemus omnes Presbyteros volentes adminiſtrare Sacramenta in noſtrâ diœceſi, habere apud ſe, ac ſtudiosè legere hanc doctrinam utilem & neceſſariam ſub pœnâ arbitrariâ, quam noſtræ reſervamus diſpoſitioni, & contemptores ex nunc reputamus & declaramus ſuæ ſalutis immemores. Exhortantes patres & matres & quoſlibet bonos Chriſtianos ampliorem ſuæ ſalutis notitiam non habentes, habere ſupradictam doctrinam ſaltem in Gallico, ſi eſt eis facultas, & ſi legere norunt, quòd ſi ſæpiùs ibi ſtuduerint, benè erit cum illis.

Ordinamus tandem, quòd omnes Curati vel eorum Vicarij efferant ad Synodum noſtram hunc præſentem libellum Latinum & Gallicum, unà cum noſtris ſtatutis Synodalibus, & nos informent ſuper obedientiâ vel inobedientiâ hujus noſtræ præſentis conſtitutionis, quam deſideramus & præcepimus deinceps inviolabiliter obſervari. Hæc eſt Operis Tripartiti approbatio, quâ vix ulla major dari poteſt, aut illuſtrior.

[n] Secunda Synodus Claromontenſis, quæ anno M. D. VII. habita eſt, & eandem præfationem adhibet.

Tertia Synodus Carnotenſis, quæ anno M. D. IX. habita eſt, & eandem quoque præfationem adhibet.

Quarta Synodus Meldenſis, quæ [o] circa hocce tempus habita eſt, ut

Quinta Synodus Meldenſis anni M. D. XI. docet his verbis: *Omnes*, inquit, *Sacerdotes diœceſis Meldenſis habeant ad mandatum prædeceſſoris noſtri Opus Tripartitum venerabilis Cancellarij Pariſienſis domini Joannis de Gerſono; quod vulgò dicitur Inſtructio*

[n] *Secunda &c.*] Quæ ſequuntur uſque ad Cap. IV., in Gerſonis laudem teſtimonia, penè omnia ad verbum deſcripſit Launoius in Cap. 1. Lib. 2. part. 3. Hiſtoriæ Navarricæ ubi de Gerſone.

[o] *Circa hocce tempus*] In Cap. 1. Lib. 2. part. 3. Launoius dicit habitam eſſe circiter annum 1509.

Curatorum, tam Latinè, quàm Gallicè, & de hujuſmodi inſtructione legant & exponant omni die Dominico, tam in Miſſâ matutinali, quàm parochiali, ſuis parochianis unum capitulum, vel quantum eis videbitur expedire pro ædificatione eorum, juxta formam contentam in prologo ejuſdem libri. Hìc duæ Synodi Meldenſes auctoritate ſua confirmant Opus Tripartitum Gerſonis.

Sexta Synodus Senonenſis, quæ habita eſt anno M. D. XXIV. de vita & converſatione clericorum: *Ut omnes ſciant, quæ ſint officii ſui, Clericos præcipuè in ſacris conſtitutos hortamur, ut cum Breviario ad uſum Senonenſem habeant libros Eccleſiaſticos, præſertim Pſalteriis, Evangeliorum & Epiſtolarum totius anni, Hymnorum & Proſarum ac Canonis Miſſæ probatas expoſitiones, Tripartitum opus Joannis Gerſon.*

Septima Synodus Carnotenſis, quæ anno M. D. XXVI. habita eſt, quæque per Epiſcopum ſuum ita loquitur: *Ludovicus Dei & S. Sedis Apoſtolicæ gratiâ Carnotenſis Epiſcopus, omnibus nobis ſubditis Curatis, & eorum Vicariis, Magiſtris Scholarum, Hoſpitalium, Domorum Dei & Leproſariarum, aſſiduum de virtute in virtutem profectum, ſalutémque perpetuam. Ad Titum ſcribens Apoſtolus altiſonâ Evangelij tubâ, his cum verbis admonitoriis inter cetera compellat. Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam. Quibus non ſolummodo Titum ipſum, ſed & omnes Eccleſiaſtici gradus viros ſpiritualem aliorum directionem habentes commonefactos exiſtimare debemus, ut illis, quorum ſuſceperint moderationem, ſanam loquantur & proponant doctrinam, tanquam ſalutare pabulum animæ, quo nutriantur. Si enim brutarum ovium Paſtores ſuo gregi procurant læta & virentia paſcua, quibus ubertim alantur, decét-ne etiam animarum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, Rectores ſuis ovibus exhiberi myſtica paſcua, ſalutiferam illis alimoniam conferentia, ne fame contabeſcant, extremâque macie confecta intereant. Hujuſmodi verò pinguia & opima paſcua, ſunt ſalutaria documenta, ad ſinceritatem fidei & mores probè componendos attinentia, quibus errorum devia, vitiorúmque monſtra devitentur, & rectum, quo Eccleſiæ tecta petantur, monſtretur iter. Porro inter ceteros, qui hujuſmodi doctrinam ſanctæ fidelium cujuſvis ſtatus & conditionis inſtitutioni accommodam ſcriptis tradiderunt. eximius pater & doctor Theologus Joannes de Gerſono, quondam Cancellarius Pariſienſis, librum unum edidit tam Latinâ, quam Gallicâ linguâ, ſalubri Chriſtianorum omnium ædificationi apprimè neceſſarium & utilem. Quem Opus Tripartitum inſcripſit, ac intitulavit, quoniam in eo de triplici potiſſimum materiâ, ſecundùm tres, in quas diſſecatur partes, determinationem agit, utpote de præceptis Decalogi, de Confeſſione Sacramentali, & de ſcientiâ benè moriendi: de quibus ſermone quidem ſimplici verbis, & cuique legenti pervio, idem auctor præclarè diſſerit, ſed ſanctam & Catholicam continente doctrinam, animarúmque ſaluti admodum fructuoſam. Itaque ſpiritualis gregis Dominici nobis commiſſi utilitati conſulere cupientes, cúmque pro noſtro officio debemus paſcere juxta Prophetæ verbum ſcientiâ & doctrinâ, curavimus Opus illud Tripartitum prædicti venerabalis patris terſis characteribus caſtigatè nuper excudi. Cui deinde ſubjectum eſt in modum appendicis. & alterum ejuſdem auctoris opuſculum, Eccleſiæ Sacramenta, & artem audiendi confeſſiones breviter elucidans, quod etiam omnibus viris Eccleſiaſticis adminiſtrationem aliorum directoriam ſortitis majorem in modum neceſſarium eſt ac utile, ut ſuo munere ritè fungantur. Inſuper ad calcem hujus libri adjecta ſunt quædam fidei & morum rudimenta brevinſcula Gallico ſermone contexta, fidelibus omnibus, præcipuè rudi populo, optimè conducibilia. Quocirca præcipimus omnibus antè dictis & præſertim Curatis, eorúmque Vicariis, ut prædictum Opus Tripartitum ſibi comparent, ſtudioſéque illud evolvant & lectitent, atque contentam in eo doctrinam ſolicitè populo ſibi credito & frequenter exponant. Magiſtri itidem Scholarum eandem diſciplinam religioſæ pietatis, ſuis ſcholaſticis tempore opportuno diligenter explanent, ut à teneris annis adoleſcentuli pietatem Chriſtianæ religionis & morum probitatem cum primis literarum rudimentis imbibant. Ut autem copioſior enaſcatur fructus ſalutis ex hujuſmodi doctrinæ propagatione, ordinamus, quòd ſingulis diebus feſtis, & præſertim Dominicis in Miſſâ matutinâ ſervitorum legatur unum capitulum, aut duo prædicti Operis coram aſtantibus, & apertè declaretur pro eorum inſtructione. Idem etiam fiat in Miſſâ majore parochiali ejuſdem diei, quando nulla occurret tunc facienda prædicatio verbi divini. Ad quod commodiùs efficiendum poterunt communes preces tunc ſuccinctè conſtringi. Cùm verò ſancta Quadrageſima advenerint dies ſacri, ea præcipuè ex ſupradicto Opere explicentur populo, quæ ſpectant ad confeſſionem Sacramentalem rectè peragendam, adhibitâ crebrâ admonitione, quòd debitè & maturè ſine longâ procraſtinatione fiat ab unoquoque ſincera & integra peccatorum confeſſio in ipſo tempore quadrageſimali, ſecundùm laudabilem Eccleſiæ conſtitutionem. Nec minùs univerſum exhortamur populum noſtræ diœceſis, quòd promptè & alacriter aſſiſtat illi explanationi*

tioni tam ſana doctrina, eámque hauriat attentis auribus avidè, qui & alios deinde doceat ſuæ directioni creditos, (ut parentes ſuos liberos, & domini ſuos famulos) & ad actionem ſedulam haud ſignaliter accommodet: Porro ut retributionis ſpiritualis conſideratione, incitentur omnes ferventiùs ad propagandam & capeſſendam hanc ſalubrem doctrinam, omnibus, qui eam aliis ſtudioſè communicaverint, pro ſingulâ quâque inſtructione conferimus quadraginta dies indulgentiarum; eis verò qui audierint attentè eam, aut legerint, comparato ſibi hoc libro, elargimur viginti dies relaxationis, atque indulgentiarum. Demum ordinamus, quòd omnes Curati nobis ſubditi aut eorum Vicarij offerant ad noſtram Synodum præſentem Operis Tripartiti libellum tam Latinum, quàm Gallicum unà cum Statutis Synodalibus jam promulgatis, quò poſſit eorum obedientia circa præſentem conſtitutionem certo cognoſci argumento, & à nobis probari. Datum Carnoti in noſtra Synodo generali anno Domini M. D. XXVI. Hæc Epiſcopus ille in Synodo, quibus Tripartitum Gerſonis Opus, ſanam, ſanctam, & Catholicam doctrinam continere declarat, eàque ſubditos curæ ſuæ fideles imbuendos eſſe jubet.

Octava Synodus Toloſana, quæ ad hocce tempus habita eſt: *Libellum*, inquit, *per venerabilem virum Magiſtrum Joannem de Gerſono, olim Eccleſiæ Pariſienſis Cancellarium compoſitum, & communiter Opuſculum Tripartitum intitulatum, mandato noſtro in vulgarem ſermonem tranſlatum, ac impreſſioni mandatum. unà cum tractatulo ei adjuncto de Sacramentis, omnibus & ſingulis Rectoribus, Vicariis, & omnibus aliis curam & regimen animarum in noſtrâ Civitate & Diœceſi Toloſanâ habentibus perlegi, & quàm commodè fieri frequentiùs poterit, parochianis ſuis publicari & declarari volumus, & mandamus.* Hæc in extremis ferè regni partibus.

Nona Synodus Senonenſis, quæ anno M. D. XXVIII. ab Epiſcopis provinciæ habita eſt, cap. XI. inter Decreta morum: *In Eccleſiis parochialibus per ſingulos dies Dominicos Presbyteri Parochiales Curati, per ſe aut Vicarios eorum clarâ voce & intelligibili ac verbis maternis annuntient decem præcepta Decalogi, & articulos fidei; & ſi qui fuerint Presbyteri, quibus non ſuppetat doctrina, aut prædicandi gratia, legant & declarent prædictâ die Dominicâ unum capitulum Joannis de Gerſon in Opere ſuo Tripartito.* Huic Provinciali Synodo præter Epiſcopos, ex quibus collecta eſt, interfuerunt doctiſſimi quique Pariſienſes Theologi, ut Judocus Clicthoveus Pariſienſis ipſe Theologus teſtatur in libro, quem ad explicandam Concilij doctrinam edidit: *Quoniam*, inquit, *hiſce diſcuſſionibus cùm agerentur interfui, unà cum aliis nonnullis Theologicæ profeſſionis inſignibus viris, ad idem Concilium vocatus operæ pretium duxi*, &c. Sic & Provincialis Synodus, & illi Pariſienſes Theologi Tripartitum Gerſonis Opus probarunt, & fidelibus exponendum decreverunt.

Decima Synodus Senonenſis, quæ anno M. D. XXXIV. habita eſt, de vitâ & converſatione Clericorum: *Cùm ignorantia mater ſit errorum.* Et poſt alia: *Clerici habeant libros Eccleſiaſticos, præſertim Pſalterij, Evangeliorum, & Epiſtolarum totius anni, Hymnorum & Proſarum, ac Canonis Miſſæ probatas expoſitiones, Tripartitum Opus Joannis Gerſon.* Hæc Synodus, ut in alterius Senonenſis Synodi ſententiam, ſic & in ejuſdem ſententiæ verba tranſivit.

Undecima Synodus Lexovienſis, quæ circa idem tempus habita eſt, ſub Joanne Venatore Epiſcopo & Card. *Ut omnes ſciant, quæ ſint ſui officij, Clericos præcipuè in ſacris conſtitutos hortamur, ut habeant libros Eccleſiaſticos, præſertim Pſalterij, Evangeliorum & Epiſtolarum totius anni, Hymnorum ac Canonis Miſſæ probatas expoſitiones, Tripartitum Opus Joannis Gerſon.*

Duodecima Synodus Carnotenſis, quæ anno M. D. L. habita eſt, titulo XIV. *Sed, ut ipſi* (Sacerdotes) *ſciant, quæ ſint officij ſui, potentéſque ſint alios inſtruere, & otioſitatem omnium malorum matrem evitent, hortamur omnes Clericos & maximè Sacerdotes, & in ſacris conſtitutos Ordinibus, quatenus ipſi cum ſummâ diligentiâ dent operam lectioni & intelligentiæ ſacrarum Litterarum, habeántque libros Eccleſiaſticos, præſertim Pſalterij, Evangeliorum & Epiſtolarum totius anni, Hymnorúmque & Proſarum, ac Canonis Miſſæ probatas expoſitiones, Tripartitum Opus Gerſonis.* Sic una Synodus alterius Synodi conſtitutiones exſcribit.

Decima-tertia Synodus Bellovacenſis, quæ ante hoc, ſed mihi incertum, tempus habita eſt ſub Ludovico Villerio Bellovacenſium Epiſcopo, uti docet altera, quæ eſt.

Decima-quarta Synodus Bellovacenſis, quæ anno M. D. LIV. habita eſt, tractatu de Pœnitentiâ: *Interrogent de ſeptem peccatis mortalibus, conformiter ad examen Magiſtri Joannis Gerſon in Opere ſuo Tripartito.*

Iterum in tractatu de Extremâ-Unctione: *Secundo loco dicendum eſſet de decem præceptis divinis, quorum cognitio Curatis, & eorum Vicariis eſt maximè neceſſaria, ut ea*

fami-

familiariùs populo ſibi commiſſo explanent, niſi Chriſtianiſſimus & reſolutiſſimus Doctor Joannes Gerſon in ſuo Opere Tripartito dictorum præceptorum expoſitionem eſſet clarè & abundè proſecutus: Propterea omnes dictos Curatos & eorum Vicarios ad illud Opuſculum brevitatis causâ remittimus. Et poſt alia: *Pro quo faciendo poterunt habere recurſum ad Opus Tripartitum Joannis Gerſon, quod à pia memoria prædeceſſore noſtro Ludovico de Villers quondam imprimi curatum eſt, & Gallicè expoſitum.* Sic una Synodus alteri Synodo fidem commodat ampliſſimam.

Decima-quinta Synodus Rutenenſis, quæ anno M. D. LII. habita eſt, Decreto IV. de Sacramento Extremæ-Unctionis: *Adhibeatur*, inquit, *quædam exhortatio præparationis ad mortem, juxta formam, quam Dominus de Gerſonio docet in libello ſumptibus noſtris annis ſuperioribus typis excuſo, & omnibus Rectoribus, atque eorum Vicariis gratis communicato.* Rutenenſis hic Epiſcopus ſemel atque iterum Gerſonis Opus Synodicè probavit.

Decima-ſexta Synodus Pariſienſis, quæ habita eſt anno M. D. LVII. *Quibus*, inquit, *ſtatutis Gerſonis doctoris eximium libellum, quo Catecheſis Chriſtiana continetur, adjici curavimus, qui quod in eiſdem ſanctionibus & ſtatutis deſiderari forſan poterit, abundè ſuppeditabit.* Sic Opus Gerſonis placuit appellari Synodalium conſtitutionum ſupplementum.

Decima-ſeptima Synodus Catalaunenſis, quæ anno M. D. LVII. habita eſt, ut in eo libro refertur, qui nuncupatur *Breve de fidei orthodoxa rudimentis compendium, in ſeptem tractatus digeſtum, atque à ſacrâ Remenſi Theologia Facultate approbatum: adjectum autem ſtatutis Synodalibus Epiſcopi Catalaunenſis, ad communem omnium plebanorum utilitatem.* Paginâ CLVI. *De præceptis legis in ſpecie, ex Catholico & admodum reſoluto Doctore domino de Gerſonio in ſuo Opere Tripartito primum præceptum eſt diligere Deum,* &c. apud Gerſonem. Ecce tibi Facultas Theologiæ Remenſis, quæ poſt hanc Synodum communi ſuffragio Tripartitum Gerſonis Opus approbandum cenſuit.

Decima-octava Synodus Carnotenſis, quæ anno M. D. LXXV. habita eſt, atque edita ſub hoc titulo: *Norma piè vivendi, à reverendo in Chriſto Patre D. Nicolao de Thou, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopo Carnotenſi, præſcripta Parochis Carnotenſibus in Synodo Diœceſanâ, de Sacramentis: Quid de numero, uſu & efficaciâ Sacramentorum conſtituerit Eccleſia, diſcant è venerabilis Joannis à Gerſonio dudum Pariſienſis Academiæ Cancellarij libello, quem ad animarum ſalutem hiſce Synodalibus monitis adjici curavimus.* Quâ de re ſic idem Epiſcopus in Epiſtolâ ad diœceſis ſuæ Curiones: *Etſi noſtris Synodalibus monitis potueritis plenè informari de iis, quæ ad veſtri miniſterij executionem pertinent, tamen ut ſatisfiat eorum votis, qui in ſacrarum Litterarum ſtudiis non eò profecerunt, ut Eccleſiaſticis functionibus incumbant, Tripartitum Opus venerabilis Doctoris Magiſtri Joannis de Gerſonio dudum Cancellarij Academiæ Pariſienſis adjici curavimus, præcipientes, ut illud per capita ſingulis diebus Dominicis in Miſſâ matutinali prout occurrerit, exponatis.*

Ceterùm Facultas Theologiæ Pariſienſis ſic probavit illam piè vivendi normam, quæ ab Epiſcopo Carnotenſi ſuis Diœceſanis præſcripta eſt.

Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, die decimâ-quintâ Maij, ſacratiſſima Theologiæ Facultas Pariſienſis poſt Miſſam de defunctis apud Collegium Sorbonæ pro more celebratam, in eodem Collegio congregata eſt ſuper ſuis agendis. In quâ congregatione auditâ relatione Magiſtrorum noſtrorum Juliani de ſainct Germain, & Dionyſii Hangart, qui ex ordinatione prædictæ Facultatis viſitaverunt librum inſcriptum, Norma piè vivendi, à Reverendo in Chriſto Patre Nicolao de Thou, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopo Carnotenſi, præſcripta Parochis Carnotenſibus in Synodo Diœceſana M. D. LXXV. *non impedit Facultas, quominus dictus liber imprimatur. De mandato dominorum Decani & Magiſtrorum dictæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.*

Adjungo Rituales quarumdam Galliæ Eccleſiarum libros, qui Diœceſanis Synodis mihi videntur æquivalere. In iis nunc expreſſo, nunc tacito Gerſonis nomine, Tripartitum Opus laudatur, ſuppeditatque verba, quibus infirmi ad benè moriendum excitentur.

Ex Lugdunenſi primâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Lugdunenſis, qui anno M. D. XLII. editus eſt, in tractatu V. *Sequuntur Joannis Gerſonis Doctoris Theologi & Pariſienſis Cancellarii, egregiæ exhortationes quatuor, quibus homo in extremis conſtitutus ad benè moriendum excitetur.*

Ex Lugdunenſi ſecundâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Rotomagenſis, qui anno M. D. XLIV. & M. D. LXXXVI. editus eſt, ſub finem: *Sequitur brevis & utilis monitio in vulgari juxta doctrinam Magiſtri*

Magiſtri Joannis Gerſon Doctoris: quæ quidem monitio debet fieri omnibus Chriſti fidelibus in articulo mortis poſitis, & continet quatuor partes, videlicet exhortationes, interrogationes, orationes & obſervationes.

Idem Ritualis liber editus anno M. DC. XI. & M. DC. XL. ubi traditur modus juvandi morientes: *Parochus igitur vel alius Sacerdos, infirmum exhortari poterit his brevibus & efficacibus verbis, quæ deprompta ſunt ex Joanne Gerſon.*

Ritualis liber Eccleſiæ Sagienſis, qui editus eſt anno M. DC. XXXIV. in II. parte de viſitatione & curâ infirmorum: *Videat autem in eo munere Parochus, quibus potiſſimùm tentationibus, aut pravis opinionibus, æger ſubjectus ſit, eiſque prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibeat. Si alia non ſuppetant, his brevibus & efficacibus verbis eum poterit exhortari.* Et poſtea ſequuntur Joannis Gerſonis exhortationes quatuor.

Ex Lugdunenſi tertiâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Redonenſis, qui anno M. D. LVII. editus eſt, de Sacramento Extremæ-Vnctionis: *Sequuntur nonnulla exhortationes bonæ, ex doctrinâ Joannis Gerſonis ſolennis in Theologia Magiſtri deprompta, quibus homo ad benè moriendum eruditur.*

Ritualis liber Eccleſiæ Venetenſis, qui anno M. D. XCVI. editus eſt, repetit ex Opere Tripartito magnam partem eorum, de quibus à Preſbytero moribundus interrogatur.

Ex quartâ Lugdunenſi.

Ritualis liber Eccleſiæ Trecenſis, qui anno M. D. XLI. & M. D. LXXIII. editus eſt, repetit ex Opere Tripartito magnam partem eorum, de quibus à Preſbytero moribundus interrogatur.

Ex novâ Lugdunenſi quintâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Pariſienſis, qui anno M. D. LXXXI. M. DCI. M. DC. XV. & M. DC. XLVI. editus eſt, repetit ex Opere Tripartito magnam partem eorum, de quibus à Preſbytero moribundus interrogatur. Quæ Gerſo paucioribus, in hoc libro ut in Trecenſi, & quibuſdam aliis, explicantur pluribus.

Ritualis liber Eccleſiæ Meldenſis, qui anno M. D. XLVI. editus eſt, idem planè præſtat, additis, quæ ad exhortationes pertinent.

Ex Belgicâ primâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Metenſis, qui anno M. D. XLII. editus eſt, poſt datum infirmo viaticum: *Sequuntur interrogationes & exhortationes, quæ fieri debent morientibus, ſeu infirmis agoniſantibus*, quæ ex Opere Tripartito deſumuntur.

Ritualis liber Eccleſiæ Virdunenſis, qui anno D. D. LIV. editus eſt; de Extremâ-Unctione: *Sequitur alia Presbyteri ad ægrotum exhortatio*, quæ ex eodem Opere depromitur.

Ritualis liber Eccleſiæ Tullenſis, qui anno M. D. XXIV. & M. D. LIX. editus eſt, inter Inſtructiones infirmi: *Sequuntur interrogationes & exhortationes, quæ fieri debent morientibus*, quæque ex eodem Opere depromuntur.

Ex Belgicâ ſecundâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Noviomenſis, qui anno M. D. LX. editus eſt, ad calcem: *Sequitur Joannis Gerſonis Doctoris Theologi & Pariſienſis Cancellarii Tractatus de arte benè moriendi, utiliſſimus & neceſſarius Chriſtianis omnibus, & maximè Sacerdotibus curam animarum habentibus, ut illius ope homines in articulo mortis poſitos ad benè moriendum hortentur*, Hic autem tractatus de arte bene moriendi continetur in tertiâ parte Operis Tripartiti

Ritualis liber Eccleſiæ Silvanectenſis qui anno M. D. XXVI. editus eſt; quicquid eſt in Opere Tripartito, ad modum exhortandi & interrogandi moribundum pertinens, ad verbum tranſcribit.

Ex novâ Belgicâ quartâ

Ritualis liber Eccleſiæ Mechlinienſis, qui anno M. D. XCVIII. editus eſt, ubi traditur ordo juvandi morientes, quicquid eſt in Opere Tripartito, deſcribit.

Ritualis liber Eccleſiæ Iprenſis, qui anno M. DC. XXXIX. editus eſt, idem omnino facit.

Ex Viennenſi Provinciâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Viennenſis, qui anno M. D. LXXVII. editus eſt, in viſitatione infirmi in agoniâ conſtituti: *Sequuntur Joannis Gerſonis Pariſienſis Cancellarii exhortationes quatuor, quibus Presbyter erga ægrotum in mortis periculo verſantem uti poterit.*

Ritualis liber Eccleſiæ Gebennenſis, qui juſſu Franciſci Saleſii beatæ memoriæ Epiſ-

Epiſcopi, anno M. DC. XII. editus eſt, ubi præſtituit *quomodo Parochus ægrotos ad benè in Domino moriendum diſponere debeat: Sequuntur Joannis Gerſonis Pariſienſis Cancellarii exhortationes quatuor, quibus Presbyter erga infirmum morti proximum uti poterit.*

Ex Aquitaniâ ſecundâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Burdegalenſis, qui anno M. DC. XI. editus eſt, in Sacramento Extremæ-Unctionis: *Ordo juvandi morientes ex Joanne Gerſon, in Tripartito.* Hic liber inuſum totius provinciæ tranſivit, dicíturque *reformatus ex Romano & iis, quibus Eccleſia Gallica paſſim utuntur; idque tantâ cautione, ut omnia revocata ſint ad Decreta Conciliorum, Pontificum, & Catechiſmi, Breviarii & Miſſalis Romani verba & regulas.*

Ex novâ Narbonenſi tertiâ.

Ritualis liber Eccleſiæ Toloſanæ, qui anno M. D. XXXVIII. & M. D. LIII. editus eſt, ex Opere Tripartito modum interrogandi ægrotum præſcribit.

In his autem & Conciliis & libris Ritualibus ſunt quatuor prorſus digna, quæ diligenter animadvertantur. Unum eſt, certò juxtà & perſpicuè conſtare, magnificam commendationem, & præclara elogia, quæ his Gerſonis operibus multò poſt illius obitum tributa ſunt, ab auctore dum viveret, vel ab ejus fautoribus & amicis quæſita non eſſe, aut emendicatis ſuffragiis extorta.

Alterum, nullum partium ſtudium, nullam-ve cuiquam contradicendi libidinem, ſed unicam Gerſoniani Operis pietatem & eruditionem feciſſe, ut illud diverſis & temporibus & locis à tam multis Epiſcoporum Synodis & Eccleſiis probaretur, probatumque Chriſtiano populo tantâ ſolicitudine commendaretur.

Tertium, nullum eſſe, quod ſciam, Eccleſiaſticorum tractatorum, librum quem ut pium & orthodoxum tot unquam Synodi laudaverint, & ſuis calculis comprobaverint.

Quartum, in memoratos Gerſonis libros niſi meliùs, ſaltem perinde convenire, quod delecti à Clemente VIII. ad parandam beati Raimundi conſecrationem Præſules de hujus Summâ obſervarunt. Res mutuâ contentione liquet. Obſervarunt illi, à pluribus Theologiæ Magiſtris & Juris Antiſtitibus eam laudari, & in auctoritatem admitti, ex eoque magnæ in doctrinâ & in ſcriptore commendationis & ſanctitatis præjudicium feceʀunt. Sed hîc non privati Doctores, ſed publicæ Synodi decem & octo, quarum Provincialis una eſt, eâque celeberrima, Gerſonis doctrinam in Eccleſiaſticas inſtitutiones tranſcribunt, atque ita commendant, ut major nulla poſſit eſſe commendatio.

CAPUT IV.

Plures pluribus ex locis & nationibus Provinciales Synodi referuntur, quibus eadem de frequenti Confeſſione & Communione doctrina confirmatur.

POSTQUAM in primis retulimus Synodos, quæ Gerſonis opera, in quibus frequentis confeſſionis & communionis praxis & utilitas docetur, probarunt, & ſuis laudibus extulerunt: ſecundo nunc loco alias Synodos Provinciales referendas eſſe duximus, in quibus Epiſcopi traditam à Gerſone doctrinam tacito auctoris nomine ſuis ſtatutis indiderunt, vel certè laudabilem de frequenti confeſſione & communione ſententiam amplexi ſunt. At ſi primum dici verè poſſit, inde factum eſt, ut quæ unius privati Magiſtri doctrina eſt, eam inter ſe communem reddiderint, & in Eccleſiarum ſuarum uſus transfuderint: ſi verò dicendum eſt ſecundum, inde proculdubiò accedit, ut magni & illuſtres eruditione & dignitate viri in eandem de frequenti confeſſione & communione ſententiam conſpiraverint.

Prima ergo, quæ nunc occurrit, Synodus eſt Senonenſis, quæ anno M. D. XXVIII. habita eſt, cap. XII. inter Decreta morum: *Hortentur inſuper iidem Curati eoſdem parochianos ſuos, ut frequenter peccata ſua confiteantur, & Sacramentum Euchariſtiæ percipiant, præſertim in feſtis ſolennibus, & tempore infirmitatis, aut ubi inſtat periculum mortis, ſcilicet, cùm mare ſunt navigaturi, aut per diverſa loca peregrinaturi.* Hæc præter Gerſoniani Operis Tripartiti commendationem, quæ ſuperiori cap. memorata eſt.

Secunda Synodus Colonienſis, quæ anno M. D. XXXVI. habita eſt, de adminiſtratione Sacramentorum cap. XXI. *Et ut cohortandus eſt populus, quò ſæpenumero communicet, quemadmodum olim ſingulis diebus Dominicis fieri conſuevit.*

Tertia Synodus Florentina, quæ [p] anno M. D. LXXIV. habita eſt, cap. IV. de Euchariſtiâ: *Parochi ſæpe inter Miſſarum celebrationem populum admoneant de antiquâ Eccleſiæ*

[p] *Anno M. D. LXXIV.*] Celebratum eſt Concilium anno 1573. & decreta edita anno 1574.

cleſiæ conſuetudine communicandi, ut ad frequentationem hujus Sacramenti inflammentur.

Quarta Mediolanenſis, quæ libro II. Conſtitutionum & Decretorum Synodalium provinciæ Mediolanenſis refertur, & circa hoc tempus habita eſt, de ſanctæ Euchariſtiæ in Eccleſiâ adminiſtratione ac ſumptione, num XXV. *Id magnopere Epiſcopus curet, ut vel per ſe, vel per Parochum, vel per alium in adhortandi munere exercitatum ac probatum, etiam inter communicandum verborum pondere & ſententiarum, quaſi jaculis, & opportunâ aliquâ & crebrâ, brevique cohortatione populus collectus, cùm ad frequentem ſanctiſſimi Sacramenti ſumendi uſum excitetur, tum etiam commonefiat, quàm periculoſum exitioſumque ſit, ad ſacram divini illius cibi menſam indignè accedere; ac rurſus quàm valde admodum in omnes partes utile, ac fructuoſum pabulo illo cæleſti ſalutariter ac frequenter uti.*

Deinde num. XXVIII. *Parochi crebris cohortationibus in id maximè incumbant, ut populus ſibi commiſſus ad confeſſionem & communionem frequenter, præcipuè autem in Nativitate Domini & Pentecoſtes, ac aliis ſolemnitatibus accedat.*

Tum num. XXIX. *Ad ſaluberrimum illum ſacra Euchariſtia frequenter ſumenda uſum Parochi, ut primo provinciali Concilio juſſum eſt, concionatores item, quàm ſæpiſſimè populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis atque exemplis, & graviſſimorum Patrum vocibus, & uberrimâ hoc ipſo de genere Catechiſmi Romani doctrinâ, & ſententiâ denique Tridentina Synodi, que optaret quidem fideles in ſingulis Miſſis, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtia perceptione communicare.* Hæc ſanctus Carolus & comprovinciales Epiſcopi.

Quinta Synodus deputatorum Gallicani Cleri, quæ anno M. D. LXXIX. Meloduni habita eſt, ſub hoc titulo: *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Decani, Archidiaconi, & alii ſtatus Eccleſiaſtici, in Conventu urbis Melodunenſis nomine totius Gallicanæ Eccleſiæ coacti, dominis ac fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Capitulis, totiuſque Gallicana Eccleſia Clero ſalutem in Chriſto precantur ad pacem.* De Sacramentis in genere. *Sacramentorum vim & uſum Parochi pro ſubditorum captu ſæpiſſimè explicabunt, hortabunturque ſuos ad aſſiduam Pœnitentiam & Euchariſtia perceptionem, præcipuè in Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes, ac aliis Eccleſiæ ſolemnitatibus.* Et paulo pòſt, de Euchariſtiâ: *Ad frequentem communionem, cum fidei ſinceritate, ſpei confidentiâ, ardore caritatis, ac animarum puritate populi animandi ſunt.* Et poſt alia de Pœnitentiâ: *Cùm pœnitentia & peccata deleat, & gratiam infundat, ad tanti Sacramenti perceptionem ſæpiſſimè à Parochis cohortandi ſunt populi.* Hic eſt Gallicanæ Eccleſiæ de propoſito themate ſenſus, quem nemo jure repudiabit. Porro verò inter provinciales Synodos accenſuimus Melodunenſem hunc conventum, quem inſtar nationalis Synodi habere quis poſſet. Sed cùm huic conventui dandus fuerit aliquis locus, inter provinciales, quàm diœceſanas Synodos rectiùs annumeratus eſt.

Sexta Synodus Neapolitana, quæ [q] anno M. D. XXC. habita eſt, cap. XV. „Redemptor noſter Jeſus Chriſtus, qui novit figmentum noſtrum, ut nos ad ſuæ ſimilitudinis formam repararet, diviſáſque naturas in unum illud ardentiſſimâ caritate colligeret, „unionis Sacramentum, quod propterea Synaxeos appellarunt, inſtituit, ut tanti theſauri participes, & in Deum ipſum transformaremur, concorporales effecti, ut pignus futuræ gloriæ; id eſt, perfectiſſimæ cum illo unionis ſub ſignis viſibilibus teneremus. Quare cùm in hoc præcipuè Sacramento ipſe totius ſanctitatis auctor & fons realiter contineatur, dolendum maximè eſt, cùm in tantâ affluentiâ fame morimur. Rogamus igitur, & toto pectore monemus Parochos & Concionatores, ut populum ad frequentem Euchariſtiæ ſuſceptionem hortentur, ut ſacroſancta Tridentina Synodus optat.

Septima Synodus Conſentina, quæ [r] eodem anno habita eſt, titulo de Euchariſtiâ: „Parochi partes erunt fideles crebrò adhortari, ut quod corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare neceſſarium putant, ita etiam quàm ſæpius hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ curam non abjiciant. Neque enim minùs ſpirituali cibo animam, quàm naturali corpus indigere perſpicuum eſt. Vehementer autem proderit, ſi ſæpius inter Miſſarum celebrationem Parochus populum admoneat de antiquæ Eccleſiæ conſuetudine quotidie communicandi, quia ad frequentationem hujus Sacramenti inflammabuntur.

Octava Synodus Burdegalenſis, quæ anno M. D. XXCIII. habita eſt, de Sacramentis in genere: „Paſtores omni ſtudio ac diligentiâ commiſſum ſibi Chriſtianum populum exhortari debent, cùm ad ſingularem erga omnia Sacramenta religionem & reverentiam

[q] *Anno M D X X C.*] Synodus habita eſt anno 1576. & decreta edita anno 1580.

[r] *Eodem anno habita eſt*] Non benè conjicit Launoius, habita eſt anno 1579.

„adhibendam, tum ad frequentum auguſtiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ & confeſſionis uſum: Quorum Sacramentorum contempus, ut ait divus Auguſtinus, homines ſacrilegos facit. Impiè enim contemnitur, ſine quo pietas conſtare non poteſt. Quamobrem à ſanctis olim Patribus piè ſtatutum fuerat, ut ſaltem ter quotannis, videlicet Natali Domini, Reſurrectione atque Pentecoſte, omnes, qui veri cenſeri vellent Chriſtiani; Euchariſtiam ſumerent. Et quamvis propter cariratis ardorem magnâ ex parte in animis hominum reſtinctum, nullo jam Eccleſiæ præcepto ad frequentiorem quàm annuum utriuſque hujus Sacramenti uſum fideles obligentur: nihilominus & Deo gratiſſimum eſt, & piorum animis ſaluberrimum ex puriſſimis divinæ gratiæ fontibus aquam æternæ vitæ ſæpius haurire. Nam quod per ſe ſemper optimum eſt, non poteſt non ſemper utiliſſimum eſſe.

Nona Synodus Remenſis, quæ eodem anno habita eſt, de Euchariſtiâ: „Cùm nihil habeat Chriſtiana religio Sacramento Euchariſtiæ præſtantius & auguſtius, nihilque ad ſanctè & inculpatè vivendum efficacius ejuſdem frequentiſſimâ participatione; dolemus tantam eſſe Chriſtianorum hujus temporis incuriam, ut ſemel tantùm in anno ſumant tam ſalutaris Sacramenti ſubſidia. Quare Parœci, & qui ad divini verbi prædicationem aſciſcuntur, deinceps de frequentis communionis antiquo uſu, ejuſdemque miris fructibus, & utilitate diſſerant, & fidelibus perſuadere nitantur, nullum eſſe modum aptiorem & compendioſiorem, quo ſopitis & extinctis hæreſibus Eccleſiæ Apoſtolicæ facies noſtro ſæculo redeat. Nos quoque fideles omnes hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, ut quàm ſæpiſſimè ſaltem verò diebus ſolemnibus communicent, & quotieſcunque poſtulaverit ingruens aliqua neceſſitas, quæ vitam humanam in diſcrimen & periculum adducat.

Decima Synodus Toloſana, quæ anno M. D. XC. habita eſt, cap. I. de Epiſcopis num. XXV. *Frequentem omnibus confeſſionem, frequentem communionem injungant, feſtiſque ſaltem ſolemnioribus iidem ipſi ſacroſanctum Euchariſtia Sacramentum propriâ manu miniſtrabunt. Omnibus*, inquit, *injungant*, nimirum ſeu pœnitentibus, ſeu juſtis. Et paullo pòſt cap. III. de Parochis num. I. *Populum de ſalute commonefaciant, ad crebram confeſſionem communionemque incitent.*

Undecima Synodus Tranenſis, quæ anno M. D. XCI. habita eſt, cap. I. de Euchariſtiâ: *Ad ſacroſanctam Euchariſtiam frequenter ſumendam Sacerdos hortetur. & antiqua Eccleſia ac laudabilis conſuetudo communicandi populo prædicetur.*

Duodecima Synodus Burdegalenſis, quæ [a] anno M. DC. XXV. habita eſt, cap. III. de Euchariſtia: *Sæpiſſimè fideles ad ſacratiſſima Euchariſtia ſumptionem cum omni devotione compunctis cordibus accedere peroptamus.* De fidelibus promiſcuè loquitur, ſive qui juſti, ſive qui pœnitentes haberi poſſint.

Decima-tertia Synodus Gneſnenſis, quæ anno M. DC. XXVIII. habita eſt, de Pœnitentiâ: *Quo frequentiùs in ſcopulos vitiorum impingunt fideles, eo ut ſæpius Sacramentum Pœnitentia, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula, frequentent, admoneant Parochi.* Si harum Provincialium Synodorum verba ſcopumque ſpectes, rem ferme eandem aſſerunt, quam Gerſo noſter aſſeruit. Pluribus non eſt opus, ut iſtud demonſtretur.

CAPUT. V.

Plures pluribus ex locis & nationibus Diœceſana Synodi referuntur, quibus eadem de frequenti Confeſſione & Communione Doctrina confirmatur.

TERTIO nunc loco expediendæ ſunt Diœceſanæ Synodi, quibus eadem cum Gerſone de frequenti confeſſione & communione doctrina confirmatur.

Prima Synodus, quæ occurrit, eſt Laudunenſis, quæ ad annum M. D. habita eſt. *Item frequenter moneant Presbyteri populum ad confeſſionem.*

Secunda Synodus Sueſſionenſis, quæ anno M. D. II. habita eſt, in Tractatu de Pœnitentiâ: *Sacerdotes ſuos ſubditos caritativè moneant, ut ſaltem quater in anno, videlicet in Navitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & omnium Sanctorum feſtis, ad confeſſionem accedant & communicent.* Hæc autem Synodus cùm ſtatuat monendum eſſe populum, ut quater ſaltem in anno ad confeſſionem & communionem accedat, gratiſſimum ſibi fore non obſcurè docet, ſi frequentiùs, ſingulis quippe menſibus aut ſeptimanis, adutrumque accederet Sacramentum.

Tertia

[a] *Anno M DC. XXV.*] Habita eſt anno 1624. & edita anno 1625.

Tertia Synodus Rotomagenſis, quæ anno M. D. VI. habita eſt, quemadmodum Fillonius Pariſienſis Theologus refert in libro, quem Speculum Curatorum appellavit: *Circa hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *moneant Curati ſuos parochianos ſæpe confiteri, maximè diebus feſtis.* Et alibi: *Moneant autem Sacerdotes pœnitentem, ne amodo recidivet in priora peccata, & ut frequentiùs ſolitò confiteantur peccata ſua, & oſtendat ei pericula, quæ imminent homini ex dilatione confeſſionis.* Quæ verba ſunt Gerſonis.

Quarta Synodus Pariſienſis, quæ anno M. D. XV. habita eſt, in tractatu de Pœnitentiâ: *Item hortamur ſingulos parochianos, ut in ſolemnibus feſtis anni, videlicet Nativitatis Domini, Paſchatis, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis beatæ Mariæ Dei genitricis, & omnium Sanctorum, ad confeſſionem accedant.*

Quinta Synodus Tornacenſis, quæ anno M. D. XX. habita eſt, cap. VII. *Item præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum parochialium Rectoribus, ut ſuos parochianos ſæpius moneant, adhortentur & inducant, ut frequenter ad confeſſionem accedant.*

Item cap. IX. *Injungimus omnibus Curatis & eorum Vicariis, quòd in præcipuis feſtis ſolemnibus præmoneant, & hortentur ſuos parochianos ſe præparare ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, aut ſaltem ad confeſſionem peccatorum faciendam, quatenus Dominus magis propitietur iis & liberis & familiæ ſuæ tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.*

Sexta Synodus Senonenſis, quæ anno M. D. XXIV. habita eſt, de exhortationibus per Preſbyteros parochiales faciendis: „Quoniam atteſtante experientiâ hominum labilis eſt memo-
„ria, periculoſiſſimúmque ſit, diutiùs in peccato remanere mortali, ac etiam damnoſum,
„cùm bona opera in mortali peccato ad ſalutem directè non proſint, ſtatuimus, ut Curati
„de cetero ex parte noſtrâ diligenter parochianos ſuos moneant & hortentur, ut ſua frequen-
„ter, ac præſertim in feſtis ſolemnioribus confiteantur peccata, in feſto ſcilicet Paſchæ, Pen-
„tecoſtes, Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, feſto omnium Sanctorum, Natalis Domini, &
„Dominicâ primâ Quadrageſimæ.

Septima Synodus Silvanectenſis, quæ ad annum M. D. XXVI. habita eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Tertiò quæritur, quando facienda eſt confeſſio: reſpondetur, quòd ad minus ſemel in anno ſub pœna novi peccati; ſed ſecurius eſt confiteri, habitâ opportunitate. Circa hoc moneant Curati ſuos parochianos ſæpe confiteri, maximè diebus feſtis, & legant ipſis commoditates, quæ inferiùs ſcripta ſunt vulgari ſermone, in tractatu de modo ſe præparandi ad confeſſionem.* At eædem ſunt atque illæ, quas ex Arturo Fillonio retulimus, cap. II.

Iterum in injunctionibus circa Sacramentum Pœnitentiæ: *Injungitur præterea, ut moneant ſingulis Dominicis parochianos ſuos, ut confiteantur peccata ſua.*

Octava Synodus Toloſana, quæ ad eundem annum habita eſt, de Euchariſtiâ: *Quilibet fidelis ex conſtitutione Eccleſiæ ad minus ſemel in anno, videlicet in die Paſchæ, tenetur cum multâ reverentiâ & devotione hoc Sacramentum ſuſcipere. Tamen pium & Chriſtianum eſt, frequentiùs & maximè in majoribus & annualibus feſtis communicare.*

Nona Synodus Trecenſis, quæ anno M. D. XXIX. habita eſt, *Quoniam*, inquit, *hominum labilis eſt memoria, adeo quòd quis poteſt vix recordari eorum, quæ fecit à menſe citrà, & cùm periculoſum ſit diu remanere in peccato mortali, immo & damnoſum valdè, cùm opera caritatis facta in peccato mortali directè non proſint ad animarum ſalutem, ſtatuimus, ut de cetero Curati moneant diligenter ex parte noſtrâ, & hortentur parochianos ſuos, ut confiteantur ſaltem in feſtis ſolemnibus.* Ex his verbis quàm utilis ſit confeſſionis & communionis frequentia nemo eſt, qui non facilè judicarit.

Decima Synodus Sueſſionenſis; quæ anno M. D. XXXII. habita eſt, in tractatu de Sacramento Pænitentiæ: *Circa hoc moneant Curati ſuos parochianos ſæpe confiteri maximè diebus feſtis.* Et poſt alia: *Injungitur præterea* (Curatis) *ut moneant ſingulis diebus Dominicis parochianos ſuos, ut ſæpe confiteantur peccata ſua*, &c.

Undecima Synodus Bononienſis in Italiâ, quæ anno M. D. XXXV. habita eſt Rubricâ V. de Pœnitentiâ: *Illud poſtremò adjicimus, quod Sacerdotes plebes ſibi commiſſas frequenter ad confeſſionem & pænitentiam moneant & hortentur.*

Duodecima Synodus Senonenſis, quæ anno M. D. XXXVI. habita eſt; „Quoniam
„atteſtante experientiâ hominum labilis eſt memoria, periculoſiſſimúmque ſit, diutius in pec-
„cato remanere mortali, ac etiam damnoſum, cùm bona opera in mortali peccato ad ſalutem
„directè non proſint, ſtatùimus, ut Curati deinceps ex parte noſtrâ parochianos ſuos diligen-
„ter moneant, ut ſua frequenter & præſertim in feſtis ſolemnibus confiteantut peccata, præci-
„pimuſque talem exhortationem ſeu monitionem fieri ſingulis diebus Dominicis, præfatas ſo-
„lemnitates immediatè præcedentibus.

Decima-tertia Synodus Claromontenſis, quæ anno M. D. XXXVIII. habita eſt, titulo

de proponendis populo per Sacerdotem parochialem: *Et quia valde periculoſum eſt in mortali peccato diutius torpeſcere, prout & ſuprà in titulo de Pœnitentiâ continetur, & quotidiana docent exempla, ſtatuimus ut qui animarum curam gerunt, hortentur, ſæpéque moneant ſuos ſubditos, quatenus frequenter ſua peccata confiteantur.*

Decima-quarta Synodus Carnotenſis, quæ anno M. D. L. habita eſt, titulo IX. de Sacramento Pœnitentiæ: *Sacramentalis Confeſſio divinâ lege & conſtitutione humanâ probatur eſſe lapſis in peccatum mortale de neceſſitate ſalutis. Quamobrem parochialibus Presbyteris injungimus, quatenus ſuos parochianos monitis ſalutaribus inducant, ut ſtatim poſt ruinam in culpam mortalem conterantur, & cùm primùm aderit commoditas, actualem faciant confeſſionem.* Et poſt pauca: *Hortentur Curati ſuos parochianos, ut in ſolemnibus feſtis anni ad confeſſionem devotè & reverenter accedant, & faciant hujuſmodi exhortationem diebus Dominicis præfatas ſolemnitates immediatè præcedentibus.*

Decima-quinta Synodus Rutenenſis, quæ anno M. D. LII. habita eſt, Decreto primò de Pœnitentiâ: *Sacramentalis confeſſio lege divinâ, atque humanâ conſtitutione probatur eſſe lapſis in mortale peccatum de neceſſitate ſalutis. Quamobrem omnibus & ſingulis parochialibus Presbyteris in diœceſi noſtrâ curam animarum habentibus injungimus, quatenus ſuos parochianos diligenter hortentur, ut ſtatim atque contigerit, eos in ruinam aliquam mortalem labi, conterantur, & ubi primùm aderit facultas, confiteantur.*

Decima-ſexta Synodus Senonenſis, quæ anno M. D. LIV. habita eſt, de Pœnitentiâ: præcipit, ut *quæ hac de re in prioribus Synodis ſtatuta ſunt, diligenter obſerventur.* At ſuprà oſtendimus, quæ priores Synodi de frequenti confeſſione ſtatuerunt.

Decima-ſeptima Synodus Bellovacenſis, quæ eodem anno habita eſt, de Pœnitentiâ: *Quoniam atteſtante experientiâ hominum labilis eſt memoria, & periculoſiſſimum eſt diutius remanere in peccato mortali, ac etiam damnoſum, cùm bona opera in peccato mortali ad ſalutem directè non proſint, ſtatuimus, ut Curati de cetero ex parte noſtrâ diligenter parochianos ſuos moneant & hortentur, ut impedimento legitimo ceſſante frequenter & præſertim in feſtis ſolemnibus confiteantur.*

Decima-octava Synodus Sueſſionenſis, quæ anno M. D. LXI. habita eſt: *Confitendum eſt ad minus ſemel in anno, ſed non deſinant Parochi, ſeu Vicarii eorum frequenter ſuos parochianos exhortari, ut ſæpe confiteantur, maximéque diebus feſtis.* Et poſt alia: *Moneat Sacerdos pœnitentem ne in poſterum relabatur in priora peccata, & ut frequentiùs ſolito confiteatur; atque oſtendat ei pericula, quæ imminent homini ex dilatione & negligentiâ confitendi.* Et poſt pauca: *Injungitur præterea, ut moneant parochianos ſuos, ut confiteantur peccata ſua vel ſaltem quater in anno, atque ad confeſſionem accedant, & communicent.*

Decima-nona Synodus Beneventana, quæ anno M. D. LXVII. habita eſt, cap. IV. de officio Parochorum: *Populum ſibi commiſſum crebris cohortationibus ad frequentem confeſſionis & communionis uſum, præſertim in Nativitate Domini, Pentecoſte, & aliis Eccleſiæ ſolemnitatibus inflammari diligentiſſimè ſtudeant.*

Viceſima Synodus Faventina, quæ anno M. D. LXIX. habita eſt, cap. VII. de Euchariſtiâ: *Etſi maximè cupimus, Curatos noſtræ diœceſis omni tempore populos ſibi commiſſos ad frequentem communionem hortari, explicaréque illius fructus, qui ex crebro tam divini Sacramenti uſu à fidelibus percipiuntur; id tamen mandamus, ut ſæpiùs ac diligentiùs advenientibus ſolemnioribus feſtis efficiant.*

Iterum cap. VI de Sacramento Pœnitentiæ: *Parochi ſæpius fideles ad frequentem confeſſionem hortentur: moneant verò non tantùm ad hoc ſalutare præſidium iis confugiendum eſſe, qui gravi aliquo morbo laborant, ſed iis etiam ſanis,* &c.

Viceſima-prima Synodus Vercellenſis, quæ anno M. D. LXXVI. habita eſt, de officio Paſtoris: *Ad frequentem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ uſum fideles omni ſtudio accendat.*

Viceſima-ſecunda Synodus Lugdunenſis, quæ anno M. D. LXXVII. habita eſt, cap. IX. de Pœnitentiâ: *Igitur monebuntur, & præcipuè in feſtis ſolemnibus anni.*

Viceſima-tertia Synodus Ebroicenſis, quæ [c] eodem anno habita eſt, de officio Curatorum & Vicariorum: *Adhortentur eoſdem ad ſanctiùs vivendum, inſtantiùs orandum, ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ in jejuniis, lacrimis, eleemoſynis, atque ad frequentiùs de Sacramentis communicandum, & potiſſimùm de altaris ſacrificio diebus ſolemnioribus, ne in pœnam præcedentium peccatorum ipſi inducantur in tentationem, & labantur in hæreſim, ut Deus avilietur, atque anima de præſentia corporis Chriſti & gratiarum copia in veritate confirmetur.*

Viceſima-

[c] *Eodem anno*] Habita eſt anno 1576.

Viceſima- quarta Synodus Vappincenſis, quæ anno M. D. LXXIX. habita eſt, in gallicâ inſtructione Curatorum, quæ ſic latinè redditur: *Cùm ergo Euchariſtiam aliquâ die Dominicâ ſumes, effice, ut hæc ſumptio ſit veluti præparatio ad eandem Euchariſtiam aliàs religioſiùs ſumendam. Hac in re verus Catholicus hæreticum accipere ducem non debet. Ne hunc divinum cibum unquam faſtidias, ſive quia qui eum tangas, teipſum judices indignum, (ſi enim quoad ſis omnino purus, atque ita diſpoſitus, ut nihil tibi deſit, exſpectes, ad illius divini cibi communionem nunquam accedes, tua fragilitas tali majeſtate digna eſſe nequit) ſive quia multi è ſæculo homines non tanti faciant.*

Viceſima-quinta Synodus Audomaropolitana, quæ anno M. D. XXCIII. habita eſt, cap. VII. de Euchariſtiâ: „Frequenter ſubditos ſuos Paſtores hortentur, ut ſacroſancta iſta „myſteria, quæ ad uſum noſtrum noſtræque fragilitatis ſubſidium ſervator dedit, non ita „raro & ægrè, ut magna hominum pars haud ſine injuriâ donatoris, adeant, ſed frequen„tent: quippe quibus animæ curentur vulnera, infirmitas refocilletur, vires ad juſtitiam „reparentur, unúſque cum Chriſto Domino ſpiritus, quin & unum corpus efficiamur. Ita„que ſi non ſingulis (id quod optandum ſit) diebus Dominicis, aut menſibus ſingulis, „at feſtis anni celebrioribus conſcientiam ita ut oportet, contritione & confeſſione expur„gati, præparati ac probati, humiliter & piè panem hunc quotidianum ac ſuperſubſtantialem „manducatum veniant.

Deinde titulo VII. de Pœnitentia cap. II. *Porro quos ad frequentandam confeſſionem, nec (quod optamus) octiduis ſingulis, nec ſaltem diebus feſtis anni præcipuis adducere Parochi poterunt, ſeverè moneant, ne annum elabi ſinant.*

Viceſima-ſexta Synodus Concordienſis, quæ anno M. D. XXCVII. habita eſt, parte III. de Sacramento Pœnitentiæ: *Diuturnitatem peccatorum & vetuſtatem effugiant; cùm letali periculo ſe innodatos agnoſcunt, ſtatim ad Pœnitentiæ Sacramentum convolent, frequenter digneque ſanctiſſimam Euchariſtiam recipiant.*

Viceſima-ſeptima Synodus Novarienſis, quæ [u] anno M. D. XCI. habita eſt, cap. XI. *Cùm fragilis admodum ſit humana natura, maximéque prona ad peccandum, alliciendi valdè ſunt peccatores ad hoc Sacramentum frequentandum, tum ut ſordes peccatorum diluant, tum ut fortiores ſint contra hoſtis nequiſſimi tela.*

Viceſima-octava Synodus Amerinenſis, quæ anno M. D. XCV. habita eſt, cap. III. de Concionatoribus: *At verò maximè concionator in id ſtimulos orationis ſuæ acuet, nervóſque intendet, ut omnes ad voluntatem ſtudiúmque crebro ſe confeſſionis & pœnitentiæ Sacramento purgandi impellat, quo expiatis & ab omni flagitiorum labe ſordéque expurgatis animis, pari inde crebritate & frequentiâ ad ipſum ſuſcipiendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum adeant, in quo non ad ſalutem ſolùm præſtandam, animámque ab hoſtilibus diaboli inſidiis tuendam, & cupiditatum noſtrarum aculeos reprimendos, atque rerum humanarum deſpicientiam induendam; ſed etiam ad vitam purè, caſtè, tranquillè, beatéque traducendam quantum adjumenti ſit, demonſtrabit, argumentis exempliſque à divinis literis, & à priſcorum Patrum libris petitis, quorum ei & cæleſtis doctrina ratio, & Sanctorum virorum vita ſummam copiam ſuppeditabunt.*

Viceſima-nona Synodus Anagnina, quæ anno M. D. XCVII. habita eſt, cap. XVI. *Fideles quàm ſæpiſſimè ad confeſſionem, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptionem paternis cohortationibus excitent, & accuratè doceant longè maximam utilitatem, & ſpiritualis jucunditatis fructum percipere omnes, qui ut ſe peccati mortalis conſcientiâ gravatos ſentiunt, ſtatim ad Sacramentum Pœnitentiæ confugiunt, maximéque corde contrito & humiliato ad cæleſtis regis menſam accedant.*

Triceſima Synodus Cremonenſis, quæ anno M. D. XCIX. habita eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: „Quo pluries aliquis infirmatur, eo frequentiùs medicum adit, remediá„que propoſita ſumere non renuit. Studeat ergo Confeſſarius recidivos peccatores ad „Pœnitentiæ Sacramentalis frequentiam inducere; & ſicut idem medicus in corporali in„firmitate adhibetur, ita & peccator ſuadeatur ad eundem Confeſſarium conveniendum. „Sic enim ſaluberrimâ erubeſcentiæ tunicâ amictus accuratiùs à peccatorum viis abſtinebit, „& ſi quod remedium adhibitum non ita profecerit, alia proponi poterunt pro adipiſcendâ „firmiori ſanitate.

Triceſima-prima Synodus Lucenſis, quæ ad annum M. DC. habita eſt, conſtitutione XLIX. *Quoniam nonnullos, qui publicè animarum curationi præſunt, negligentiâ evenire dubitamus, ut laïci, maximè verò ii, qui in aliquam ſocietatem, quam vulgò confraternitatem vocant, ſunt cooptati, eâ lege teneantur, ut ſæpe in anno ſacram Euchariſtiam ſumant,*

[u] *Anno M. D. XCI.*] Habita eſt anno 1590.

vel rarò, vel ſemel duntaxat id faciant; eam ob rem Parochis omnibus ſanctâ obedientia vi ac virtute mandamus, ut ſinguli inter ſacra, cùm fideles ad rem divinam convenerint, & eis Evangelium interpretabuntur, occaſionem nacti eoſdem cohortentur, ut ſæpe, vel ſaltem diebus feſtis, aut qui in aliquâ ſunt ſocietate ex ipſius conſuetudine ac legibus animam reficiant, ac recreent, & adversùs communis hoſtis nequitiam hoc præſtantiſſimo ac ſaluberrimo ſacramento muniant. Nihil enim ſalubrius quis facere poterit, quàm ſi in ſuis anguſtiis ac calamitatibus Sacerdoti priùs peccata confeſſus ad hoc ſalutare Sacramentum confugerit, quo Deo reconciliamur, ejuſdem gratiam aſſequimur, & cohæredes regni cæleſtis in Chriſto efficimur.

Triceſima-ſecunda Synodus Nolenſis, quæ eodem anno habita eſt, de Sacramento Pœnitentiæ tit. VI. cap. I. „Duæ ſunt vivendi rationes; una & illa quidem, quæ im„mundos facit de immundo conceptos ſemine; altera, quæ de peccatoribus facit ſanctos. „At cùm pauci admodum ſunt, qui primâ gradientes viâ innocentiam retineant baptiſma„lem, innumeri verò qui in diluvio aquarum multarum naufragantes ideo peccatorum fluc„tibus involvantur, ut niſi illis tantâ ex jacturâ ad pœnitentiam confugiunr ſit, vivi enata„re aut emergere nequaquam poſſint, dicente Domino: niſi pœnitentiam egeritis, omnes „peribitis. Cùm igitur frequentiſſimus lapſorum poſt baptiſmum numerus ſit, frequentior eſſe „debet & hujus tanti beneficii uſus, ad quem quidem Parochi ſuæ commiſſas cuſtodiæ ani„mas frequenter hortentur.

Triceſima-tertia Synodus Cameracenſis, quæ anno M. DC. IV. habita eſt, titulo VIII. de Sacramento Pœnitentiæ cap. V. *Parochianos ſuos ad frequentem confeſſionem ſæpe hortentur Parochi, modúmque & neceſſitatem confitendi eos publicè doceant, imminente potiſſimùm Adventu Domini & Quadrageſimâ.*

Iterum titulo IX. cap. II. *Ad frequentem & ferventem communionem ſæpe hortentur Parochi & Concionatores.* Non eſt hæc nova Cameracenſis Eccleſiæ diſciplina. Nam memini me legere in vetuſto codice manuſcripto, qui quædam hujus Eccleſiæ decreta continet, ſancitum eſſe ad annum M. CC. LX. ut *Sacerdotes frequenter moneant ſubditos ſuos, & eis in pœnitentiam injungeant ut ſæpe veniant ad confeſſionem.*

Triceſima-quarta Synodus Nucerina, quæ anno M. DC. VI. habita eſt, part. IV. cap. VIII. *Parochi ſæpe doceant populum, hujus ſanctiſſimi* (Euchariſtiæ) *Sacramenti quanta ſit virtus & excellentia, & ad frequentem illius ſumptionem hortentur.*

Triceſima-quinta Synodus Viterbienſis, quæ anno M. DC. XIV. habita eſt, cap. XII. *Neque ex eo quòd Eccleſia refrigeſcenti compatiens Chriſtianorum caritati, ſemel in anno communicandi legem præſcripſerit, putent fideles ſe firmiſſimo hoc animæ fulcimento & cibo reliquis temporibus non indigere. Nam quotieſcunque Chriſti corpus ſumimus in remiſſionem peccatorum, debemus illud ſemper accipere, ut ſemper nobis peccata dimittantur, quoniam qui ſemper peccamus, ſemper habere debemus medicinam.*

Item cap. XIV. „Habeant præ oculis (*Sacerdotes*) ut ſatisfactio quam imponunt, non „ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præte„ritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, cum moderamine tamen & diſcretione, „ne pœnitentes deterreant, & ab hujus Sacramenti frequentatione removeant. Meminerint tandem, ſibi inſtar bonorum medicorum oleum ſimul & vinum ſuper infirmi vul„nera eſſe fundenda.

His Synodis addimus Sacramentale Ferrarienſis Eccleſiæ, quod ad annum M. DC. VI. editum eſt, de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſub hoc titulo: „De frequenti ſacræ „communionis uſu: Ad ſaluberrimum hujus Sacramenti frequenter ſumendi uſum Parochus „fideles cohortabitur atque excitabit, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis ac exemplis, & ſancto„rum Patrum omnium conſentiente doctrinâ, ut ex Catechiſmo Romano diſcere poterit, „& ſententiâ œcumenicæ Synodi Tridentinæ, quæ optaret quidem fideles non ſolùm ſpiritua„li affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare. Curabit certè ut „præter Paſchatis communionem, quæ Eccleſiæ præcepto neceſſaria eſt, ſaltem in præcipuis „ſolemnitatibus, veluti Natali Domini, Epiphaniâ, Pentecoſte; in diebus item feſtis majori„bus beatæ Mariæ Virginis communicent.

Nunc ſatis eſt Eccleſiaſticarum Synodorum, quæ ſaluberrimam Gerſonis noſtri de frequentis confeſſionis communioniſque uſu & utilitate ſententiam tacito illius nomine confirmarunt, vel in eandem divino quodam conſilio tranſierunt. Cur autem utrumque, vel quod fere idem eſt, alterutrum fecerint, in causâ profectò fuit Gerſonianæ pietatis & doctrinæ opinio, quæ dudum per regiones integras, & per Chriſtianorum fere omnium animos pervaſit.

CAPUT

CAPUT VI.

Selecta piorum & doctorum hominum de Gerſone teſtimonia adducuntur.

ETsi videtur jam ſatis commendatus Joannes Gerſo, & confirmata illius de frequenti confeſſione & communione doctrina: tamen quia Scriptura monet, ut qui ſanctus eſt, fiat adhuc ſanctior; non erit ſupervacaneum id efficere, ut qui jam commendatus eſt, fiat adhuc commendatior, & quæ jam confirmata eſt doctrina commendatione docentis, aliorum teſtimonio magis adhuc magiſque confirmetur. Natura ipſa communis hominum parens hanc in animis hominum notionem impreſſit, ut ei, qui omnium vel penè omnium conſenſione laudatur, ſi paria ſint cetera, deferatur mirum quantum & fidei & auctoritatis. Tertullianus, Euſebius, Epiphanius, Baſilius, Theodoretus Irenæum cum præfatione honoris in medium adducunt: Auguſtinus vetuſtiores Patres vix aut nunquam citat, quin eos ſuis cumulet laudibus. Non ergo prædicabo Gerſonem, ſed mirificè prædicatum ab aliis oſtendam. Mihi tamen non ſumo, ut quæ omnes viri pii ac docti ad illum addiderint * elogia, percenſeam. Sic enim ex iis liber juſtæ magnitudinis conficeretur. Sed pauca tantùm de multis adnotabo.

Pariſienſis Eccleſia in ſuis ad annum M. CCC. XCIX. Commentariis prælucet: *Joannes*, inquit, *de Gerſono vir veneranda circumſpectionis & ſcientia.*

Joannes Monſtreletus in hiſtoriâ Caroli VI. cap. CXXXIII. *Magiſter Joannes Gerſo Theologia doctor celeberrimus & profundiſſimus.*

Nicolaus Clamengius epiſtolâ XXXII. ad Stephanum Comblacium: *Ille præſertim inter ceteros preceptor meus pio animarum zelo magnopere accenſus, celeſtiſque itineris dux atque præmonſtrator optimus Cancellarius Pariſienſis.*

Petrus Alliacus Epiſcopus & Cardinalis Cameracenſis in Synodo: *Joannes Gerſo venerabilis & cariſſimus ſocius meus.* Sic magiſter ſuum diſcipulum appellat.

Joannes Juvenalis Urſinus in hiſtoriâ Caroli VI. ad annum M. CCCC. XIII. *Erat ibi inſignis Doctor in Theologiâ, & vir magna exiſtimationis Joannes Gerſo, Cancellarius Pariſienſis, & ſancti Joannis in Graviâ Paſtor.*

Franciſcus Zabarella Juris doctor ille celeberrimus, Cardinalis Florentinus, in Concilio Conſtantienſi, dum ſic alloquitur Huſſitas, qui abſurdâ quadam exceptione judicium Gerſonis ab ſe deprecabantur: *Dicitis, ô Huſſita, Cancellarium Pariſienſem ſuſpectum vobis exiſtere, qui tamen uſque adeo ſuperexcellens Doctor eſt, qualis in totâ Chriſtianitate vix reperiri queat.* Hæc apud Joannem Cochlæum lib. II. hiſtoriæ Huſſitarum.

Amedeus Lugdunenſis Archiepiſcopus, in epiſtolâ conſolatoriâ ad Joannem Gerſonem Cæleſtinorum Lugdunenſium Priorem: „Noverat plenè noſter pius Pater, quòd qui „mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, dixiſſéque libeat poſt tantos ſæculi hujus „honores, ubi primus Pater almæ Univerſitatis Pariſienſis re & nomine, & merito exiſ„tebat, ubi tantis rerum copiis & beneficiorum valoribus abundabat, pro veritate lon„gum paſſus exilium, etiam interdum in linguâ, quam non noverat, Apoſtolicâ fretus „doctrinâ ſcivit ſimul abundare & indigere, viciſſeque vitia, & ſervaſſe virtutes, confu„taſſe hæreſes, & plantaſſe veritates, in Chriſtique glorioſâ confeſſione & ſuâ peregrina„tione devotè obiiſſe, martyrio non carère videtur. Multos namque Sanctos legimus, & in „catalogo Martyrum deſcribimus, qui ſolùm paſſi ſunt exilia. Nec illud vos moveat, „ſemper colende Pater, quòd nodoſas diſſolvebat difficultates, & in hoc vobiſcum con„veniam, quòd poſt ſe non reliquit ſimilem ſibi, ſed in agro ſemper proficiens dominico, „inceſſabili calamo ſcribens, poſteris ambiguitates plurimas ſubmovit, & ſcripta ſua revol„ventium mentes elevavit, & par acumen eminentis ſui ingenii tenebras fugavit.

Dionyſius Cartuſianus lib. III. de auctoritate Papæ & generalium Conciliorum, art. III. *Diſputationem hanc à profundiſſimis ſacra Theologia Doctoribus, qui ante paucos annos fuerunt, ſuiſque temporibus habuiſſe majores non æſtimantur, ut putà à Petro præfato,* (de Alliaco Cardinali) *deinde ab exercitatiſſimo in ſcholaſticis viro Magiſtro Joanne Gerſone Cancellario Pariſienſi, qui ambo in Conſtantienſi Concilio inclytè floruiſſe ſciuntur.* Tum. art. VI. *Per Cancellarium Pariſienſem in iſto opuſculo intelligo egregium illum doctorem Joannem de Gerſono, quem communiter Gerſonem vocamus, qui tempore Concilii Conſtantienſis floruit.* Idem lib. de regimine Epiſcoporum art. XXXVI. *Zelo domus Dei accenſus venerabilis ille Cancellarius Pariſienſis dominus Joannes de Gerſon, in libro ſuo de*

* *Elogia*] Quæcumque hîc ad nauſeam uſque Collegit Launoius, exſcribere non puduit in cap. I. Lib. 2. p. 3. Hiſtoriæ Collegii Navarrici, adeò ut hoc ſextum caput integrum in hanc Hiſtoriam tranſlatum fuerit.

ſuo de Reformatione Eccleſiæ multas tangit abuſiones, ad quarum reformationem & eradicationem tenentur Pontifices. Idem in lib. de laude Ordinis Cartuſienſis art. III. *Contra præfatas calumnias dudum ſcripſerunt viri literati ac boni, Magiſter Arnoldus de Nova-Villa præcipuus Phyſicus: Cancellarius quoque Pariſienſis Joannes de Gerſon glorioſus Theologus.* Art. X. recitat nonnulla Gerſonis verba, quibus ille docet Cartuſianum poſſe ſine ullo peccato uti cibis in caſu ſummæ neceſſitatis. Art. XI. licèt Gerſonis rationes conetur refellere, ſic tamen concludit: *Poſtremò venerabilis Doctor ille, quamvis in prætactis videtur remiſſiùs eſſe locutus, poſtmodum tamen in ultimâ præallegati opuſculi ſui parte ſcripta ſua ſatis reſtringere & arctare videtur ad intentionem nunc inductorum, atque præfati ſtatuti Ordinis Cartuſienſis, cujus utique Ordinis ipſe erat fidelis amicus, ac zelator præcipuus, cujus etiam ſcripta à perſonis Ordinis in reverentiâ magnâ habentur.* Hæc ille qui ad annum M. CCCC. XL. claruit.

Wernerus Rolewinkius Colonienſis Cartuſianus, in Faſciculo temporum ætate VI. ad annum M. CCCC. IV. *Joannes Gerſon Petri de Alliaco diſcipulus, Doctor Theologiæ, claret Pariſiis.*

Petrus Schottus ſancti Petri Argentinenſis Canonicus, in compendioſâ laude Joannis Gerſonis: „Pariſienſis quondam ſtudii Cancellarium ſi quis Doctorem Chriſtianiſſimum vocet,
„is certè videbitur ejus merito ac dignitati non impertinens nomen, indecentemque titu-
„lum attribuiſſe. *Et poſt alia*: Nam traditus bonis artibus in Pariſienſi gymnaſio ita ſe
„exercuit, ut proficiente cum tempore peritiâ & integritate, omnium ille Theologiam pro-
„fitentium tempore ſuo longè eminentiſſimus haberetur, & eſſet ſingularis profectò gloria
„viciſſe Pariſienſes in eo, in quo ipſi ceteris ſtudiis omnibus præſtitiſſent. *Et poſt alia*: Ita-
„que expeditiſſimus & reſolutiſſimus erat in vero cognoſcendo: in defendendo autem quàm
„firmus, quàm imperterritus fuerit, vel hoc unum argumento nobis ſit, quòd poſt gra-
„viſſimas altercationes, quibus contra impugnatores veritatum fidei & præceptorum fidei
„coram ſacroſancto Concilio certaverat, Principis etiam potentiſſimi odium non veritus,
„velut alter Chryſoſtomus, aut Athanaſius, ipſum tandem exilium moleſtiſſimum perpeti
„non detrectavit. O virum verè Chriſtianum! *Et poſt alia*: Honorentur alii Doctores,
„quiſque ſuo epitheto dicatur, hic Sanctus; ille Seraphicus, magnus iſte, irrefragabilis
„alter, ſubtilis, ſolemnis, illuminatus, juſtè quidem & benè. Liceat obſecro Joannem quo-
„que Gerſon non fraudari laude, liceat Chriſtianus Doctor appelletur. Is cujus primò
„doctrina ad meras Chriſti traditiones omnem noſtram aſſertionem contendit meriri: cu-
„jus deinde ſtudium primariæ Chriſti operationi, propter quam in mundum venerat, teſti-
„monio ſcilicet veritatis intentiſſimè fuit addictum: cujus poſtremò vitæ concluſio tanta
„anagogicæ & verè Chriſtianæ contemplationis dulcedine & amore flagravit, ut velut cy-
„gnus modulato canticorum carmine mortem ſuſcipiens, in felicem familiam Chriſti, quem
„docuerat, pro quo certaverat, & quem totis viribus deſideraverat, non immeritò in æternâ
„beatitudine receptus credatur.

Hartmannus Schedel Patavienſis Doctor ætate VI. mundi: *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis denominatus hac tempeſtate* (anno M. CCCC. XVI.) *floruit, & in Concilio Conſtantienſi nonnulla pro Rege Franciæ & aliis abſolvit, vir admodum doctus, Theologus ſummus, Pariſius ſacrarum literarum Chriſtianiſſimus Doctor, qui ſcripta varia & libros à ſe editos Eccleſiæ profuturos poſt ſe reliquit.*

Joannes Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Joannes de Gerſon natione Gallus, Cancellarius Pariſienſis, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, ſententiâ certus ac ſtabilis, conſilio cautus, & dubiorum clariſſimus interpres, ſcripſit metro & proſâ multa præſtantiſſima opuſcula, quibus nomen ſuum apud poſteros immortalitatem ſemper obtinebit, quorum lectio devotis & religioſis viris non minùs utilis, quàm jucunda eſt.*

Joannes Raulinus Pariſienſis Theologus, vir optimus, & concionatorum ſui temporis facilè princeps, in ſermonibus ſuis Gerſonem perinde ut unum ex antiquis Eccleſiæ tractatoribus paſſim laudat: ad exemplum pauca de multis indicabo. Serm. II. de Pœnit. *Præterea ſecundùm Joannem de Gerſono.* Et paullo pòſt: *Hæc Gerſon.* Serm. IV. de Pœnit. *Dicitur cum Gerſon.* Serm. V. de Pœnit. *Reſpondet Gerſon.* Iterum: *Reſpondeo ſecundùm Gerſon.* Serm. XX. de Pœnit. *Dicitur cum Gerſon.* Serm. XVIII. in Adventu Domini: *Suaderi primò poteſt ſecundùm Joannem Gerſon.* Sermone XXXVI. in Adventu Domini: *Creditur ſecundùm Gerſon.* Serm. II. de Euchariſtiâ: *Quomodo nos ſatiabis in patriâ, quos hic tam ſuaviter reficis peregrinos? ſecundùm Joannem Gerſon.* Serm. VI. de Euchariſtia: *Cùm autem ex legitimâ cauſâ quis omittit audire miſſam, tunc nullum eſt ſibi peccatum. Et ad hoc obſervanda eſt regula Magiſtri Joannis Gerſon, in tractatu de regulis mandatorum.*

Serm.

Serm. VIII. de Euchariſtiâ: *Quomodo quis dignè poterit accedere ad hoc Sacramentum? Ad hoc reſpondetur cum Magiſtro Joanne Gerſon per ſex propoſitiones.* Iterum: *Utrum quis propter aliquam immunditiam teneatur abſtinere à communione Euchariſtia. Reſpondetur per* v. *propoſitiones. Prima eſt ſecundùm Gerſon.* In fine propoſitionis IV. *Hac Gerſon.* In fine propoſitionis v. *Hac Joannes Gerſon.* Serm. IX. de Euchariſtiâ: ubi de placando Deo Patre per Filium: *Unde Joannes Gerſon perpulchrè de hoc ſic dicit.* Serm. III. de beatis Innocentibus, dierum infauſtorum ſuperſtitionem reſellit ex doctrinâ Gerſonis, quem nominatim appellat. Serm. I. de Viſitatione Virginis Mariæ: *Sed utrum antequam Joſeph dubitaſſet, & Mariam per matrimonium & verum conjugium accepiſſet cum celebritate nuptiarum, dùbium eſt; dicit Joannes Gerſon.* Sermone II. de Inventione S. Stephani: *Inde dicit Gerſon Cancellarius Pariſienſis.* Serm. Feriæ IV. in capite jejunii: *Ut dicit Gerſon in regulis moralibus.* Serm. III. Feriæ VI. in Paſſione Domini: *Moraliter loquendo ſecundùm Joannem Gerſon non vult Chriſtus bibere vinum ſecura delectationis, quia myrrhatum.* Hoc autem allegationis genus mirum in modum attollitur ab iis, qui auctore Clemente VIII. in Raimundi Pennafortii vitam & doctrinam priùs inquiſiverunt, quàm in Sanctorum numerum referretur.

Chriſtophorus Baſilienſis Epiſcopus, in epiſtolâ ad Canonicos Lugdunenſes: *Quoniam à multis annis doctrina & ſcriptis Magiſtri Joannis Gerſon ſingulariter affecti fuimus, in eiſdémque legendis uſque hodie plurimùm delectamur, (quòd nobis ſolidus, Eccleſia utilis, & omni ſtatui conſolatorius viſus eſt) deſideramus vehementer certiores reddi de quodam rumore, qui apud nos pridem haud ex futili auctore perſonuit, eundem Joannem Gerſon apud vos in Eccleſia divi Pauli Lugdunenſis ſepultum, multis & magnis clareſcere miraculis, populíque concurſu & celebritate frequentari.* Hæc ille ad annum M. D. IV.

Canonici Lugdunenſes in epiſtolâ ad eundem Chriſtophorum Baſilienſem Epiſcopum:
„Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ epiſtolam magna devotione & terſâ facundiâ refer-
„tamaccepimus. *Et poſt alia*: Eſt profectò ejus (*Joannis Gerſonis*) doctrina ſana, clara, ſa-
„lubris & devota, & inter ceteras ad pellendos animi morbos aptiſſima uſque adeo, ut
„jam Chriſtianiſſimus Doctor divus Gerſon paſſim nominetur. Erectum eſt in divi Joannis
„Gerſon decus & laudem devotum ſacellum, ubi ſuper altare ejus imago depicta eſt, ma-
„gnuſque populi concurſus pro obtinendâ divinâ ope affluit, & plurimi ſe adjuvari beati
„Joannis Gerſon precibus prædicant & fatentur. Iſta eſt, quæ apud nos vulgatur de divo
„Joanne Gerſon clara & celebris fama. Frater Laurentius Theologus Pariſienſis Ordinis
„Carmelitarum (*Siſtaricenſis Epiſcopus & Regis Confeſſor*) aliqua carmina in beati Joannis
„Gerſon laudem ſcripſit, quæ altari ſuo juncta ſunt. *Et poſt alia*: Nomen & virtutum præſ-
„tantiam, dotes & doctrinam Joannis Gerſon ſemper commendavit, & Regem Carolum
„(VIII.) ut capellam ædificaret, ſuo ſuaſu impulit. Omni ingenio, ſtudio, induſtriâ & la-
„bore apud Chriſtianiſſimum Regem dat operam, ut habitâ ſufficienti informatione de vitâ,
„moribus, patientiâ & doctrinâ, inter Divos canonizatus adſcribatur.

Philippus Bergomenſis in Supplemento chronicorum ad annum M. CCCC. XVII. *Joannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius his temporibus Theologorum princeps eſt habitus, qui cum multos tractatus edidiſſet utiles, ad Conſtantienſem Synodum perrexit, ubi ad unitatem Eccleſia promovendam, & ad hæreſes maximè Bohemorum extirpandas indefeſſè laboravit, propter quod diſſoluto Concilio ab iis hæreticis pertulit inſidias.*

Excerptum Hiſtoriæ Ludovici XII. ad finem Hiſtoriæ Guillelmi Jalegnii, & Andreæ Vinenſis: *Hunc* (Joannem Parvum) *ſubornaſſe Burgundum credibile eſt, quò Joannis Gerſon integerrimi viri & Theologia Profeſſoris acutiſſimi fidem elevaret, qui publicè adſtante ad verba rege in atrocius Joannis nefas invectus fuerat.*

Joannes Sangelaſius in Hiſtoriâ Ludovici XII. ad annum M. CCCC. VII. *Hac propoſitio facta eſt celeberrimè & elegantiſſimè à quodam ſancta Theologia Magiſtro Joanne Gerſone, qui omnium à tempore Thoma Aquinatis Theologorum princeps habitus eſt.*

Jacobus Wimphelingius Eccleſiæ Spirenſis Preſbyter, in præfatione quartæ partis operum Gerſonis: *Joannes Gerſon conſolatorius & Chriſtianiſſimus Doctor, ſempiterna Pariſienſium gloria, Concilii Conſtantienſis columna.*

Ejuſdem generale de operibus Gerſonis judicium, ab Antonio Poſſevino comprobatum. „Neque
„claudit hominibus facilè cælos, neque cæcam nutrit præſumptionem. At mediâ viâ, quæ tutior,
„incedit. Jugum Domini leve eſſe contendit. Papæ & Prælatorum poteſtatem oſtendit. Eccle-
„ſiæ reformandæ modum demonſtrat. Canonum & legum neceſſitatem aperit. Religioſos pro
„zelo docet. Adoleſcentes inſtruit. Pueros paterno affectu complectitur. Præceptores Gymna-
„ſiorum particularium etiam privilegiatorum informat. Orationes ad Clerum, & in laudem qua-
„tuor Facultatum ſententioſiſſimas excudit. Sermones optimos fecit. Theologos ſpeculativos ad

„materias utiles excitat. Hæreſes eliminat. In ſchiſma invehitur. Regum & Principum filiis
„præcepta tradit. Triplicem ſtatum, ſcilicet, eccleſiaſticum, militarem & civilem in Repu-
„blicâ neceſſarium eſſe demonſtrat. Cenſuum & redituum benignus eſt moderator & ju-
„dex. Curatorum ſive Parochorum jura defendit. Religioſis contemplativis dulciſſimas doc-
„trinas infundit. Prædicatorum Ordinem cum Univerſitate Pariſienſi reconciliavit. Confeſſa-
„riis bona præcepra largitur. Aſtantes agoniſantibus ſalubeiter erudit.

Concilium Piſanum anno M. D. XI. celebratum, in ſuis ad Facultatem Pariſienſem litteris, *Joannem Gerſonem optimum Eccleſia defenſorem appellat.*

Paulus Langius Monachus in Chronico Citizenſi: *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, Legatus pro tunc Gallorum Regis, qui ſuâ ſapientiâ prædictum valdè promovit Concilium*, ſcilicet Conſtantienſe.

Jacobus Merlinus Pariſienſis Theologus, in epiſtolâ nuncupatoriâ primæ editionis Durandi: *Joannes Gerſon totius orbis lampas.*

Joannes Marreus Condomienſis Epiſcopus, in Enchiridio Sacerdotali, quod anno M. D. XIX. ad ſalutarem Chriſti fidelium eruditionem concinnavit, cap. de virtute Deo à nobis attribuendâ · *Ille bonus Cancellarius Pariſienſis Magiſter Joannes Gerſon, definiendo virtutem dicit, quòd eſt amor habendi ſe ad omnia, ut debetur, ſcilicet, ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum.* Deinde Enchiridio ſuo illigat Regulas morales Gerſonis; quâ de re ſic præfatur: *Pro tanto ultra jam dicta video apertè (ut diſcernere valeam inter veniale & mortale) de multo mihi ſervire, & valde utile eſſe, habere notitiam de regulis moralibus, præcipuè inſequendo quondam egregium virum Magiſtrum Joannem Gerſon. Quarum quidem regularum illius tenor ſequitur, & eſt talis.* Sic relatas tum demum Gerſonis de morum diſciplinâ regulas, Epiſcopus in cenſum Eccleſiæ ſuæ tranſcripſit.

Godeſcalcus Roſemundus Lovanienſis Theologus, in ſuo Confeſſionali: *Joannes Gerſon Doctor inter ceteros valde pius pro peccatoribus, & conſolatorius.*

Joannes Raviſius Textor, celebris in Academiâ Pariſienſi Profeſſor, ad calcem libri de claris mulieribus, in elogio Joannæ uxoris Philippi Pulchri Regis: *Joannes Gerſon non Galliam modò, at univerſum terrarum orbem radiis virtutum ſpecioſiſſimis illuſtravit.*

Facultas Theologiæ Pariſienſis, in propoſitionum Eraſmicarum cenſurâ, quæ anno M. D. XXI. prodiit: *Joannes Gerſon vir fuit in ſanctitate & eruditione conſpicuus.* Sed præſtat rem ut ſe habet, intueri:

PROPOSITIO ERASMI IN EPISTOLA præfixâ Paraphraſi in Joannem:

Nullis ſæculis defuerunt homines apud quos Evangelio ſuus conſtiterit honos, ſed tamen his annis CCCC. *vigor illius apud pleroſque refrixerat.*

CENSURA.

Hæc propoſitio quantum ad poſteriorem partem, videlicet, ſed his annis CCCC. *&c, ſignificans his annis* CCCC. *viros defuiſſe, quibus Evangelio ſuus conſtiterit honos, temerariò aſſeritur, cùm his annis* CCCC. *fuerint non pauci ſanctitate & eruditione conſpicui, quales fuerunt Bernardus, Hugo & Richardus de ſancto Victore, Petrus Lombardus, Gratianus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Alexander de Hales, Guillelmus Pariſienſis, Nicolaus de Lira, Gerſon, Thomas Waldenſis, & quamplurimi alii.* Cui judicio tacitus conſentit Eraſmus ipſe in declarationibus ad Facultatis Cenſuram num. LXXXII. ubi poſt alia, quibus propoſitionem ſuam generatim tuetur, hæc articulatim diſtinctéque ſubjungit. *Equidem arbitror omnes illos fuiſſe bonos viros, ſed aliud eſt eſſe virum bonum, aliud ſpirare vigorem Evangelicum. Horum tamen Bernardus videtur affectu flagrantiſſimus, ſed quàm hic fregit, ſi conferas cum Cypriano, cum Hieronymo, &c. Illud ſcio multoſ non ſine riſu lecturos, Gratianum, Alexandrum Halenſem, Guillelmum Pariſienſem, Nicolaum Liranum, Thomam Waldenſem annumeratos iis, qui ſpirant vigorem Evangelicum.* Excipitur ergo Joannes Gerſo, quippe qui vir bonus fuerit, & ſpiraverit vigorem Evangelicum. In hoc autem caſu ſi quis Eraſmi aſſenſionem componat cum eâ animi contentione & ingenii vi, qua momenta Declarationum ſingula perſequitur, ultra Tenediam ſecurim putabit.

Joannes Campanus Profeſſor Academicus, in nuncupatione operum Gerſonis ad Robertum Lenoncurium Remenſem Archiepiſcopum: „Gratulaturi poſſumus & in non modicè,
„tuæ, Præſul digniſſime, diœceſi, quòd præclarariſſima illic prodirent ingenia, ingenio-
„rúmque monimenta, inter quæ ut ſol quidam inter minora ſidera præfulget venerandus
„Academiæ Pariſienſis Cancellarius & Doctor Theologus Joannes Charlerius, vulgò Ger-
„ſon dictus; quod agnomentum à pago ejuſdem nominis in territorio tuo patriâ ſuâ ſorti-
„tus eſt, vir ſanctitatis ſpecimine mirabili, ut qui præcordia & pectoris intima ſemper ſur-
„ſum ad Dominum habuerit, & poſtquam in Conſtantienſi Concilio viriliter à fide Catholi-

„câ

„ca ſtetiſſet, æmulorum ſurori ſic ceſſerit, ut peregrinus ad Lugdunenſem Confluentem vi„tam longiſſimo ſtamine dignam anno ætatis ſexto & ſexageſimo clauſerit: ac apud ædem „divi Pauli mauſoleum ejus non ignobile conſpicitur. Doctrina verò fuit tam excellenti, „tamque abſoluta, ut omnes non æquales modò ſuos, ſed quotquot aut ſunt aut futuri „ſunt, in admirationem traxerit. *Et quibuſdam interjectis*: Neque tam gnavirer ac pru„denter præſcribitur, aut commendatur Anachoretarum Solitariorumque vita, neque tam „ſolide atque integrè declarantur ab aliis Eccleſiaſtica Sacramenta, & præſertim confeſſio„nis commoda, ac piè ſanctèque moriendi rudimenta. ' Id ſolùm dixero, omnia hujus „viri & ſcripta & dicta Chriſtianam redolere pietatem & doctrinam. *Hæc ille ad annum* M. D. XXI.

Amedeus Macrinus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, in epiſtola ad Senatum Gratianopolitanum: *Hac eſt ſententia Joannis à Gerſono viri celebratiſſimi, & cui hodie Pariſienſes primas in divinis literis tribuunt.* Hæc ille ad annum M. D. XXIII.

Richardus Vaſſeburgius Virdunenſis Archidiaconus, lib. VII. Antiquitatum Galliæ Belgicæ. *Cum Ludovico Barenſi Cardinale & Virdunenſium Epiſcopo, ad Conſtantienſe Concilium iverunt doctiſſimi duo Pariſienſes Magiſtri, Petrus Alliacus, & Joannes Gerſo Pariſienſis Cancellarius.*

Ludovicus Laſſereus magni vir apud Pariſienſes nominis, in vita ſancti Hieronymi edita Gallicè anno M. D. XXX. cap. L. *Magiſter Joannes Gerſo à pleriſque ſanctus habetur, quamvis in Sanctorum catalogum relatus non ſit. Vir erat vita ſanctiſſima.*

Albertus Pighius, lib. V. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. II. *Joannes ille Gerſonus Pariſienſis Theologus, vir in-primis & eruditus & pius.* Et poſt laudatum ejus teſtimonium de Eccleſiaſticâ poteſtate Conſideratione XII. ſubdit: *Hæc ille Gerſonus non indigna, quorum quis in hac cauſâ perpetuò meminerit, ne hinc in Scyllam, inde in Charybdim impingens veritatis naufragium faciat.*

Tilmannus Segebergenſis, lib. de VII. Sacramentis cap. IV. *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, vir in divinis ſcriptis eruditiſſimus.*

Alfonſus Caſtrenſis ex Ordine Minorum Theologus, qui Tridentino Concilio interfuit, lib. I. de poteſtate legis pœnalis cap. IV. *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, vir pius perinde ac doctus.*

Thomas Campegius Feltrenſis Epiſcopus lib. de poteſtate Rom. Pontificis cap. XXIV. object. XXXVI. *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſinus, vir acerrimi ingenii & ſumma eruditionis*

Sixtus Senenſis ex Ordine Prædicatorum Theologus illuſtris, lib. IV. Bibliothecæ ſanctæ: *Joannes Gerſon natione Gallus, florentiſſima Pariſiorum Accademia Cancellarius, Theologia ſcholaſtica peritiſſimus, poeta & orator ſuo tempore inſignis, Caroli Francorum Regis in Concilio Conſtantienſi Legatus, multa nobilia volumina in divinas literas ſtylo quidem ſcholaſtico, ſed non injucundo conſcripſit. In quibus ſcholaſtica Theologia ſubtilitates dulcibus Theologia myſtica affectibus miſcuit, temperavitque, ut addubitandum ſit, an eruditione pietatem, an pietatem eruditione ſuperaverit.*

Claudius Eſpencæus Pariſienſis Theologus, lib. IV. Apologiæ cap. VII. *Audio Joannem Gerſonem fuiſſe virum ſummum, atque eminentiſſimum, quinetiam magnum Eccleſia Latina, nedum Facultatis Theologia Pariſienſis & hujus regni decus & ornamentum.*

Martinus Azpilcueta Navarrus, in cap. Novit. notab. III. num. XXIV. de judiciis: *Non eſt conſilium in praſentia definire, cui principalis poteſtas Eccleſiaſtica fuerit, à Chriſto collata, an Eccleſia toti, an verò ipſi Petro, propter illam maximam diſcordiam Romanorum & Pariſienſium. Illi enim tenens, Petro & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque adeo Papam Concilio eſſe ſuperiorem: ii verò, quibus Gerſon adhæret, totam datam eſſe toti Eccleſia, licèt exercendam per unum, atque ideo in aliquot ſaltem caſibus Concilium eſſe ſupra Papam.* Hæc ille vir ut Juris Canonici, ita & Theologiæ ſcientiſſimus, atque, ut apparet, ſinceriſſimus ac prudentiſſimus, Romæ plures annos ad ſummorum Pontificum congregationes de caſibus conſcientiæ adhibitus, qui propter pietatis & doctrinæ celebritatem Gerſonem nominat, & perinde nominat, quaſi ille Pariſienſis Theologus non fuerit, & aliunde Pariſienſium opinioni magnum quoddam pondus adjecerit auctoritatis.

Nicolaus Sanderus de Eccleſiâ benè meritus Theologus, lib. VII. de viſibili Monarchiâ, Doctoribus Catholicis, & cuſtodibus murorum Eccleſiæ Dei Gerſonem accenſet, eumque hæreticis & pſeudo-Prophetis opponit armatum decem & ſeptem teſtimoniis, quæ ex variis illius operibus depromuntur. Neſcio, an Patrum ullus ſit, ex quo tot auctoritates contra hæreticos ibidem depromantur.

Petrus Caniſius Societatis Jeſu Theologus, lib. I. de Mariâ Deiparâ cap. v. *Et qui ætate ſuâ doctiſſimus Theologus floruit, Gerſon in fine libri de oratione ſapienter docet*, &c.

Claudius Sanctesius Pariſienſis Theologus atque Ebroicenſis Epiſcopus, lib. de Euchariſtiâ, Repet. x. cap. IV. *Inter doctores Concilii Conſtantienſis quaſi lumen emicabat vir inſignis Joannes Gerſon, quem propter eruditionem & animi candorem, ac fervorem erga puritatem Eccleſiæ, nemo non laudat adverſariorum.*

Papirus Maſſonus lib IV. Annalium Francorum in Carolo VII. *Vixit hoc Rege Joannes Gerſo, magni inter Theologos nominis.*

Stephanus Paſchaſius lib. III. Diſquiſitionum Francicarum cap. XXIV. *Dum Avenionenſe ſchiſma Romanam lacerabat Eccleſiam, Pariſienſis Academia peræquè in omnibus florebat. Et ſi quando magnam nominis ſui extimationem ſortita eſt, tum vel maximè, cùm in his factionibus nunquam à recto deerraverit, ſed bonis ſemper ad Eccleſiæ decus atque ædificationem ſtudiis contenderit. Alebat nempe & ſuo fovebat ſinu præſtantiſſimos quatuor Theologos, Joannem Gerſonem, Joannem Parvum, Ægidium Campenſem, & Nicolaum Clamengium, hujus calamitatis publicæ hoſtes tam capitales, ut nihil ſuprà eſſe poſſit.*

Jacobus Gueſlæus Generalis Cognitor Regius, eâ in oratione, quæ Pariſienſi Senatuſconſulto inſerta eſt apud Laurentium Bochellum lib. v. Decretorum Gallicanæ Eccleſiæ cap. VIII. de requirendis terminis, quos Chriſtus pegerit inter utramque poteſtatem, Eccleſiaſticam & civilem, ad noſtrum Gerſonem remittit: *Hæc*, inquit, *ſchola Theologia eâ de re præclaras habet obſervationes in operibus Gerſonis.* Hæc frequentiſſimo ſenatu & dicta & comprobata ſunt.

Antonius Loiſellus celebris in Senatu Pariſienſi cauſidicus, in oratione pro Academiâ Pariſienſi: *Joannes Gerſo Univerſitatis Cancellarius, hujus ſcholæ Magiſter excellentiſſimus, cujus memoria in orbe toto Chriſtiano viget.*

Joannes Bohemus libro de ritibus gentium, & eum ſecutus Jacobus Middendorpius Colonienſis Academiæ Procancellarius libro VI. de Academiis, *omnium, quæ nunc in terris ſunt* (Univerſitatem) *celeberrimam hanc* (Pariſienſem) *eſſe* affirmant. *Quippe ubi præſtantiſſimi ſemper in omni artium genere profeſſores extiterunt, qui partim prælectionibus, partim eruditiſſimis ſcriptis totum mundum illuſtrarent*: In quibus *Joannes Gerſon.*

Antonius Poſſevinus Societatis Jeſu Theologus, in Apparatu ſacro: *Joannes Gerſon dictus item Carlerius, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, vir ingentis doctrinæ atque pietatis. De præſtantiâ tanti Theologi nemini dubium eſt, quin fuerit inſignis. Ea autem inſignior, quòd in plurimis difficilè poſſit agnoſci, utra fuerit in eo major, pietaſ-ne an eruditio. Sanè cùm varia in divinam Scripturam elaboraverit, commentariis, quos ſub finem vitæ conſcripſit in Canticum Canticorum, ejuſmodi ſunt, ut cùm de quinquaginta proprietatibus divini amoris univerſo in Cantici opere diſperſis egerit, altiſſimè omnes divini amoris affectus habuiſſe, & quod ex Domino hauſerat, eructaſſe videatur. Secuta verò mors triduo poſt illud opus expletum, adhuc magis hoc probavit. Poſtrema enim ejuſdem Cantici verba, fortis eſt, ut mors, dilectio, idem moriens, magnâ animi vultuſque conſtantiâ iterans animam divinæ bonitati reddidit.*

Martinus Delrius Societatis Jeſu Theologus, in Diſquiſitionibus Magicis Gerſonem paſſim laudat, & ſtudioſiùs amplectitur. Lib. I. cap. IV. quæſt. I. *Unde nihil vereor concludere cum Gerſone, hanc etiam ultimam ſpeciem* (imaginum ſub certâ conſtellatione formatarum & nominatarum) *ſuperſtitioſam & damnatam eſſe.* Deinde quæſt. III. Tum lib. II. quæſt. XXVI. de Magiâ dæmon. Rurſus eodem lib. aliâ quæſt. XXVI. ſect. III. *Hanc juxta normam* (diſcernendorum ſpirituum) *quæ eſt D. Thomæ, B. Catharinæ Senenſi, Gerſoni, & aliis in hac palæſtra probè exercitatis non immeritò placuit, ſuos armavit Pater Ignatius.* Tum ſect. v. & alibi.

Robertus Cardinalis Bellarminus, ejuſdem Societatis Theologus, in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Joannes Gerſon Gallus, Cancellarius Pariſienſis, vir doctus & pius.*

Jacobus Galterius Societatis Jeſu Theologus, in tabulâ Chronographicâ ſtatus Eccleſiæ Catholicæ ad ſæculum XV. in II. veritate. *Magnus ille Cancellarius Pariſienſis Joannes Gerſo, in colloquio de Mendicitate ſpirituali parte* II. *animam ſic orantem inducit.*

Joannes Hordalius Juris utriuſque Doctor, & Pontimuſſanus Profeſſor, in Aurelianenſis Puellæ hiſtoriâ: *Gerſon quidem ſapientiſſimus illa ætate, graviſſimúſque almæ Univerſitatis Pariſienſis Doctor & Cancellarius, Confeſſario Caroli VII. tractatum inſcripſit de conſiderationibus, quas debet habere Princeps.* Et poſt alia. *Scribebat Gerſon antequam re ipſâ hæc eveniſſent, vidit tamen vir in rebus humanis, earúmque à Deo converſione exercitatus.*

Franciſcus Saleſius felicis memoriæ Epiſcopus Gebennenſis, in præfatione tractatus de Amore Dei, ubi recenſet eos, qui hoc argumenti genus ſunt perſecuti. *Ad Joannem,*

nem,

nem, inquit, *Gerſonem Pariſienſem Cancellarium quod attinet, de eo Sixtus Senenſis ita loquitur: Cùm de quinquaginta proprietatibus divini amoris univerſo in Cantici Canticorum opere diſperſis egit, altiſſimè omnes divini amoris affectus habuiſſe, & quod ex Domino hauſerat, eructaſſe videtur. Profectò hic vir fuit acerrimi judicii, admodum doctus & pius.* A viro tam laudato laudari ſumma laus cùm ſit, ad hoc elogium tametſi breviſſimum addi nihil poteſt, & quæ ſuperſunt cetera, ſine magno diſpendio prætermitterentur.

Jacobus Gretſerus Societatis Jeſu Theologus, in examine Myſterii Pleſſæani cap. LXII. „Invectus quidem eſt Gerſon non uno loco in vitia Cleri & turbulentum Eccleſiæ ſta-„tum, paciſque oſores ac ſeditionum incentores meritò acriter perſtrinxit. An ideo cum „Calvino & Luthero ſenſit? An ideo inter Lutheranæ veritatis teſtes jure à Flaccio col-„locatur, aut à Pleſſæo prudenter in myſterium iniquitatis Antichriſtianæ intruditur? Nec „cuivis literiori licet, quod Gerſoni licuit, qui ſuâ ætate vir & eruditione & vitæ innocentiâ „conſpicuus fuit.

Heribertus Roſweidus ejuſdem Societatis Theologus, cap. VII. Vindiciarum Kempenſium: *Joannes Gerſon Gallus, vir per totum orbem celeberrimus, & huic ob hanc rem liber de Imitatione Chriſti inſcriptus.*

Nicolaus Coeffetæus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, in reſponſione ad Myſterium iniquitatis: *Quo tempore in his diſſidiis verſabatur Eccleſia, florebat Cancellarius noſter Joannes Gerſo, unus è viris ſui ſæculi doctiſſimis.*

Abrahamus Bzouius ex Ordine Prædicatorum Theologus, in Annalibus Eccleſiæ ad annum M. CCCC. XXIX. *Joannes Gerſon vir pius & doctus, multis operibus in lucem editis clariſſimus.*

Martinus Carillus Abbas Montaragonenſis, in Annalibus Chronologicis, ad annum M. CCCC. XIII. *Florebat hocce tempore literis, ſanctitate & virtutibus Joannes Gerſo, Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius.*

Dionyſius Petavius Societatis Jeſu Theologus illuſtriſſimus, in Rationario temporum lib. IX. partis I. cap. VIII. *Hoc Imperatore* (Sigiſmundo) *præſtanti ingenii famâ vixit Joannes Gerſon, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, ad Conſtantienſem Synodum Legatus ab Rege Franciæ miſſus.* Hæc ille, qui in omni pæne diſciplinarum genere præcipuum ætatis noſtræ decus & ornamentum extitit: & quo nuper extincto artes bonæ magnum lumen amiſerunt, non facilè poſteà recuperandum.

Hermannus Loemelius, ſeu potiùs ſub ejus nomine Joannes Floidus Societatis Jeſu Theogus, in Spongiâ, pag. XL. *Auſim dicere Gerſonem Pariſienſium Cancellarium nunquam veriorem ſententiam protuliſſe, prudentiaque magis conformem vel digniorem, quæ literis aurei characteris in ipſis* Scholæ cujuſlibet Theologicæ *foribus incidatur, quàm iſtam: Examinationem doctrinarum Theologicæ Facultati committi poſſe, ſi tamen Theologia illic habuerit ſuos doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non invidos, non poteſtati ſæculari, vel ſpirituali pluſquam veritati faventes; alioquin tolerabilius eſſet nullos habere, quàm tales habere.*

Henricus Spondanus Apamiarum Epiſcopus, tom. II. Annalium Eccleſiaſticorum ad annum M. CCCC. XXVIII. *Joannes Gerſon pro beato poſt mortem habitus, miraculis etiam claruiſſe dicitur. Extant multiplicia ejus opera, pietatis ejus, fidei, ac doctrinæ teſtes.*

Claudius Hemeræus Pariſienſis Theologus, in libro de Academiâ Pariſienſi: *Præter ejus* (Gerſonis) *admirabilem eruditionem, quam Patres Concilii Conſtantienſis ſummopere laudaverunt, flagranti in Deum pietate, caritate in homines verè Chriſtianâ, & candidâ morum ſimplicitate plurimum commendandus fuit: Rigidus antiquæ diſciplinæ vindex. Quod hauſerat à Magiſtro Alliacenſi. Pertæſus autem funeſtiſſimi ſæculi calamitatem, in varias ſe peregrinationes quaſi divulſit; nihil tamen prætermittens eorum, quibus ſalus proximi promoveretur.* Hæc ille in Nomenclaturâ Cancellariorum Pariſienſis Eccleſiæ num. M. CCC. XCV.

Ludovicus Cellotius Societatis Jeſu Theologus, lib. III. de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ cap. XVII. num. III. *Evangelica tempora, & Evangelicos doctores conſulo. Inter omnes ſatis conſtat, tres eximios Doctores de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ ſtrictè ſumptâ, in quâ verſamur, diſſeruiſſe, Paulum Apoſtolum, Dionyſium magnum, & Gerſonem Theologum. Hunc licet & tempore & auctoritate longè ceteris imparem adjungo, non quòd primus aut ſolus Hierarchiam ſuo modo explicarit; ſed quòd & celeberrimus ſit, & vulgo notiſſimus, & præcipuæ apud eos, qui huic doctrinæ repugnare poſſunt, fidei atque auctoritatis.* Idem lib IV. cap. II. *Invitat me cùm magni hujus Doctoris* (Gerſonis) *auctoritas, tum materia ipſa, quam tracto.* Et poſtea unico §. *Vis meam de Gerſone audire ſententiam, illum aio magnum, doctum, pium, ſed hominem.* Homo quidem fuit, ut Auguſtinus, Hieronymus, Thomas, Bonaventura, & alii, qui non Scriptores Canonici, ſed Eccleſiaſtici tractatores fuerunt,

pro ſuo quiſque modulo ſervientes ſanctæ plebi Dei. Hactenus pro Gerſone Scriptores per ſaturam laudati, quorum alii nec eum ſilendum, nec dicendum ſine curâ & exiſtimatione judicarunt, alii eum omnibus honoribus, omnibus titulis parem crediderunt, alii tandem in quantum pæne intelligi virtus poteſt, in tantum illius pietatem & doctrinam laudarunt.

Hæc autem omnia ſi diligenter circunſpiciant, ſunt ejuſmodi, ut ſpeciem conſecrationis quandam præ ſe ferre videantur. Plerique fuerunt viri pietate & doctrina inſignes, de quorum laudibus nulla unquam ætas conticuit; ſed aliquem fuiſſe, qui ſpatio CC. XXIV. annorum (tot enim decurrunt ab exceſſu Gerſonis) à tam multis, iiſque bonis & doctis hominibus ac pari modo commendatus fuerit, legere me non memini. Quare non vereor in his ordinandis pro viro tanto elogiis ne modum exceſſerim. Neque enim periculum eſt, ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet. Quicquid in cauſâ, cui res iſta cordi non erit, vel partem hujus capitis, vel caput integrum poterit inevolutum relinquere.

Hoc igitur ita conſtituto, nemini dubium eſſe poteſt, quin inde roboris addatur plurimum iis, quæ de tanti Doctoris mente circa frequentem Confeſſionem & Communionem diſſervi. Quot enim Gerſonis laudatores exhibui, tot ferme numerari poſſunt relatæ illius doctrinæ vindices & aſſertores.

HACTENUS feci, quod MI HELIA optaſti, & penſum accuravi meum ut potui. Equidem ut de me ipſe fatear, in hac ſtudiorum parte otium oblectare placuit, quando recordabar, neminem mihi conjunctiorem fuiſſe, & uſu amicitiæ & aſſiduitate contubernii, quàm te, cùm optimum virum, tum abſolutiſſimum Doctorem.

Nunc reſtat ad operis finem, ut res quatuor animadvertantur.

In primis Joannes Gerſo, & illuſtriores poſt illum quidam Pariſienſes Theologi, frequentem Confeſſionis, & Euchariſtiæ uſum, qui annorum vicibus, & labentium temporum detrimento nonnihil intermiſſus fuerat, quoad fieri potuit, revocarunt.

Deinde, plures diverſarum Eccleſiarum Synodi, ad illum uſum revocandum operam ſuam & auctoritatem diligentiſſimè commodarunt.

Tum, hunc eundem revocatum uſum non ſatis pro comperto tenuit, qui Idyllium (parum conveniens huic materiæ genus carminis) de frequenti uſu Confeſſionis & Euchariſtiæ à beato Ignatio & Societate Jeſu revocato compoſuit, indiditque libro, qui *Imago primi ſæculi* inſcribitur. Ignatius enim cùm aliis in locis, tum præſertim Lutetiæ revocatum invenit, quando ad eam urbem acceſſit literis vacaturus. Sed inſtitutâ ibi Societate revocatum ab aliis fovit poſteà, & auxit. Quo tempore ducem habuit maximè Franciſcum Picartum, quem & ſui ipſius & Societatis perpetuum defenſorem, eumque acerrimum expertus eſt. Profectò & qui Confeſſionis & Euchariſtiæ frequentiam reſtituerunt, & qui reſtitutam conſervarunt, & amplificarunt, laudem utrique non exiguam merentur. Sed cuique ſuum tribuendum cùm ſit, neutrum horum diſſimulari oportuit. Dicenda ſunt eum veritate, quæ verita ipſa geſſit.

Poſtremò, hoc opuſculum non eſt pæne meum, ſed eorum omnium, quorum teſtimonia collegi, & corpus in unum compegi. Quare præter communem aliquam diligentiam nihil reperio, quod tuæ vel alterius cenſuræ ſubjicam. Aliena enim, quia non ſunt mea, ſubjicere non poſſum. At enim quicquid eſt meum, æquè habebis ac tuum, & cùm limaveris politiùs, & continuò correxeris, tuum æquè habebo ac meum id, quod ſecundùm notationem cenſoriam reliquum erit; atque ita mutuis identidem laboribus fruemur.

Eccleſiaſtici cap. XXXIX.

Sapiens narrationem virorum nominatorum conſervabit.

DE

DE MENTE
CONCILII TRIDENTINI
CIRCA
CONTRITIONEM ET ATTRITIONEM
IN SACRAMENTO POENITENTIÆ
LIBER,

Quo ſcilicet duplici Theologorum de contritione & attritione opinioni, præjudicium nullum feciſſe, ſed utramque ſcholæ liberam reliquiſſe demonſtratur.

Editus in 8°. anno 1653.

Ad Illuſtriſſimum virum FELICEM * VIALARIUM *Catalaunenſium Epiſcopum.*

EXORTA nuper eſt in Eccleſiâ tuâ, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, gravis de contritione & attritione contentio, ad quam Concilium Tridentinum ſtudia in contraria trahebatur. Erant enim hinc, qui attritionem reliquis Sacramenti Pœnitentiæ partibus junctam ſufficere ad rei purgationem aſſererint: Erant quoque inde, qui negarent, & contritionem ſuo intellectam ſenſu requiri publicè docerent. Utrique verò etiamſi diſſiderent inter ſe & diſcordarent quàm maximè, ut apparet, in hoc tamen conveniebant uno, quòd à Patribus Tridentinis ſecundùm ſe pronunciatum eſſe vellent, atque ita mutuam ſibi erroris notam inurerint. Ego contrà in me recipio, nihil eſſe ab illis ſecundùm utroſque pronunciatum, & duobus οἱ ἐμιλῦν de contritione & attritione placitis, quæ tunc ſcholam occupabant, nullum factum præjudicium. Quo igitur tempore haberi cœptum eſt Concilium, (cœptum eſt autem anno M. D. XLVI.) celebres erant duæ inter Theologos de contritione & attritione opiniones. Nam alii tradebant, contritionem, actum videlicet caritate formatum exigi, vel ut Sacramentum Pœnitentiæ valeat, vel quod ſeipſa in idem ferè recidit, ut Sacramenti fructus percipiatur: Alii ſcribebant attritionem, actum videlicet caritatis expertem, ſatis eſſe, ut & valeat Sacramentum, & ejus percipiatur fructus. Hæc eſt ſcholaſtica diſputatio, in qua Tridentinum Concilium neutri Theologorum ſententiæ fecit præjudicium, ſed utramque ſuis aſſertoribus liberam dimiſit. Hoc ſi probè oſtendero ſalva pax erit in Eccleſiâ, & nullus utrinque calumniæ locus. Oſtendam autem in hoc libro, quem duas in partes diſtribuo. In unâ explicantur rationes octo, quibus præjudicium omne removebitur: In alterâ tractandi modis octo exponitur, hanc quæſtionem à Concilio ſic liberam eſſe relictam Theologis, ut quam vellent ſententiam amplecterentur impunè. Hæc duo tametſi eundem ad ſcopum pertineant, ea tamen exequor ſingillatim, quò certè res eadem ex duobus veluti capitibus magis magiſque declaretur. Diſſimulandum verò non eſt in illâ mutuæ probabilitatis, quam ſignificavi, amplitudine id evenire tum demum, ut dimicans pro contritione opinio præclariora quædam rationum momenta habeat, quæ pugnanti pro attritione opinioni deſunt omninò. Ceterum in hoc opere non juris, ſed facti quæſtionem attingo, quamvis Doctores illi, quorum teſtimonia referam, juris quæſtionem attingant. Non enim quid de contritionis neceſſitate, vel de attritionis facultate ſeu ſufficientiâ in Sacramento Pœnitentiæ definiendum fuit in Concilio, ſed quid definitum; quæ ſcholis & in ipſo Concilii tempore, & ſub Concilium libertas ſentiendi conceſſa vel ablata ſit, quæro. Quâ in materie qui peccaret, non erroris in fide, ſed in rebus geſtis ignorantiæ culpam incurreret. Hæc omnia, ut conſilium meum exponerem, præmonere debui, non certè ut quicquam docerem te, PRÆSUL AMPLISSIME, quem mirificè commendant parta ab ineunte ætate multiplex eruditio, Pariſienſis Theologiæ magiſterium, ſummus in revocandis ad munus & penſum ſuum clericis labor, perpetua in inſtituendis ad veram pietatem Laicis diligentia, ſimpliciter dicam, Apoſtolica Catalaunenſis Eccleſiæ ſollicitudo.

PARS

* Conſule Caput 117. Lib. 3. part. 3. Hiſtoriæ Regii Navarræ Gymnaſii; Vialarium debito & magnifico encomio celebravit Launoius.

PARS PRIOR.

Tridentina Synodus duplici Theologorum de Contritione & Attritione opinioni præjudicium nullum fecit.

PROPONIMUS rationes octo, quarum prima ſumitur ex ſcopo, quem in damnanda Lutheri novitate Synodus ſpectavit. Altera ex certis quibuſdam rebus, quæ actæ ſunt in ſeſſione ſextâ, id comprobante Vega, qui ſeſſioni interfuit. Tertia ex aliis in aliâ ſeſſione geſtis, quæ vim abſolutionis & clavium efficaciam tangebant. Quarta exhibet tres Concilii Theologos illuſtres Melchiorem Canum, Ruardum Tapperum, & Alfonſum Salmeronem, qui ab hac quæſtione præjudicium omne removent. Quinta vim facit in quatuor inſignibus Societatis Jeſu Theologis, Franciſco Suare, Paulo Comitolo, Martino Becano, & Thoma Sanche, qui de Pœnitentia diſputantes remotum omne præjudicium neceſſariò ſupponunt. Sexta ſibi conſciſcit auctoritatem ex iis, qui novam Calvini doctrinam antiquitate repulerunt, & Tridentinum Concilium ab illo vindicarunt. Septima explicat quæ geſta ſunt Romæ, dum Clemens VIII. Raimundum Pennafortium numero cælitum adſcripſit, atque ex iis præjudicium quodlibet longè latèque propulſat. Octava hypotheſi factâ contendit, quæſtione ad definiendum propoſitâ, contritioni magis quàm attritioni Synodum fauturam, quâ tractandi viâ non præjudicium modò, ſed & præjudicii ſuſpicio vel leviſſima tolleretur.

CAPUT I.

Ratio ducitur ex Concilii meta illa, ut doctrina novitas in Luthero ſola damnaretur.

TRIDENTINUM igitur Concilium nihil aliud in votis habuit, quàm ut novam Martini Lutheri doctrinam in hac materiâ percelleret. Qualis neutra erat tunc Theologorum de contritione & attritione opinio, quam anteà expoſuimus. Quis enim crederet, aut aliis ſaltem perſuaderet, eò coactum fuiſſe Concilium, ut quam opinionem Lutherus cum pleriſque Theologis habuiſſet communem, aliquâ ex parte damnaret: perſuaderet autem nemo, cùm quod de attritione ſeu contritione Lutherus cenſuit, id longè diverſum ſit ab iis, quæ de contritione vel attritione ſcriptores Catholici docerent. Cenſuit Lutherus, *imperfectam contritionem, qua attritio dicitur, hominem facere hypocritam & magis peccatorem.* Catholici verò ſcriptores uni contritionem, quæ caritate formata ſit, neceſſariam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ partem, alii non neceſſariam; ſed attritionem, quæ caritatis expers ſit, Sacramenti partem eſſe idoneam affirmabant. Hîc nomen partis non ſumo ſtrictè, ſed prout includit id quoque, quod apud nonnullos Joannis Scoti Aſſeclas diſpoſitio vocatur. Hi enim cùm in abſolutione ſolâ Sacramenti eſſentiam conſtituant, pœnitentis actus, non partem Sacramenti, ſed diſpoſitionem appellant. Quæ ad modum loquendi magis, quàm ad rem ipſam referuntur. Ea tamen animadvertenda ſunt nequid in Theologicæ veritatis hiſtoriâ deſideretur. Hæc ergo in ſcholis Catholicorum dudum controverſa Tridentinum Concilium non attigit, & potuit facilè non attingere, cùm novum illud Lutheri dogma profligavit. Connexæ non ſunt propoſitiones iſtæ duæ: *Contritio imperfecta, qua attritio dicitur, hominem facit hypocritam, & magis peccatorem. Contritio imperfecta, qua attritio dicitur, ad Sacramenti partem ſufficit.* Ex prioris damnatione ſequitur tantùm, quòd contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, hominem non efficiat hypocritam, & magis peccatorem, non quòd Sacramenti pars ſit idonea. Contritio autem imperfecta, quæ attritio dicitur, perfectæ contritionis argumentum eſſe poteſt. Quis enim non videt, imperfectum contritionis actum eum eſſe poſſe, quo ad perfectiorem gradus fiat, ſive dum, ut quidam voluere Theologi, augetur, ſive dum mutatur objectum, uti nemo diſſentit. Hinc Concilii ſcopum aſſequetur, qui non ex anticipata opinione, aut ex levi ſono verborum Concilii; ſed cùm ex rei definiendæ momento, tum ex intentione definientis æſtimabit, quæ definiuntur. Hunc autem aſſecutus ſcopum damnatam Lutheri novitatem facilè diſcernet ab illa duplici Theologorum opinione, quam retulimus. Qui tergiverſaretur, Concilio injuriam faceret, eámque graviſſimam. Eò enim tandem ſpectaret, ut vellet Concilium dimiſiſſe viam, quam antiquæ Synodi & ſua auctoritate & apoſtolicis inſtitutionibus munierunt, qua de re ſic ſcribit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio, cap. XXXII. *Denique* (Eccleſia) *quid unquam aliud Conciliorum decretis oniſa eſt, niſi, ut quod anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentiùs crederetur? quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantiùs prædicaretur? quod anteà ſegniùs colebatur, hoc idem poſtea ſolicitiùs excoleretur: Hoc, inquam, ſemper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata*

citata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut quod priùs à majoribus ſolâ traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris per ſcriptura chyrographum conſignaret.

CAPUT II.

Ratio ducitur ex rebus in Seſſione ſextâ geſtis atque ex Andrea Vega teſtimonio, qui Seſſioni interfuit.

IN Seſſione ſextâ, quæ de juſtificatione habita eſt, Concilium deditâ operâ cavit, ne quid ſcholaſticorum opinionibus fieret præjudicii. Id certiſſimè conſtat cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quod ad ipſum Sacramentum Pœnitentiæ ſpectat. Ea ſuper re audiamus teſtem idoneum, qui Seſſioni huic interfuit; eamque inſigni commentario illuſtravit. Is eſt Andreas Vega lib. XIII. cap. XVII. his verbis: *Quanquam hic mentis affectus, quo mentem à peccatis admiſſis revocamus, deteſtatio peccatorum hoc loco appellatur, tamen deſpiciendum non eſt, communius in ſchola contritionis vocabulum. Nam ſtatim Patres cor, quod deteſtatur peccata, cor contritum vocavère. Eâ verò ratione, communiori hoc deteſtationis nomine uſi videntur, ne attritionem, qua imperfectus eſt dolor de peccatis, à partibus Pœnitentia viderentur excludere, & in uſu eſt contritio non tantùm apud ſcholaſticos auctores, ſed & in tranſlatione communi ſcriptura, & apud graves & antiquos Eccleſiaſticos Doctores, eóque utuntur perſæpe Gregorius, Bernardus, Caſſianus & Auguſtinus: & non ſine cauſa apud ſcholaſticos non qualiſcunque dolor de peccatis, ſed perfectus tantùm, & ſufficiens ad juſtificationem contritio dicitur; ſic uſurpare videtur Gregorius tertiâ parte Paſtoralis cap. XXXI. Quid etiam viribus opus eſt, ait Chryſoſtomus, cùm cor conterere debeamus. Et Caſſiodorus ait: Neſcit Dominus differre, ſi corde contrito doleamus, & Pſalmiſta dicit; Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Sed ex antiquis Doctoribus, in Auguſtino ſæpiùs memini me legiſſe hoc vocabulum, neque ſua ipſius, ſed ſcriptura auctoritate eo fuiſſe ſic uſum, hinc poteris liquere: in Pſalmum* LXXIIII. *ſic ſcribit: Scriptum eſt, propè eſt Dominus his, qui obtriverunt cor; tritura cordis, pietas, humilitas. Qui ſe conterit, iraſcitur ſibi, ſe habeat iratum, ut illum habeat propitium, ſe habeat judicem, ut illum habeat defenſorem. Et in illa verba: qui ſanat contritos corde:* & poſt alia: *Atque ipſa nimirum attritionis & contritionis etymologia hoc poſcit, ut imperfectus dolor de peccatis attritio nominetur; contritio verò nonniſi perfectus. Atteri enim quid dici poteſt, cùm in fruſtula teritur & dividitur: Conteri verò nonniſi adeo confringatur, ut pæne in pulveres redigatur.* In his autem verbis ſunt tria, quæ diligenter obſerventur.

In-primis Tridentini Patres noluerunt Theologorum de contritione & attritione controverſiam dirimere. Tum ne dirimerent, non contritionis, ſed deteſtationis nomen uſurparunt, cùm modum præparationis ad juſtificationem traderent: denique quid in ſcripturis, quid apud tractatores Eccleſiaſticos, quid apud Theologos contritio ſimpliciter dicta ſignificet, perfectum nempe dolorem, qui caritate formetur. Hujus autem rei totius auctorem damus omni exceptione majorem, qui non modò quod vidit affirmet, & ſi quid intelligis, ſine ullâ ſtudii partium ſpecie affirmet; ſed etiam, qui alibi pro attritione, contra contritionem pugnat: eâ nihilominus moderatione, quæ Catholicum & amantem veritatis Theologum decet, & decuiſſet recentiores quoſdam Vegæ diſcipulos, ſi quæſtionem de contritione & attritione in Sacramento Pœnitentiæ ſuis momentis remotâque factione expendiſſent. Hæc autem relata & explicata Concilii intentio rationem præbet invictiſſimam, quâ demonſtretur Concilium; cùm modum præparationis ad juſtificationem traderet, ut contritionis, ita & attritionis nomen excluſiſſe, & eâ de cauſâ excluſiſſe, ne ſcholaſticorum controverſias definire videretur. Præterea hoc adhuc evidentiùs confirmat omiſſum attritionis nomen, quo imperfectus dolor de peccatis exprimitur. Nam ſi conſideremus opinionem ſcholaſticorum, qui veram Sacramenti partem faciunt contritionem, imperfectus ille de peccatis dolor, qui attritio dicitur, reliquis ad juſtificationem diſpoſitionibus adſcribi potuit, ſine ullo talis opinionis detrimento, quoniam quæ hac in opinione attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitio eſt, vera pars non eſt Sacramenti Pœnitentiæ: attritio tamen reliquis ad juſtificationem diſpoſitionibus non eſt adſcripta, quòd in opinione ſcholaſticorum, qui Sacramenti eſſentiam in abſolutione ſolâ conſtituunt, quæ ad Sacramentum diſpoſitio eſt, reipſa pars eſt Sacramenti, in quo pœnitentis juſtificatio peragitur. Quæ omnia Synodus, in quâ plures erant ſcholaſtici, cùm videret, ſanciendæ inter eos concordiæ gratiâ, contritionis & attritionis nomen à negotio juſtificationis toto prudenter excluſit.

CAPUT III.

Ratio ducitur ex rebus aliis in Concilio geſtis, quibus perſpicuè oſtenditur, nihil eſſe ibi de iſtâ ſcholaſticorum controverſiâ tractatum.

SI recenſitam ſcholaſticorum controverſiam dirimere, aut quoquo modo attingere voluiſſent Patres, ſine dubio ſervatus fuiſſet ille mos, quo de rerum definiendarum argumentis diſputariones inſtituunrur, & variæ conſultationes habentur. Sed diſputatum eſſe, vel in deliberatione poſitum, utrùm contritio ſit in Sacramento Pœnitentiæ neceſſaria, nec-ne, aut utrum attritio ceteris Sacramenti partibus juncta ſufficiat, vel non ſufficiat ad obtinendam culpæ remiſſionem, nec ipſum Concilium ſignificat, nec ſcriptores ii, qui Concilio æquales aut ſuppares fuerunt. Enimverò memoriæ proditum eſt, metuentibus Franciſcanis Theologis, ne Hieronymi, Magiſtri, Alenſis, Bonaventuræ & iis conſentientium opinio de clavium efficaciâ tangererur, cùm de abſolutione, ejuſque effectu ederentur Canones, reſpondiſſe Concilium, ſe ſuis Canonibus non alia, quàm hæreticorum dogmata configere; tantùm abeſt, ur receptam in ſcholis Catholicorum opinionem cum Lutheranorum novitatibus de induſtriâ configeret, aut configendam arbitraretur. Hæc autem obſervario cùm vera ſir, nec certiori rerum in Concilio geſtarum hiſtoriâ refelli queat, ejuſdem ſenſui & inſtituto contradicunt ii, qui, quòd attritio reliquis Sacramenti partibus juncta ſufficiat ad juſtificationem, nonnihil ſeſſ. XIV. cap. IV. ſignificatum, aut, quod minùs eſt ferendum, definitum eſſe vel propè definitum, falſa petinde ac fallaci ſubtilitate argutantur. Falſam perinde ac fallacem ſubtilitatem voco, quæ Tridentinorum Patrum menti & ſcopo non accommodetur, quæ obſervatum rerum in Conciliis definiendarum morem negligat, quæ apud incautos efficiat, ut quam controverſiam Patres illi tangere noluerunt, tetigerint, aut ſi non definierunt, certè propemodum definierint.

Quod reliquum eſt, nemo neſcit ex iis ſaltem, qui aliquid in hoc argumento ſcire poſſunt, quæſtionem de abſolutionis efficaciâ, & de vi clavium neceſſariò connexam eſſe cum iis, quæ de contritione & attritione ſecundùm varias Theologorum opiniones traduntur: ac proinde ſi vel levis injecta eſſet ſuſpicio, voluiſſe Patres aliquid de contritione vel attritione decernere, contrà quàm receptæ ferebant in ſcholis Theologorum ſententiæ, tunc ea de re quærentibus reſpondiſſent idem, quod de abſolutionis efficacitate & de Canonibus ad eam ſpectantibus reſponderunt. Hanc rationem urgeo, in hac habito, ut credam firmiſſimè, Concilium intactam reliquiſſe Theologorum controverſiam, quæ operis noſtri argumentum eſt.

CAPUT IV.

Ratio ducitur ex diſputandi modo Melchioris Cani, Ruardi Tapperi & Alfonſi Salmeronis, qui Tridentino Concilio interfuerunt.

SI Tridentini Patres opinionem eorum, qui attritionem in Sacramento Pænitentiæ, ſeu pars ſeu diſpoſitio vocetur, ad juſtificationem ſatis eſſe dicebant, quoquo modo confirmaſſent, nihil eſſet cauſæ, cur Melchior Canus & Ruardus Tapperus, qui Concilio interfuerunt, de primâ Pœnitentiæ parte ſeorſum à Concilio ſenſiſſent & ſcripſiſſent. Canus quidem v. parte relectionis de pœnitentiâ: *Deinde*, inquit, *reſpondetur, quòd contritio ponitur pars Sacramenti, quia eſt certa & indubitata materia. Quòd autem attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, non eſt tamen adeo certum & indubitatum, & ideo Concilium Florentinum communiſque ſententia tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem eſſe hujus Sacramenti.* Tapperus vetò in expoſitione articuli IV. Lovanienſis de contritione. *Ponitur*, inquit, *contritio, quæ eſt dolor de peccatis ob Dei offenſum, pars Sacramenti, quia certa eſt atque indubitata ejus materia. Quòd autem attritio ſufficiat, quamvis verum ſit, non eſt tamen certum atque indubitatum.* Igitur incertum atque in dubio poſitum eſt illud placirum Theologorum, qui attritionem Sacramenti partem eſſe tradunt. Certum autem & indubitatum Canus & Tapperus, cur non dicerent illud, quod certum & indubitatum Concilio videretur? Noverant quippe viri prudentes & docti non eſſe tractatum à Patribus, utrum attritio in propriam Sacramenti partem veniret, necne? De contritione & attritione loquuntur ſecundùm ſcholæ libertatem, & quando attritionem ſufficere dicunt, idque verum eſſe, jure opinantium in materiâ probabili utuntur.

Salmeron tom. XI. tractatu XVIII. Petri Lombardi, Alenſis, Bonaventuræ, & aliorum iis concordantium ſententiam de modo abſolvendi, & de vi clavium refellit, nec tamen

men

men laudat Concilii Decreta, quibus ejuſmodi ſententiæ falſitas convincatur. Quis autem prudens & attentus crederet, Salmeronem in re tanti ponderis prætermiſiſſe Concilii auctoritatem, quæ ſine dubio decretoria foret? Prætermiſit utique, quia Concilii geſtorum particeps certò ſciebat, nullum in Concilio caput eſſe, nullum Canonem, qui adverſus Lombardum, Alenſem, Bonaventuram & eorum ſectatores converti meritò poſſet. Hoc argumentum, quod mihi videtur ad perſuadendum efficax, confirmatur ex iis recentioribus, qui cùm non interfuerint Concilio, & penitus ignorent, quid in eo hac de re diſputatum ſit, Concilii capita & Canones Lombardo, Alenſi, Bonaventuræ & aliis opponunt, quia ſpecie tenus opponi poſſunt. Inficialis quidem eſt de Salmerone conjectura, ſed iis veſtita conditionibus, ut apud cordatos homines vicem aientis tenere poſſit.

CAPUT V.

Ratio ducitur ex diſputandi modo quatuor illuſtrium Societatis Jeſu Theologorum, qui Concilio Tridentino ſuppares fuerunt.

QUATUOR ſunt illuſtres Societatis Jeſu Theologi, Franciſcus Suares, Paulus Comitolus, Martinus Becanus, & Thomas Sanchez, qui aliâ viâ ſcopum noſtrum attingunt. Quod ut appareat, referenda ſunt illorum teſtimonia.

Suares quæſt. xc. in tertiam partem art. IV. diſt. XV. ſect. IV. num. XVII. *Licèt* inquit, *ſit opinio probabilis, attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa. Ergo qui ſciens & videns ita ſe mori permittit, voluntariè exponit ſe periculo æternæ damnationis.*

Comitolus lib. I. Reſponſorum moralium, quæſt. XXXII. num. VII. & VIII. *Huc,* inquit, *adde quòd plures magnique Theologi in pœnitente, antequam abſolvatur, contritionem veram caritate formatam requirunt. Neque uſque adeo certum eſt, attritionem pœnitentis eſſe ſatis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ eſſe debent, veræ contritionis motum in corde pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admiſſa execretur omnia, velitque impoſterum cuncta vitare, præteritorumque flagitiorum quantum maximum poteſt, doloris ſenſum capiat, eodemque hoc modo affectum in Deum fidenter abſolvat, cùm ab eo confeſſionem expreſſerit, propter Deum dolere ſe de peccatis, & propter eum illa ſe in reliquâ vitâ oſurum.*

Becanus tract. I. cap. IV. quæſt. IX. de bonitate & malitiâ humanorum actuum; *Ad tertium,* inquit, *fateor, tutius eſſe cum contritione accedere ad confeſſionem, ac proinde eum, qui ſcit ſe non eſſe contritum, ſed tantùm attritum, conſultiùs facturum, ſi conetur in ſe excitare contritionem.*

Sanchez in Summa lib. I. cap. IX. num. XXXIV. *Non peccabit,* inquit, *Sacerdos, ſi pœnitentem pro ſolâ attritione per ipſum cognitâ abſolvat, ſequendo opinionem probabilem ſuſtinentem eam ſufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem, & ut gratiam conferat: hoc tamen intelligerem, niſi pœnitens in articulo mortis eſſet, atque habere poſſet contritionem. Tunc enim mortale eſſet & recipere, & ei Sacramentum Pœnitentiæ cum ſolâ attritione cognitâ miniſtrare propter grave damnationis periculum, cui ille exponeretur, ſi fortè hæc ſententia non eſſet vera, cùm tamen gratiâ Dei adjutus poſſit ſecurum contritionis remedium aſſequi.*

Hæc illi quatuor Theologi, quorum primus affirmat, non eſſe certum, & poſſe eſſe falſum, attritionem cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem; ſecundus, non eſſe uſque adeo certum pœnitentis attritionem eſſe ſatis; tertius, facturum conſultiùs ad confeſſionem accedentem, qui ſcit ſe non eſſe contritum, ſed attritum duntaxat, ſi verè conteratur; quartus, ſententiam de attritionis ſufficientia non eſſe fortè veram, & qui ei ſe credit in articulo mortis, exponere ſe periculo damnationis. Quis autem ſanæ mentis homo ita ſentiret de eâ Theologorum opinione, quam habitis ultro citroque diſputationibus confirmaſſet Concilium? Exiſtimarunt ſagaces viri, nullum huic opinioni à Concilio pondus auctoritatis additum vel detractum eſſe, ſed eam pro eo ac valet, & ſuis nititur aſſertoribus, relictam.

CAPUT VI.

Ratio ducitur ex iis, qui Calvino reſtiterunt, illiuſque novitatibus antiquam Eccleſiæ doctrinam oppoſuerunt.

SI quando Tridentina Synodus Lutheri novitatem perculit, unà quoque finem impoſuiſſet memoratæ ſcholaſticorum controverſiæ, & ſtetiſſet à partibus eorum, qui attritionem Sacramenti partem idoneam eſſe volunt; nihil eſſet admodum, cur qui Calvino

reſtiterunt, eum non acriter reprehenderent, dum ita ſcribit in Inſtitut. Chriſt. cap. IX. de Pœnit. *Contritionem primam obtinendæ veniæ partem faciunt* (Catholici) *eamque debitam exigunt, hoc eſt, juſtam & plenam: ſed interim non conſtituunt, quando ſecurus aliquis eſſe poſſit, ſe hac contritione ad juſtum modum defunctum eſſe. Hic verò miſera conſcientia miris modis torquentur, dum ſibi debitam peccatorum contritionem imponi vident, nec aſſequuntur debiti menſuram, ut ſecum decernere poſſint, ſe perſolviſſe quod debebant: Si dixerent faciendum, quod in nobis eſt, eodem ſemper revolvimur. Quando enim audebit ſibi promittere quiſpiam omnes ſe vires contuliſſe ad lugenda peccata? ubi ergo diu ſecum luctata & longis certaminibus exercita conſcientia portum tandem, in quo reſideant, non inveniunt, ut ſe aliquâ ſaltem ex parte leniant, dolorem à ſe extorquent, & lacrymas exprimunt, quibus ſuam contritionem perficiant.* Quibus verbis auctor inſigniter calumniatur Eccleſiam, ſi Concilium declaravit, attritionem veram eſſe Sacramenti partem, ſive eam proximè ſufficere ad obtinendam in Sacramento culpæ remiſſionem. Sed tantùm abeſt, ut qui Calvino reſtiterunt, eum hac in re calumniatorem appellaverint, & Concilii doctrinam objecerint, ut potiùs veræ contritionis neceſſitatem aſſeruerint. Inter eos principatum tenet Bellarminus, qui lib. II. de Pœnitentia cap. X. memoratum Calvini textum refert nec refellit, ſed addit: *Quæ ſit autem vera ſeriaque contritio, ſine qua peccata non remittuntur, non poſſumus aliunde meliùs ac tutiùs diſcere, quàm ex literis ſacris. Porro literæ ſacræ utique requirunt contritionem ex toto corde, qualis eſt etiam vera Dei dilectio, ex quâ contritio vera procedit: Deuter.* III. *Cùm quæſieris Dominum, invenies eum, ſi toto corde quæſieris eum, & totâ tribulatione animæ tuæ. Deuter.* XXX. *Si ductus pœnitudine cordis, reverſus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, miſerebitur tui:* III. *Reg.* VIII. *Si peccaverint tibi, & reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, & totâ animâ ſuâ, propitiaberis populo tuo.* II. *Paralip.* XXX. *Dominus bonus, qui propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum. Hierem.* XXIX. *Quæretis & invenietis me, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro. Joel.* II. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra. Debent ergo adverſarii* (Kimnitius & Calvinus) *velint nolint admittere, ſine contritione perfectâ, & quæ ex toto corde, ſit, non remitti peccata.* De contritione, quæ prima ſit pars Sacramenti, hic ſermonem inſtituens ſequitur primò ſententiam eorum, qui veræ & perfectæ in Sacramento contritionis neceſſitatem aſſerunt; deinde ſibi facilè perſuadet, Concilium nihil judicaſſe ſecundùm eos, qui contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, primam Sactamenti partem ſufficientem docuerant. Quare ut ſibi conſentiat, dum capite XVIII. laudat ſeſſ. XIV. cap. IV. ubi legitur, attritionem *ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*, his verbis non aliam niſi remotam diſpoſitionem intelligere neceſſariò debet.

Cùm ergo Catholici Doctores Calvinum non reprehenderint, ſignum eſt eum expoſuiſſe receptiorem Theologorum ſententiam, quam vexaret, & ſuis cavillationibus laceſſeret. Verùm ut liberè dicam quod ſentio, Calvinus ea adverſus contritionem proponit argumenta, quibus qui pro contritione pugnant, cùm incommodentur ſoli, gloriari poſſunt ſe omnino ſentire & pugnare cum Eccleſiâ, quam ille hoſtis invadit. Et certè vix alia apud eos, qui contritionem in Sacramento Pœnitentiæ neceſſariam eſſe negant, & contrà attritionem ſatis eſſe ajunt, rationum momenta invenies, quæ ab abſurdo petantur. Hæc tamen non eò animadvertimus, ut ſcholaſticis, qui attritionem ut legitimam Sacramenti partem defendunt, concilietur invidia, ſed ut quod res eſt, ſincerè agnoſcatur. Præterea nec poteſt nec debet hoc modo invidia creari ſententiæ, quam Concilium vidit, nèc probavit vel improbavit, ſed in ſcholis liberè diſputandam reliquit: ita ut ſi refellenda eſt, oppidò refellatur argumentis, quæ ad ſimplicitatem, priſcum illum Chriſtianorum apparatum, non ad invidiam, commune factioſorum perfugium, componantur, & veritas humanis rationibus, non verborum contumeliis aſſeratur. *In dogmatibus* enim, *& quæſtionibus diſſerendis non perſona, ſed cauſa quærenda eſt*, ait B. Hieron. lib. III. contra Pelag.

CAPUT VII.

Ratio ducitur ex iis quæ Romæ acta ſunt, dum Clemens VIII. Raimundum Pennafortium numero Sanctorum adſcripſit.

QUO tempore Clemens VIII. Raimundum Pennafortium in ordinem Sanctorum retulit, Raimundi Summa Romæ edita eſt, in quâ hæc de contritione habentur lib. III. de Pœnit. & remiſſ. §. VIII. *Contritio eſt dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.* §. XI. *Qualiter autem hoc ſit intelligendum, utrum ſcilicet ſola contri-*

contritio ſine confeſſione tollat peccata, an contritio cum confeſſione. Varia ſunt opiniones: quibus recitatis ſubdit: *Tertii verò dicunt ſolâ contritione cordis dimitti peccatum cuilibet adulto, ſi verè conteritur, & proponit ab aliis abſtinere, & illud confiteri, & de eo ſatisfacere ſecundùm judicium Eccleſiæ.* Et paullo poſt: *Hæc ultima opinio celebrior eſt. Verùm non intelligas, quòd contritio dimittat peccatum propriè loquendo, ſed ipſe Deus in contritione.* Et paullo pòſt. *Quòd etiam opinio iſta ſit vera; patet per exemplum Lazari, quem priùs ſuſcitavit Dominus, quàm à diſcipulis ſolveretur, & per decem leproſos, qui in viâ antequàm venirent ad Sacerdotes, mundati ſunt.* §. LXI. *Quæritur quid remittit Sacerdos in pœnitentiâ.* Et poſtquam multas in utramque partem rationes expoſuit, & quædam adnotavit circa claves, ſubjicit: *His prælibatis dicendum eſt,* FERÈ SECUNDUM OMNES, *quòd purè, verè, ac propriè ſolus Deus dimittit peccata, & debitum æternæ pœnæ. Hieronymus: Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in judicio revelentur. Item Ambroſius. Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt judex. Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, ſed nullius poteſtatis jura exercet. Idem. Ille ſolus dimittit peccata, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt. Quidam tamen dicunt, quòd Deus mundat animam à maculâ peccati, Sacerdos autem ſolvit eam poſtea à vinculo æternæ pœnæ. Hos non intelligo, quare primam opinionem amplector. De Sacerdotibus autem non eſt dubium, quin habeant poteſtatem dimittendi & retinendi peccata.* Et poſt paucca: *Dicuntur autem Sacerdotes ligare & ſolvere tribus modis: primò ligant & ſolvunt, id eſt,* [a] *oſtendunt aliquem ſolutum vel ligatum: Unde Dominus Leproſos priùs reſtituit ſanitati, deinde ad Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderentur mundati. Item Lazarum primò reſuſcitavit, deinde mandavit diſcipulis ſuis ſolvere ſuſcitatum. Nam etſi aliquis apud Deum ſit abſolutus, non tamen in facie Eccleſiæ abſolutus habetur, niſi per judicium Sacerdotis.* &c. *Secundus modus ligandi eſt cùm ſatisfactionem Pœnitentiæ confitentibus imponunt, vel ſolvendi, cùm de eâ aliquid dimittunt, unde Leo Papa, Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus Pœnitentiæ ſatisfactionem darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* &c. *Tertius modus eſt, qui fit per excommunicationem,* &c. Hæc ille, quibus hinc communis de perfectæ contritionis neceſſitate opinio aſſeritur, inde ex clavium effectu confirmatur.

Sic autem hæc beati Raimundi Summa commendetur ab Ordine Prædicatorum, qui illam Clementi VIII. dicarunt. *Inter præclaros Ordinis noſtri viros, qui ſingulis ſæculis vitæ ſanctitate, & literarum peritiâ claruerunt, & ſicut primæva inſtituto poſtulat, Evangelium prædicando, hæreſes & hæreticos impugnando & expugnando, pravas & novas doctrinas confutando (ut tuta ſemper & ſacra retineantur, & vetera ac Catholica dogmata inviolata conſiſtant) in vineâ Domini laboraverunt; Raimundus de Pennafort præcipuum ſemper obtinuit locum, qui cùm juris utriuſque eſſet inſignis Profeſſor, Præfecti Provincialis juſſu Summam de Pœnitentiâ, & particularem quoque de Matrimonio compoſuit tractatum, ut eorum ſtudiis ſalubriter conſuleret, qui confeſſiones peccatorum audiunt.* Et poſt alia: *Erit magni & excelſi animi veſtri munus hoc qualecunque libenter accipere, & partum viri ſancti fovere, ut veſtri nominis auctoritate munitus ab impiorum & imperitorum invidiâ defendatur.* Hujus igitur Ordinis judicio impii juxtà atque imperiti habendi ſunt, qui quam ex Raimundi Summa doctrinam retulimus, accuſarent: contrà verò in religioſis & peritis ducendi, qui eandem doctrinam prædicarent.

Deinde in Judicio, quod delegati ad Raimundi in Sanctorum numerum relationem præſules tulerunt, eadem Summa mirum in modum commendatur: *Auctoritatem,* inquiunt, *hujus Summæ commendant auctor ipſe, qui vitæ ſanctitate, miraculorum operatione in vitâ & in morte claruit, quem ob eorum continuationem poſt tria ſæcula ſanctiſſimus Dominus noſter Clemens Papa VIII. ſolemni ritu canonizavit: modus item docendi facilis, ubique apertus & tutus, cùm vir ſanctus in caſibus, & articulis ambiguis decidendis, aut ſacrarum literarum, aut ſacrorum Canonum, aut ſanctorum Doctorum auctoritate nitatur. Iſtis autem deficientibus ad peritos in arte egregios Canoniſtas recurrit. Raro autem, aut nunquam propriâ auctoritate & ſenſu nititur. Novitates enim, & ſingulares opiniones tanquam peſtem perpetuò vitandas putavit. Poſtremò eandem Summam valde commendant illuſtrium Doctorum agmina, qui poſt Raimundum floruerunt. Omnes enim, & Juris civilis profeſſores, & ſacrorum canonum Doctores, & Theologiæ magiſtri, Raimundi Summam venerabiliter quoties ſe obtulit occaſio, allegantes, viri ſancti teſtimonio ſunt uſi ad ſua dicta comprobanda.* Quæ hic commendationis notæ leguntur, non ulli veriùs, aut aptiùs, ni fallor, Raimundi ſen-

T 3 ten-

[a] *Oſtendunt aliquem ſolutum*] Hic juvat exſcribere notam quam in hunc Raimundi Textum edidit Vincentius Lagueus ordinis Prædicatorum in ſua Raimundi editione Lugdunenſi in fol. anno 1718. *Oſtendunt Solutum,* inquit obſervationum pag. 570., *non ſignificando tantum, ſed efficienter, aliàs ſimilitudinem Leproſorum nimis extenderet Magiſter.*

tentiæ, quàm huic, qua de agimus, conveniunt. Celebrem de verâ contritione & de clavium poteſtate opinionem ſequitur; non auctoritate propriâ, ſed Evangeliorum & ſanctorum Patrum teſtimoniis confirmat; modum docendi facilem ſervat ubique apertum & tutum, eumque cùm laudant Commiſſarii, alios ad tenendas hujus Summæ aſſertiones ſingulas invitare videntur. At credi vix poteſt, hoc ita factum eſſe Romæ, ſi quid Raimundi Summa contrarium Tridentino Concilio exhiberet. Exhiberet autem, ſi quod de attritionis ſufficientiâ in Sacramento Pœnitentiæ nonnulli docent, Concilium quoquo aſſerviſſet modo. Vetus quidem eſt liber, ſed noviter editus, atque ut omni accommodatus tempori probatur, nullis tandem (quemadmodum aliquando fit in veterum operibus) aſteriſcis notatur id quod de contririonis neceſſitate, & de clavium efficacia tradit, vel ab amplectendâ eâ doctrinâ lector abſterretur. Vehementer commendatur, tantùm abeſt ut adverſus memoratam de Pœnitentiâ doctrinam amuletum aliquod in margine vel alio in loco apponatur. Dicam verbo, quod mihi Commiſſariorum ſententia ſuggerit. Raimundi doctrinæ bonitas, una eſt è cauſis, quibus illius in Sanctorum numerum relatio videtur inniti. Quo ex argumento perſpicuè concludimus, Tridentinos Patres neutri Theologorum ſententiæ ullum feciſſe præjudicium.

CAPUT VIII.

Ratio ducitur ex eo quòd ſi quæſtio hæc fuiſſet in Concilio ad definiendum propoſita; ex rerum definiendarum legibus Patres ſecundùm contritionem potiùs, quàm ſecundùm attritionem judicaſſent.

HIc non abſolutè ſed comparatè loquor: Itaque argumentor: ſi recenſitam Theologorum controverſiam dirimere voluiſſet Concilium, ſecundùm eos potiùs, qui contritionem neceſſariam, quàm ſecundùm alios, qui non neceſſariam, ſed attritionem ſatis eſſe ad Sacramentum aſſerunt, pronunciaſſet: At cùm iſtud non fecerit, aliud, quod eſt oppoſitum, multo minùs feciſſe credendum eſt: ſcilicet attritionem Sacramento junctam ſufficere ad juſtificationem, vel ad Sacramentum non neceſſariò requiri contritionem. Cur autem ita pronunciaſſet, ut duximus, producti cap. v. Theologi, & cum primis Franciſcus Suares eam rationem objicit, quæ ſi vera eſt, rem conficit: *Licèt*, inquit, *ſit opinio probabilis, attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa. Ergo qui ſciens & videns ita ſe mori permittit, voluntariè exponit ſe periculo æternæ damnationis, cùm* ILLA OPINIO NEC VALDE ANTIQUA, NEC MULTUM COMMUNIS SIT.

Hîc primò ſtatuendum, Concilii Patres nullâ ſe definitione velle eam opinionem, quæ non eſt certa, & poteſt eſſe falſa, atque adeo hominum ſaluti periculoſa, confirmare, & ei ſententiæ, quæ certa eſt, quæ nunquam falſa, quæ nunquam periculoſa eſſe poteſt, minùs favere. Sententiam verò, quæ contritionem cum Sacramento ad juſtificationem exigit, certam eſſe ac tutam docet Suares, & Theologi conſentiunt univerſi.

Deinde ſtatuendum, cùm opinio, quæ pro attritione pugnat, nec valde antiqua ſit; nec multùm communis, conſectarium eſſe, ut ſententia, quæ contritionem cum Sacramento poſtulat, valde antiqua ſit, & multùm communis. Hîc notandus eſt ſuperioris ſæculi exitus, & hujus initium, ſub quo Suares ſcripſit. Nam ab eo tempore pugnantium pro attritione opinio plurimùm crevit. Neque aliàs de opinione attritionis multùm ille diffideret, ſi ſententia, quæ pro contritione pugnat, non eſſet vetuſtior & communior.

Poſtremò ſtatuendum. Suaris de attritione judicium nullâ refelli poſſe traditione, quæ à Chriſto ad tempus, quo Suares ſcripſit, legitimè decurrerit. Contrà verò, quæ hîc de neceſſariæ in Sacramento contritionis antiquitate & univerſitate diſputandi cauſa ſupponuntur, plerique diverſarum ætatum Theologi valde confirmant.

Petrus Sutor ex Pariſienſi Theologo Cartuſianus, qui ad annum M. D. XXXIV. claruit, in libro de poteſtate Eccleſiæ in occultis, quem eodem anno Facultas Theologiæ Pariſienſis pro more illius temporis comprobavit, cap. I. *Sacerdos ligat peccatorem, dum decernit eum eſſe ligatum, abſolvit, dum culpam miniſterialiter remittit, ſaltem quantum ad Eccleſiam pertinet, & peccatorem ipſum ſolutum ſuo judicio decernit: abſolvit, inquam, dum partem pœnæ temporalis virtute hujuſmodi poteſtatis* (clavium) *relaxat.*

Thomas Illyricus ex Ordine Minorum Theologus, qui ad annum M. D. XXII. claruit, parte I. Clypei Catholicæ Eccleſiæ, de Sacramento Pœnitentiæ contra Lutheranos. *Tertia concluſio: Sacramentum Pœnitentiæ propriè acceptum nunquam confert primam gratiam inſtrumentaliter ſine contritione. Probatur, quia ſine contritione peccatum non dimittitur:*

Idem

Idem ſerm. de clavibus Eccleſiæ: *Quomodo ſacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret quòd eſſet abſolutus à Deo?*

Guillelmus Pepinus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, qui ad annum M. D. X. floruit, ſerm. II. de myſterio abſolutionis feriâ quintâ in cœnâ Domini: *Regula*, inquit, *generalis Theologorum eſt, quòd confeſſor neminem debet abſolvere, quem non credit veriſimiliter à Deo abſolutum*: Vi ſcilicet contritionis, de qua paullo antè locutus eſt. Hîc vox unius, vox multorum.

Æqualis Pepino [b] Ludovicus Vivaldus ex Ordine Prædicatorum Theologus, in tractatu de veritate contritionis cap. CXIII. *Ille, qui non habet verum propoſitum abſtinendi à peccatis pro tempore futuro, nunquam erit gratus Deo, etiamſi agerec omnem pœnitentiam mundi, nec per conſequens poterit remiſſionem conſequi peccatorum ſuorum, quia ſoli contritio remittuntur peccata.* & cap. CXVIII. *Vera, ſancta, indubitata, ſalubris, atque catholica contritio eſt hæc, quam omnis homo, qui ſalvari cupit, ſcire debet: Quoniam expedit Deum omnium Creatorem ſuper omnia diligere, non quidem verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: Ideo oportet deſerere peccata, non propter vanos reſpectus, ſed quia peccata ſunt offenſa Dei, vel ſunt contra Deum ſuper omnia ſibi diligendum.*

Stephanut Bruliferus ex Ordine Minorum Pariſienſis Theologus, qui [c] ad annum M. CD. XXC. floruit, in quartum ſent. diſt. XVIII. quæſt. I. *Communiter ſacerdos ante abſolutionem orat pro pœnitentibus, & cùm dat abſolutionem præſupponit, quòd eſt abſolutus à Deo. Sacerdos enim nunquam abſolveret quemquam, de quo non præſumeret quòd eſſet abſolutus à Deo.*

Æqualis Brulifero Ambroſius Traviſinus, ſerm. XIX. conſid. I. concl. III. *Sacerdos abſolvere non poteſt, niſi quem eredit à Deo abſolutum.*

Ægidius Carlerius Pariſienſis Theologus & Cameracenſis Decanus, qui ad annum M. CD. L. floruit, in reſponſione ad certas quæſtiones factas per Abbatem Aquincintenſem. *Eſt verum, quòd ſolus Deus remittit culpam, & ſolus commutat pœnam æternam in temporalem, quia ſolus infundit gratiam. Sacerdos legalis dicebatur culpam remittere, quia oſtendebat eam eſſe remiſſam, & Sacerdos evangelicus oſtendic eam eſſe remiſſam, ſed cum hoc partem pœnæ temporalis debitæ in purgatorio remittit vi clavium & ſolvit: obligat ad pœnam temporalem in hoc ſæculo, & ſic ligat, & ſic nullus Sacerdos Evangelicus remiſſionem culpæ facit: ſed quia remiſſâ culpâ adhuc manet reatus ad pœnam temporalem, remittere dicitur peccatum quoad partem pœnæ.*

Deinde in tractatu, quem ſuper diverſis erroribus in materia de ſanctitate beatæ Virginis, de virtute Chriſti in Euchariſtia, de Indulgentiis, &c. ad poſtulationem Magiſtri Henrici Campenſis edidit: *Præterea contritio ordine naturæ & frequenter etiam temporis præcedit Indulgentiæ collationem & effectum illius. Contritione verò culpa expellitur, & à Deo gratia infunditur.* Hæc ex MS. Codice Navarrici Collegii in Academia Pariſienſi. Carlerius porro magna cum probitatis, & doctrinæ laude Baſilienſi Concilio interfuit, & per quatriduum reſpondit articulo II. Bohemorum de corrigendis peccatis publicis, quem propoſuit Nicolaus Taborita.

Alfonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, qui ad annum M. CD. XXXV. claruit, cap. V. Defenſorii: *Aliud ergo eſt à quo homo abſolvitur per Deum, & per Sacerdotem*: & poſt pauca: *Pœna æterna eſt circa quam Deus ſolus operatur directè remittendo obligationem ad illam: pœna temporalis eſt, à cujus obligatione in toto vel in parte abſolvit Sacerdos per claves.* Item cap. VI. *Dico quòd Deus abſolvit hominem a culpa, quia infundit gratiam juſtificando impium, abſolvit à reatu mortis æternæ, quia reatus iſto modo culpa dicitur. Ideo à culpa abſolvitur. Sacerdos quoque qualibet auctoritate clavium hoc modo abſolvic à culpa, ſcilicet à reatu pœnæ temporalis. Nam per clavium auctoritatem quædam pars pœnæ tollitur, quæ temporaliter toleranda manebat.* & poſt pauca: *Abſolutio fit per Deum, & fit per Sacerdotem, & tamen culpa* (quatenus eſt quædam privatio rectitudinis debitæ ineſſe in actu) *deſiit eſſe priùs, quàm aliqua iſtarum abſolutionem fiat. Patet, quia Deus dicitur hominem abſolvere à peccato quando convertitur per contritionem, & Deus infundit gratiam juſtificantem. Tunc enim non manet culpa, ſed deſiit jam eſſe, cùm culpa non ſit niſi privatio circumſtantiarum debitarum ineſſe in actu.* Hæc ille, qui ſcientias diſciplinaſque pæne omnes aſſecutus eſt ad annum ætatis quadrageſimum ſecundum, quo ex hominibus demigravit.

Thomas

[b] *Æqualis Pepino Ludovicus Vivaldus*] In Bibliothecâ Ordinis Prædicatorum Tom. II. pag. 41. & pag 87. *Vivaldus* recenſetur anno 1519. *Pepinus* autem anno 1533.

[c] *Ad annum MCDXXC.*] Sub annum 1483. vixiſſe teſtatur Eyſengreinus. Vide Scriptores Ordinis Minorum pag. 320.

Thomas Waldenſis ex Ordine Carmelitarum Pariſienſis Theologus, qui ad annum M. CD. XX. floruit, tom. II. de Sacramentis cap. CXLIII. *Placet quòd Lazarus ſuſcitatur, & vivis prius tempore, quàm ſolvant diſcipuli, ita Dominus ſuſcitat peccatorem priùs, quàm ſolverint Sacerdotes.*

Marſilius Pariſienſis Theologus, qui ad annum M. CCC. XXC. floruit, in IV. quæſt. XII. art. II. *Ex his facilè ſequitur reſponſio ad dubium, quòd Sacerdos iſtum priùs à Deo abſolutum, tanquam à principali & authentico abſolutore, de iiſdem criminibus quæ ei confitetur abſolvit, ut miniſter Eccleſiæ: & ſic verba vera ſunt quæ dicit: Ego te abſolvo, &c. ut miniſter ſcilicet, de quibus quamvis abſolutus erat à Deo in contritione, tamen eget abſolutione hominis, certis temporibus & locis ex Dei inſtitutione.*

Bertrandus Agerius de Turre ex Ordine Minorum Cardinalis, qui [d] ad annum M. CCC. XXX. floruit, in ſerm. Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem. *In iſtis quatuor quæ dicta ſunt, ſupponitur animi vera contritio, & propoſitum confitendi Sacerdoti Eccleſiæ juxta præceptum ejus. Nullum enim alterum eſſet efficax ad ſanitatem obtinendam ſine iſtis duobus, immo nec poſſent eſſe: ad quod deſignandum dixit Chriſtus iſtis decem Leproſis; Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.*

Joannes Bachon ex Ordine Carmelitarum Theologus, qui ſub illud tempus vixit, in quartum ſent. diſt. XV. art. III. *Etiam ſervatur confeſſio cum contritione, ut juſtitia ſervetur erga Deum, & prælatos Eccleſiæ, qui ſunt membra ejus, unde verſus,*

Te cor contritum mundat, confeſſio reſtat,
Si quæris, quare, capiti membriſq; tenemur,
In caput & membra commiſſis tranſgrediendo.

Hi verſus, qui invandæ memoriæ gratia, editi ſunt, vulgatam, ſi quid capio, ſi non inter omnes, certè inter multos, opinionem important.

Joannes Bromiardus ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui ad annum M. CC. XC. floruit, in Summa Prædicantium, verbo *Contritio*, art. V. *Cui Deus aperuit januam Eccleſiæ triumphantis in contritione, debet Confeſſor aperire Eccleſiam militantem in abſolutione.* Deinde verbo *Confeſſio* art. XI. *& ſi non eſt in caritate, quomodo poſſet abſolvi?*

Sanctus Thomas qui ad annum M. CC. LX. floruit in Supplemento quæſt. X. art. V. *Reſpondeo dicendum, quòd confeſſio operatur præſuppoſita contritione, quæ culpam delet, & ſic confeſſio directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ, quod quidem facit ex erubeſcentia, quam habet, & ex vi clavium, quibus ſe confitens ſubjicit.* Locus hic ſole clarior à quibuſdam aliis paululum involutis caliginem diſpellit omne, & tantum adfert luminis, ut ſuum auctorem contradictione implicaturus ſit potiùs, quàm ullam ab ullo ſophiſta fuliginem verborum ſuſcepturus.

Æqualis Thomæ ſanctus Raimundus, quem inexpugnabili munitum præſidio adduximus capite ſeptimo.

Æqualis utrique ſanctus Bonaventura in quartum diſt. XVIII. art. II. quæſt. I. *In forma abſolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & deprecatio gratiam impetrat, ſed abſolutio præſupponit. Nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret quòd eſſet abſolutus à Deo.*

Alexander Alenſis ex Ordine Minorum Pariſienſis Theologus, qui ad annum M. CC. XL. floruit, part. IV. Summæ, quæſt. VIII. memb. I. *In forma abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum, & deprecatio gratiam impetrat, & abſolutio gratiam ſupponit: nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret quòd eſſet abſolutus à Deo.*

Æqualis Alexandro Albertus Ratiſponenſis Epiſcopus; in quartum Sent. diſt. XVIII. art. XIII. *Remiſit Deus culpam in contritione, & relaxavit debitum æternæ mortis, & poſt completionem remanet id, quod commiſſum eſt, miniſtris Eccleſiæ, ſcilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ.* In hoc multus eſt.

Cæſarius Heiſterbachenſis ex Ordine Ciſtercienſium Theologus, qui ad annum M. CC. XX. floruit, lib. III. de Confeſſ. cap. I. *Nonniſi per contritionem peccatori culpa dimittitur, & hoc ſub quadam conditione, ſcilicet ut confeſſio ſubſequatur.*

Innocentius III. Pontifex, qui ad annum M. CC. X. floruit, in ſecundum Pſal. Pœnitentialem: *Remiſiſti. Ut patenter oſtendat quòd peccatum priùs remittitur per compunctionem cordis à Deo, quàm pronuncietur per confeſſionem oris ab homine.*

Æqualis Innocentio [e] Guillelmus Autiſſiodorenſis, lib. IV. Summæ, de Sacramento Pœnit.

[d] *Ad annum MCCCXXX.*] Ad annum 1325. Claruiſſe memorat Trithemius, temporibus Ludovici Bavari Imperatoris IV. & Johannis Papæ.

[e] *Guillelmus Autiſſiodorenſis.*] Hunc Fabricius in notis ad Trithemium credit Guillelmum de Seliniaco. Gallicè [*de Seignelay*] ex Autiſſiodorenſi ad Pariſinum Epiſcopatum, poſteà aſſumptum. Vide quæ diximus in Tractatu de Præſcriptionibus.

Pœnit. *Quæritur qualiter intelligendum ſit quod dicit Dominus; Quodcunque ligaveris ſuper terram. Solutio. In Matthæo dicit Dominus Petro; Quodcunque ligaveris ſuper terram, & in Evangelio Joannis dicit diſcipulis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remiſſa ſunt, & quorum retinueritis retenta ſunt. Patet ergo, quòd in utroque Evangelio utitur Dominus futuro ſubjunctivi modi, quod ſignificat conſummationem rei ſignificata per verbum. Unde ſenſus eſt, Quodcunque ligaveris, id eſt, cujuſcunque ſolutionem conſummaveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlo. Conſummatio autem dicitur reſpectu inchoationis; Deus autem inchoat ſolutionem dimittendo culpam & pœnam æternam, Sacerdos verò conſummat dimittendo aliquid de pœna ex vi clavium per impoſitionem manuum. Et hoc patet in reſuſcitatione Lazari: Dominus enim dixit, Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis, & facies ejus ſudario fuit ligata. Poſteà dixit diſcipulis, ſolvite & ſinite eum abire. Per hoc patet, quòd Dominus inchoat ſolutionem, & Sacerdos conſummat: ergo ubi Dominus non inchoat, Sacerdos non conſummat.*

Joannes Sareſberienſis Carnutum Epiſcopus, qui ad annum M. C. LX. floruit. lib. V. Polycratici cap. V. *Nihilominus verum eſt, quia non extorquebis abſolvi, quòd ſola contritio cordis, confeſſio oris, & ſatisfactio operis veniam promerentur.*

Sanctus Bernardus, qui ad annum M. C. XL. floruit, ſerm. III. de Beato Andrea Apoſtolo, ubi veræ Confeſſionis gradus omnes exequitur: *Primus ejus* (Confeſſionis) *gradus eſt cognitio peccati.* & poſt alia: *Horum igitur omnium conſideratione perterritus tranſi ad pœnitentiam ultricem vitiorum, & nutricem virtutum.* & poſt alia: *Sic ergo tibi cognitus, & in te pœnitens tranſvola ad tertium gradum, dolorem cordis, & jam plantata erit juſtitia plantatione illa, quam plantavit pater tuus cæleſtis. Dole igitur quia creatorem offendiſti.* &c. *Si igitur in interiore homine juſtitia germinante ſurculus erumpit in arborem, & loquatur lingua, quod ſcientia loquebatur: quartus itaque gradus eſt confeſſio oris*, &c.

Æqualis Bernardo [f] Radulfus Ardens, Dominica prima poſt Paſcha in Homiliis II. partis: *Priùs Deus interiùs peccatorem per compunctionem abſolvit, Sacerdos verò exteriùs ſententiam proferendo eum eſſe abſolutum oſtendit; quod bene ſignificatur per Lazarum, qui priùs in tumulo à Domino ſuſcitatur, & pòſt miniſterio diſcipulorum à vittis, quibus ligatus fuerat, abſolvitur.*

Goffridus Abbas Vindocinenſis, qui ad annum M. XXC. floruit, Serm. V. *Nemo unquam poſt perpetratum vel ſemel criminale peccatum illam utilem ſibi confeſſionem, ſeu Pænitentiam credat, quam ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non præcedit. Quia ubi non eſt vera cordis converſio, non ſequitur plena remiſſio.* & poſt alia de Lazaro. *Utilis eſt, immo neceſſaria pænitentia poſt peccatum, cùm Chriſtum mortuos quidem ſuſcitaſſe, nullum autem in peccatis mortuum abſolviſſe legimus.*

Æqualis Goffrido [g] Rupertus Abbas Tuitienſis, lib. X. in Evangelium Joannis cap. XI. „Cùm itaque ad hujuſmodi peccatorem gratia Dei revertitur, mortuus pedes & manus „ligatus invenitur, quia funibus peccatorum ſuorum circundatus ſub lapide clauſus, id eſt, „ſub lege reus tenetur. Clamat Jeſus voce magna, veni foras, quia nonniſi magno ter„rore aſpirantis Dei, & de futuro judicio comminantis exterritus, malè ſecurus peccator „ad cor ſuum reducitur: ſtatim prodit, id eſt, reatum ſuum confitetur, & quia jam vi„vit, ſolvite illum, inquit Jeſus. Dixit enim, quæcunque alligaveritis, *&c.* Cavendum au„tem eſt eis, quorum hoc officium, vel poteſtas eſt, ne hunc modum prætereant, id eſt, „ne ligent niſi mortuum, neque ſolvant, niſi voce confeſſionis ſignificante redivivum eun„dem eſſe de ſepulchro productum. Nam ſi pro arbitrio vel animo ſuo illum viventem li„gent, hunc autem mortuum ſolvant, videlicet condemnantes juſtum & juſtificantes im„pium, ipſi illa non ſua, ſed Chriſti poteſtate ſe privant, & viventem quidem ligando „ſic mortificare nequeunt, mortuum autem ſolvendo non ſolùm non vivificant, verùm etiam „& fœtorem cunctorum naribus ingerunt.

Æqualis quoque [h] Brunus Signienſis Epiſc. & Sedis Apoſtol. in Gallia Legatus, in Levit. c. XIII. „Lavabit ea quæ pura ſunt ſecundò, & munda erunt. Quare enim ſecundò la„vantur, quæ pura ſunt, niſi quamvis pœnitentia ſit homo mundus, tamen à Sacerdote ſit „reconciliatus & abſolutus, adhuc à Sacramentis abſtinet, ut immundus. Quamvis enim „mundus ſit, mundus tamen non videtur, niſi cum ceteris fidelibus Eccleſiaſticis commu„nicet Sacramentis. Primò igitur lavetur Pœnitentia, ſecundò reconciliatione & abſolutio-

[f] *Radulfus Ardens*] Radulfum claruiſſe anno 1100. ſcribit Aubertus Miræus.

[g] *Rupertus Abbas*] Defunctus anno 1135. juxta Fabricii Calculum pag. 93. in notis ad Trithemium.

[h] *Brunus Signienſis* &c.] Mortuus eſt anno 1125. Vide Petrum Diaconum de Viris Illuſtribus Caſinenſibus pag. 186. Collectionis Fabricianæ Scriptorum Eccleſiaſticorum.

„ne. *Idem in Joannem part.* II. *cap.* IX. Valde quidem mirabile eſt, non ſolùm quòd
„mortuus reſurrexit (*Lazarus*) verùm etiam, quòd pedibus manibuſque ligatis foras pro-
„ceſſit, & hoc fortaſſe ſignificatio eſt, ut intelligamus, quòd peccator quacunque hora
„converſus fuerit, & ingemuerit, vita vivet & non morietur. Ligatus tamen eſſe videtur,
„donec ab Epiſcopis ſolutus Eccleſiæ Sacramentis reconcilietur. Iſte enim talis, quamvis
„foras ligatus appareat, intus tamen ligatus non eſt, quia peccator vinculis ſolutus jam
„Deo per pœnitentiam junctus eſt. Unde Lazarus etſi penitus ligatus non eſſet, & de ſe-
„pulchro liber exiiſſet, eum tamen Dominus ſolvere juſſit, quatenus & nos eos oſtenda-
„mus eſſe ſolutos, qui audita voce Evangelii in anima per pœnitentiam reſuſcitari merue-
„runt. *Hæc ex Cod. MS. ſancti Victoris ad Luteriam.*

Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus, qui ad annum M. LXXV. ſcripſit, enarratione in cap. XVII. Lucæ: *Dum irent, mundati ſunt. Quia ex quo tendentes ad confeſſionem & pœnitentiam tota deliberatione mentis peccata ſua damnant, & deſerunt, liberantur ab eis in conſpectu interni inſpectoris: Unde & per Prophetam Dominus ipſe teſtatur, quia impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua; perveniendum tamen eſt ad Sacerdotes, & ab eis quærenda ſolutio; ut qui jam coram Deo ſunt mundati, Sacerdotum judicio etiam hominibus oſtendantur mundi.* Ex his facilè intelliguntur, quæ tradit Anſelmus in Elucidario: *Sicut*, inquit, *in baptiſmo originalia, ita & in confeſſione remittuntur peccata actualia. Eſt enim judicium, duo ſunt judicia Dei. Unum hîc per confeſſionem, aliud in ultimo die per examinationem, in quo ipſe Deus judex, diabolus accuſator, homo reus. In iſto verò Sacerdos Chriſti Vicarius Judex, homo & accuſator & reus. Pœnitentia eſt ſententia.* Qua ſcilicet poſtquam mundus à culpa oſtenſus eſt, ad operis ſatisfactionem ligatur.

Radulfus Flaviacenſis, qui ad [i] annum DCCCCX. claruit, lib. X. in Levit. cap. I. *Quam ſeparationem ſacerdotali commiſit judicio, ut tanta contumelia non ſtatim afficeretur, quemcunque vulgaris opinio infamaſſet, ſed quem certa & legitima examinatio Sacerdotum leproſum deprehendiſſet. Sicut autem ſeparationis, ſic & reconciliationis poteſtas eiſdem attributa eſt. Juſtum ſiquidem erat, ut qui de morbo judicabant, de ſanitate quoque judicarent, & quorum diligentia creditum fuerat, nequis excluderetur immeritus, ad eorum etiam cautelam pertineret, nequis reciperetur indignus. Hanc legem Dominus ſolvere noluit, ſed potiùs adimplevit, dum diſcipulis ſuis ligandi ac ſolvendi poteſtatem attribuit. Miſit itaque ad Sacerdotes leproſos non utique emundandos, hoc enim ſolius Dei virtus eſt, ſed jam emundatos, tantùm ut eorum ſanitas juxta quod lex conſtituerat, Sacerdotum teſtimonio probaretur, ſic & Lazarum jam quatriduanum poſtquam de monumento vocans ſuſcitavit, & ille ligatis manibus ac pedibus prodiit, diſcipulis ut eum ſolverent, imperavit.*

Concilium Duziacenſe II. quod anno DCCC. LXXIV. habitum eſt, cap. VII. *Quapropter providendum eſt his, qui peccata ſuorum operum deplorant, ut conſummata mala perfectâ diluant lamentatione, ne plus aſtringantur in debito perpetrati operis, & minùs ſolvant in fletibus ſatisfactionis, ſicut ſcriptum eſt: Potum dedit nobis in lacrymis in menſura, ut videlicet uniuſcujuſque mens tantùm pœnitendo compunctionis ſuæ bibat lacrymas, quantùm ſe à Deo meminit aruiſſe per culpas. Debet ergo majorem in ſe quiſque ſeveritatem exercere, ut à ſeipſo judicatus peccator, vel judicata peccatrix non judicetur à Domino.* Hæc autem ſunt ſigna indubitata contritionis, quæ culpam delet.

Paſchaſius Raddertus Corbeienſis Abbas, qui ad [k] annum DCCC. LX. claruit, lib. VIII. in Matthæum cap. XVI. *Nam & in Levitico de leproſis ubi jubetur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote jubetur, ut immundi fiant, non quòd Sacerdos leproſos mundos faciat, aut immundos, ſed quòd habeat notitiam leproſi & non leproſi, & poſſit diſcernere, qui mundi ſint, quive immundi. Quomodo ergo ibi Sacerdos mundum facit, aut immundum, ſicut & hîc alligat vel ſolvit Epiſcopus vel Presbyter, non eos, qui noxii ſunt, vel innoxii ſuo arbitrio, ſed Pontificali officio, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandi ſint, qui-ve ſolvendi.* Verba ſunt Hieronymi, quæ ſua fecit, & quibus quæ ſint peccatoris, & quæ ſint Sacerdotis partes in Sacramento Pœnitentiæ, ſatis apparet.

Haimo Halberſtatenſis Epiſcopus, qui ad annum DCCCXXX. claruit, Homilia in die ſanctorum Petri & Pauli: *Illos ſuâ ſententiâ Paſtor abſolvere poteſt, quos videbit per compunctionem cordis & dignam emendationem à Deo eſſe ſolutos.* In hoc multus eſt.

Chriſtia-

[i] *Ad annum DCCCCX.*] Claruit circa annum Chriſti 1157., ut ex Alberico Trium-fontium Monacho probat Labbeus, nec antiquiorem eſſe evincere poteſt Frid. Spanhemius. *Fabricius* in notis ad Trithemium pag. 78.

[k] *Ad annum DCCC. LX.*] Imò defunctus A. C. 851. *inquit ibidem Fabricius*, in notis ad Trithemium, qui Paſchaſium claruiſſe dicit anno 880.

Chriſtianus Drutmarus Corbeienſis Monachus, qui ad annum DCCCXX. claruit, in expoſitione Matth. cap. x. *Ceterum qui peccat in Deum non eſt noſtrum remittere, donec Deum credamus dimiſſum habere. Exemplum nobis eſt reſuſcitatio Lazari, quia diſcipuli non antè ſolverunt, quàm reſuſcitaſſet. Nec Paſtor Eccleſia peccatorem poteſt abſolvere à peccatis, donec reſuſcitatus, hoc eſt immutatus fiat in anima.*

Concilium Cabilonenſe, quod anno DCCCXIII. celebratum eſt, Can. XXXIII. *Quidam Deo ſolummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam verò Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent; quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam, ita duntaxat, ut & Deo, qui remiſſor eſt pecatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus, delictum meum tibi cognitum feci, & injuſtitiam meam non abſcondi, dixi, confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et ſecundùm inſtitutionem Apoſtoli, confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemini. Confeſſio itaque, qua Deo fit, purgat peccata, ea verò, qua Sacerdoti fit, doces, qualiter iſtâ purgentur peccata.* At quomodo facta Deo confeſſio purgat peccata, niſi interventu veræ contritionis, per quam Deus maculam peccatorum abſtergat? ut loquitur ſanctus Raimundus. At rurſus quomodo facta Sacerdoti confeſſio docet qualiter peccata purgentur, niſi cùm Sacerdos de gravitate peccatorum rectè cenſet, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponit?

Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, qui ad ann. DCC. XC. floruit, in Capitulari ad Parochiæ ſuæ Sacerdotes, num. XXX. *Confeſſio, quam Sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum adfert, quia accepto ab eis ſalutari conſilio ſaluberrimis pœnitentia obſervationibus, ſive mutuis orationibus peccatorum maculas diluimus. Confeſſio verò, quam ſoli Deo facimus, in hoc juvat, quia quanto nos memores ſumus peccatorum noſtrorum, tanto horum Dominus obliviſcitur; & è contrario, quanto nos horum obliviſcimur, tanto Dominus reminiſcitur.* Enumeratis in Sacramento Pœnitentiæ cùm peccatoris, tum Sacerdotis partibus, quid de exerendis à peccatore veræ contritionis actibus cenſeat, ſine difficultate colligitur.

Venerabilis Beda Presbyter Anglorum Doctor, qui ad annum DCCXX. claruit, in cap. V. Epiſtolæ Beati Jacobi. *Porro gravioris lepra immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore juſſerit, purificari curemus. Purificari* dicit propriis ſcilicet pœnitentiæ actibus, quibus contritio caritate formata generatur. Quæ paucis hìc Beda docet, Theodulfus, & Concilium Cabilonenſe pluribus docent; atque ita mutuam ſibi præſtant intelligentiam. Sed clariùs in lib. Scintillarum cap. LXXIIII. ubi Chriſtum, & Gregorium I. loquentes inducit; Chriſtum quidem ita: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis*: Gregorium verò ſic: *Quos omnipotens Deus ſuſcitat per compunctionis gratiam, illos paſtoris ſententia abſolvet. Illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.*

Gregorius primus, qui ad annum DC. claruit, homilia XXVI. in Evangelia: *Cauſa ergo penſanda ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt qua culpa præceſſit, aut qua ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur judicis. Quod bene prædicta quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, qua videlicet demonſtrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit, dicens, Lazare veni foras. Et poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis ſolutus eſt, ſicut ſcriptum eſt. Cumque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus inſtitis, tunc dixit diſcipulis: Solvite eum & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd illos debemus per Paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.* Ex his verbis formata eſt illa generalis regula Theologorum, *quòd confeſſor neminem debet abſolvere, quem non credit veriſimiliter à Deo abſolutum.*

Fulgentius, qui ad annum D. XX. claruit, lib. I. de remiſſ. peccat. cap. VI. *Deum namque miſericordem juſtumque eſſe cognoſcit, nec ignorat, quòd peccatorum remiſſionem ſola de Deo poſſit elicere cordis vera converſio.*

Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, qui ad annum CCCC. XL. claruit, in Hom. poſt. Dominicam IV. Quadrag. poſt relatum Lazari exemplum: *Et hoc fortaſſe ſignificatio eſt, ut intelligamus, quia peccator quacunque hora converſus fuerit & ingemuerit, vita vivet & non morietur: ligatus tamen adhuc eſſe videtur, donec ab Epiſcopis ſolutus Eccleſia Sacramentis reconcilietur.*

Æqualis Eucherio Leo Papa primus epiſt. XCI. *Mediator Dei & hominem homo Chriſtus*

Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

Auguſtinus, qui ad annum cccc. xx. claruit, Serm. VIII. de verbis Domini in Evangelium Matthæi. *Qui confitetur foras prodit, foras prodire non poſſet, niſi viveret. Vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in confeſſione ſui accuſatio, Dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis, quid prodeſt Eccleſia, ſi jam confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo. Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia? cui dictum eſt, Quæ ſolveritis, ſoluta erunt, niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos: Solvite illum, & ſinite abire.*

Idem in lib. quinquaginta Homiliarum, Homilia XXVII. „Illa verò Pœnitentia luctuoſa
„grave vulnus eſt, adulterium fortè commiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquod ſa-
„crilegium, gravis res, grave vulnus, letale. mortiferum, ſed omnipotens medicus. Jam
„poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem & conſenſionem & præparationem, quaſi quatri-
„duanus mortuus putet. Sed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamavit, Lazare veni foras.
„Ceſſit voci miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors vitæ, ceſſit infernus ſuperno. Elevatus
„eſt Lazarus, proceſſit de tumulo, & ligatus erat, ſicut ſunt homines in confeſſione peccati
„agentes pœnitentiam. Jam proceſſerunt à morte. Nam non confiterentur niſi procederent.
„Ipſum confiteri, ab occulto & tenebroſo procedere eſt. Sed quid ait Dominus Deus Eccleſiæ
„ſuæ, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo? Proinde Lazaro procedente, quia im-
„plevit Dominus miſericordiæ ſuæ bonum, producere ad confeſſionem mortuum latentem &
„putentem, jam cetera implet Eccleſiæ miniſteria, Solvite illum & ſinite abire. *Deinde Ho-*
„*milia L.* Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis (*peccatis quæ ex Galatarum* V. *capite enumerat*)
„voluntate dum poteſt, & mores convertat in melius: ne cùm jam non poterit, etiam præ-
„ter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed
„tamen medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtran-
„tur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito,
„à præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio
„cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad reci-
„piendam ſalutem, ſed etiam ceteris ad exemplum.

Hieronymus Latinorum Patrum doctiſſimus, qui ad annum cccc. floruit, in Matth. cap. XVI. ſuper illud, Tibi dabo claves regni Cælorum: *Illum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæritur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant. non quòd Sacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quòd habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, qui-ve immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hìc alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos, qui ſunt inſontes vel noxii, ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, qui-ve ſit ſolvendus.*

Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, qui ad annum ccc. xxc. lib. II. de Pœnitentia cap. IV. Ubi poſt commemoratam ſuſcitari à Chriſto Lazari hiſtoriam, ſubdit. *Noſtrum eſt onera* (delictorum) *removere, illius eſt reſuſcitare, illius educere de ſepulcris exutos vinculis.* Idem lib. III. de Spiritu ſancto cap. XIX. *Nunc videamus, utrum peccata donet Spiritus: ſed hinc dubitari non poteſt, ne ipſe Dominus dixerit, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Ecce quia per Spiritum ſanctum peccata donantur, homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus poteſtatis alicujus exercent. Neque enim in ſuo, ſed in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti nomine peccata dimittuntur, ipſi rogant, divinitas donat, humanum eſt obſequium, ſed munificentia ſuperna eſt poteſtatis.* Quo Ambroſii teſtimonio utuntur Magiſter ſententiarum, ſanctus Raimundus, & alii.

Quàm verò neceſſariam contritionem judicaret Ambroſius, ſingulari docuit facto, quod æterna memoria dignum eſt. Ut lapſos, qui percipiebant ab eo pœnitentiam, ad verum dolorem, & ad lacrymas criminum deletrices impelleret, lacrymas ipſe plurimas effundebat: Qua de re ſic in illius vita Paulinus ad Auguſtinum: *Siquidem quotieſcunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat loquebatur, bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum ſint magis, quàm accuſatores apud homines.*

Hic

Hìc antiquiores non refero Patres, quòd remittendorum criminum poteſtatem magis, quàm modum exercendæ poteſtatis docuerint: ii tamen reipſa conſentiunt Ambroſio, Hieronymo & Auguſtino, qui quicquid erat de utroque traditum à majoribus acceperunt, acceptumque, ſuis explicarunt numeris, itaque explicatum poſteris fideliter conſignarunt.

Porro in iis Partibus habeo Chryſoſtomum, qui hæc lib. III. de Sacerdotio tradit: *Corporis lepram purgare, ſeu ut veriùs dicam haud purgare quidem, ſed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat. At verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Et quanquam hæc ita tradit, ab illo tamen relati Patres & Theologi non diſſentiunt, dum Sacerdotes Evangelicos cum legalibus aliquando contendunt. Id enim Evangelicos circa peccata ipſa, pœnam peccatis debitam & circa incrementum gratiæ præſtare dicunt, quod legales olim præſtitiſſe non dicunt, atque ita Chryſoſtomo concordant. Præterea ſuis principiis inſiſtentes poſſunt dicere, Evangelicum Sacerdotem ſordes animæ eatenus purgare, quatenus peccator agens pœnitentiam, niſi ab illo, dum fieri poteſt, reconcilietur Eccleſiæ, in peccati ſordibus verſari meritò credatur. Deinde nemo neſcit Chryſoſtomum annos natum duntaxat viginti duos, cùm è foro in ſolitudinem Syriæ aufugit, ut ſe Sacerdotio indignum proderet, celebrem illum de Sacerdotio commentarium edidiſſe, & id ſummis laudibus extuliſſe. Quapropter hæc verba, *video ipſam eandem poteſtatem, quam pater filio dedit, à Deo Filio Apoſtolis traditam*, niſi benigna expoſitione molliantur, probabunt longè plura, quàm qui his utuntur probare vellent. At grandior factus, de pœnitentiæ actu, quem primam Sacramenti partem Theologi noſtri faciunt, multis in locis ſic ſcribit, ut ei vim delendæ culpæ adſcribat: Loca tria in ſpecimen damus. Unus eſt in præfatione Commentariorum ſuper Iſaiam: *Eſt pœnitentia permoleſta quidem, & horroris plena peccatoribus, eſt alioqui medela delictorum & conſumptio, prævaricationum legis ſolutio, loquendi libertas in conſpectu Dei, adverſus diabolum armatura ſimul & gladius, caput ipſius præſecans, ſalutis ſpes, everſio ignorantiæ, ipſa homini cœlum adaperit, eadem ipſum in paradiſum introducit.* Alter eſt in libro II. de compunctione cordis. *Cordis compunctio ſicut ignis, omne animæ vitium perurit & adimit, & quantacumque in ea reperit mala: abſtergit univerſa & penitus delet.* Tertius in Homilia de Pœnitentia apud Photium: *Duo hæc ſunt, peccatum & pœnitentia: vulnus quidem peccatum, remedium pœnitentia: In vulnere putredo, in pœnitentia putredinis mundatio: in peccato probrum & deriſio, in pœnitentia laus & libertas dicendi & à ſervitute liberatio.* His in locis non ſicut in opere de Sacerdotio panegyricum facit, ſed preſſè loquitur, receptam ubique diſciplinam urget atque exponit. Qua in re mira eſt Chryſoſtomi cum relatis Patribus & Theologis conſenſio.

Verumenimverò quia Pœnitentiæ Sacramentum univerſim continet duo, pœnitentis diſpoſitionem, & Sacerdotibus miniſterium, ut ad conſtituendum hoc Sacramentum mutuam ſibi commodant operam, ſic unum per alterum explicatur. Quare ſi quis è reliquis Patribus ſignificet, qualis ſit in Sacerdotis miniſterio clavium efficacia, intelligemus facilè, qualis ex mente illius debeat eſſe pœnitentis diſpoſitio; & contrà ſi quis doceat qualis debeat eſſe pœnitentis diſpoſitio, aſſequemur quoque ſine diſcrimine, quò ex ejuſdem mente ſuperveniens Sacerdotis miniſterium pertingat.

Sic relatis Patribus adjungimus Tertullianum, qui primus omnium apud Latinos de Baptiſmo & Pœnit. tractatus integros lucubravit, aut is certè cujus libri ad nos pervenerint. In libro autem de pœnitentia eam ad Baptiſmum deſcribit præparationem, qua culpæ deleantur ante illius ſuſceptionem. Hujus verba ſunt è cap. II. *Cui* (Domino) *præminiſtrans* (Joannes) *pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus propoſitam, ut quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, radens & foras abjiciens, mundam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto paret, quò ſe ille cum cœleſtibus bonis libens inferat.* Deinde è cap. VI. *Lavacrum illud eſt obſignatio fidei, quæ fides à pœnitentia fide incipitur & commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti ſumus.* In adultis pro præviâ ad baptiſmum contritione nihil poteſt eſſe explicatius, nihil clarius. At niſi major, certè minor non eſt præparatio ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ ſecunda poſt naufragium tabula vocatur. Unde Tertullianus cap. VII. ait: *Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundò; ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra.* Tum cap. VIII. & IX. *Sed ſi pœniteat ex animo, ſi famem tuam cum ſaturitate mercenariorum paternorum compares, ſi porcos immundum relinquas pecus, ſi patrem repetas vel offenſum; deliqui dicens, pater, nec dignus ego jam vocari tuus:*

Tan-

Tantùm relevat confeſſio delictorum; quantùm diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt; diſſimulatio, contumacia. Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius quanto in arto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit triſti tractatione mutare, ceterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. Poſtremò cap. XI. *Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.* Qui ſeſe ad habendam cum Deo & Eccleſia ejus pacem & reconciliationem ita præparat, quanta & quali, Deus immortalis, contritione priùs afficitur, quàm voti compos evadat; Sunt quidem, fueruntque non parum multi, qui Tertullianum, & Cyprianum Tertulliani veſtigia relegentem nimiæ ſeveritatis redarguerint, qui Chriſtianæ pœnitentiæ corruptores appellaverint, ſed eos nihil moramur, de quibus ita Edmundus Campianus Societatis Jeſu Theologus inſignis loquitur V. ratione: *Cyprianum delicias & decus Africæ Gallicanus ille Criticus, & Magdeburgici ſtupidum & deſtitutum Deo & depravatorem pœnitentiæ nuncuparunt. At ne ſingulis inſiſtam diutiùs, patres hujus ſæculi damnantur omnes, quippe qui doctrinam de pœnitentia mirè depravarint, quo pacto. Nam auſteritas canonum, quæ viguit ea tempeſtate, majorem in modum diſplicet huic ſectæ plauſibili, quæ tricliniis aptior, quàm templis voluptarias aures titillare, & pulvillos omni cubito ſolet aſſuere.* Joannem in primis Calvinum intelligit, qui, ut cap. VI. retuli, veræ contritionis in Sacramento neceſſitatem rejicit, & Catholicos illius neceſſitatis vindices abſurdis ſuo judicio complexionibus illaqueare ſibi videtur.

Ad Scripturam quod attinet, hujus inter ſe collata teſtimonia difficultatem, quæ poſſet injici, expediunt omnem. Matthæi cap. XVI. & XVIII. Petro & ceteris Apoſtolis jus ligandi ac ſolvendi datur, & Joannis XX. poteſtas remittendi ac retinendi peccata conceditur. Sed hujus exercendæ poteſtatis modus & fines dupliciter exponuntur; & primò quidem per illa Scripturæ teſtimonia, quibus antea cap. VI. Bellarminus aſſeruit veræ contritionis neceſſitatem. Hac enim poſita, quemadmodum *confeſſio directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ*, ut ſanctus Thomas loquitur, ſic & abſolutio confeſſioni reſpondens. Atque in hac opinione rem ita ſe habere docet Becanus, cap. XCII. de Sacramento Pœnitentiæ, & alii Theologi, qui norunt, quid ſit conſequenter loqui; deinde per cap. XVII. Lucæ, & cap. XI. Joannis. Apud Lucam enim decem viri leproſi liberationem morbi petunt à Chriſto, qui ſtatim iis præcipit, ut ſe ſe Sacerdotibus oſtendant: parent, & dum ad eos vadunt, mundantur. Apud Joannem narratur, quomodo Chriſtus mortuum Lazarum ad vitam revocat, & cum Apoſtoli quibus ligatur inſtitis ſolvunt. Hæc utique ſunt loca duo, quibus Patres & Theologi conceſſam Apoſtolis ligandi ac ſolvendi, remittendorum ac retinendorum criminum poteſtatem definiunt. Atque hoc ut quod omnibus notum ſit, nihil eſt neceſſe pluribus verbis explicare. Quoſdam ex illis Patribus & Theologis, hoc cap. annotavi, alios c. I. poſterioris partis annotabit Vega. Irenæus Apoſtolicis temporibus vicinus poſteris exemplum dedit, quo hujus poteſtatis exercendæ rationem & diſcerent & explicarent. Sic enim ſcribit lib. V. contra hæreſes cap. XIII. *Lazarum vocavit magna voce dicens: Lazare veni foras, & exivit, inquit, mortuus colligatus pedes & manus inſtitis, hoc ſymbolum ejus, qui inligatus fuerat in peccatis, & propter hoc ait Dominus, Solvite illum & dimittite eum abire.*

Huc accedit in-primis Epiſtolæ Jacobi locus, in quo unctis oleo ægrotis peccata remittuntur, deinde libri II. Maccabæorum auctoritas, ubi defuncti à peccatis ſolvuntur.

Tum ſacer exequiarum ritus, in quo pro mortuis Eccleſia poſtulat remiſſionem peccatorum, ſeu à peccatis ſolutionem. Poſtremò indulgentiarum literæ, in quibus Pontifices *verè contritis, verè pœnitentibus & confeſſis* remiſſionem peccatorum largiuntur. Hæ locutiones è Scripturis derivantur, ſuamque apertè produnt originem. Hæ locutiones *remitti peccata*, & *à peccatis ſolvi*, *remiſſio peccatorum*, & *à peccatis ſolutio*, cùm modo tantùm uno hîc poſſint accipi, nimirum ad pœnam peccatis debitam pertineant, lucem adferunt iis Scripturæ locis, quæ forſan pro ſui obſcuritate aliter atque aliter acciperentur.

Qua

Qua in Scripturarum interpretatione Catholicos, non hæreticos ſequi oportet. Quò ſpectat Facundus Hermianenſis Epiſcopus lib. IX. cap. V. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt, ex dubiis & obſcuris quæ certa & manifeſta ſunt malè interpretari: Ita ſolitum eſt prudentiæ & pietatis Catholicæ ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare.* Sic autem ſtante Scripturarum analogia, cui etiam accedit traditio, concidere vix poterit ſenſus ille, quem exhibui.

Hactenus Eccleſiaſticæ traditionis linea, quam à Tridentino Concilio ad Chriſtianæ religionis primordia reduximus. Eapropter cùm hæc legitima traditio ſit interpres Scripturæ, Scriptura huic traditioni neque poteſt, neque debet opponi.

Hæc autem omnia cùm ita ſe habeant, nullus propemodum ſupereſt de veræ ac perfectæ contritionis in Sacramento neceſſariæ antiquitate & univerſitate dubitandi locus. Antiquitas verò & univerſitas doctrinæ in notis Catholici dogmatis ponuntur à Vincentio cap. III. Commonitorii I. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem, ſi hanc fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita: ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè pene omnium Sacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur.* Ad iſta, quæ Vincentius proponit, reſpexiſſe videtur Tridentinum Concilium duobus in locis Seſſionis XIV. quæ eſt de Sacramento Pœnitentiæ: Unus eſt cap. VIII. *Nam claves Sacerdotum*, inquit, *non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ecce antiquitas doctrinæ.

Alter Canone tertio. *Siquis dixerit verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ*, SICUT ECCLESIA CATHOLICA AB INITIO SEMPER INTELLEXIT: *detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelii, anathema ſit.* En antiquitas, univerſitas, & conſenſio doctrinæ.

Hîc igitur videant qui quam ſemel opinionem imbiberint, eam à Concilio definitam eſſe volunt, quid tandem ſuppoſita Suaris, & noſtrâ obſervatione pronunciaſſet Concilium, ſiquid voluiſſet pronunciare, & Scholaſticorum de contritione & attritione controverſiam dirimere?

Hæc autem habui, quibus duplici Theologorum de contritione & attritione ſententiæ præjudicium nullum eſſe factum probarem. Nunc veniendum eſt ad partem alteram, in qua utramque ſententiam ſuis aſſertoribus & ſcholæ liberam eſſe relictam contendimus.

PARS POSTERIOR.

Tridentina Synodus utramque Theologorum de contritione & attritione opinionem ſcholæ liberam reliquit.

EAM, qua de agimus ſentiendi libertatem pluribus modis oſtendemus: Et primò quidem ex iis Theologis, qui attritionem in Sacramento ad juſtificationem ſufficere docent, & neceſſitatem contritionis in Sacramento refellunt, & quænam ſit hæc ſententia, perpendunt: deinde ex iis, qui ab anno M. D. XLVI. quo haberi cœptum eſt Concilium, neceſſitatem contritionis in Sacramento ad juſtificationem aſſerere perrexerunt, in quibus alii interfuerunt Concilio, alii non interſuerunt. Tum adducemus eos Theologos, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum exigunt dolorem, quæ ſit vera & perfecta contritio, vel quæ certè talis bonâ fide credatur. Hi profectò conveniunt inter ſe, niſi quòd alii aliis veræ & perfectæ contritionis neceſſitatem expreſſiùs ſignificent. Deinde adferemus uſum Eccleſiarum plurium, in quibus poſt inceptum Concilium Sacerdos non aliter, quàm à peccatis *contritis* abſolvit. Tum proponemus contritionis neceſſitatem, quæ in diplomatibus indulgentiarum apponitur. Præterea dabimus quoſdam Theologos, qui hac locutione utuntur, *ex attritio fieri contritum*, dum hujus Sacramenti effectum interpretantur. Poſtremò adjungemus diſciplinam, quæ in abſolutione reſervatorum criminum poſt idem Concilium retenta eſt.

CAPUT I.

Primus modus probandi ex iis, qui attritionem in Sacramento ad juſtificationem ſatis eſſe docent, & qui neceſſitatem contritionis rejiciunt, atque utrùm hac de neceſſitate contritionis ſententia teneri meritò poſſet, expendunt.

HOc in probandi genere omnium inſtar erunt duo, Andreas Vega & Dominicus Sotus, qui Tridentino Concilio interfuerunt. Primus materiam copioſè tractat, & recentiores Scholaſtici vix de ea quicquam attingunt, quod ille non attigerit. Plura tamen habet cùm ex ratione, tum ex auctoritate Patrum, quæ non ſatis conſideratè, cum venia dixerim, perpendit, ſed hoc non agimus impræſentiarum: ſic igitur ſcribit lib. XIII. Commentarii in Concilium cap. XXXIII. *Fuerunt quidam & celebres auctores qui ſecuti Magiſtrum in quartum diſt.* XVIII. *tenuerunt Sacerdotes in novâ lege perinde ſe habere circa ſpiritalium peccatorum lepram, ac ſe habebant Sacerdotes in veteri lege circa corporalem: & hanc ſententiam tuentur in eadem diſt. Bonaventura, Okam, Major, Biel diſt.* XIV. *Alenſis par* IV. *quaſt.* XXC. *Neque tamen quòd ita docuerint, cum illis ſenſiſſe exiſtimandi ſunt, qui abſolutionem Sacerdotum inanem crediderunt. Nam & ad augmentum gratia & ad remiſſionem pœna debita pro peccatis, omnibus ritè ſua peccata confeſſis utilem eam eſſe tradiderunt, quod quidem ſtare poteſt, etiamſi nunquam prima gratia per eam conferretur, & hac ratione tueri eos poſſumus, ne videantur adverſari citatis ſuprà Eccleſia definitionibus, quòd Sacramenta nova legis cauſent graviam. Verùm his minimè contenti alii ſcholaſtici non inferioris claſſis, altiuſque & magnificentiùs omninò de Sacramenti abſolutione ſentientes conſtanter tradiderunt non ſolùm remitti partem pœna debita pro peccatis, ſed & nonnunquam primam gratiam conferri. Hanc ſententiam qua favorabilior eſt pœnitentibus, & dignitatem Sacramentorum nova legis magis commendat, adnitar nunc probabiliorem & Scripturis & ſanctis Patribus magis conſonam oſtendere.*

In his obſervo primùm, Vegam non omnium meminiſſe auctorum, qui eandem cum Magiſtro & Bonaventura ſententiam defenderunt. Cur autem non meminerit, ignoro. Præter eos quorum Vega hic meminit, & nos cap. VIII. prioris partis meminimus, laudari poterant & multi alii.

Deinde obſervo, Vegam Magiſtri, Bonaventuræ, Okami, Majoris, Bielis, & Alenſis opinionem, cujus meminit, liberare à calumniis eorum recentiorum, qui neceſſitatem contritionis in Sacramento rejiciunt, quique attritionem in eodem ſatis eſſe ad juſtificationem cum Vega judicant. Qua in re liquet, & optima ratione liquet, aliud eſſe Theologicam veritatem ſuis momentis aſſerere, aliud eos qui ſine ſtudio partium conantur aſſerere, calumniis inſectari. Quòd ſi Theologos quinque, quos in hac ſententia verſari tantùm fortaſſe noverat, ab iniquis adverſariorum impreſſionibus defendit, quid non eſſet facturus, ſi ceteros noviſſet? Sententiam, ni fallor, mutaſſet ſuam: quia *ubi corpus ibi congregantur aquila.*

Tum obſervo, à Vega optimam indicari viam, qua celebrium quinque auctorum opinio in Eccleſia Catholica defendatur. Quod nunquam meo quidem judicio feciſſet, niſi & antiquitas opinionis, & opinantium præſtantia exigerent, & id viſum eſſet patribus Concilii, quando materiam de juſtificatione tractarunt. Nempe juſtificationis argumentum cum Pœnitentiæ Sacramento & reipſa conjunctum eſt, & conjunctum eſſe Tridentina Synodus ſeſſioni XIV. præfatur: *Quamvis*, inquit, *in decreto de juſtificatione multus fuerit de Pœnitentia Sacramento propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ratione ſermo interpoſitus.* Quocirca vir optimus id ſcriptis tradendum ſibi eſſe duxit, quod ſine hiſtoricæ veritatis incommodo reticere non potuit.

Denique obſervo, Vegam ſcholaſticorum illorum opinionem, quam ſequitur, probabiliorem, Scripturis & Patribus magis conſonam exiſtimare. Quod quidem fieri ſolet pro jure opinantium in materia, cui nulla certa Eccleſiæ definitio præjuit. Quemadmodum contrà graves illi Theologi, qui neceſſitatem contritionis in Sacramento requirunt; ſuam pro eodem opinantium jure ſententiam probabiliorem, Scripturis, & ſanctis Patribus magis conſonam arbitrantur, & arbitrantur multò rectiùs, ſi vera ſunt, quæ de hujus ſententiæ celebritate, univerſitate & conſenſione beatus Raimundus ſcripſit, & nos confirmavimus. Sed illa ſunt in materia probabili opinantium jura, ut ſuam quiſque ſententiam oppoſita probabiliorem, & Scripturis, ſanctiſque Patribus magis conſonam judicare poſſit. Illud autem manifeſtum eſt, cùm in aliis ſcholæ placitis, tum in eo quoque, quod modum producendæ per Sacramenta gratiæ ſpectat. Verùm an hæc aut illa opinio ſit reipſa talis, quæ à ſuis auctoribus aſſeritur, non facti, ſed juris quæſtio eſt, quam modò non tractamus.

Ex

Ex Scripturis enim, Scripturarum analogia, & perpetua Eccleſiæ traditione dijudicanda eſt. Quid autem in Concilio Tridentino geſtum ſit, vel non geſtum, inquirimus, & ea inquirimus methodo, quæ nobis certiſſima viſa eſt.

Tranſeamus ad Dominicum Sotum, qui ſic ſcribit in quartum ſent. diſt. XX. quæſt. II. art. I. *In hac autem controverſia diſtinguendi ſunt tres gradus: primò, quando homo accedit ad Sacramentum contritus: ſecundò, quando per aliud extremum accedit homo cum obice, ne gratiam ſuſcipiat, licèt putans ſe dignè accedere, confeſſionem faciat, & Sacerdos putans eum eſſe ſatis diſpoſitum abſolvat, ſed fruſtra: & tertius medius modus, quando accedit attritus, putans ſe bona fide eſſe contritum. Et quidem in primo gradu, qui eſt Magiſtri & ſuorum ſequacium, licèt revera Sacerdos tunc non conferat primam gratiam, nihilominus non eſt negandum quin verè abſolvat & remittat, ut diſt.* XIV *quæſt.* I. *art.* III. *ubi egimus de forma abſolutionis, ſecundùm ſanctum Thomam, & veritatem oſtendimus.* Et poſt alia: *Igitur licèt daremus, neminem dignè accedere ad Sacramentum, niſi qui eſt in gratia, conſequentia nulla eſt, qua infertur, quòd Sacerdos non benè tunc abſolvit.* Hæc ille, qui licèt Magiſtri & ſequacium opinionem non teneat, eam tamen Tridentino Concilio repugnare non dicit. Quinetiam in ea opinione docet verè affirmateque dici poſſe, quòd pœnitentem Sacerdos abſolvat.

Hæc autem cùm ita ſint, & Vega ac Sotus oppidò confirment, valde redarguendi ſunt ii, qui rerum in Concilio geſtarum cùm minimè participes fuerint, docere non verentur, Magiſtri ſententiam Concilii doctrinæ & canonibus adverſari; neque tantùm Magiſtri, ſed etiam innumerabilium Doctorum, qui ante & poſt Magiſtrum varios de Pœnitentia & de clavium efficacitate tractatus ediderunt.

CAPUT II.

Alter Modus probandi ex iis, qui Tridentino Concilio interfuerunt, & in eadem de Contritione ſententia perſeverarunt.

IN hoc probandi modo familiam ducit Fredericus Nauſea Viennenſis Epiſcopus in Catechiſmo, qui [l] Coloniæ editus eſt uno poſt Seſſionem XIV. cui ſubſcripſit, anno, cap. XLVII. de Contritione: *Eſt autem contritio, definitoribus ſanctis auctoribus dolor voluntariè aſſumptus pro peccatis cum propoſito & intentione confitendi & pro ipſis ſatisfaciendi, atque illa iterum non admittendi. Sine hac quidem contritione non eſt, ut quiſquam verè pœniteat, aut veniam ſuorum peccatorum ſperet. Nam cùm, quod ſatis conſtat, in omni peccato mortali ſit averſio voluntatis à Deo per peccatum, & ipſa quoque contraria curentur contrariis, conſequens eſt, ut è diverſo in omni remiſſione peccati mortalis actualis ſit converſio à peccato ad Deum, qua quidem converſio ſi vera fuerit & perfecta, dici cœpit contritio, quam Deus gratioſè nimirum acceptat Propheta dicente, Cor contritum & humiliatum non deſpicies. Nec eſt, ut abſque ejuſmodi contritione Sacerdos quemquam verè poſſit abſolvere, cùm ipſe reum non abſolvat, niſi reus in ſe debito modo diſpoſitus ſit capax abſolutionis, quandoquidem Sacramentum exterius eſt ſignum interioris abſolutionis.* Idem cap. V. clariùs adhuc: *Cujus contritionis vel ex hoc poſſumus & neceſſitatem & utilitatem, virtutem & efficaciam pluſquam evidenter colligere, quàm quòd perveam obtineatur remiſſio peccatorum, etiam antequam fiat ore confeſſio eorum Sacerdoti. Id quod ex illo Propheta dicto liquet in perſona pœnitentis ex animo dicentis, Dixi, id eſt, in animo propoſui & conſtitui, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Quò pertinet & ſanatio leproſorum, quaſi per figuram probans veritatem, qui antequam ex præcepto Domini, ut ſe Sacerdotibus oſtenderent, ad Sacerdotes venirent, mundati ſunt, argumento nimirum nos ob veram contritionem à lepra peccati mundari, antequam ora noſtra Sacerdotibus oſtendamus. Id eſt antequam peccata noſtra confiteamur.* Quam contritionem alii ut neceſſariam Sacramenti partem, Fredericus ut neceſſariam ad Sacramentum diſpoſitionem facit, ſecutus celebrem tunc temporis opinionem, quæ totam Sacramenti eſſentiam, quatenus ſignum exterius eſt, in verbis abſolutionis conſtituit. Unde ait, *Pœnitentia Sacramentum eſſe ſignum exterius interioris abſolutionis, qua diſponenti ad hoc Sacramentum contritione habetur.*

Franciſcus Richardotus Epiſcopus Atrebatenſis, in ea inſtructionis pro Paſtoribus Provinciæ Cameracenſis formula, quæ edita eſt [m] anno M. D. LXVII. cap. XLII. *Prima Pœnitentia pars vocatur contritio, qua eſt, ſi eam bene definias, ſincerus & vivus dolor offenſa*

[l] *Coloniæ editus eſt.*] Anno ſcilicet 1543. in fol.
[m] *Anno M. D. LXVII.*] In Bibliothecâ Tellerianâ p. 116. dicitur editus anno 1564. Pariſiis apud Nic. Cheſneau.

*Dei propter ejus honorem & amorem potiùs, quàm propter ſolum pœne timorem cum emenda-
tionis propoſito & miſericordiæ fiducia. Qua in re nonnullas veræ contritionis, quæ ſit pars
Sacramenti, conditiones animadvertere poſſumus: prima eſt, ut vera perfectaque contritio
non ſolùm in metu ſupplicii, ſed etiam in amore Dei fundetur. Si enim qui de peccatis dolent;
ex eo ſolùm, quòd ſupplicia in malos decreta ſunt, ii quam ob cauſam ſe commiſiſſe peccata
doleant, interrogati reſponderent ſe dolere, quia æternum ſupplicium divinæ legis tranſgreſſo-
ribus paratum eſt: quod paratum ſi non eſſet, in peccatis libenter perſeverarent. Ejuſmodi
dolor non eſt propriè loquendo, contritio, ſed iis, qui ex vero erga Deum amore procedit,
tametſi metus in aliquam illius amoris partem veniat. Verum quidem eſt, peccati deteſtatio-
nem, quæ timori pœnæ innititur, poſſe ad veram & perfectam contritionem diſponere, ſed il-
la non ſufficit ad remiſſionem peccatorum obtinendam, licèt utilis ſit, niſi in veram & perfec-
tam contritionem evadat, id eſt, niſi metus cedat caritati. Secunda eſt, quòd vera contritio
ſecum ferat dolorem offenſæ Dei tam magnum, ut percepta in peccatis voluptati poſſit aliqua-
tenus æquiparari,* &c. *Tertia, quòd pœnitens, ut veram habeat contritionem, tam debet
peccatum odiſſe, quàm amare Deum.* Et poſt alia ſub finem: *Talis eſt prima pars Pœni-
tentiæ Sacramentalis.* Hæc omnino perſpicua ſunt, in quibus non aliam ad Sacramentum
contritionem requirit, quàm quæ perfecta ſit & caritate formata. Sed videndum quæ
cap. XLIII. abſolutioni tribuat: *Abſolutio poſt peccatorum confeſſionem data, locum apud pœ-
nitentes divini oraculi tenet, imò gratiæ & abſolutoriæ tabulæ confirmatio eſt, cui planè con-
fidendum eſt, quemadmodum accidebat iis, qui in veteri lege culpam Dei mandato confiteban-
tur. Idem enim verbum Dei, quo ſecuri reddebantur, nos quoque de valore, & efficacia
abſolutionis certos efficit ac ſecuros.* Hæc omnia Richardotus Gallicè, quæ Latina fecimus.
Ceterum Audomarenſis Synodus, quæ anno M. D. XXCIII. habita eſt, tit. II. de Sacra-
mentis in genere, cap. III. Richardoti Inſtructionem iis accenſet libris, quos Paſtores ſibi
comparare debent.

Simon Vigoreus Theologus Pariſienſis & Archiepiſcopus Narbonenſis in Sermone
Dominicæ XIV. poſt Trinitatem: „Cùm poſt baptiſmum, ait, homo labitur in pecca-
„tum, & poſtea reſipiſcit, opus eſt, ut ſeſe Sacerdoti ſiſtat, qui poſt peccati confeſſio-
„nem eum abſolvat: & tunc Sacerdos ait: Dominus abſolvat, & ego auctoritate mi-
„hi commiſſa abſolvo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Age verò iſtud
„nonne conforme eſt figuræ leproſi, qui Sacerdoti legis ſeipſum ſiſtebat, & tunc Sa-
„cerdos, ſi leproſus ſanatus erat, ei dicebat, redire ſe cum aliis ſecurè poſſe & fa-
„miliariter verſari: niſi verò ſanatus eſſet, eum à multitudine plebis ſeparabat. Quid
„autem ſibi vult, abſolvo te, niſi remitto tibi peccata tua, & tibi ſignifico, te eſſe
„cum Eccleſia reconciliatum, teque cum Chriſtianis omnibus communicare poſſe. Quòd
„ſi eum obſtinatum videret, illum à Sacramentorum communione prohibebat. *Et poſt
„alia:* Dum irent, mundati ſunt. Iſtud nobis prodit, peccatores, qui ſeſe ſiſtere Sacer-
„doti verè conſtituunt, eique ſecreta ſua peccata aperire, quibus auditis judicent, num
„digni ſint, qui ſacrum Chriſti corpus recipiant, aut non recipiant, & Sacramentalem ab-
„ſolutionem habeant, vel non habeant. Qui peccatores hoc firmum adeundi Sacerdotem
„propoſitum habent, & nihilominus morte præveniuntur, nec poſſunt reipſa, quod pro-
„poſuerunt, exequi, damnandi ullatenus non ſunt; ſed potiùs præſumendum, eos in via
„ſalutis conſiſtere. Atque illud eſt, quod aſſerunt Theologi Sacramentum in voto tollere
„peccatum. Neque enim tenemur ſtatim, atque peccavimus, confiteri, ſed tenemur illico
„conteri cum voto confitendi, quo loco & tempore confeſſio præſtitur ab Eccleſia, niſi cùm
„quis ægrotat, aut in periculo mortis verſatur, ultra hoc tempus definitum, votum illud
„confitendi habita contritione, petitaque à Deo venia ſufficit. Hæc ille primùm de Sa-
cramentali abſolutione, ubi an abſolutioni ſecundùm exercitium ſpectatæ gratiam primam
tribuat, judicare difficile non eſt. Leproſi exemplum, quo poſt innumerabiles Eccleſiarum
Magiſtros utitur, perſpicuè demonſtrat, ſeſe ab iis non diſcrepare. Deinde non quam-
cunque contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ exigit, ſed eam quæ ſimpliciter contri-
tio dicitur, quæque in ſenſu Scripturæ & Patrum caritate formatur: & quæ tandem, ſi
cum voto confitendi jungatur, ad juſtitiam perducit, quod non faceret attritio, quæ cum
voto confitendi jungeretur. His autem ita conſtitutis perſpicuum eſt, hæc verba, *quid ſi-
bi vult, abſolvo te, niſi remitto tibi peccata tua*, accipi in ſenſu veterum Doctorum Lom-
bardi, Bonaventuræ, Raimundi, Innocentii IV. deprecantis Eccleſiæ pro ſalute mortuo-
rum, & Pontificiorum Diplomatum, quæ hominibus verè pœnitentibus & contritis remiſ-
ſionem peccatorum concedunt. Gallica verba Latino donavimus.

Gentianus Hervetus magni nominis Theologus in Cathechiſmo Gallicè edito, cujus
hæc excerpta in Latinum vertimus. De Sacramento Pœnitentiæ: *Curatus dic nobis, quid
ſit*

ſit Pœnitentia Sacramentum? Chriſtophorus. Pœnitentia eſt Sacramentum, quo peccator habita contritione & dolore propter divinam offenſam, & expoſitis Sacerdoti ſuis criminibus conceſſa abſolutione, impoſitaque ab illo ſatisfactione, commiſſorum poſt baptiſmum peccatorum remiſſionem conſequitur. Et poſt alia: *Curatus dic quaſo, qua in re conſiſtis hac pœnitentia? Chriſtophorus: Eſt dolor à peccatore propter divinam offenſam elicitus, quo indulgentiam à Deo poſtulat, illiuſque miſericordiam implorat, ac proponit non peccare de cetero, ſeque confiteri ſtatuit, & ſatisfacere quoad poterit. Curatus. Hac contritio nonne ſufficit ad obtinendam peccatorum remiſſionem? Chriſtophorus. Ill tanta quidem eſſe poſſet, ut peccata omnino remitterentur; ſcilicet, quoad culpam & pœnam, cùm quoad culpam nequeunt partim remitti, & partim non remitti. Et revera Deus per Prophetam ait: Quotieſcunque ingemueris peccator, ejus iniquitatum non recordabor ampliùs. Item David: Confitebor injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Itaque his teſtimoniis conſtat, peccatum illius antè remiſſum fuiſſe, quàm illud confiteretur. Nihilominus tamen ſemper eſt certius, ſeu ſecurius ſua peccata confiteri, eaque illi declarare, qui ad ea cognoſcenda, dandamque ſententiam à Deo judex conſtitutus eſt, tum quia difficillimum ſcitu eſt, utrum contritio ſit idonea ac ſufficiens, (quia nempe Sacerdotis eſt de illa judicare) tum quia vehementer timendum eſt, ne contemptu illius, ad quem hac cognitio & hoc judicium pertinet, ex lege Chriſti peccatum neutiquam remittatur, quantacunque eſſe poſſit contritio. Quare cenſendum eſt, tunc tantùm contritionem ſufficere, cùm quis ad exponendum peccatum judicem convenire non poteſt, ut quid expedire videbitur, decernat.* Eam, ut apparet, contritionem ad Sacramentum requirit, quæ hominem efficiat juſtum. Quod & iterum ſignificat, ubi de iterandis vel non iterandis Sacramentis diſſerit. *Pœnitens*, inquit, *ne ſeipſum decipiat, non remittitur peccatum, niſi maximam contritionem, doloremque de peccatis cum firmo propoſito non peccandi impoſterum concipiat.* Sed maxima de peccatis contritio & maximus dolor eſt perfecta contritio, perfectuſque dolor: at contritio & dolor ejuſmodi caritate formatur.

Joannes Antonius Pantuſa Litterenſis Epiſcopus tom. III. Opuſc. cap. XI. *In Sacramento Pœnitentia, inquit Thomas ibidem, Paſſio Chriſti applicatur ſecundum diverſos contritionis actus. Licèt enim contritio neceſſaria Sacramento Pœnitentia ſit odium peccati ſuper omne odibile, quia pendet à dilectione Dei ſuper omne diligibile; tamen in latitudine ſua poteſt eſſe major & minor, & ſecundùm diverſos gradus participat diverſimodè fructum Paſſionis Chriſti, unde licèt à culpa & pœna aterna omnes abſolvantur, pœna tamen temporalis remiſſio non omnibus eodem modo fit, ſed ſecundùm menſuram contritionis.* Vide cujus contritionis neceſſitatem in Sacramento Pœnitentiæ requirat. Deinde cùm ait, omnes à culpa & pœna æterna abſolvi, hoc intelligit ratione contritionis, quæ cùm in latitudine ſua poſſit eſſe major vel minor, ſecundùm diverſos gradus diverſimodè participat fructum Paſſionis Chriſti. Hic autem Epiſcopus cur ita ſentiret, ſi Concilium aliter ſentiendum duxiſſet: aut ſi ſenſiſſet aliter, cur impunè tuliſſet?

Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus in Evangelica Concordia cap. XLIV. *Porrò cùm veteris teſtamenti umbra quadam fuerit Sacerdotii nova legis, & qua de judicio, & mundatione lepra ſtatuuntur in veteri lege, manifeſtè ſint umbra eorum, qua circa peccatum ſunt veriùs facienda, bene tum ex veteris legis ſtatuto, tum ex pracepto Domini, qui & hoc loco & alibi pracepit etiam curatis à ſe leproſis, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, ſancti Patres collegerunt, peccatori converſo, immo etiam coram Deo per fidem & contritionem cordis mundato neceſſe nihilominus eſſe, ut Sacerdotem adeat, illi ſe inſpiciendum tradat, atque per eum expiatus ſic demum Eccleſia & Sacramentis ipſius reſtituatur, aut tradatur. Sicut enim olim Deus carnale Sacerdotium inſtituit, cui commiſit judicium & mundationem lepra: Ita nunc magis ſpirituale Sacerdotium inſtituit in Eccleſia, cui ſpiritualis lepra judicium & mundationem concredidit, dum dedit Sacerdotibus poteſtatem ligandi & ſolvendi. Et ut meliùs cognoſcatur, quàm per omnia umbra veritati conveniat, ſciendum in uteri lege duplices fuiſſe immunditias corporales ceremoniis quibuſdam legalibus expiandas.* Et poſt alia: *Proinde hoc ordine in primitiva Eccleſia ad altare Domini & fidelium communionem admittebantur pœnitentes, ut per confeſſionem & contritionis declarationem, nonniſi completa ſatisfactione injuncta, qua velut pili abradebantur, & corpus abluebatur, admitterentur ad altaris communionem. Itaque his conſtitutis cùm etiam, ut priùs dictum eſt, corporalium membrorum curatio facta à Chriſto, typus quidam fuerit curationis ſpiritualium morborum, hoc miraculo curationis leproſi myſticè docemur, eum, qui lepra anima infectus eſt, ſi ſanitatis deſiderio tenetur, in-primis ſeſe humiliter, & magna fide debere proſternere coram Jeſu, à quo tandem ſanitatem conſecutus, non debet conſcientia ſua judicio, aut teſtimonio, aut temerè ſe Sacramentorum communioni ingerere; ſed Sacerdotis expectare judicium & abſolutionem, ac gratitudinem animi piis ſacrificiis ac deprecatione gratia*

divina teſtari, quemadmodum hic leproſus feciſſe hoc loco narratur. Ceterum cùm, ut patet ex dictis, Sacerdos legalis, leproſum in Scripturis mundare dicitur, non ſolùm quia mundum declarat, ſed etiam quia effectivè aliquid operatur ad munditiam ejus, nimirum, quia tollit impedimentum ingrediendi templum, & habitandi inter homines ex lepra ſecundùm legis conſtitutionem contractum. Multò magis Sacerdos novi Teſtamenti etiam effectivè aliquid operatur ad mundationem lepræ ſpiritualis, hoc eſt ad remiſſionem peccati, non tantùm declarans illud eſſe remiſſum, ſed etiam remittens, ut poſtea latiùs dicetur circa caput Matthæi XVI. XVIII. Sed iſta videamus ex cap. XVI. *Ut benè intelligatur, quibus modis Petrus liget & ſolvat homines, videndum, quæ ſint vincula homines coram Deo obligantia quæ ex Scripturis quidem potiſſimùm duo eſſe cognoſci poſſunt, nimirum peccatum & præceptum. Peccatum autem ligat, & vinctum facit hominem coram Deo apud Iſaiam cap.* XLII. XLIX. *&* LXII. Et poſt alia: *Itaque ea ratione, qua peccatum dicitur vinculum, tripliciter dicitur Epiſcopus ligare & ſolvere. Primum enim ligat in peccato dum alicujus peccatum propter ejus infidelitatem & impœnitentiam non remittit, ſed divino judicio obſtrictum facit, aut definit: ſic à peccatorum vinculis ſolvit, cùm conſideratione fidei & pœnitentiæ ejus peccata remittit, idque vel per baptiſmum inter fideles recipiens eum, qui priùs fuit infidelis, vel per Pœnitentiæ Sacramentum Eccleſiæ rurſum reconcilians eum, qui relapſus fuerat; atque de hoc ligandi & ſolvendi modo communiter potiſſimùm intelligitur hæc Domini ſententia, quaſi idem per hanc à Domino ſignificetur, quod per illam Joannis* XX. *dictam Apoſtolis omnibus, Quorum remiſeritis peccata, &c. Secundò ligant Sacerdotes ratione peccati, cùm ſatisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt, ſolvunt verò cùm de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum communionem admittunt. Eſt & tertius ligandi & ſolvendi modus, cùm aliquis intra Eccleſiam exiſtens admonitus ut reſipiſcat, & obedire renuens judicio Eccleſiæ præſcinditur à Sanctorum & Sacramentorum conſortio per excommunicationem, idemque poſt pœnitentiæ declarationem negata communioni admittitur, & Eccleſiæ reconciliatur. De quibus tribus ligandi & ſolvendi modis latiùs in* IV. *ſent. diſt.* XVIII. Quid tota hac oratione Janſenius ſibi velit, ſignificare non potuit apertiùs, quàm ubi ad Magiſtrum Sententiarum remittit, qui tres illos ligandi & ſolvendi modos doceat. Hoc autem feciſſet nunquam, ſi attritionem in Sacramento ad juſtificationem ſatis eſſe Concilium aliquo modo innuiſſet. Igitur pro libertate, quam utrique de contritione & attritione opinioni reliquit Concilium, Magiſtri reipſa & aliorum, qui ſua diſputandi ratione contritionis neceſſitatem in Sacramento poſtularunt, amplexus eſt, tametſi ab loquendi modo recedere videatur.

Guillelmus Caſſadorus Barcinonenſis Epiſcopus in Eccleſiæ ſuæ Rituali libro, quem anno M. D. LXIX. edidit, de Sacramento Pœnitentiæ cap. VII. „Partes materiales, quæ tanquam totam, „integramque Pœnitentiam conſtituunt, ſunt tres, contritio, confeſſio & ſatisfactio. Contritio „eſt animi dolor & deteſtatio de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cetero, & „confitendi & ſatisfaciendi. Ad veram contritionem quinque maximè requiruntur: primum „eſt, ut pœnitens peccata omnia mortalia, quæ admiſerit, odio habeat, & doleat: alterum eſt, „ut vitæ emendandæ certam & ſtabilem cogitationem ſuſcipiat, & hæc duo ſunt in-primis ne„ceſſaria: tertium, ut confitendi & ſatisfaciendi voluntatem habeat conſtantem: quartum, ut „paratus ſit animo, ſi quid alteri per vim, aut fraudem abſtulerit, reſtituere, & alicujus aut „commodi, aut officii compenſatione reddere: quintum, ut quicquid injuriarum ab altero ac„ceperit, id totum, quatenus ad ſe attinet, velit remittere & condonare.

„Differt contritio ab attritione, eo quòd contritio eſt dolor de peccato, quatenus offenſa „Dei eſt, eademque ſpeciali Dei favore elicita ad remiſſionem ſufficiens. Attritio verò eſt do„lor peccati propter ſupplicia inferni, vel propter alia temporalia detrimenta. Quare ut viri„bus naturæ gigni poteſt, ſic ad remiſſionem peccatorum non ſufficit. Neque actus ille, qui eſt „attritio, fieri poteſt per ſe contritio, quamvis accedente Sacramenti gratia, qua ex attrito „pœnitens fit contritus, extrinſecè contritio dicatur.

Quòd autem hîc definita contritio & dicta Sacramenti pars prima pœnitentem antè juſtum efficiat, quàm confiteatur actu, conſtat ex iis quinque conditionibus, quæ ad veram contritionem requiruntur; deinde ex diſcrimine, quod contritionem inter & attritionem ponitur; tum demum ex communi conſenſu omnium, qui aiunt dolorem de peccatis eo ipſo formatum eſſe gratia, cùm adnexum habet confitendi & ſatisfaciendi propoſitum. Qua de re ſic Ludovicus Vivaldus libro de veritate contrit. cap. CXI. *Ideo Magiſtri Theologiæ dicunt, quòd dolor contritionis etiam minimus, dummodo fuerit informatus caritate, ſufficit ad delendam culpam. Dicitur autem dolor informatus caritate, quando verè elicit propoſitum confitendi & ſatisfaciendi.* Sic Doctores illius temporis, quo Vivaldus floruit. Nam aliquanto poſt Tridentinum Concilium fuerunt, qui

qui variis diviſionibus & ſubdiviſionibus materiam totam perturbatunt. Prætetea cùm attritionem à Sacramenti partibus excludat Caſſadorus, nulla nos ratio cogit ut credamus id eum feciſſe contra doctrinam Concilli, cui magna cum exiſtimatione ſui interfuit. In poſtremis Caſſadoti verbis eſt aliquid, quod niſi benignum interpretem habeat, tantiſper intricatum apparebit, & fórtaſſe nonnihil objiciet ἀνακολουθίαν. Sed iſtud nihii ad nos, qui ſcholæ libertatem quærimus, & à recentioribus facta quædam è Concilio prajudicia removemus.

Martinus Rithovius Iprenſis Epiſcopus librum quidem de pœnitentia nullum quod ſciam edidit, ſed Claudi Viexmontii brevem de ſalutari pœnitentia peccatoris inſtitutionem probavit, & Curionibus, Ludimagiſtriſque omnibus multùm commendavit. Viexmontii liber editus quidem fuerat Lutetiæ, antequam Tridentinum Concilium haberetur: ſed cùm Rithovius illum probavit, ſuum probando ſecit, nec proinde quicquam in eo contineri credidit, quod Concilio repugnaret. Hæc autem traduntur quarta parte de peccatis Sacerdoti confitendis, cap. I. cujus titulus eſt: *Quòd peccatum dimittitur, ſi quis contrito corde id confiteatur.* Deinde cap. II. cujus titulus eſt: „Quòd non poteſt juſtificari, qui non vult pecca„tum ſuum confiteri Sacerdoti. Ergo Chriſtus poſt reſurrectionem Apoſtolis ſuis, quos in „die cœnæ Sacerdotes ordinaverat, fruſtra dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remi„ſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quid eſt autem Sa„cerdotes peccata remittere, & hæc in cælis remitti, niſi peccata, quæ in confeſſione au„diverint abſolvere, & hæc à Deo abſolvi? aut quid eſt Sacerdotes peccata retinere, & hæc „in cælis retineri, niſi peccata inconfeſſa non abſolvere, nec ea à Deo abſolvi? Quæ enim „ſunt duæ illæ claves Eccleſiæ, niſi ei duplex conceſſa poteſtas, ſcilicet à peccatis abſolven„di, & abſolutione dignos ab indignis diſcernendi? In perſona Petri omnibus Presbyte„ris Chriſtus dedit claves regni cælorum, ut quodcunque ligaverint ſuper terram, ligatum „ſit & in cælis: & quodcunque ſolverint ſuper terram, ſolutum ſit & in cælis; in cujus rei „figuram Chriſtus Lazarum à ſe reſuſcitatum Apoſtolis ſuis tradidit ſolvendum dicens eis, „ſolvite eum, & ſinite abire: prodierat enim ligatus manus & pedes linteis ſepulchralibus, „& facies illius erat ſudario ligata. Quòd Deus priùs Lazarum ſuſcitavit, hoc eſt, quòd „à ſe, non ab alio peccatum dimittit. Quòd autem diſcipuli reſuſcitatum ſolvunt, hoc eſt, „quòd non à ſe, ſed à Deo habent, quod peccata dimittunt. Et ſic ſolus Deus principali„ter peccata dimittit, quia quod Sacerdotes per ipſum faciunt, ipſe facit. Peccator ſepul„tus jacet, dum à peccato ſuo reſurgere contemnit: quando autem pœnitens corde contri„to apud ſe dicit, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: tunc à morte pecca„ti reſurgit, & Deus impietatem peccati ejus remittit. Quando confitetur, quaſi de occultis „exeundo manifeſtus prodit: ſed adhuc ligatus eſt, miniſtris dicitur; ſolvite enim, & ſinite „abire. Dehinc Sacerdos miniſterialiter virtute clavium à peccati vinculo eum abſolvit, quem „priùs per contritionem à Domino abſolutum probabiliter credit. Sicut & Chriſtus decem „viris leproſis dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, & dum irent, antequam ad Sacer„dotes venirent, in via mundati ſunt, ut & mundatorem ſuum cognoſcerent, & Sacerdo„tes eorum mundationi ſe nihil contuliſſe agnoſcerent. Quòd autem à Domino jubentur „ſe oſtendere Sacerdotibus, quid aliud eſt, niſi quòd ſi à peccati lepra vis mundari, eam „te Chriſtus jubet oſtendere Sacerdoti?

Porro Simon Verrepæus, qui hujus libri editionem curavit, in ſua ad Lectorem epiſtola ſic repræſentat approbationem Epiſcopi: *Cùm igitur ampliſſimi uberrimique fructus ex hoc libro ad te, Lector, perveniant, ingentes oportet agas gratias duobus præclariſſimis Eccleſiarum Flandriæ quaſi Coryphæis, in-primis præſtantiſſimo eruditione, pietate, & eloquentia Theologo & reverendiſſimo Iprenſis Eccleſiæ primo, atque omni laude digniſſimo antiſtiti Domino Martino Rithovio; deinde eruditiſſimo juxtà ac humaniſſimo viro, & ſingulari doctorum hominum mæcenati R. D. Joanni Loão Everſamenſis Canonicorum collegii vigilantiſſimo Præpoſito: quibus tertiam hanc editionem acceptam referre debes, quòd eorum ſcilicet commendatione, cura & opera hic liber quadraginta plùs minùs annis à prima ſui editione deliteſcens, è tenebris in lucem quaſi ab interitu ad vitam reductus ſit.*

Hîc non erit quoque ſupervacaneum eam referre Approbationem, qua munitus liber primùm prodiit, anno ſcilicet M. D. XXXIII. Sic autem ſe habet: *Anno Domini* M. D. XXXIII. *die tertia menſis Novembris, congregata Facultate Theologiæ apud ſanctum Maturinum, audita relatione honorandorum magiſtrorum, qui fuerunt deputati ad viſitandum librum recenter compoſitum, qui inſcribitur Parænesis, ſeu exhortatio ad pœnitentiam, poſt maturam deliberationem concluſum fuit, quòd eadem Facultas conſentiebat, quòd ſupradictus liber imprimeretur, impreſſuſque venditioni exponeretur.*

CAPUT

CAPUT III.

Tertius probandi modus ex iis, qui Concilio Tridentino non interfuerunt, ſed ab anno M. D. XLVI. *quo Concilium haberi cœptum eſt, de Sacramento Pœnitentiæ ſcripſerunt.*

SUPERIORI capite retulimus ſententias eorum Epiſcoporum & Doctotum, qui Tridentino Concilio interfuerunt. Nunc ſequuntur ii, qui non interfuerunt, ſed poſt inchoatum Concilium de Sacramento Pœnitentiæ ſcripſerunt, & quid in ipſo Concilio hac de re ſancitum ſit, ignorare vix potuerunt.

Joannes Maria Verratus Ferrarienſis Carmelita, in diſputationibus, quas adverſus Lutheranos edidit Venetiis ann. M. D. XLVII. ad Paulum III. diſputatione VI. de Confeſſione, concluſione primâ, opinione quartâ *Catholica vera. Aſſerunt fideliter Theologi alii, & viri divinarum Scripturarum interpretes, auricularem confeſſionem, & Sacramentalem eſſe ſimpliciter de lege divinâ, & à ſolo Chriſto inſtitutam, ut perpulchrè & clarè habetur in Evangelio Joannis, ubi maximopere ſecreta myſteria ſunt conſideranda, ac ordo verborum præcipuè eſt attendendus. Statim enim poſtquam Chriſtus reſurrexit à mortuis, & non antè, hanc abſolvendi auctoritatem dedit Apoſtolis, ad denotandum, quòd illi, qui appetunt per confeſſionis Sacramentum à peccatis abſolvi, priùs debent & tenentur per cordis contritionem à peccatis reſurgere ex morte ſpiritali ad vitam ſpiritalem per gratiæ infuſionem: deinde Chriſtus allocutus eſt diſcipulos ſuos dicens, Pax vobis. Sicut miſit me pater*, &c. Et poſt alia. In quartâ ratione. *Sed ut verum fatear, meliùs dicendum eſt, quòd quemadmodum Sacerdotium legale figura erat Sacerdotii gratiæ, teſte Apoſtolo: ita lepra illa corporea peccatum mortale figurabat, & letale crimen non minùs, quàm leproſus peccatorem. Nam ut dictum eſt, percuſſus leprâ debebat ſe Sacerdoti præſentare, & ille modum lepræ conſiderabat: quòd ſi videbat lepram incurabilem, immundum illum judicabat, & à ceteris ſeparandum; ſi verò videbat oppoſitum, mundum judicabat ac liberum dimitti. Et hoc quidem proprium eſt Sacerdotis legis gratiæ erga peccatorem, qui ſi per diligentiſſimam examinationem in confeſſione factâ viderit peccatorem non contritum, ipſum expellit; ſi autem dolentem, abſolvit, & non tantùm abſolvit, quinimò viſâ ejus contritione, ac peccatorum confeſſione auditâ impium à Deo abſolutum & Eccleſiæ reconciliatum judicat.* Poſtea urget argumentum à leproſi curatione depromptum.

Idem diſput. VII. de Pœnitentiâ interiori paullo ante concluſ. primam: *Hæc eſt enim illa ſanctiſſima interior & virtuoſa pœnitentia, quam prædicabat Joannes in deſerto, dicens: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum, per quam fit remiſſio peccatorum, quæ etiam alio nomine contritio ſolet appellari, quæ & inſuper & ante auricularem & ſacramentalem confeſſionem præſupponitur ſemper.* Et poſt alia in difficultate, quâ tractatur modus dimittendi & retinendi peccata per Sacerdotem ſub hoc paragrapho, „Alia Catholica „reſponſio & verior. Ad pulcherrimam illam difficultatem aliter reſpondendum eſt, duplicem „eſſe modum convertendi ſe, ſeu duplicem eſſe converſionem: quandam enim, in qua non „includitur propoſitum confitendi, licèt ibi ſit aliqua peccatorum diſplicentia, & hæc propriè „non dicitur contritio, ſed potiùs attritio, ſeu pœnitentia interior informis. Illa autem non „ſufficit ad peccati remiſſionem. Alia autem eſt contritio, in qua includitur deliberatio „confitendi non in voto tantùm, ſed re & effectu, cùm aderit tempus & facultas confeſſo„ris, & ita quodammodo Sacramentalis confeſſio, & Sacerdotis abſolutio, ſeu Pœniten„tiæ Sacramentum operatur in hujuſmodi verâ & ſufficienti contritione, antequam exhibea„tur in opere eo modo, quo Sacramenta habent cauſalitatem reſpectu ſui effectus. Nam „ſtatuit Deus, quòd cùm quis contritus habet votum ſeu propoſitum confitendi, ac ſuſ„cipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, aſſiſtere vult huic ſic contrito ad delendum peccatum; „quod non faceret, ſi votum ſuſcipiendi Pœnitentiæ Sacramentum non haberet; ſine illo „enim nulla vera eſt contritio per poteſtatem à Chriſto Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus da„tam. Et hoc quidem ſignum eſt magnæ efficaciæ illius utiliſſimi, Sacramenti, quemadmodum „& Chriſti paſſio in hoc efficax mirabiliter fuit, quoniam operata eſt ſalutem patribus veteris „Teſtamenti, priuſquam exhiberetur in effectu: nec propter hoc Pœnitentiæ Sacramentum ſi„mile eſt Sacramentis veteris legis. Illa namque tantùm ſignificabant, iſta verò conferunt gra„tiam & augmentum ejus ex opere operato, ſicut baptiſmus adulto, & cetera novæ legis Sa„cramenta rite ſuſcipientibus, præcipuè autem confeſſionis Sacramentum ex inſtitutione Chriſ„ti. Ideo enim dicunt hæretici, per ſolam contritionem relaxatur peccatum, & acquiritur gra„tia, verum eſt loquendo de illâ contritione in quâ includitur propoſitum confitendi & in„terdum in actu. Nam per puram & ſimplicem contritionem ſine deliberatione confitendi „nunquam remittitur, nec acquiritur gratia: ideoque ſufficiens & vera contritio duo

„com-

„complectitur, dolorem ſcilicet, ſeu diſplicentiam peccati commiſſi, atque propoſitum con-
„fitendi, cùm tempus & facultas conſeſſoris aderit. Quare evidenter liquet confeſſionem in
„voto operari in contritione ad peccati remiſſionem, & gratiæ infuſionem: & quemadmo-
„dum contritio includit confeſſionem in voto, ſeu deliberationem confitendi; ita confeſſio ac-
„tualis includit contritionem, & mentem ſatisfaciendi. Quapropter Sactamentum Pœniten-
„tiæ delet actuale peccatum, prout comptehendit contritionem interiorem, & exteriorem
„confeſſionem, & ſatisfactionem. Hæ namque partes ſunt integtales Sacramenti Pœnitentiæ,
„ſine quibus hujuſmodi confeſſionis Sacramentum eſſe non poteſt. Liquet igitur, Sacerdotem
„Evangelicum imponendo manus ſuper peccatorem ſufficienter & verè contritum, abſolve-
„re ipſum tanquam Chriſti miniſtrum ab omnibus peccatis ſuis, dicendo: ego te abſolvo,
„&c. Deus autem velut principalis cauſa principaliter & effectivè remittit ei peccatum,
„pariterque gratiam miſericorditer clargitur, & interdum primam gratiam, quæ conſertur
„in prævià contritione, ſimul & augmentum ejus per Sacramentalem confeſſionem. Exem-
„pli cauſâ: Si quis enim non ſufficienter contritus ad confeſſionis Sacramentum accederet,
„in primo autem inſtanti verborum abſolutionis, ſeu in illo momento, in quo Sacerdos
„incipit illum abſolvere, eliceret plenum ac perſectum actum contritionis, tum in illo inſ-
„tanti infunderetur prima gratia, quæ correſponderet actui contritionis cum gradu præcisè
„correſpondente operationi Sacramentali, & totum eſſet una prima gratia, cujus efficax ſi-
„gnum eſſet Pœnitentiæ Sacramentum, ut includit contritionem in actu, ac ſatisfactionem
„in voto. Et ita nunquam Sacramentum Pœnitentiæ delet erratum ſine prævià contritio-
„ne vel concomitante, & ſic patet reſponſio ſufficientiſſima ad difficultatem & hæreticorum
„objectionem. Cui profectò reſponſioni nihil eſt quod addam, quo illius manifeſtior fiat
intelligentia.

Claudius Guillaudus Pariſienſis Theologus, Commentario in Joann. cap. XI. ſuper illud, *Solvite illum & ſinite abire. Hic locus nobis adumbrat uſum clavium & poteſtatis Eccleſiaſtica, qui eſt juſtificatos per Chriſtum ſolvere & ſinere eos abire. Hoc eſt auctoritate Chriſti peccatorem abſolvere à peccatis. Priùs juſtificat, & per ſeipſum Dominus pœnitentem vivificat, deinde eundem per Sacerdotis miniſterium abſolvit. Non enim venit peccator abſolvendus, niſi dignâ pœnitentiâ correctus intrinſecus appareat juſtificatus.* Idem in cap. XX. docens Eccleſiaſticorum tractatorum mentem ab hæreticorum ſenſu diſcrepare: *Non dicit, remiſſa dixeritis, aut monſtraveritis*, (ſcilicet Evangelii prædicatione, & fidei apprehenſione) *aut declaraveritis, hoc enim non eſt remittere: ſed remiſeritis auctoritate remittendi, ſive abſolvendi vobis conceſſâ.* Hæc autem abſolvendi poteſtas quid in pœnitente ſupponat, & quò pertingat, Guillaudus ſuperiori loco perſpicuè tradit, & eo in commentario, qui Lutetiæ anno M. D. XLVIII. in lucem prodiit.

Claudius Spinæus Pariſienſis Theologus, in epitome Magiſtri Sentent. diſt. XVIII. cap. II. *Deus principaliter tollit reatum culpa & pœna. Sacerdos autem miniſterialiter.* Idem cap. III. *Non autem Sacerdotibus per ſe peccatum dimittendi poteſtatem conceſſit, quibus tamen tribuit poteſtatem ſolvendi & ligandi homines, id eſt, oſtendendi homines ligatos vel ſolutos. Unde Dominus leproſum ſanitati priùs reſtituit per ſe, deinde ad Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderetur. Ligant quoque Sacerdotes, dum ſatisfactionem pœnitentia confitentibus imponunt: ſolvunt, dum de eâ aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum communionem admittunt. Eſt autem & alius modus ligandi & ſolvendi, qui per excommunicationem geritur.* Et poſt alia: *Et ſecundùm hos ligandi & ſolvendi modos intelligendum eſt quod Dominus dixit, quodcunque ſolveris*, &c. Quo tempore habebatur Tridentinum Concilium ſic Theologiæ Pariſienſis Candidati inſtituebantur. Hæc enim epitome in gratiam ſtudioſorum comparata eſt anno M. D. LI.

Joannes Arboreus Pariſienſis Theologus, commentario in cap. Joann. XI. *Quemadmodum*, inquit, *Chriſtus primò vivificavit Lazarum, deinde dixit Judais & præſertim ſuis diſcipulis, ſolvite eum, ut eorum operâ & miniſterio in publicum prodiret, omniumque conſpectui objiceretur: Ita Chriſtus priùs vivificat intrinſecus peccatorem, ſi modò à peccato reſipiſcit, quem oportet poſtea Sacerdotum officio & miniſterio abſolvi.*

Idem in cap. XX. *Non hic ago de pœnitentiâ interiori, qua in diſplicentiâ & contritione delicti conſiſtit: ſed hic ago de pœnitentiâ exteriori, ſive auriculari confeſſione.* Poſt alia: *Nec Dominus dixit, qua declaraveritis & cognoveritis peccata, & de his judicaveritis; ſed exprimendo clariſſimè magnam virtutem & præclaram dignitatem Sacerdotum nova legis dixit: Quorum remiſeritis peccata. Velint itaque aut nolint haretici, fatendum eſt, Evangelicos Sacerdotes remittere ipſa peccata. Hinc compertum eſt, maximum eſſe diſcrimen inter Sacerdotes Evangelicos & Leviticos. Nam Levitici Sacerdotes judicabant de leprâ, & declarabant populo, quos Dominus leprâ percuſſerat, deinde manifeſtabant, quinam erant à le-*

prâ

prâ mundati, ſed non mundabant lepram: & Evangelici Sacerdotes non ſolùm judicant de leprâ interiori, hoc eſt de peccato, quod animam contaminat, ſed mundant ipſam, ſordeſque animorum detergunt. Quòd ſi objectaveris, ſolus Deus delet iniquitates, eique peculiariter munus hoc reſervatur, facilè tibi reſpondebo, ſolus Deus delet ſuâ propriâ virtute iniquitates, ſed Sacerdos ut miniſter Chriſti, ſive poteſtate, ſic dicam, miniſterialiter delet iniquitates, & peccata remittit, qua remittenda ſunt. Remittit autem peccata abſolutione Sacramentalè, cùm agnoſcendo contritionem delinquentis, qui vehementer dolet ſe offendiſſe Deum dicit, Ego te abſolvo ab omnibus precatis tuis. De perfectâ, ut apparet, & caritatis actu formatâ contritione loquitur, cùm ex iis ipſis verbis, quibus ſignificatur peccatorem vehementer dolere ſe offendiſſe Deum: tum ex teſtimonio ſuperiori, ubi habetur: *Chriſtus priùs vivificat intrinſecus peccatorem, quem oportet poſtea Sacerdotum officio & miniſterio abſolvi.* Quare hic auctor de interioris lepræ curatione locutus, curationem neceſſariò eam intelligit, qua partim culpa per contritionem jam remiſſa oſtenditur Eccleſiæ, partim aliqua portio pœnæ peccatis debitæ tollitur. Sic reipſa ſentit, licèt hoc modo ſententiam non exprimat, ne vel ſono verborum videatur Novatoribus favere. Ceterùm Arboreus hunc in Joannem Commentarium edidit Lutetiæ [n] M. D. LII.

Stephanus Paris ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, & Abellonenſis Epiſcopus, in Chriſtiani hominis inſtitutione, quæ per Facultatem Theologiæ Pariſienſis, ut mos ferebat, approbata anno M. D. LII. Lutetiæ prodiit anno M. D. LXL adverſus hujus temporis hæreſes. Hæc igitur ſcribit Hom. feriæ VI. poſt Domin. IV. Quadrageſimæ. *Adverte quòd primùm foveam egreditur vivus* (Lazarus), *deinde ſolvitur à diſcipulis imperante Domino, ſolvite & ſinite abire. Priùs enim Dominus juſtificat interius, deinde foris Sacerdos abſolvit: ſic in converſione peccatoris duæ ſiunt mutationes, quandoquidem in ſpecie mortis jacens peccatorum vinculis colligatus, reus eſt æterni ſupplicii: at peccati deteſtatione, cordiſque humiliati contritione inde exiens, & vita redditus ſublato æterna pœna reatu (vel extinctâ culpâ) temporaria obnoxius efficitur, cui & ſic alligatur, ut hunc illi ſatisfacere oporteat judicio Sacerdotis, cujus eſt ſolvere & abſolvere: ſic enim leproſos tranſmiſit ad Sacerdotes, ut ſe illis oſtenderent, ita & ſuſcitatum Lazarum, ſed adhuc ligatum remittit ad diſcipulos ut hunc ſolverent, & illum poſtea propria libertati relictum ſinerent abire.* Si verum eſt, quòd qui probat librum, ſuum facit, certè Facultas Theologiæ Pariſienſis hunc Abellonenſis Epiſcopi librum cùm probavit, ſuum ſaltem ita fecit, ut omni malæ doctrinæ labe carere judicarit. Deinde Theologus eſt Pariſienſis, & Epiſcopus Abellonenſis, qui librum illum compoſuit: quæ duo nonnihil opinor illi conciliant auctoritatis. In quo quidem perfectam & caritate formatam contritionem deſcribit, quæ in pœnitente Sacerdotalem abſolutionem antecedat. Allatum teſtimonium nullâ ſui expoſitione indiget, ſed ſola lectione, ut comprehendatur.

Joannes Medina Complutenſis Theologus, qui [o] ſub idem tempus ſcripſit, Codice de Pœnitentiâ, quæſt. IV. „Videtur tenendum, quòd pœnitentia (*contritio*) neque cum „Sacramento, neque ſine illo poteſt de lege ordinata ad ſalutem animæ valere, niſi in „Deum ſummè dilectum ſit relata. Pro quâ concluſione facit, quod ſuprà ex Joele II. ci„tatum fuit, Convertimini ad me in jejunio, in fletu & planctu, &c. & convertar ad „vos. Facit etiam, quod ait Petrus in Actibus Apoſtolicis: Pœnitemini & convertimini, „ut deleantur peccata veſtra. Super quæ ait Auguſtinus, ut ſuprà adduximus · Ille dici„tur ad Deum converti, qui non ſolùm à peccato avertitur, ſed qui jam totus & omni„no vertitur, qui jam non timet pœnas tantùm, ſed ad bonum Deum tendere feſtinat. „*Et poſt alia*: Sequitur ampliùs, quòd non ſatisfacit homo præcepto de pœnitendo, quali„tercumque de commiſſis dolendo, niſi propter Deum de illis doleat, eò quòd pœniten„tia, quæ à nobis exigitur, Dei dilectionem includit, aut præſupponit. Unde iterum fit, „ut ſi quis ſingula peccata recogitet, & de ſingulis doleat ob alium finem, quàm propter „Deum, eum teneri ad iteratò dolendum de eiſdem. Ex quo per priorem dolorem de com„miſſis nondum præcepto de pœnitendo ſatisfecerat: quemadmodum ſi quis omnia peccata „ſua confeſſus eſt, non habitâ de iiſdem cootritione, tenetur ea iteratò confiteri, quia non „ſicut debuit, fuerat confeſſus.

Deinde Codice de Confeſſ. tract. II. „Eſt & alia quarta opinio & ſatis communis, quæ „tenet abſolutionem hanc Sacramentalem operari remiſſionem etiam quoad culpam & pœ„nam æternam, non io actu ſuſceptam, ſed in voto ſeu propoſito mentis habitam. *Et poſt* „*alia*: Deus igitur per contritionem remittit peccata, quantùm ad maculam & debitum „æterni

[n] *Anno M. D. LII.*] Imò editus eſt anno 1551.

[o] *Sub idem tempus*] Medinæ de Pœnitentiâ Liber, prodiit Ingolſtadii anno 1581. jam ante in Hiſpaniâ vulgatus.

„æterni cruciatûs; quantum tamen ad exulationem & clauſutam tegni cælorum, reliquit „peccata Sacerdotibus remittenda. Exemplum hujus rei eſt clarum in ſanctis Patribus, qui „erant in ſinu Abrahæ, ubi nullam habebant culpam, nec pœnam, prætet eam, quòd illis „ob peccatum erat clauſum tegnum cælorum, quod illis erat minimè aperiendum, niſi „peractâ ſatisfactione à Deo inſtitutâ, quæ in Paſſione Chriſti fuit adimpleta. Et ex tunc „præfatis Patribus fuit apertum regnum cælorum, & illico viderunt gloriam Dei. Inde „uſque ad Chriſti Paſſionem dicebantur omnes in peccato eſſe. quantumvis ſancti & ami- „ci Dei. Interim dum in eis præfata pœna exulationis à regno cælotum permanebat. Jam „ſequitur apertè, quòd abſolutio Sacramentalis actu remittere dicatur peccata confitentis, „etiamſi ptiùs fuerint per contritionem quodammodo remiſſa, non tamen plenè, quouſque „à Sacerdotibus remittantur. Et hoc modo omnia cohærent & ſalvantur, ſcilicèt, quòd „bujuſmodi abſolutio Sacramentalis in actu operetut; quod ſignificat, quòd per contritionem „priùs ſint remiſſa peccata, quoad culpam & æternum ctuciatum, quòd Sacerdotibus col- „lata ſit poteſtas peccata actu remittendi, quòd ipſi habeant claves ad aperiendum regnum „cælorum, quòd effectus hujus Sacramenti ſit abſolutio à peccatis quòd ſolus Deus ſit, „qui deleat, iniquitates & peccata populi, quoad culpam & debitum æternæ pœnæ, quòd- „que pœnitentia ſit ſecunda tabula poſt naufragium, ex quo liberat à peccato. *Et poſt alia*: „Forma abſolutionis ſeu pœnitentia Sacramentalis non confert gratiam primam, eò quòd „non operatur remiſſionem peccatorum quoad culpam & pœnam æternam: in cujus confir- „mationem faciunt tres propoſitiones veræ, ex quibus colligitur veritas quæſita.

Prima propoſitio, quòd nemo poſſit gratiam & juſtificationem conſequi, niſi pœniteat eum veteris vita.

Secunda, quòd hujuſmodi pœnitentia cordis debeat eſſe propter Deum ſummè dilectum, & ex amore Dei procedere, & non ex ſolo timore.

Tertia propoſitio, quòd ſi amor Dei eſt talis, qualis debet eſſe, putà obedientialis, ſufficit ad reponendum ipſum diligentem in gratiâ, cùm non ſit alia ſufficientior diſpoſitio ad gratiam, quàm hujuſmodi Dei dilectio, quâ peccator vero corde ad Deum confugit, & taliter ad Deum confugientes Deus ex ſua promiſſione adſtrictus eſt in ſuam gratiam admittere..

Hic Auctor veterum Theologotum ſententiam ſequitur, eique de novo loquendi modo accommodat, quo & nonnullas inter illos varietates conciliet, & eorum, cui pto attritione dimicant, argumentis omnibus ſatisfaciat. Quod non minùs ſolidè, quàm ſolerter exequitur.

Gabriel Putherbeus in libro de Pœnitentiâ & illius partibus juxta orthodoxæ & Catholicæ Eccleſiæ veritatem, cap. 1. de exhortatione ad pœnitenriam: *Dominus*, inquit, *noſter Sacramentum Pœnitentia nobis dedit, id eſt, abſolutionem Sacerdotis, qua velut ſigno exteriori pœnitens certus reddatur, gratiam Dei ſibi conceſſam eſſe, & peccata ſibi remiſſa virtute paſſionis & mortis Chriſti.* Secundùm opinionem tunc in Scholis communem loquitur, quâ Sacramentum Pœnitentiæ, ut externum ſymbolum eſt, in abſolutione potiſſimum Theologi ſtatuebant, quicquid de contririonis neceſſitate vel artritionis ſufficientiâ credetent. Hoc jam in teſtimonio Frederici Nauſeæ Epiſcopi Viennenſis animadvertimus.

Idem cap. de Contritione, primâ Pœnitentiæ parte: *Hic timor gladius eſt, quo ſcinditur cor, ut pœnitentia lacryma fluant, & ut inde calor contritionis eliciatur. Hic timor ducit ad caritatem. Etenim ſine hoc timore nullus juſtificari poteſt. Hic timor eſt, qui paulatim deſinit ſuccedente caritate, qua cùm perfecta eſt, foras mittit timorem. Si enim peccator vellet in hoc ſervili metu conſiſtere, hic metus non converſionem, ſed deſperationem generaret*, Poſt alia: *Sicut leproſo, poſteaquam ſanatus fuit, dictum eſt, vade, oſtende te Sacerdotibus: ita ubi quis metu ad pœnitentiam, & ad concipiendam de anteactâ vitâ dolorem ductus eſt, & vitam impoſterum emendare propoſuit, & cogitat apud ſe Chriſtum ipſum ſuâ morte apud patrem ſibi remiſſionem peccatorum obtinuiſſe, tunc eâ ratione hunc metum in amorem, & in caritatem mutat, ad Sacerdotem adhuc mittitur, ut ſuam vitam declaret, & ut confiteatur eam, quam antea lepram habebat, ut per Sacerdotem abſolvatur ab illâ leprâ, declaretur, & judicetur mundus coram Deo. Quod in noſtrâ Evangelicâ lege ſecundùm inſtitutionem Chriſti, & uſum Eccleſia praſtatur, & Sacramentali Confeſſione, & abſolutionis Sacramento.*

Idem cap. de Abſolutione: *Itaque ecce tibi debita tuis peccatis pœna, qua juxta magnum contritionis ardorem ex aternâ in temporalem mutata fuerat, quoad maximam partem ſublata eſt virtute clavium & abſolutione Sacerdotis, immò & ſatisfactione ab illo injunctâ, quâ Sacerdos plus pœna quàm abſolutione tollit.* Hæc ille eo in libro Gallico, qui cum

Pariſienſium Theologorum approbatione emiſſus eſt anno ᵖ M. D. LVII. In his verbis auctor duplex tradit judicium ; unum quo per contritionem pœnitens à labe peccati mundus judicatur ; alterum, quo vi clavium & abſolutionis aliquid pœnæ tollitur, & ad reſiduum ligatur. Quæ eſt ſententia eorum omnium, qui neceſſitatem contritionis in Sacramento requirunt. Adde quòd auctor ſuam de veræ contritionis neceſſitate mentem aperiat ſatis ſuperque.

Marianus Victorius in libro de Sacramento Confeſſionis edito Romæ anno M. D. LXII. cap. XIII. de Abſolurione : „Spectat ad hanc operis partitionem, ut enarremus primùm, „quo ordine ad abſolutionem devenitur, & quid Eccleſia poſt Deum in eâ operetur. *Et „poſt alia* : Sed quid hic aget Eccleſiæ medicus Sacerdos, nunquid mortuum revocabit ad „vitam, & deinde ad confeſſionem peccati revocatum adducet. At divinum opus hoc „eſt, de Chriſto enim ſcribitur : Ego ſum reſurrectio & vita, & alibi : Mortui audient vo„cem Filii Dei, & qui audierunt, vivent. Monere poteſt medicus, terrere, adhortari, & „unà cum ſororibus Lazari lugeri lugere & dicere, Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non „fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus, „ſed reſuſcitare non poteſt : propterea ſcriptum eſt, nunquid medici ſuſcitabunt, & confi„tebuntur tibi ? Chriſtus ergo peccatorem à peccatis ſuſcitat, & ſi in cubiculo domûs ja„cet, propterea quòd corde tantùm ab eo peccatum fuerit, cordis penetralia per divinæ „gratiæ illuminationem ingreditur, & animam defunctam reſuſcitat : quòd ſi non tantùm „corde deliquerit, verumetiam operibus malas animi deliberationes impleverit, ad portam „feretrum ſiſtit, & adoleſcentem, qui ad ſepulchrum obdurationis & obſtinatæ conſuetu„dinis à quatuor carnis portitoribus effertur, ad vitam revocat, & matri viduæ revoca„tum reſtituit. At ſi nedum mente & opere deliquerit, verumetiam lapide obſtinationis op„preſſus in peccatis longo perſeverarit tempore, propterea quòd in eis ſepultus jaceat, & „animæ virtutibus putrefactis ſuorum ſcelerum fœtorem emittat, accedit ad ſepulchrum „Chriſtus Jeſus, & obdurarionis lapidem primùm mandat auferri, deinde magnâ voce ad „mortuum exclamat, veni foras. Prodit ad hanc vocem ſtatim is, qui defunctus jacebat, „ſed prodit ligatus manus & pedes inſtitis, & facie ſudario quoque obtectâ ſurgit mortuus. „Verùm, quia ſurgit ligatus, ambulare non poteſt, cernere non poteſt, nutriri non poteſt. „Non poteſt igitur ſurrexiſſe, niſi ſolvatur, & ad incedendum aptus reddatur : propterea „ait Chriſtus, ſolvite illum, & ſinite abire. *Et poſt alia* : Quòd autem hæc Catholica ſen„tentia ſit, audiamus, obſecro Auguſtinum, *&c. Relatis verò Auguſtini, Gregorii primi, „& Bedæ auctoritatibus ſic concludit :* Ex his ergo, quæ diximus, conſtat, quòd ipſius „tantùm eſt Dei, hominem per internam cordis compunctionem excitare à morte ſed ad „Paſtores Eccleſiæ deinde ſpectat ſuſcitatum à Deo ſolvere à vinculis peccatorum, pœnam, „ut ait Gregorius, amovere, quam meruit, & ab aliquo temporario etiam alterius ſæculi „flagello eruere & liberare. *Et poſt alia* : In abſolvendo magna debet eſſe Sacerdotum „diſcretio, ut non facilè quemquam abſolvant, niſi illum peccati pœniteat, & animi dolo„rem aliquo exteriori explicet ſigno, & quia ſolvi ab homine non poteſt, qui primus à „Deo ſuſcitatus non eſt. Tunc enim, ut inquit Gregoris, vera eſt abſolurio Sacerdotis, cùm „ſupremi ſequitur arbitrium Judicis. Chriſtus Mariam Magdalenam omni ſcelerum genere „irretitam non abſolvit, niſi poſt lacrymas & animi contritionem. Hæc ille contra Lutheranos diſputare ſe profitetur, quibus dici nihil poteſt certius ad aſſerendam in Sacramento neceſſitatem contritionis, quæ caritate formetur.

Franciſcus Picartus Pariſienſis Theologus, & in urbe ſancti Germani Autiſſiodorenſis Decanus, Sermone feriæ quintæ poſt primam Dominicam Adventûs : *Deus*, inquit, *Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, quod in tribus rebus conſiſtit, primùm contritione, quæ de peccato dolor eſt propter amorem Dei conceptus, deinde confeſſione oris, quæ fiat coram Sacerdote, denique ſatisfactione pœna, quæ peccatis debetur.*

Idem Sermone in ſecundâ Dominicâ poſt octavas Epiphaniæ : *Quamvis hic homo ſit ſanatus, is tamen ad Sacerdotem mittitur, ut ſeſe ſiſtat, purgetur, & mundetur, & antequam quis ad confeſſionem vadat, contritus eſſe debet, aliàs ille abſolutionem dare non debet, ſed peccata retinere.* Hæc ille Gallicè, quæ nos Latinè vertimus, in quibus cùm contritionem ſimpliciter perfectam intelligit in ſenſu Scripturæ & Patrum, quemadmodum intelligendam eſſe Vega pluribus confirmat. Ceterùm apud Poſſevinum hujus auctoris Homiliæ *ſpirant inſignem pietatem*, & auctor *multa paſſus eſt ob ſinceram Evangelii prædicationem.* Homiliæ verò Lutetiæ prodierunt anno M. D. LXV.

Fran-

ᵖ *M. D. LVII.*] Launoius non ſibi cohæret ; nam in Tertiâ parte Navarrici Collegii Hiſtoriæ Lib. I. cap. 55. ubi de Putherbeo, duos de Pœnitentiâ libros recenſet, quorum alius editus dicitur anno 1549. ; alius verò anno 1555.

Franciſcus Sonnius Antverpienſium Epiſcopus, tract. IV. de Pœnit. cap. VI. de Contritione, primâ parte Pœnitentiæ Sacramentalis: *Contritio ergo pænitentis eſt ipſa triſtitia cordis ſecundùm Deum, gemitus & ſuſpiria de peccatis commiſſis, eo quòd divinæ majeſtatis offenſiva ſunt, ex fide procedentia, & fiduciâ reconciliationis inveniendæ per Chriſtum mediatorem.* Et poſt alia: *Conteritur, atteritur-ve, quando peccator incipit ſibi ex corde diſplicere, ſuper turpitudine & pravitate commiſſorum, atque ſeriò odiſſe malam vitam ſuam commemorando ſecum, quòd fontem bonitatis perdiderit, quòd mortem invenerit, quòd funibus ad interitum illaqueatus exiſtat. Quæ ſanè ſi faciat prorſus ex amore ad bonum Deum cum fiduciâ inveniendæ reconciliationis per Chriſtum, eſt contritio: ſin autem remiſſe, vel ſolo metu pœna evadendæ, eſt attritio non efficiens veram pænitentiam, attamen ad illam præparans.* Et poſt alia: *Sicut videmus, inquit Auguſtinus, per ſetam introduci linum, ſive filum quando conſuitur corium, ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat non ſuccedit linum. Sic timor primùm occupat mentem, non autem ibi manet, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. Concutitur quidem cor timore, ſed lenit ſuccedens caritas: timor impellit ad contritionem, ceterum perficit eam caritas: timor medicamentum eſt, caritas ſanitas: timor exordium pænitentiæ, caritas valor ejuſdem. Hæc autem ſic agitur, ut ſcribis Beatus Ambroſius ad quandam corruptam*, & Et poſt alia: *Hæc & ſimilia docuit nos antiquitas Patrum veneranda, non utique per excogitationem de cerebro ſuo, ſed ex fundamento Scripturæ ſanctæ, quæ ſic ſe habet: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quorſum recogitare facta præterita, & hoc in amaritudine, ſi contritio indiſtincta & qualiſcumque ſufficiat.* Sic ſuam de neceſſitate contritionis in Sacramento ſententiam aſtruit, & oppoſitam de attritione opinionem inpugnat ad annum M. D. LXV. & M. D. LXVI. quo liber de ſeptem Sacramentis editus eſt.

Joannes Ferus ex Ordine Minorum Theologus, à Romanis Cenſoribus emendatus, annotationibus in cap. XI. Joannis: „Quamvis & his ipſis tebus oſtendere etiam voluerit, „quid ipſi peccatori faciendum ſit, videlicet, ut primò contra peccarum fremat per com„punctionem, deinde lacrymis peccata abluat, id quod Propheta docet, Convertimini. „*&c. Et poſt alia:* His vocibus excitatus peccatot vitam accipit per Chriſtum in eum „credendo, prodit per confeſſionem peccatorum, ſed tamen adhuc ligatus eſt, primò, „quia etſi Deus remiſerit peccata, neſcit tamen hoc homo, donec ſententiam audierit à „Sacerdote. Secundò, etſi hujuſmodi tam Deo reconciliatus ſit, nondum tamen Eccle„ſiæ reconciliatus eſt. Ideo ad Apoſtolos ſolvendus mittitur. Tertiò, etſi à culpâ libera„tus ſit, nondum tamen ab omni pœnâ. Quartò, etſi à peccatis abſolutus ſit, tamem ad„huc in ſe habet reliquias peccati, quæ ſubinde expurgandæ ſunt. Obſervandum etiam „eſt hoc, quòd Chriſtus tum primùm juſſit Lazarum ſolvi, cùm jam viveret, ut diſcant „Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, ne quemquam ligent niſi mortuum, nec quemquam „ſolvant, niſi voce confeſſionis ſignificante eundem redivivum eſſe de ſepulcro produc„tum, alioquin implebitur in eis Propheticum illud: vivificabant animas, quæ non vi„vunt, & mortificabant animas, quæ non moriuntur. Sic veræ & caritate formatæ con„tritionis neceſſitatem in Sacramento confirmat. Quod nunquam paſſi fuiſſent Cenſores Romani, cùm hujus auctoris annorationes emendarunt, ſi quid hic locus Tridentini Concilii documentis contratium exhiberet, ad annum M. D. LXXVII. quo liber Romæ in lucem emiſſus eſt.

Edmundus Augerius Societatis Jeſu Theologus, lib. I. de Pœnit. cap. II. *Externa igitur materia, ſine quâ perfectum non habemus Sacramenti corpus, ſunt actus pænitentis, ſcilicet, contritio, confeſſio & ſatisfactio commiſſorum peccatorum.*

Idem cap. III. *Contritionem vocamus animi dolorem, quo pænitens creatorem ſuum offendiſſe agnoſcit cum amaritudine & triſtitiâ, & cum propoſito cum peccandi de cetero, ſed & quo citiùs fieri poterit, confitendi & ſatisfaciendi pro culpâ. Hoc eſt in-primis omnino certum, ut veniam conſequamur, neceſſe eſſe, noſmetipſos condemnare metu enormitatis peccati noſtri ductos, tum quia peccatum adverſatur ſummo bono amiſſo, quod eſt Deus, cujus offenſam debemus metuere, tanquam illius, quem ſuper omnia diligere debemus, tum etiam propter, pænam, quam incurrimus.* Et paullo pòſt: *Quod in praxi poſuerunt ſanctus ipſe Petrus, & beata quoque Magdalena.* Sic veram & perfectam contritionem deſcribit. deſcriptamque adeo illuſtribus exemplis confirmat, ut de mente auctoris locus dubitandi nullus ſuperſit, ad annum M. D. LXVII. quo liber Gallice editus eſt.

Gabriel Prateolus in Confutatione quinquaginta inſignium errorem Lutheri. In Confutatione errotis primi: *Concluſio prima. Gratia Dei peccator juſtificatur ſine ullis præcedentibus meritis.*

Concluſio ſecunda. Peccator adultus non poteſt ſine pœnitentiâ juſtificari.

Concluſio tertia. Pœnitentia ſpeciale donum eſt Dei, non opus merum naturæ corruptæ, vel depravati liberi arbitrii.

Concluſio quarta. Pœnitentia virtute & Evangelica, ſine actuali Pœnitentiâ Sacramentali, hoc eſt, verâ & ſincerâ contritione ante datam Sacerdoti confeſſionem Deus remittit peccata.

Concluſio quinta. Contritio & Evangelica Pœnitentia ſine Pœnitentiâ Sacramentali in voto, id eſt, ſine propoſito confitendi tempore, & loco, non remittit peccatum. Et poſt alia: *His præmiſſis & probatis concluſionibus, propoſita reſpondendum eſt quæſtioni. Cur ſcilicet Deus, qui ſuâ gratiâ & miſericordiâ nobis peccata remittit ad hanc recipiendam gratiam vult nos ſubjici Sacramentis Eccleſiæ vel reipſa, vel certè in voto. Multæ ſunt rationes, ob quas id ita Chriſtus inſtituit, duas brevitatis causâ perſtringemus: prima eſt, ut homo proſternatur, illiuſque animus humilis reddatur petendo ab eo, quem ſibi parem fecit, criminum ſuorum abſolutionem. Secunda quoque ex magnâ Dei bonitate pendet, ut certi ſimus, illum nobis peccatorum veniam indulgere. Sacramenta enim certa ſunt & efficacia divinæ gratiæ ſigna, quibus Deus nos de conceſſâ ſuâ gratiâ certos facit: quare cùm homo fragilis & timidus dubitare poſſet, num Deus ſibi remiſiſſet offenſam, ut verâ ſpe dubitationem auferret, voluit Deus hoc à peccatore recipi Sacramentum. Cùm igitur peccator in verâ contritione omnia ſua peccata confeſſus eſt, quorum recordatur, cumque Sacerdos ei dedit abſolutionem dicens: Auctoritate Dei, & merito Paſſionis Chriſti abſolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, bonâ ſpe certus eſſe debet, Deum ſibi peccata remiſiſſe, ſeque ut abſolutum habere.* Et poſt alia: *Atque ut iſtud rudioribus fiat clarius, & ut oſtendatur, quomodo abſolutionis Sacramentum & Pœnitentia hominem juſtum facit, & peccata remittit, vulgari & domeſticâ comparatione utar. Capio igitur homicidam, qui à Rege delicti abolitionem petit. Rex miſericordiâ motus illum decernit & indulget, modò tamen Cancellarium adeat, ſuum ab illo ſigillum accepturus. Ergo ſi hic homicida Cancellarium, Regiſque ſigillum ſpernens abiret dicendo: Mihi nec ſigillo, nec Cancellario opus eſt; mihi ſatis eſt, Regem delicti mei abolitionem decreviſſe, offenſamque remiſiſſe, ſi ille caperetur, nonne extremo multaretur ſupplicio? Ita ſanè multaretur, quantumvis criminis abolitionem Rex decreviſſet. Illa quippe debet publicis monimentis conſignari; populoque ſignificari. Eodem modo inter Deum & peccatorem ſeſe res habet. Cancellarius Dei, Sacerdos eſt: ſigillum eſt Sacramentum abſolutionis. Sigillum, quod Cancellarius dat, non ſuum, ſed Regis eſt: ſic Sacramentum abſolutionis non Sacerdotis, ſed Chriſti ſigillum eſt, quo ſeſe nobis indulgere, gratiamque impertiri ſignificat. Quòd ſi ſigillum iſtud ſpernamus, æternâ morte damnabimur.* Eſt poſt alia: *Deus tamen infinities miſericordior eſt Rege: ſi quis enim moreretur ſine hoc ſigillo: id eſt, ſine Sacramento abſolutionis, ſive quia nullus adeſſet Sacerdos, ſive quia legitimum quoddam impedimentum occurreret, modò non ſpernat illud, & veram contritionem habeat, abſolvitur à Deo.* Hæc ille ¶ ad annum M. D. LXXIV. Sed ut hoc poſtremo loco per veram contritionem, perfectam caritate contritionem intelligit, ſic & antea, cùm ait: *Cùm igitur peccator in verâ contritione omnia ſua peccata confeſſus eſt.* Deinde vulgaris illa ſimilitudo, quâ utitur, hujus perfectæ in Sacramento contritionis neceſſitatem ſupponit, ac demonſtrat.

Prateolo ſimilitudinem illam ſuppeditaſſe videtur Robertus Corceon, qui ex Theologo & Pariſienſi Cancellario factus eſt Innocentii III in Galliâ legatus. Sic enim ſcribit in Summâ M S. apud ſanctum Victorem, quæſt. III. de Pœnit. cap. III. „Dicimus, quòd aliud „eſt forum pœnitentiale, quod eſt intra Eccleſiam militantem, & aliud illud arcanum „propitiationis & electionis divinæ, in quo Dominus ſine omnibus meritis præcedentibus „per infuſionem primæ gratiæ, & contritionis internæ, remittit omnia peccata pœnitentis; & poſtmodum Sacerdos in ſuo foro ſuum modum habet remittendi eadem pecca„ta pœnitentis, quando ipſe ſcilicet percipit contritionem in iſto, & percipit, quòd Domi„nus omnia ſuâ auctoritate dimiſit in eo. Tunc ſiquidem approbat in ſuo foro & judi„cio, quod Deus priùs fecit, & quaſi præconis voce oſtendit dimiſſa peccata ipſius: quæ „oſtenſio hîc dicitur remiſſio. Et hoc plurimum valet ei, quia per talem oſtenſionem „recipitur in gremium Eccleſiæ, & participium omnium ſuffragiorum ejus, & in filium „ſpiritualem ipſius. Et ad hoc ut de Eccleſia & numero & merito, ut ſit electum mem„brum ipſius, ne ab alienis poſſit accuſari, quia habet teſtimonium ab Eccleſiâ ſuæ inno„centiæ & purgationis perfectæ. Quod oſtenſum eſt à Domino, ubi ſuſcitavit Lazarum mor„tuum, & præcepit eum exire, & tandem dixit diſcipulis, Solvite eum, quaſi diceret: „Oſten-

¶ *Ad annum* [*M. D. LXXIV.*] In Tertiâ parte Hiſtoriæ Navarrici Gymnaſii, cap. 78. Lib. I. Liber unde ab Launoio deducti ſunt textus, recenſetur coloniæ anno M. D. LXIX. & M. D. LXXXI.

„Oſtendite per manifeſtationem veſtram circa Lazarum, quæ ego feci excitando eum in
„animâ. Et hoc idem oſtendit, cùm ait leproſis: Ite oſtendite vos Sacerdotibus, quaſi di-
„ceret: ſicut ego mundavi in vobis lepram peccati, ita per Sacerdotes oſtendatur vos eſſe
„mundatos, ut recipiamini in participium ſuffragiorum Eccleſiæ. Et habemus ſuper hoc ex-
„preſſè ſimile.

Ecce aliquis deprehenſus eſt in aliquo crimine: Ille voce præconis & auctoritate regiâ adjudicatur ſuſpendio: Tandem rex miſeratione motus in aulâ ſuâ remittit ei culpam. Et hoc ignorante præpoſito civitatis, qui fecit edictum. Ad hoc ergo, quòd iſte plenè abſolvatur à plebeculâ, oportet quòd præpoſitus regis voce præconis edictum emittat, quo oſtendat eum eſſe ſolutum à rege, & ideo liberandum à plebe. Inter Corceonem & Pratcolum hoc intereſt tantùm, quòd hic ad receptum ſuo tempore judicandi morem reſpectum habeat, ille ſequatur judicandi formam, quæ ſuo quoque tempore viguit.

Joannes Maldonatus Societatis Jeſu Theologus, tom II. de Pœnitent. IV. part. ubi cap. I. inter attritionem & contritionem diſcrimen aſſignavit, cap. II. ſic ait: *Quòd autem ſit pars pœnitentiæ contritio, Scriptura docet, & quemadmodum præcipit, ut Deum diligamus ex toto corde, ita jubet, ut ad Deum convertamur in toto corde. Hæc autem contritio eſt, toto corde dolere, ita ut ſcindamus corda noſtra; ubi etiam exprimitur non tantùm æſtimatio, ſed etiam vehementia contritionis, Item, cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Item, recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ratio oſtendit. Nam eâdem viâ neceſſe eſt ut ad Deum convertamur, quâ ab eo diſceſſimus. Diſceſſimus autem ab eo, quia illi antepoſuimus res creatas. Ergo debemus ad illum redire dolendo, quòd ipſum offenderimus, pluſquam doleremus propter res omnes creatas.* Et paullo pòſt: cap. V. *Quærunt etiam Theologi quando obliget præceptum contritionis, cùm ſit affirmativum, & affirmativa præcepta non obligent, niſi certo quodam tempore? Communis opinio eſt non obligare, niſi quando præceptum confeſſionis obligat, quia neceſſe eſt habeat contritionem qui confitetur, deinde quoties incidit probabile periculum mortis.* Hæc ille ad annum M. D. LXXIV. quos Pariſiis Theologiam docuit. Sed in iis rerum conditionibus hîc docuit, ut eum loqui de perfectâ & caritate formatâ contritione tam certum ſit, quàm quod certiſſimum. Maldonatus enim communem Doctorum opinionem ſecutus vult, hominem ſimulatque confiteri debet, exerendæ contritionis lege conſtringi. His autem præſtantiſſimis Doctoribus qui peccator morem gerit, priùs coram Deo juſtus eſt, quàm ſe ſuaque peccata Sacerdotibus oſtendat.

Georgius Buſtius ex Ordine Prædicatorum Bononienſis Theologus, in libro de Pœnitentiâ, quem [r] anno M. D. LXXVI. edidit, art. II. „Ut igitur peccator Deo reconcilia-
„ri queat, ad ipſumque verè converti, & pro culpâ pœnæ reatum implicante ſatisface-
„re, à Chriſto Salvatore noſtro & miſericordiæ fonte inſtitutum eſt Pœnitentiæ Sacramen-
„tum, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem continens, tanquam ejus partes mate-
„riales, ſive integrales omninò neceſſarias ad culpæ & pœnæ abolitionem. Nam cùm
„per letale crimen homo ſit à Deo averſus, & ipſius inimicitiam adeptus, exigitur primò, ſi
„Dei amicitiam per peccatum amiſſam conſequi exoptat, ut à peccato ipſo avertatur, dolens
„de commiſſo, proponenſque id ipſum non ampliùs committere. Quod ad rationem
„ſpectat contritionis, quâ mens ad Deum convertitur; quæ tamen converſio fieri non poteſt,
„niſi adſit divina gratia, caritatem ſive amorem Dei gignens, per quem ipſi Deo conjungitur,
„& unitur. Itaque per contritionem culpa tollitur, & à reatu æternæ pœnæ liberatur. *Et*
„*poſt alia*: At quiſquam objiciet, ſi contritio naturaliter præcedit confeſſionem & ſatisfac-
„tionem, & poteſt, ut aſſertum eſt, quandoque eſſe tam vehemens, ut per ipſam fiat re-
„miſſio culpæ & pœnæ. Igitur non eſt neceſſe, ut ſemper contritus actu confiteatur & ſatis-
„faciat. Huic objectioni reſpondet D. Thomas diſt. citatâ quarti quæſt. II. art. I. ad ſeptimum
„inquiens, quòd etſi tota pœna poſſit per contritionem dimitti, adhuc tamen neceſſaria eſt
„ipſa confeſſio & ſatisfactio, tum quia homo de ſuâ contritione nequit eſſe certus, tum
„quia confeſſio & ſatisfactio cadunt ſub præcepto divino tranſgreſſores ad mortale pecca-
„tum ligante, tum demum quia cùm vera contritio ſemper votum & propoſitum confitendi
„tempore ſuo neceſſariò includat, in virtuteque futuri Sacramenti, ſeu partis integralis ipſius,
„confeſſionis ſcilicet, peccata remittat, ob id, dum quiſpiam abſolvitur, Sacramentum appli-
„catur, cujus virtute abſolutionis munus accepit. Et in hoc ſenſu vera eſt forma, qua dicitur,
„ego te abſolvo, quoniam tunc Sacerdos complet, quod pœnitens in voto noſcebatur ha-
„bere. Uti dum Cornelius in gratiâ exiſtens baptizatus fuit, vera extitit forma, qua dictum

[r] *Anno M. D. LXXVI.*] Ecchardus in ſuâ Ordinis Prædicatorum Bibliothecâ, editiones duas omnium Buſti Operum dumtaxat memorat Venetiis vulgatas anno 1574. & 1580.

„eſt, ego te baptizo, quoniam illud complebat, cujus virtute & voto fuerat ab originali „ablutus peccato. Additur, quòd per abſolutionem confertur gratia Sacramentalis, addens „ſuper gratiam communiter dictam & ſuper virtutes ac dona, quoddam divinum auxilium „ad conſequendum Sacramenti finem.

Idem quæſt IV. de Confeſſione: *Confeſſio eſt legitima coram Deo & Sacerdote peccatorum manifeſtatio, ſuper veram eorum contritionem fundata.* Et poſt alia: *Dicebatur poſtremò in præfatâ definitione, confeſſionem ipſam eſſe fundatam ſuper veram contritionem, quia accedente contritione verâ confitendus venit abſolvendus; quâ ſi careat, nec vera confeſſio dici poteſt, nec abſolvi debet: poſito enim ædificii fundamento ponitur & ædificium, eoque remoto removetur & ædificium. Confeſſio enim & ſatisfactio virtute in ipſâ contritione continentur, propterea ipſa pernecèſſaria eſt.* Et poſt alia: *His namque ex verbis à Chriſto prolatis (quorum remiſeritis, &c.) perpulchrè conſtat, Apoſtolis ſuis eorumque ſucceſſoribus duas ſpeciales tradidiſſe claves; alteram ſcientiæ, potentiæ alteram; ſcientiâ quidem, quâ ipſi eorumque ſucceſſores agnoſcere, & diſcernere pariter & judicare poſſint, qui digni exiſtant, ut eis cælum aperiatur, quique indigni ſunt, ut eis idem cæli oſtium claudatur, ſive qui ligandi ſint, quique ſolvendi,* &c. Sic explicatur veræ in Sacramento contritionis neceſſitas; ſic ſolvuntur & difficultates, quæ hanc opinionem de perfectæ contritionis neceſſitate ſequuntur. An autem iſtud ita licuiſſet in Italiâ, ſi quid hæc de perfectæ & caritate formatæ contritionis neceſſitate ſententia Tridentino Concilio adverſum doceret, non credo.

Petrus Emotta Pariſienſis Theologus, & Laudunenſis Eccleſiaſtes, lib. III. Catholicæ fidei profeſſionis, cap. IX. de Contrit. *At ut proſit pænitentia, oportet utrumque actum adeſſe, quem complectitur prima pænitentiæ pars, quæ dicitur contritio, quæ definitur dolor voluntariè aſſumptus pro peccatis propter Deum, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. In quâ definitione oſtenditur diſcrimen inter contritionem & attritionem, primò quia contritio propter Deum tanquam finem ſuſcipitur, attritio autem propter timorem damnationis. Secundò, quòd contritio à timore filiali naſcitur, attritio ex ſervili. Tertiò, contritio juncta ceteris pænitentiæ partibus vim habet remittendorum peccatorum, attritio non habet.* Hæc ille ad annum M. D. LXXVIII. quæ omni luce clariora ſunt, ſed quæ vir pius & doctus nunquam docuiſſet, ſi tunc creditum eſſet, à Concilio Tridentino quaqua ratione ſignificatum, attritionem ceteris pœnitentiæ partibus junctam vim habere remittendi peccata. Pariſienſes Theologos viderat, qui Concilio interfuerunt, & inprimis Joannem Peletarium, quem in ſacrarum literarum ſtudio ducem & moderatorem præcipuum habuit.

Petrus Divollus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, in Inſtructionibus & Gallicis Sermonibus, quos eodem [a] anno M. D. LXXVIII. Lutetiæ publicavit: In Dominicâ Paſſionis & diebus ſequentibus: *Pœnitentia continet in ſe tres partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem: è quibus contritio præcipua eſt, & ſine qua nec ulla coram Deo excuſatio, nec ulla peccati poteſt obtineri remiſſio, quæ tamen obtineri poteſt ſine confeſſione, ut in caſu neceſſitatis.* De contritione, ut apparet, loquitur, quæ actu caritatis formatur.

Idem paullo pòſt de Confeſſione. *Hæc confeſſio non ſervili timore fieri debet, ſed caritate & amore Dei, alioqui meritoria non eſt. Et ea, caritate, facta culpam peccati mortalis aufert, & pœnam æternam in temporalem convertit.* Et poſt alia: *Hæc Sacramentalis confeſſio, ut valida ſit & ſalutaris, conditiones exigit quinque.* Et poſt alia: *Tertia conditio requiſita in verâ confeſſione, eſt, ut ſit humilis & cum magnâ contritione, ut docet propheta regius dicens: cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Sic perfectæ in Sacramento contritionis neceſſitatem propugnat, nihil veritus Tridentini Concilii placitis adverſari.

Cornelius Muſſus Bituntinus Epiſcopus, in Synodo, quam anno M. D. LXXIX. habuit, in Canonibus de Pœnitentiâ: *Tum ſubjiciant illos rectè & ritè ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, qui antequam ad myſticum ſacræ confeſſionis Jordanem accedant lavandi, mundandique à leprâ peccati, recogitantes in amaritudine animæ ſuæ ipſorum peccata & ſingula & omnia, ex intimis cordis penetralibus orantes Deum, cujus donum eſt pœnitentia, ſicut & ipſa remiſſio peccatorum inter timorem divini judicii, & ſpem divinæ miſericor-*

[a] *Anno M. D. LXXVIII.*] An quædam Divolus ediderit vivens, mihi incompertum inquit Ecchardus pag. 201. Tomi II. Deinde recenſet quæ ab Divoli morte prodiere opera Sermonum editi ſunt Pariſiis anno 1586. &. 1630. Vide Hiſtoriam Gallicam Autiſſiodorenſem, quam ſcripſit Clariſſimus D Le Beuf, Autiſſiodorenſis Canonicus & ſuccentor. Ibi multa de Divolo, Lege præſertim monumenta quædam ad finem operis Collocata. Vide etiam Diarii Gallici noſtri quod inſcribitur *Bibliotheque Françoiſe*, Tomum V. nonnulla reperies digna quæ cognoſcantur. Non ab re erit hic memorare, paginam Hiſtoriæ Autiſſiodorenſis, quam in Diarium tranſtulimus flammis fuiſſe damnatam Autiſſiodori, Jubente Regio Sigillorum Cuſtode *Fleuriau d'Armenonville*.

ricordia, velut inter duas molas tanquam triticum Domini, ſeſe per Dei gratiam non ſolùm atterunt, ſed minutatim conterunt, contritique ſcopum habentes ſatisfactionem, ut pœna regnum Dei decoret, quod culpa dedecoravit purè & nudè abſque tricis & perplexitatibus verborum, cùm ſpe venia, qua non confundit in æternum, confitentur ipſi Sacerdoti. Sic in Sacramento exigit contritionem, quam ut perfectam & caritate formatam graphicè depingit.

Franciſcus Samarinus in libro, cui titulus eſt, *Sacerdotale, ſive Sacerdotum Theſaurus juxta conſuetudinem S. R. E. ſacrique Concilii Tridentini ſanctiones.* In primâ parte de Contritione primâ Pœnitentiæ parte: *Iſtud Sacramentum habet tres partes, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem. Contritio eſt dolor pro peccatis voluntariè aſſumptus cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi.* Et poſt pauca: *Sciendum eſt tamen quòd aliqui putant ſatis indiſcretè, tunc eſſe contritionem, quando habent quandam diſplicentiam de peccatis, vel quando habent propoſitum dolendi de eis, & tales pauperes decipiuntur. Hoc enim non eſt contritio, ſed attritio.* Et poſt alia: *Dolor igitur peccatorum debet eſſe propter Deum, non propter timorem pœnarum, aut propter quodvis aliud, ſed quia ſunt offenſa Dei.* Et poſt alia, de Confeſſione. *Tenentur omnes habentes annos diſcretionis ad eam faciendam ſemel in anno. Unde falſum eſt, & hæreticum dicere, ſufficit ſoli Deo confiteri. Patet hoc exemplo Chriſti, qui Lazarum ſuſcitavit, ſed tamen diſcipulis tradidit abſolvendum, Joannis* XI. *Item decem leproſos ad Sacerdotes miſit, qui in via eundo fuerunt mundati, Lucæ* XVII. *Per quod figuratur, quòd peccator licèt in eundo ad confeſſionem ratione contritionis, quam habeat, conſequatur veniam, & remiſſionem peccatorum, tamen tenetur venire ad confeſſionem. Sed ſi dices, quare peccator debet ire ad confeſſionem, vel Sacerdotem, ex quo remiſſa ſunt ei per contritionem peccata: Reſpondeo ſecundùm Oſtienſem, in Summâ de pœnit. & remiſſ. cap. I. Tu dic quòd peccator duplici vinculo ad ſatisfaciendam aſtringitur; uno à quo ligatur ad Deum, & illud in contritione dimittitur; alio, à quo ligatur ad Eccleſiam, & hoc per confeſſionem & ſatisfactionem dimittitur, & per abſolutionem Sacerdotis relaxatur.* Hæc ille [c] ad annum M. D. LXXXV. quæ pro veræ contritionis in Sacramento neceſſitate pugnare nemo non videt.

Chriſtoporus Silveſtranus ex Ordine Carmelitarum Patavienſis Theologus. in IV. Sent. lect. XXXVIII. de forma abſolutionis. In reſponſione ad II. *Reſpond. quòd abſolutio eſt duplex, altera apud Deum, altera apud Eccleſiam. Abſolutio apud Deum eſt remiſſio immediata ſibi facta à Deo per contritionem hominis pœnitentis. Et ſic dicit Auguſtinus, & hoc modo currit argumentum. Altera eſt abſolutio Eccleſia, qua fit per Sacerdotem. Nam peccator non ſolùm eſt ſeparatus à Deo per culpam, ſed etiam ab Eccleſiâ. Ideo non ſolùm quoad Deum, ſed etiam quoad Eccleſiam ligatur. In contritione igitur Deus ſolus ipſum, & in confeſſione ſolvit Eccleſia & liberat per hanc formam dicens, Abſolvo te à peccatis tuis.*

Idem lect. XLVI. „Reſpond. quòd triplex eſt clavis, ſcilicet auctoritatis, excellentiæ,
„& miniſterii. Poteſtas & clavis auctoritatis abſolvit peccatorem à culpa mortali commiſſa,
„& à ſupplicio æterno. Et ſolus Deus hoc facere poteſt, cùm ſit offenſus. Poteſtas & cla-
„vis excellentiæ ſolvit obligationem peccati contracti in ſolutione pretii, & hoc à Chriſto
„ſolo, qui in cruce mortuus eſt. Poteſtas & clavis miniſterii abſolvit obſtaculum peccati.
„Nam cùm homini ſit dimiſſa culpa, tenetur & obligatur ad pœnam. At nullus poteſt
„abſolvere à vinculo obligationis, niſi ille, qui pœnam poteſt taxare: nullus autem poteſt
„pœnam taxare niſi Sacerdos: igitur Sacerdos abſolvit. Apparet in judiciis & artibus. Nam
„ſi quis in carcere detentus vult liberari, requirit tria, Judicem, Principem, & Miniſtrum.
„Judex determinant liberationem, Princeps acceptat liberationem, tamen adhuc eſt in car-
„cere, adhuc ſtat in compedibus, cur ſi Princeps & Dominus eſt? Reſpond. quòd nec
„Princeps nec Judex habet claves carceris, ſed Miniſter. Idcirco ipſum liberat, & nunquam
„erit liber, niſi Miniſter aperiat. Sic Deus licèt ſolvat peccatorem, licèt Chriſtus meruerit
„ſolutionem, tamen non erit liber ſine liberatione & ſolutione Sacerdotum Miniſtorum.
„Igitur ſolvant. Nec valet dicere: poteſt Princeps auferre claves à Miniſtro, & reum ſol-
„vere ipſo? Reſpond. quòd poſſet hoc facere de potentiâ abſolutâ, & non tamen de po-
„tentiâ ordinatâ. At Deus obſervat ordinem in juſtificatione noſtrâ. Ordo eſt, ut abſolva-
„tur principaliter à ſuâ Majeſtate, & miniſterialiter à Sacerdote. Audite Paulum, Quoniam
„Deus erat in Chriſto, mundum reconciliavit ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, &
„addit quæſo perpendite, & poſuit in nobis verbum reconciliationis, quod eſt reconciliare
„inimicum inimico. Reſpond. nihil aliud eſt, quàm injuriam remittere & peccatum delere.
„Igitur Sacerdotes remittunt culpas, & abſolvunt. Idcircò magiſter dicit, quòd peccator
„dupli-

[c] *Ad annum M. D. LXXXV.*] Editum eſt Sacerdotale Venetiis in 4°. anno 1583.

„duplicitur eſt ligatus. Nam ligatus eſt apud Deum, & apud Eccleſiam; in contritione
„Deus illum ſolvit, & in confeſſione Eccleſia illum per Sacerdotem abſolvit. Prima abſo-
„lutio eſt inviſibilis, ſecunda eſt in facie Eccleſiæ. Exemplum apertiſſimum, certum eſt
„quòd Deus non remittit. niſi Chriſtus remittat. Ratio, quoniam Deus Chriſto dedit ſuam
„poteſtatem. At ſi Chriſtus poſtea ſuam poteſtatem dedit Sacerdotibus, non ſolvit ſine Sa-
„cerdotibus: Papa non abſolvit ſine legatis, licèt poſſit, & legatus non abſolvit ſine ſuis
„miniſtris, & Chriſtus habet Sacerdotes miniſtros. Ergo Ligant dum confitentibus ſatisfac-
„tionem pœnitentiæ imponunt, & ſolvunt cùm de eâ aliquid dimittunt: & Leo Pontifex
„ſanctus ait, quòd Sacerdotes ſecundùm iſtum modùm dicuntur peccata dimittere, vel re-
„tinere. Id corroborat Auguſtinus exemplo juſtitiæ. Juſtitia duos exercet actus, nam dum
„ligat pœnâ aliquos, oſtendit peccatum fuiſſe, & dum liberat, oſtendit peccatum purgaſſe:
„inſimul declarat & manifeſtat Eccleſiæ, quod in Deo erat per contritionem abſolutum.

Idem in examine quo quæritur, *an Sacerdos per claves poſſit ligare & abſolvere pecca-
torem?* In reſponſione ad argumentum quartum, quod ita proponitur: „Dicit ſanctus
„Hieronymus, in remittendis & retinendis culpis id juris habent Sacerdotes Evangelici,
„quod habebant ſub lege legales: ſed legales non abſolvebant peccatores nec à culpâ, nec
„à pœnâ: igitur nec Evangelici. Reſpondetur, quòd non habere jus ſtat dupliciter, vel
„quoad culpam, vel quoad pœnam: ſi Sacerdotes Evangelici conſiderentur quoad peccati
„remiſſionem, dico quòd non dimittunt vi clavium peccatum, ſed dimiſſum eſt à Deo, & ſic
„de pari currunt cum Sacerdotibus legalibus: ſi verò conſiderentur quoad pœnam peccati
„taxatam, dico quòd excedunt legales. Nam legales non habuerunt à Deo privilegium il-
„lud, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. Ideo ſanctus Bonaven-
„tura dicit quòd oſtenſio eſt duplex, altera ſigni, & altera facti. Legales ſolùm oſtende-
„bant ſignando, & ſignabant mundatos à leprâ, ſed non mundabant. At Evangelici ſi-
„gnant, & efficiunt ſalurem remittendo pœnam. Legales erant ſimiles agricolis, qui oſten-
„dunt imaginem Cæſaris factam ab artifice, in quâ nullam adhibuere artem; Evangelici
„verò ſunt ſimiles artifici, qui imaginem ſereniſſimi Ferdinandi Auſtriaci mei amantiſſimi
„oſtendens facit duo, alterum reſpicit pulchritudiuem ſereniſſimi Ferdinandi, alterum oſten-
„dit ſuum ingenium, artem ac ſtudium, quo illam terminavit, dum ab alio inchoata erat:
„ſic Evangelicus Sacerdos dum peccatorem in facie Eccleſiæ abſolvit à pœnâ, oſtendit il-
„lum dignum cælo, quoniam demonſtrat pulchritudinem & decotem innocentiæ factum per
„gratiam. *Et poſt alia: in fine examinis: Hac pro præſenti, ubi apparet, quomodo Sacerdos
bſolvat.* Hæc ille anno M. D. XCIV. ad Clementem VIII. in quibus lucentis caritate con-
ritionis neceſſitatem in Sacramento cùm ex aliis, tum maximè ex definito clavium uſu de-
monſtrat, &iis quæ ab adverſariis objicerentur, reſpondet. Quò fit, ut plura, quàm for-
taſſis neceſſe fuerit, ex hoc auctore retulerim.

Æqualis Silveſtrano Joan. Paul. Palanterius ex Ordine Minor., Bononienſis Theologus,
lect. LXXXIV. in IV. Sent. *In re ergo vel in voto iſta tria requiruntur, ſcilicet contritio,
confeſſio & ſatisfactio ad vera pœnitentia perfectionem. Contritio verò* (quam facit I. par-
tem Pœnitentiæ) *ex quatuor vel quinque integratur, qua ſunt, motus liberi arbitrii in
Deum ſuper omnia diligendum: inſuper motus ejuſdem liberi arbitrii in deteſtationem peccati:
tertiò infuſio gratia gratum facientis: quartò expulſio culpa: quintò præventio ſcilicet divina,
quâ liberum arbitrium movetur & excitatur ad ea, qua dicta ſunt.*

Idem lect. XCI. *Pœnitentia itaque partes cenſenda, ſcilicet contritio, confeſſio & ſatisfactio.
Contritio attribuitur Patri, quia maxima potentia eſt juſtificatio impii, quod fit per contritio-
nem; confeſſio Filio, quia fit per verbum, quod dicitur Filius; ſatisfactio, qua pœnitentia bo-
nitatem complet, Spiritui ſancto, cui bonitas appropriatur.*

Idem lect. XCVI. ad II. quæſtionem, *Utrum per confeſſionem & ſatisfactionem culpa di-
mittatur.* Et poſt alia: *Quantum ad ſecundum eſt dicendum peccatum ante actualem confeſſio-
nem dimitti, ſi tamen in ipſâ contritione adſit propoſitum confitendi & ſatisfaciendi, aliàs non
eſſet vera contritio.* Vide ſi placet quid veræ contritionis appellatione intelligat; tum quid
veræ contritioni tribuat: ut ex eo tu quoque intelligas, quid alii Theologi, qui veræ con-
tritionis nomen uſurpant in hanc materiâ, ſibi velint.

Idem ad ſecundam objectionem, quæ ſic fiebat: *Abſolutio confitentis ad culpa dimiſſio-
nem ordinatur, ut patet ex formâ abſolutionis, ita ſatisfactio ad pœna expiationem ordi-
natur. At in contritione ante ſatisfactionem non videtur pœna expiari, igitur neque culpa
ante confeſſionem. Brevi reſpondetur quòd in contritione non ſolùm culpa dimittitur, ſed etiam
aliquid de pœna.*

Idem lect. CI. *Nunc quarto loco difficultati propoſita ita occurrendum: Deus per ſeipſum
& principaliter dicitur abſolvere, & Sacerdos miniſterialiter, & licèt apud Deum peccator*

per

per contritionem dicatur abſolutus, tamen in foro Eccleſiæ non ſic judicatur; quare auctoritate conceſſâ Sacerdotibus in facie Eccleſiæ peccator eſt abſolvendus. Iterum vides, quid ſit, Deum principaliter abſolvere pœnitentem, & Sacerdotem abſolvere eundem miniſterialiter.

Hugo Burlatus Pariſienſis Theologus, Eccleſiaſtes & Pœnitentiarius Aurelianenſis, in tractatu de veritate auricularis confeſſionis. „Atque ut in rem ipſam penetremus, & ut quid
„de confeſſione in ipſâ reperiatur ſcripturâ, obſervemus, ſciendum eſt, Deum & Sacerdo-
„tem peccatum remittere, ſed diverſâ ratione. Nam tria in peccato inveniuntur, ſcilicet,
„offenſa, deformitas maculæ illius, & reatus ad pœnam æternam, quæ maculæ deformi-
„tatem ſequitur. Unicus eſt Deus, qui hæc tria remittit. Quod animadverti poteſt in pa-
„rabolâ filii prodigi, in quâ tria de illo dicuntur, ſcilicet quòd ad reditum illius pater
„eum oſculatus ſit: hoc oſculum ſignificat remiſſionem peccati. Pater filium pulcherrimam
„induit veſtem: hoc animi puritatem & munditiam oſtendit, quæ ex remiſſione peccati
„oritur. Pater ait filium mortuum eſſe, & in vitam rediiſſe: id eſt, in damnationis ſtatu
„fuiſſe, & in viam ſalutis reverſum eſſe. Ecquis verò eſt, qui remittit peccatum? Ecquis,
„qui animum mundat? Ecquis, qui errantem in viam ſalutis reducit? niſi Deus. Ecce ti-
„bi quomodo ſolus Deus peccatum remittit. Nihilominus tamen Sacerdos peccatum quo-
„que remittit tribus modis. Et primò quidem peccatorem habet ut abſolutum. Nam aliàs
„non haberetur, aut admitteretur ut abſolutus in Eccleſiâ. Secundò Sacerdos ratione abſo-
„lutionis, quam illi concedit, eum ſolvit à pœnâ juſto Dei judicio debitâ, ſalutarem ei pœ-
„nitentiam injungendo. Tertiò ei virtute clavium remittit partem temporalis pœnæ, quam
„juſtè ferre deberet ad peccati exſolutionem, juxta id quod ait ſanctus Paulus in ſuâ per-
„ſonâ locutus: Nam & ego, quod donavi, propter vos donavi in perſonâ Chriſti. Hæc
„autem tria in ſuſcitatione Lazari poſſunt obſervari, in quâ Dominus noſter diſcipulis ſuis
„tria imperavit, ſcilicet ut lapidem tollerent, facturi viam, quâ redivivus è ſepulchro pro-
„diret: ut eum ab iis, quibus tenebatur, vinculis ſolverent: tum demum, ut eum abire
„ſinerent. Hæc tria cotidie fiunt in Eccleſiâ, dum Sacerdos pœnitenti ſuo abſolutionem
„impertitur. Imprimis lapidem tollit, ubi pœnam æternæ damnationis in temporalem mu-
„tat, aut longam purgatorii pœnam in aliam, quæ hoc in mundo ſuſtineri poteſt; deinde
„illum ſolvit, ubi ei remittit partem pœnæ temporalis; quam pro ſatisfactione ferre de-
„beret, non imponens ei quicquid culpa exigit: tertiò illum abire permittit, quando il-
„lum declarat abſolutum, & Sacramentis altaris participando idoneum. *Et poſt alia*: Pro-
„teſtantes Lutheri doctrinam ſecuti pœnitentiam in his tribus modis negarunt. *Et poſt
„alia*: Confeſſio non prodeſt quicquam, niſi cum oris veritate & cordis puritate fiat,
„ut in cælo teſtes habeamus confeſſionis noſtræ, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.
Hæc ille in eo tractatu, qui anno M. DCII. Pariſiis editus eſt, & à duobus Pariſienſibus Theologis Carolo Sauſſæio Aurelianenſis Eccleſiæ Decano, & Joanne Buchero probatus, & ita probatus, ut eum teſtentur ſe reperiſſe fidei, & doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ conformem, & poſſe in lucem edi ad Chriſtiani lectoris utilitatem & ædificationem. Ceterùm quin auctor iſte formatæ caritate contritionis neceſſitatem in Sacramento deſideret, nemo negare poteſt, qui expenderit ſeriem verborum, quæ è Gallico in Latinum fideliter vertimus.

Æqualis Burlato Benedictus Benedictis, in jaculis Eccleſiæ Cathol. contraheret cap. CCCCXIX. *Hactenus SS. Patres, idem alii orthodoxi, ex quibus colligit ſapientiſſimus Theologus Petrus Lombardus, quòd in perfectione pœnitentiæ tria obſervanda ſunt, ſcilicet, compunctio cordis, confeſſio oris, & ſatisfactio operis. Innocentius præterea œcumenicus Eccleſiæ Epiſcopus: pœnitentia debet habere tres partes, contritionem in corde, confeſſionem in ore, & ſatisfactionem.* At certum eſt, Lombardum de eâ tantùm contritione, quæ caritate formetur, loqui. De ſimili verò Innocentii III. mente nullus dubitet qui legerit ea, quæ cap. ult. prioris partis ex Innocentio retulimus; & quæ niſi ſatisfaciant, addat, quæ ſequuntur ex primo ejuſdem Papæ Sermone de ſanctis Petro & Paulo: *Petrus ergo per claves acceptas & claudit & aperit; claudit, cùm ligat; aperit, cùm abſolvit.* Et poſt pauca: *Et prima quidem clavis intelligitur potentia ligandi & abſolvendi.* Et poſt alia: *Eſt ergo duplex ligatio, culpa & ſententia. Unde ſæpe contingit, quòd non ſemper iſta ſolutiones* (Dei & ſacerdotum) *ſeſe comitantur. Quod Dominus ipſe in ſolutione Lazari myſticè deſignavit, qui priùs mortuum ſuſcitavit, & poſtea juſſit Apoſtolis, ut ſolverent ſuſcitatum. Solvit autem Sacerdos non tantùm oſtendendo ſolutum, & ligat, non tantùm oſtendendo ligatum, ſed ligat & ſolvit ſubtrahendo & reſtituendo ſuffragia Eccleſiaſtica & Sacramenta divina.* Talis eſt ergo ſententia Benedicti à Benedictis, qualis fuit Petri Lombardi & Innocenti III. Papæ, quorum mens hac in parte clariſſima eſt.

Jacobus Galterius Societatis Jeſu Theologus, in [u] tabulâ Chronographicâ ſtatus Eccleſiæ Catholicæ, ubi ad quintum ſæculum Auguſtini ſententiam ſuam ita facit: *Huc ſpectat quod ſcriptum reliquit* (Auguſtinus) *concione ſecundâ in Pſalmum* CI, *ut doceat pænitenti haudquaquam ſatis eſſe dolorem ex peccatis ſuſceptum, imò nec peccatorum confeſſionem cum dolore illo conjunctam, niſi Sacerdotalem quoque abſolutionem conſequatur. Quid enim, inquit, prodeſſet Lazaro, quia proceſſit de monumento, niſi diceretur, inſolvite eum, & ſinite abire? Ipſe quidem voce de ſepulchro ſuſcitavit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam molem terreno ſepulchro impoſitam vicit, & proceſſit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, ſed virtute producentis fit hoc in corde pænitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit. Hoc intellige*, (ait Galterius) *quando peccator verè conteritur, hoc eſt, quando præcipuè propter Deum odit peccatum, ſeu quod eodem redit, quando peccatum eo potiſſimum nomine deteſtatur, quòd Deo injurioſum eſt.* Poſt hanc explicationem ſequitur textus Auguſtini. *Cùm audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis, inquit, in terrâ, erunt ſoluta & in cælo. Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, ſuſcitari autem ipſe mortuus, nonniſi intus clamante Domino poteſt.* Sic profectò Galterius in Auguſtini verbis eam aſſerit contritionem, qua pœnitens juſtus evadit, antequam confeſſionem oris emiſerit.

Hic auctor videtur imitatus Guillelmum Lindanum Ruremundenſem Epiſcopum, qui libro IV. [x] Panopliæ Catholicæ cap. LXIV. quædam Auguſtini verba ex Homiliâ ultimâ quinquaginta Homiliarum refert, & ad hodiernum loquendi modum accommodat. Sic autem ſcribit: *Quis porro hic ſit maternorum membrorum ordo, tantâ diligentiâ pænitentis cuſtodiendus, hoc loco à ſancto Auguſtino ſubindicatus, clarioribus nunc verbis eſt aperiendum. Is verò eſt, ut pænitens ſuo ſeipſe judicio damnans, ait Auguſtinus, ad Antiſtites veniens, à præpoſitis ſacrorum ſatisfactionis ſuæ modum accipiat, hoc eſt, quod linguâ noſtra hujus ætatis & Eccleſia Catholica manifeſtiùs dicitur, ut verè contritus, legitimeque confeſſus, impoſita ſatisfactionis pænitentia abſolvatur.* Hæc ille ad annum M. D. LX. Ergo ſi peccator verè contritus eſſe debeat ante abſolutionem, priùs à Deo per contritionem purgabitur, quàm à Sacerdote abſolvetur: ſicque virtus clavium ad culpæ remiſſionem haud pertinget, ſed ad gratiæ incrementum, ad amovendum aliquid pœnæ, & ad indicendam pro reſiduo ſatisfactionem.

[y] Joannes Macherentinus Societatis Jeſu Theologus, in explicatione Catechiſmi pro Diœceſi Treverenſi, cap. IV. de Sacramentis, ubi de contritione primâ Pœnitentiæ parte. *Quanta debet eſſe contritio ſeu dolor, ut ad peccati remiſſionem ſufficiat? Requiritur & ſufficit, ut ex verâ Dei caritate ſuper omnia emanet, ipſamque habeat. Si enim ille animi motus ex aliis; quàm ex amore Dei procedit, non ad Deum, ſed ad aliud bonum ducit. Si enim procedit ex amore Dei, ſed non perfecto, non conjungit perfectè Deo. Qui itaque non diligit, manet in morte, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Hæc eſt, quæ operit multitudinem peccatorum.* Sic loquitur de contritione, quam neceſſariam Sacramenti partem facit; de attritione ne verbum quidem, quo ſignificet eam Sacramento junctam ſufficere ad juſtificationem.

Idem paullo pòſt, de Confeſſione: *Cur tantopere placuit Chriſto tam grave onus imponere hominibus in lege ſummæ libertatis? Primò ad frangendam ſuperbiam humanæ elationis, ſeque ipſum cognoſcendum plurimùm conducit confeſſio: deinde quòd ad peccati ſatisfactionem, & cavenda futura pudor ille plurimùm valet, & apud Deum, & apud homines: denique ad peccata deteſtanda, & ad certiorem doctrinam circa mores à Sacerdote accipiendam; & ad auferendam noxiam ſecuritatem, ac deſperationem, & ad conſequendam non minimam conſolationem ex auditâ abſolutione eſt ipſa confeſſio utiliſſima.* Et pòſt recenſens bonæ confeſſionis conditiones, ait eam debere eſſe contritam & lacrymabilem: *De peccatis*, inquit, *eſt confitendum cum diſplicentiâ omnium peccatorum mortalium commiſſorum ſupra omne odibile, & cum propoſito vitandi omne peccatum mortale ſupra omne vitabile*, &c. *Quæ ex illis*, inquit, *neceſſaria ſunt adeo, ut ſine ipſis nec confeſſio nec abſolutio cuicquam valeat, duæ ſunt; prima, ut ſit cum peccatorum contritione, lacrymabilis, ut dicunt, cujus defectus magnâ ex parte vel nullum reddit Sacramentum ipſum, vel fructu ejus & utilitate privat; ſecunda, integritas.* Ex iis quæ de primâ Pœnitentiæ parte dicit, apparet, hunc auctorem ad Sacramentum exigere perfectam & caritate formatam contritionem: Deinde ex iis, quæ de

[u] *Tabulâ Chronographicâ.*] Prodiit primùm Lugduni anno 1614.

[x] *Panoplia Catholica.*] Edita eſt Coloniæ in fol. anno 1563.

[y] *Joannes Macherentinus.*] Nomen genuinum eſt *Joannes Theodorici*, dictus *Macherentinus* ab oppido *Macheron* quod eſt ditionis Luxemburgenſis ad Moſellam Fluvium ſitum.

de ſecundâ parte, nimirum confeſſione, diſputat, apparet quoque eandem contritionem exigere. Nam inter confeſſionis utilitates nullam adfert, quæ ad culpæ remiſſionem pertineat. Tum id etiam colligitur ex iis, quæ de duabus ad habendum Sacramenti fructum neceſſariis conditionibus docet.

Poſtremò hic auctor ſuum fecit, quod Claudius Viexmontius anno M. D. XXXI. in methodo confeſſionis ſcripſerat pro inſtitutione literariorum adoleſcentum Navartici Collegii Pariſienſis. Quæ enim in quintâ parte Pœnitentiæ Viexmontius tradidit, eadem Macherentinus ad verbum deſcripſit, & Tridentino Concilio nequicquam adverſari indicavit.

CAPUT IV.

Quartus modus probandi ex iis, qui niſi perfectam reipſa contritionem, eam certè requirunt, qua talis bona fide credatur.

QUOS in hoc ordine Theologos dabimus, reipſa conveniunt cum aliis, qui perfectam in Sacramento contritionem requirunt; ſed quia diverſo ſe modo explicant, eos ſingillatim dabimus.

Primus eſt Petrus Sotus, qui Tridentino Concilio interfuit, de perfectione Pœnitentiæ, lect. XIV. *Conſtituamus ergo in hac materiâ certiſſimum hoc fundamentum, quod etiam ex ſuperioribus facilè oſtendetur; ad integram & perfectam pœnitentiam ſive contritionem requiritur & ſufficit, ut ex verâ Dei caritate ac dilectione ejus ſuper omnia emanet, ab illa procedat & dirigatur, atque ita ipſam habeat conjunctam.* Et poſt alia: *At perfectam pœnitentiam requiritur, ut dolor ille peccati, ſive odium & deteſtatio ſit propter Deum: hoc eſt, ut hoc ſit præcipuum, quod in peccato diſplicet, ut odio habeatur, quia contrarium eſt Deo, quia offenſa & injuria quædam Dei eſt, quantùm ex ipſo peccante eſt.* Et poſt alia: *Tantus debet eſſe dolor, ut integer ſit, quantus amor Dei, atque ideo ſummus, & maximus omnium aliorum dolorum. Sicut enim ſolus ille verè diligit Deum, qui ſuper omnia diligit, quod eſt ex toto corde, ex totâ animâ,* &c. *Ita ſolus ille deteſtatur peccata integrè, & odio habet, qui ſuper omnia alia mala deteſtatur, quod eſt ex toto corde. Hoc ex priori fundamento ſequitur.* Et poſt alia: *Cùm itaque hæc tam certa ſint, ut nullâ ratione negari poſſint, eſt tamen non parva difficultas in eorum diſpoſitione inter ſcholaſticos noſtros, quam etſi putemus non admodum ad rem pertinere, quia tamen à multis aliter putatur, & ex his, quæ circa hoc docentur, timemus non parum periculi, referendæ ſunt illorum expoſitiones, & deinde diſcutiendæ. Sunt enim de re omnium maximè neceſſariâ infirmitati humanæ, quid ſcilicet ad veram pœnitentiam & remiſſionem peccati neceſſarium ſit, & de qua valdè expediret, Chriſtianos omnes edoctos eſſe, non ex opinionibus quorumcumque, ſed ex doctrinâ Scripturæ & Patrum.*

Idem lect. VIII. de materiâ & formâ Sacramenti Pœnitentiæ: *Defectus perfectæ contritionis duntaxat, etſi non deprehendatur à Pœnitente, vel Sacerdote, tantus tamen & talis, ut meritò deprehendi debuerit, hoc eſt, qui deprehenderetur, ſi uterque in eo negotio non, negligenter, & minori curâ, quàm par erat, ſe geſſiſſet, reddit etiam nullam confeſſionem, & neceſſariò repetenda eſt.* Et poſt alia: *Defectus perfectæ contritionis, qui deprehenſus non eſt à pœnitente, vel Sacerdote bona fide, & debitâ diligentiâ, (quæ ſcilicet probabiliter judicata eſt ſufficere) agentibus pœnitentiam etſi nonnunquam fructum auferat abſolutionis, non tamen reddit nullam confeſſionem, aut repetendam, ſed eſt validum Sacramentum, quod poſtea recedente fictione operabitur.* Hæc ille, qui in ipſâ Synodo anno poſt habitam XIV. Seſſionem, quæ eſt de Pœnitentiâ, duodecimo [z] è vitâ exceſſit.

Dominicus Sotus ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui & Tridentino Concilio interfuit, in quartum diſt. XX. quæſt. II. art. I. *Dixerim*, inquit, *accedens attritus* (ad ſacramentum) *putans ſe eſſe contritum. Nam ut eodem loco citato oſtendimus, arbitror, attritionem, niſi quæ exiſtimetur contritio, nunquam ſufficere, ut per Sacramentum conferatur gratia, eo quòd accuſatio, quæ debet eſſe ſignum pœnitentiæ, quâ ratione homo offendit Deum, non eſſet ſignum verum ſecundùm conſcientiam & exiſtimationem pœnitentis, quia loqueretur contra cor.* Itane pronuntiaret Doctor Concilii, ſi Concilium de attritione aliquid quoquo definiviſſet modo, uti definiviſſe volunt qui longo poſt Con-

[z] *E vitâ exceſſit*] Juxta Echardi Calculos obiit die 20. Aprilis anni 1563. Allatos textus excerpſit Launoius è Tractatu *de Inſtitutione Sacerdotum* quæ ſæpius typis recuſa eſt. *Eximiam habet Petrus Sotus*, inquit Echardus pag. 184. Tom. II. ſuæ ordinis Prædicatorum Biblioth., *de neceſſariâ in Sacramento pœnitentiæ contritione ex motivo amoris Dei elicitâ doctrinam in Epiſtolâ quadam quæ prodiit* Antwerpiæ 1706. apud Froppens in opere cui titulus: *Antonii Reginaldi, Ordinis Prædicatorum de Sancti Conc. Trid. mente circa gratiam ſeipſâ efficacem.*

cilium tempore ſcripſerunt, hodieque ſcribunt? Deinde, dum auctor iſte ibidem ait, *arbitror rem eſſe in opinione poſitam*, oſtendit, relictam eſſe Theologis de contritione vel attritione, quæ tamen putetur contritio, ſentiendi citra diſpendium fidei libertatem. Et revera Sotus vix aliter ſentire poterat, iis poſitis, quæ diſt. XVIII. quæſt. III. art. II. ſcripſerat de attritione: *Doctrina hac*, inquit, *de attritione, qua in Sacramento fit contritio, licèt ſit vera, non eſt tamen multùm vetus. Patres enim antiqui ſolam contritionem agnoſcebant neceſſariam ad confeſſionem. Revera enim qui mihi diceret, non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem.*

Ferdinandus Veloſillus Lucenſis Epiſcopus, qui Tridentino quoque Concilio interfuit, in Advertentiis ad beatum Ambroſium, quæſito XVIII. *Ad primum reſpondeo, quod attritio exiſtimata contritio, dum formâ Sacramentali informatur, fit etiam pars Sacramenti.*

Idem in Advertentiis ad beatum Auguſtinum, quæſito XXIX. *Tertia propoſitio; probabile eſt, quòd dolor, qui debet baptiſmum pracedere, requiritur, quòd ſit contritio. Probatur primò, quia contritio de jure naturali eſt remedium in remiſſionem peccatorum gratia autem & remedium baptiſmi non tollit id, quod eſt de jure naturali ergo. Secundò, quia ſicut habetur Matth. III. Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum; idem habetur Actuum III. Pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſque veſtrum, ſed accedens ad pœnitentiam de per ſe requiritur, quòd conteratur priùs: ſimiliter ergo de per ſe requiritur, quòd contritio pracedat baptiſmum.* Veloſillus ut in priori Advertentiâ contritionis nomine perfectam contritionem, ſic & in poſteriori ejuſdem contritionis nomine perfectam quoque contritionem intelligit. Deinde, in poſteriori Advertentiâ eam requirit contritionem, quæ naturali jure peccatum auferat. *Hæc autem contritio perfecta eſſe debet, & caritate formata.* Tum demum ad ſenſum Scripturæ & Patrum loquitur, in quo cùm ſimpliciter nominatur contritio, perfecta intelligenda eſt, ut obſervatum in Concilio Andreas Vega teſtatur.

His tribus Concilii Doctoribus adjungo Joſephum Anglem Complutenſem Theologum, in a Floribus, quæſt. de Clavibus: *Attritus cum ignorantiâ vincibili, vel culpabili, vel ſua attritionis conſcius, virtute hujus Sacramenti peccatorum remiſſionem minimè conſequitur. Ratio eſt, quoniam eſt præceptum contritionis, à quo per ignorantiam culpabilem, vel quando eſt conſcius ſua attritionis, non excuſatur, atque ita peccat mortaliter non habens illam, & ex conſequenti ponit obicem Sacramento, quominus peccata ſibi remittantur.*

Attrito cum ignorantiâ invincibili ſua attritionis confert Sacerdos miniſterialiter virtute hujus Sacramenti primam gratiam. Hæc ille Concilii ſuppar in libro, quem Complutenſis Academia comprobavit.

Ceterùm quæ hi Theologi quatuor de attritione, quæ bonâ fide putetur contritio, docent, nunquam docuiſſent impunè, ſi Concilium cui tres primi interfuerunt, aliter docendum præſcripſiſſet. Concilium ergo quæſtionem ad diſputandum Scholis liberam dimiſit.

CAPUT V.

Quintus probandi modus ex uſu multarum Eccleſiarum, in quibus poſt inchoatum Concilium Tridentinum Sacerdos non aliter, quàm à peccatis CONTRITIS *abſolvit.*

HARUM Eccleſiarum, in quibus talis viget mos, prima ſit Romana, in libro, cui titulus eſt, „Sacra inſtitutio baptizandi, aliaque Sacramenta, quæ ſimplex Sacerdos conferre poteſt, adminiſtrandi juxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex decreto ſacroſancti „Concili Tridentini reſtituta, *ubi hac habentur*: Forma abſolutionis abſtracta de formula„rio Domini Papæ pro habentibus indulgentiam plenariam in mortis articulo: Auctoritate „Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ N. & ſanctæ Romanæ Ec„cleſiæ tibi conceſſâ, mihique in hac parte commiſſâ, ego te abſolvo ab omni ſententia „excommunicationis majoris vel minoris, ſi quam incurriſti, in quantum mihi committitur, „& reſtituo te unitati fidelium, & ſanctis Sacramentis. Idem eâdem auctoritate abſolvo „te ab omnibus peccatis contritis, confeſſis & oblitis, & à tranſgreſſione regulæ & ſtatu„torum, in quantum claves Eccleſiæ ſe extendunt. Hæc in eo libro, qui Romæ primùm „anno M. D. LXXXI. prodiit cum approbatione Gregorii XIII. deinde Lugduni anno M. D. LXXXIX. cum approbatione Petri Archiepiſcopi: tum Lutetiæ anno M. D. XCIV. M. DC. VII. & M. DC. XIV. editus eſt.

Cùm multa ſunt, Gregorii puta I. Innocentii III. & Innocentii IV. Pontificum doctiſſimorum opera, ex quibus hæc formula derivata ſit in hunc Ritualem librum, tum nihil

a *Floribus.*] Prodiere primùm *Flores* Lugduni anno 1584.

nihil æquè, atque Conſtantienſis Synodus, quæ præcepit, ut ab hæreſi tunc damnatâ redeuntes ad Eccleſiam interrogarentur, *utrum credant, quòd Papa omnibus Chriſtianis verè contritis, & confeſſis, ex cauſâ piâ & juſtâ poſſit concedere indulgentias in remiſſionem peccatorum.*

Liber de Sacramentis, qui ſecundùm uſum Lugdunenſis Eccleſiæ in lucem emiſſus eſt anno M. D. XLVIII. *Sequitur ordo ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentia: & primò audiat & intelligat Sacerdos diligenter pœnitentem, & poſtquam confitens confeſſus fuerit omnia peccata ſua integrè cum ſigno vera contritionis, dicat Sacerdos, Deo gratias: Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat te Jeſus Chriſtus cum ſuis Sanctis in vitam aternam. Reſpondeat pœnitens, Amen.* Et pòſt: *Sacerdos cantè corrigat, & pœnitentia ſibi impoſita ſalutari dicat, Et ſuper hoc Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus & ſummus Pontifex, per merita ſua Paſſionis te abſolvat, & ego auctoritate Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli te abſolvo à ſententiâ minoris excommunicationis, ſi quam incurriſti, & ab omnibus peccatis tuis, confeſſis, contritis & oblitis, de quibus non recordaris, & te reſtituo in gremium ſancta matris Eccleſia, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Vade in pace, & noli ampliùs peccare.* Hæc eſt abſolutionis forma, quâ Sacerdos utitur extra mortis articulum, in aliâ verò, quâ in mortis articulo utitur, illud *à contritis* quoque habetur.

Ritualis liber Senonenſis Eccleſiæ, auctoritate Nicolai Pelvæi Archiepiſcopi, qui Concilio Trid. interfuit, editus anno M. D. LV. in Inſtitutione generali de Pœnitentia: „Dicat pœni-
„tens, Confiteor Deo: Presbyter, frater, vel ſoror, Miſereatur tui omnipotens Deus, &
„dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te Jeſus Chriſtus Filius ad vitam æternam, Amen.
„Abſolutio. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, ſpa-
„tium veræ pœnitentiæ, & emendationem vitæ, gratiam & conſolationem ſancti Spiritus
„paracliti, & perſeverantiam in cunctis bonis operibus largiatur tibi Pater pius, & miſeri-
„cors Dominus, Amen. Oratio. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus abſolutor
„omnium criminum, per ſuam ſanctam miſericordiam te abſolvat, & ego auctoritate mihi
„commiſſâ, ab omnibus peccatis tuis, mihi dictis, ore confeſſis, corde contritis, & negli-
„genter oblitis, & à participatione cum excommunicatis, ſi indigeas, te abſolvo, & reſti-
„tuo te ad ſacroſancta Sacramenta noſtræ ſanctæ matris Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii,
„& Spiritus ſancti, Amen.

Ritualis liber, cui titulus eſt, *Catechuminum ſecundùm Ordinem Romana Eccleſia, necnon morem Bononienſis Eccleſia*, editus anno M. D. LXVI. de Pœnitentiâ, ubi præſcribitur forma abſolutionis in articulo mortis: *Sacerdos autem, confeſſione pœnitentis auditâ, abſolvat ipſum ſic dicens: Per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti parcat tibi omnipotens & miſericors Dominus: Miſereatur tui*, &c. *Indulgentiam & abſolutionem.* &c. *Dominus Deus omnipotens te abſolvat, & ego auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Domini Papa N. & ſancta Romana Eccleſia tibi conceſſâ, mihique hac in parte commiſſâ, ego te abſolvo ab omni ſententiâ excommunicationis majoris, vel minoris, ſi quam incurriſti, & reſtituo te unitati fidelium, & ſanctis Sacramentis Eccleſia: item eâdem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis, de quibus es contritus*, &c. Hæc autem diſciplina videtur à majoribus originem ducere, ut colligitur ex conſtitutionibus Bononienſis Eccleſiæ Synodalibus, quæ anno M. D. XXXV. editæ ſunt. In iis enim ſic decernitur, Rubricâ V. de Pœnitentiâ: *Sanè in abſolutione pœnitentis hac forma ſervetur, ut videlicet Sacerdos impoſitâ pœnitentiâ confitenti, & factâ per eum confeſſione generali dicendo, Confiteor, dicat ſic, Injungo tibi talem pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem pro peccatis, qua modò cum contritione confeſſus es*, &c. At quis crederet Bononienſem Epiſcopum id in eo rituum libro poſuiſſe aut toleraſſe, quod Concilii de Sacramento Pœnitentiæ documentis repugnaſſet?

Ritualis liber Catalaunenſis Eccleſiæ, qui auctoritate Hieronymi anniſtitis editus eſt anno M. D. LXIX. „Dicat pœnitens, Confiteor Deo, *&c.* Presbyter, ſoror, vel frater, Miſe-
„reatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccaris tuis perducat te Jeſus Chriſtus
„Filius Dei vivi ad vitam æternam. Abſolutio pœnitentium. Indulgentiam, abſolutionem
„& remiſſionem omnium peccatorum tuorum, ſpatium veræ pœnitentiæ, & emendatio-
„nem vitæ, gratiam & conſolationem ſancti Spiritus paracleti, & perſeverantiam in cun-
„ctis bonis operibus largiatur tibi Pater pius & miſericors Dominus, Amen. Dominus
„noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus abſolutor omnium criminum, per ſuam ſanctam mi-
„ſericordiam te abſolvat, & ego auctoritate mihi conceſſâ, ab omnibus peccatis tuis, mi-
„hi dictis, ore confeſſis, corde contritis, & negligenter oblitis, & à participatione cum
„excommunicatis, ſi indigeas, te abſolvo, & reſtituo te ad ſacroſancta Sacramenta noſtræ
„ſanctæ matris Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. At Hie-

ronymus Catalaunenſis Epiſcopus, qui Concilio Tridentino interfuit, nunquam opinor paſſus eſſet, ut in ſuo Rituali libro poneretur aliquid, quod doctrinæ Concilii noviſſet eſſe contrarium.

Ritualis liber Aurelianenſis Eccleſiæ, qui anno M. D. LXXXI. prodiit, in Instructione pœnitentium: *Dicat pænitens, Confiteor Deo. Presbyter, frater, vel ſoror, Miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. ut ſuprà. *Oratio. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus abſolutor criminum omnium, per ſuam ſanctam miſericordiam te abſolvat, & ego auctoritate mihi commiſſâ abſolvo te ab omnibus peccatis tuis mihi dictis, ore confeſſis, corde contritis*, &c. ut ſuprà.

Ritualis liber Carnotenſis Eccleſiæ, qui anno M. DC. XIV. editus eſt, in Inſtructione generali de Pœnitentiâ: *Dicat pænitens Confiteor: Presbyter, frater, vel ſoror, miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. ut ſuprà. *Abſolutio. Indulgentiam*, &c. ut ſuprà. *Oremus. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus abſolutor omnium criminum, per ſuam ſanctam miſericordiam te abſolvat, & ego auctoritate mihi commiſſâ abſolvo te ab omnibus peccatis tuis mihi dictis, corde contritis*, &c. ut ſuprà.

Quòd autem in his & ſimilibus abſolutionis formulis nomen *contriti* ſumatur pro contrito eâ contritione, quæ perfecta ſit, non verò, quæ à perfectâ & imperfectâ velut genus à ſuis ſpeciebus abſtrahat, ex illiſmet ipſis, qui pro attritione ſcribunt, certum facimus. Alii enim, ut Vega, ingenuè fatentur, nomen contritionis cùm uſurpatur ſimpliciter, pro contritione quæ caritate formetur, uſurpari. Hujus auctoris verba retulimus cap. II. prioris partis. Alii verò hoc idem concedunt, quod Vega, cùm à formâ abſolutionis removendum eſſe nomen *contriti* docent, & hiſce docent rationibus, quas ipſi ſic depromunt.

Ritualis liber Ugellitanæ Eccleſiæ, qui Lugduni editus eſt anno M. D. XLVIII. *In præfatâ formâ dici non debet, verè contritis. Nam in abſolutione Sacramentali delentur etiam peccata attrita per gratiam virtute abſolutionis Sacramentalis poſtea collatam.*

Martinus Navarrus cap. XXVI. Enchiridii, quomodo Confeſſarius ſe geret erga confeſſum, de formâ abſolutionis: *Alia multa verba multi adjungunt, quæ non ſolùm ſunt ſuperflua, ſed etiam periculoſa; tum quia abſolutio non ſolùm comprehendit peccata contrita, ſed etiam quæ apparent contrita ad effectum, ne ea iterum pænitens confiteri teneatur. Quinetiam attrita certa ſpeciei comprehendit, quoad effectum remittendi.* Hìc Navarrus perſuaſum habet, nomen *contriti* etiam id, quod contritum duntaxat apparet, in aliorum ſententiâ non comprehendi; tantùm abeſt, ut illud nomen *contriti* ab imperfectâ & perfectâ contritione præſcindere crediderit.

Franciſcus Cardinalis Toletus libro III. Inſtructionis Sacerdotum cap. XII. *Ridendi ſunt illi, qui dicunt: Ego abſolvo te ab omnibus peccatis confeſſis, contritis & oblitis. Superflua duo verba addita, primum & tertium: ſecundum autem malè ponitur. Nam abſolutio eſt peccatorum non ſolùm contritorum, ſed etiam attritorum.* Sic Toletus *contriti* nomen accipit, quomodo accipiebant Eccleſiæ, quæ relatâ abſolutionis formâ utebantur.

Henricus Henriques lib. IV. Summæ de Pœnitentiâ, cap. XI. num. IV. *Nec addendum*, inquit, *in formâ abſolutionis, à peccatis de quibus confeſſus es, contritus & oblitus. Nam etiam oblita, & cum attritione remittuntur.* Hic & alii Theologi maluerunt *contriti* nomen à formâ abſolutionis removere, quàm quod falſum eſt dicere, nimirum contritionem cùm ſimpliciter dicitur, neque perfectum neque imperfectum dolorem ſonare, ſed neutrum poſitivè, utrumque verò permiſſivè: verba ſunt, quibus Dialectici generis ſui conceptum exprimunt. Maluerunt, inquam, *contriti* nomen removere, quàm illud ſophiſticâ quâdam, & ab Eccleſiaſticis traditionibus alienâ ſubtilitate convolvere, & vocabulum vitâ ſuâ, quæ tota eſt in uſu poſita, privare. Quamobrem ſinendum eſt, eos recentiores intus ſibi canere qui in hujus nominis explicatione non modò ab adverſariis, ſed etiam ab amicis ſuis diſſentiunt.

Nunc autem ſcriptores iidem excuſandi ſunt, quòd plurium Eccleſiarum, & cum primis Romanæ conſuetudinem paullo ſeveriùs appellarint. Credendum enim eſt, fore ut ſi tot Eccleſiarum & præſertim Romanæ morem cognoviſſent, eum confirmaſſent potiùs, quàm momentis neſcio quibus improbaſſent. Verumtamen, ut abſolutionis formam ita corrigendam cenſerent, in materiâ, quæ nondum eſt definita per Eccleſiam, opinantium jura utrumque permittunt.

CAPUT

CAPUT VI.

Sextus probandi modus ex iis, quæ de neceſſitate contritionis in diplomatibus Indulgentiarum apponuntur.

SUPERIORI cap. vidimus, eum fuiſſe ab incepti Concilii Tridentini tempore Romanæ & quarundam aliarum Eccleſiarum morem, ut dum à peccatis abſolverentur pœnitentes, non ultrà quàm à peccatis contritis abſolverentur. Hujus moris cùm aliæ ſunt cauſæ, tum hæc potiſſimùm, quæ in literis Indulgentiarum habetur. Iſtud autem aliquot exemplis, quæ ad memoratam ſpectant epocham, probatum imus.

Paulus III. in Bullâ, quâ Generalis Societatis Jeſu munus explicat, ſic ſtatuit: *Nos animarum profectui providere volentes, de omnipotentis Dei miſericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ubilibet commorantibus, verè pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis à jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam concedimus.* Hæc ille Pontifex anno Chriſti M. D. XLIX. ubi *verè pœnitentibus* idem eſt, ac *verè contritis.* Unde Nicolaus Abbas Panormitanus in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, ait, quòd *indulgentia conceſſa verè pœnitentibus & confeſſis prodeſt illis, qui fuerunt confeſſi ſemel in anno, & habent propoſitum confitendi, & contritionem de peccato præterito. Nam iſti dicuntur verè pœnitentes, ex quo habent contritionem, & verè confeſſi, ex quo fuerunt confeſſi, & habent propoſitum confitendi.*

Sixtus V. in Bullâ, qua Jubilæum indixit pro anno M. D. LXXXV. ſic ſtatuit: *Omnes igitur & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles ubicumque exiſtentes monemus, ut conſcientiâ ſuâ diligenti priùs examinatione diſcuſſâ, peccata ſua humili & contrito corde confiteantur.*

Venuſina Synodus, quæ anno M. D. XCI. celebrata eſt, hanc abſolvendi formam præſcribit: *Tempore autem Jubilai plenarii poſt præfatam abſolutionem dicatur: Ego auctoritate Sedis Apoſtolicæ mihi pro nunc commiſſâ concedo plenariam remiſſionem omnium peccatorum tuorum, de quibus corde es contritus & confeſſus*, &c. Hæc autem Synodus Romæ typis mandata eſt, & Gregorio XIII. Papæ dicata.

Clemens VIII. in Bullâ, quâ Jubilæum indixit pro anno M. DC. ſic ſtatuit: *Quo ipſo Jubilai anno durante, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam concedimus.*

Urbanus VIII. in Bullâ, quâ Jubilæum indixit pro anno M. DC. XXV. ſic demum ſtatuit: *Docete ſacrum Indulgentiarum theſaurum lucrandi ſpem omnem inanem eſſe, niſi quis contrito & humili corde ſe ipſum præparaverit.* Hæc pauca de multis Indulgentiarum diplomatibus, quæ ab initio Tridentini Concilii data ſunt, & in quibus idem loquendi modus ſervatur. Id præ ceteris teſtantur celebres Theologi duo, Jacobus Naclantus Clugienſis Epiſcopus, & Renatus Benedictus, quorum primus Concilio interfuit, alter verò intereſſe potuit ſub finem. Naclantus ergo hæc ſcribit tractatione X. de Indulgentiis: *Indulgentia non datur niſi contritis, & re, vel voto confeſſis, ut paſſim in diplomatibus.* Naclantum Benedictus ſequitur in tractatu de Indulgentiis cap. VI. *Cùm omnis Indulgentia ſit gratuita, gratia autem non recipiatur, niſi in homine diſpoſito; conſequens eſt, iis tantùm prodeſſe Indulgentias, quos verè pœnitet. Hinc eſt, quòd in omnibus Indulgentiarum Bullis, indultis & quibuſlibet literis ſemper additur, contritos, confeſſos, verè pœnitentes eos eſſe oportere, qui Indulgentiarum effectum conſequi velint.* In-primis vere pœnitens, verè contritus homo talis dicitur à vera contritione, quæ ſimpliciter & ſine adjuncto prolata dolorem caritate & gratiâ formatum importat. Deinde id teſtatur Vega, id teſtantur Doctores, qui prohibent, ne inter abſolvendum, *à peccatis contritis*, dicatur: Tum id quoque Paulus III. non obſcurè ſignificat, cùm ad obtinendam Indulgentiam requirat tantùm, ut *temporibus à jure ſtatutis* fiat confeſſio. Nempe contritus, ſeu quemadmodum ille Papa loquitur, verè pœnitens cum voto confitendi Indulgentiam lucratur. Lucrari autem non poteſt, niſi ſit in caritate & gratiâ Dei conſtitutus.

Rem totam beatus Thomas ſic explicat quodlibeto II. art. ultimo: „Ad hoc quòd Indulgentia alicui valeat, tria requiruntur, primò cauſa pertinens ad gloriam Dei, vel ad „neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ. Secundò auctoritas in eo, qui facit. Tertiò requiritur, ut ſit in ſtatu caritatis ille, qui indulgentiam percipere vult. Et hæc tria deſignantur in literâ Papali. *Et poſt pauca:* Caritas autem recipientis deſignatur in hoc, quòd „dicitur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis. Non dicitur, & ſatisfacientibus, quia „Indulgentia non excuſat à contritione & confeſſione, ſed ſuccedit in locum ſatisfactionis.

Sermo-

Sermonem inſtituit de contritione, quâ quis verè pœnitens appellatur. Hæc autem contritio
ea eſt, quæ, ut quæſt IX. art. V. ad ſecundum dicit, *hominem per caritatem Deo unit*, &
quæſt. X. art. V. in corpore, *culpam delet*.

Rem adhuc totam clariùs exponit Ægidius Carlerius in Reſponſione ad certas quæſtiones
„factas per Abbatem Aquicintenſem. „Eſt, *inquit*, ſervanda forma indulti in ſuis termi-
„nis. Et per hoc etiam reſpondeo ad formam abſolutionis, quòd debent ſervare formu-
„lam ſibi datam in gratiâ Apoſtolicâ: puta quòd obtinentes hujuſmodi indulgentiam ple-
„nam conſequantur remiſſionem omnium ſuorum peccatorum. Eſt verum, quòd ſolus
„Deus remittit culpam, & ſolus commutat pœnam æternam in temporalem, quia ſolus
„infundit gratiam. Sacerdos legalis dicebatur culpam remittere, quia oſtendit eam eſſe
„remiſſam. Et Sacerdos Evangelicus oſtendit eam eſſe remiſſam. ſed cum hoc partem pœ-
„næ temporalis debitæ in Purgatorio remittit vi clavium, & ſic ſolvit: obligat ad pœ-
„nam temporalem in hoc ſæculo, & ſic ligat. Et ſic nullus Sacerdos Evangelicus remiſſio-
„nem culpæ facit. Sed quia remiſſâ culpâ adhuc manet reatus ad pœnam temporalem, re-
„mittere dicitur peccatum quoad partem pœnæ: plena igitur remiſſio peccatorum, quam
„facit, id eſt, miniſter ejus, eſt remiſſio totius pœnæ, quam poteſt præſtare iis, qui ha-
„bet in terris plenitudinem poteſtatis, ut eſt Summus Pontifex, ſi tamen ſubſit cauſa ra-
„tionabilis, ſeu pia utilitas, & in ſuſcipiente contritio, confeſſio & devotio. Hanc autem
de contritionis neceſſitate ejuſque effectu opinionem Catholicis ita fuiſſe perſuaſam, ut
hic doctor proponit, non multò poſt illius ætatem, conqueritur Lutherus, dum apud
Chriſtophorum Marcellum Corcyrenſem Epiſcopum lib. I. de auctoritate Papæ cap. VII.
ſect. II. ſic loquitur: *Indulgentiam plenariam dari non poſſe fingunt, niſi perfectè contritis,
quorum nullus eſt in hac vitâ.*

Thomas igitur & [aa] Carlerius quamvis ante Concilium vixerint, rem tamen expli-
cant, quæ ut ante, ita & poſt illud eſt eadem, & verbis iiſdem declaratur. At ſi Conci-
lium, attritionem Sacramenti partem judicaſſet idoneam, Pontifices vel mutaſſent uſitatam
ante illud loquendi conſuetudinem, vel temperaſſent, ita vel ſimiliter ſcribendo: *Fideles
contrito vel attrito corde confiteantur*, aut *verè pœnitentibus*, *contritis vel attritis & con-
feſſis Indulgentiam & remiſſionem peccatorum ſuorum concedimus.* Hoc autem Pontifices cùm
minimè fecerint, argumentum eſt decretorium, eos prætermiſſâ novâ quorundam Scholaſti-
corum opinione, antiquam retinuiſſe.

Opinionem dico novam, quam Suares verè dixit nec valde antiquam, nec communem.
Sic nova vocari debet opinio, quæ à tempore Lateranenſis Concilii IV. in ſcholas Theo-
logorum induci cœpit, cùm ſcilicet poteſtas ligandi & ſolvendi, remittendi ac retinendi
peccata à quibuſdam aliter, quàm antea, tractata eſt: cùm aſſeruerunt nonnulli clavium
virtutem immediatè, proximè ac directè operari culpæ remiſſionem, & attritionem proin-
de legitimam eſſe poſſe Sacramenti partem, vel ad illud præparationem. Sed aliud eſt
clavium virtutem, & primam Sacramenti partem, vel idoneam ad Sacramenrum præpara-
tionem, ut omnium ſententias complectar, cum Dialecticis; aliud cum Eccleſiaſticâ tra-
ditione interpretari, quemadmodum Tridentina Synodus jubet Seſſ. IV. *Præterea ad coërcen-
da ingenia petulantia decernit, ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum ad
ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram Scripturam, contra unanimem conſen-
ſum Patrum interpretari audeat.*

CAPUT VII.

*Septimus probandi modus ex iis, qui hac locutione utuntur, hominem pœnitentem
ex attrito fieri contritum virtute Sacramenti.*

QUIDAM ſunt Theologi, qui neceſſitatem contritionis in Sacramento videntur aliter
explicare, dum ſcilicet pœnitentem ex attrito contritum fieri virtute Sacramenti do-
cuerunt. Inter eos occurrunt mihi tres, qui Concilio interfuerunt.

Primus eſt S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, 'Acto-
rum part. IV. de Inſtruct. Pœnit. „Antequam (*Sacerdos*) pœnitentiam imponat, & abſo-
„lutionem tribuat pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum ſuorum con-
„tritionem habeat, an-que certum & deliberatum ei ſit impoſterum, quantum in ſe eſt,
„divinâ gratiâ adjuvante à peccatis abſtinere, & quæ antea commiſerit, pro iis ſatisfactio-
„nem perſolvere. Quòd ſi ita animo affectum viderit, monebit, valdeque hortabitur, ut
„pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cæleſtis gratiæ præſidium pete-
„re

[aa] *Carlerius.*] Obiit anno 1472. Vide Tertiam partem Collegii Navarrici Hiſtoriæ, Lib. 2. cap. 4. Ibi multa de Carlerio & ejus operibus.

„re nunquam deſinat, quod adjutus pravis cupiditatibus reſiſtere poſſit. Si verò talem con-
„tritionem illum non habere intellexerit, illius deſiderio accendere conabitur, hoc admonens
„propter Deum ipſum uſque adeo quantum poteſt, eum peccata dolere oportere, ut ſal-
„tem adjutrice divinâ gratiâ, quam à Deo intimè precetur, ex Sacramentalique virtute ex
„attrito contritus fiat. At ſi Concilium probaſſet doctrinam illorum, qui attritionem in Sacramento ad juſtificationem proximè ſufficere contendunt, nihil eſſet admodum, cur Carolus pro excitandâ in pœnitente verâ contritione adeo vehementer laboraret. Præterea ſunt duo, propter quæ ſatis apertè conſtat, eum loqui de attrito, qui ante abſolutionem contritus evadat; unum, verba ipſa, quibus admonitionem ſuam deſcribit; alterum, quòd qui pro attritione cognitâ pugnant, hac Caroli auctoritate non utantur.

Alter, Gabriel Palæotus Cardinalis in conſtitutionibus Bononienſibus, quas anno M. D. XCIV. edidit, ubi parte III. Sermonis de Sacramento Pœnitentiæ aſſerit, veram contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſariam eſſe. *Rurſus etiam* inquit, *quamvis dolor non potiſſimùm ex timore Dei, ſed potiùs ob ſuppliciorum metum excitaretur, ita veram rationem contritionis non attingat, quo potiùs attritio dicenda eſſet, non tamen ideo peccator à ſpe ſalutis & conſequendæ veniæ excidat, ut Tridentino Concilio declaratum eſt*, (Seſſ. XIV. cap. IV.) *quoniam iſte dolor ad verum Dei timorem & gratiam in Sacramento diſponit, unde virtute Sacramenti ex attrito contritus dicitur.* Hoc eſt in ipſâ Sacramenti ſuſceptione pœnitens excitatus attritionem in contritionem mutat.

Tertius, Alfonſus Salmeron tom. XI. tract. XVIII. *Pulchrè*, inquit, *Dominus in die Paſcha poſt reſurrectionem hoc Sacramentum inſtituit, non ſolùm ut intelligamus illos rectè Paſcha celebrare, qui à peccatis mundantur, verumetiam ut intelligant peccatores, qui volunt per Sacerdotes abſolvi, oportere eſſe priùs à morte excitatos peccati per virtutem contritionis extincti, aut ſaltem ita eſſe per pœnitentiam talem, etſi minùs perfectam (quam Theologi attritionem vocant) diſpoſitos ac præparatos, ut ſalubriter & cum fructu abſolutionem valeant percipere.* Deinde tract. XXII. *Hic dolor* (qui tantùm ex conſideratione pœnarum, atque ex amore ſolùm proprio proficiſcitur) *etſi per ſe ſit imperfectus, in Sacramento tamen conjunctus remiſſionem efficit peccatorum. At eſt alius dolor ex gratiâ Dei & caritate profectus, qui contritio dicitur, atque hic peccatum valet per ſe, ante Sacramentum tollere; ſecùs prior, qui dicitur attritio. Quare rectè dictum eſt à ſacris Theologis, attritum virtute Sacramenti poſſe fieri contritum, quemadmodum puer in virum poteſt evadere, aut frigidus poteſt eſſe calidus. Sed attritio nunquam poteſt fieri contritio, ſicut nec pueritia virilis ætas, aut frigus calor effici poteſt. Repugnat ſiquidem dolorem ſimul eſſe imperfectum atque perfectum, quamvis minimè repugnet, eum, qui imperfectè deteſtatur peccata, accedente novâ Dei gratiâ, & liberi arbitrii conatu perfectum de illis odium & deteſtationem concipere.* His in verbis notanda ſunt duo; unum, oportere, ut qui volunt per Sacerdotes abſolvi, veræ contritionis actum priùs exerat, quo à morte peccati revocentur ad vitam gratiæ. *Oportere* autem neceſſitatem importat. Alterum, opus eſſe ſaltem, ut dum reipſa ſeſe clavibus Eccleſiæ ſubjiciunt, & Sacramentum accipiunt, ita ſint per pœnitentiam diſpoſiti, ut ex attritis contriti fiant, ut qui imperfectè deteſtabantur peccata ſua, accedente novâ Dei gratiâ, & liberi arbitrii conatu perfectum de illis odium & deteſtationem concipiant: ſcilicet ut deſinente attritione, vera ſuccedat contritio. Quâ ratione antequam pronuncietur abſolutio, remiſſa jam erit culpa; ſic intelligendus eſt Salmeron, ut & ſibi conſtet, & rationi, qua vititur, ſenſus.

Joannes Viguerius ex Ordine Prædicatorum Theologus, de Sacramento Pœnitentiæ verſu X. de Contritione: *Contritio*, inquit, *ut eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ ſic definitur: Eſt dolor de peccatis propriis voluntariè aſſumptus propter Deum ſummè dilectum, cum propoſito à talibus & aliis omnibus cavendi, & ſe ſubjiciendi clavibus Eccleſiæ, & ſatisfaciendi, ac Dei mandata implendi cum ſpe veniæ conſequendæ.* Et poſt alia: *Ex attrito aliquis non fit contritus, niſi ad hunc ſenſum, quòd poſt attritionem venit contritio. Sicut dicimus, ex mane fit meridies, & ex injuſto fit juſtus conſecutivè. Sic poſteaquam aliquis eſt attritus; fit contritus attritione deſinente propter aliud principium ſive objectum ſuperveniens, quod eſt timor Dei filialis, vel Deus ſummè dilectus, & hæc fuit opinio divi Thomæ in quartum.*

Hic autem Viguerii liber ſic à Facultate Theologiæ Pariſienſis probatus eſt: *Anno Domini* M. D. XLIX. *die ultima menſis Julii fuit ſacra Theologiæ Facultas congregata apud collegium Sorbonæ ad audiendam relationem magiſtrorum noſtrorum, qui viſitaverunt & examinaverunt tredecim codices ex libro fratris Joannis Viguerii compoſito, & intitulato: Inſtitutiones ad naturalem & Chriſtianam Philoſophiam, maximè verò ad Scholaſticam Theologiam, ſacrarum literarum, univerſaliumque Conciliorum auctoritate, & doctorum Eccle-*

ſiaſticorum, & præſertim divi Thomæ Aquinatis eruditione confirmata, Eccleſiaſtis, omnibuſque animarum curam gerentibus admodum neceſſaria, &c. *Sacra Theologia Facultas non impedit, quin prædictus liber imprimatur.* Hic unum præcipuè notandum eſt, quod dicit, ex attrito ſcilicet pœnitentem non fieri contritum, niſi cùm deſinat attritio, eique ſuccedat contritio, quæ caritate formatur.

Ludovicus Granatenſis ex Ordine Prædicatorum Theologus eximiæ pietatis & eruditionis, concione I. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli dicit quidem, *Sacerdotes clavium virtute ex attritis contritos facere*, ſed quo id ſenſu dicat, facilè colligitur ex libro III. Catechiſmi minoris cap. VIII. de Sacramento Pœnitentiæ, num. I. „Primum quod atti„net, dico eſſe Sacramentum, quo pœnitens ab omnibus peccatis ſuis per Sacerdotem, „qui publicus Chriſti & Eccleſiæ miniſter eſt, abſolvitur, & in gratiam atque amicitiam „Dei recipitur. Dicitur Sacramentum Pœnitentiæ, quòd vis ejus & efficacia locum non „habeat, niſi in peccatore contrito; quod adeo manifeſtum eſt, ut ulteriori explanatione „non ſit opus. *Et poſt alia, num.* III.

„Videamus jam conditiones & requiſita ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum & ab„ſolutionis effectum, peccatorumque noſtrorum remiſſionem neceſſaria. Dico requiri ve„ram de peccatis noſtris contritionem, ut propterea vocetur Sacramentum Pœnitentiæ, „id eſt, contritionis. Tunc verò peccatnr verè conteritur & pœnitet, quando à peccatis „ſuis conteritur, eademque poſt ſe removendo ad Deum revertitur, concepto dolore de „admiſſis peccatis cum firmo & ſtabili propoſito vitam imposterum emendandi: pro quo „ſciendum eſt, pœnitentiam ex ſanctorum Patrum doctrinâ tres habere partes, nimirum „contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem. Contritio eſt ingens animi dolor & triſtitia „de peccatis præteriris, & quòd iis Deus offenſus fuerit, cum propoſito nunquam poſthac „peccandi. *Et poſt alia cap.* IX. *de Contritione prima Pœnitentiæ parte, num.* I.

„Hic verò dolor & amaritudo non fieri debet, quòd homo peccatis ſuis infernum pro„meritus fuerit, æternam felicitatem amiſerit, & reliquorum bonorum, quæ per pecca„tum pereunt, jacturam fecerit, ſed quòd per illa Deum amiſerit, eumque offenderit, & „ſicut Deus dignus eſt ſuper omnia amari & æſtimari; tum ob ſemetipſum, tum ex eo „quòd qualem ſe nobis exhibet, ita æquum eſt ut ob eum amiſſum aut offenſum ſuper „omnia moveamur & doleamus. Quo enim offenſa eſt major, eo major requiritur pœni„tentia, & quo gravior jactura, eo intenſior requiritur dolor. Quòd ſi me rogaveris, „quomodo ego tantum in me dolorem excitare potero, ego tibi reſponderem, à Deo tibi „hoc tuo intimo cordis tui affectu petendum, & efflagitandum eſt. Ipſius enim hoc opus „eſt, ipſius gratia. *Et poſt alia, num.* II.

„Alterum quod ad veram contritionem requiritur, eſt firmum & ſtabile propoſitum Deum „poſthac ampliùs non offendendi peccato aliquo gravi & enormi. Et hoc ut dolor & con„tritio non tam ob cælum amiſſum, & infernum promeritum, neque ob aliud aliquod com„modum proprium aut alienum, ſed ſolo & uno amore Dei fiat. Cùm igitur hic auctor veram in pœnitente contritionem exigat, quando ait clavium virtute ex attrito fieri contritum, id intelligit per attritionem, quæ in contritionem mutetur.

Joannes Molanus Lovanienſis Theologus, tract. I. cap. VII. Theologiæ practicæ; *Saniores*, inquit, *Scholaſtici cùm aſſerunt virtutem Sacramenti Confeſſionis, ex attrito hominem contritum facere, loquuntur de eâ attritione, quæ adjunctum habet affectum, quo pœnitens incipiat diligere Deum tanquam juſtitiæ fontem.* Hæc ille, qui pleroſque Concilii Patres [b] videre potuit. Tacitus improbat Scotum & qui ei conſentiunt.

Verùm hæc locutio, quæ poſt Lateranenſe Concilium IV. invaluit, & quâ prædicti Doctores uſi ſunt ab incepto Trident. Concilio, de ſuâ origine cenſenda eſt. Vincentius Bellovac. ex Ordine Prædicatorum Theologus, primus eſt, vel certè è primis unus, quem hac locutione uſum reperio lib. VIII. Speculi Hiſt. cap. XXVII. *Virtute confeſſionis & abſolutionis vel datur, vel augmentatur dolor & deteſtatio peccati, & datur gratia, quâ de attritione fiat contritio.* Ex hac autem locutione nata eſt hæc altera, *ex attrito fieri contritum.* At confeſſionis & abſolutionis virtutem intelligit ſecundùm propoſitum, non ſecundùm actum, ut perſpicuè colligitur ex cap. XLIII.

Dicimus ergo, inquit, *quòd ſcientia non eſt clavis, ſed annexa clavi tanquam conſiliarius, & poteſt dici, quòd aperire regnum cælorum nihil aliud, eſt quàm excluſum reconciliari Eccleſiæ & introducere; claudere verò eſt excludere ab Eccleſiâ. Et hoc facit Deus auctoritativè, Sacerdos miniſterio, peccator verò vitæ merito, patet. Ergo quid eſt clavis ſcilicet poteſtas, ſive dignitas diſcernendi, aut exequendi diſcretè, quod datur in ordinatione, tam idiotis, quàm ſapientibus. Quod autem Dominus ait Apoſtolis, ſic intelligimus, quodcunque*

[b] *Videre potuit.*] Obiit Granatenſis anno 1585.

cunque ſolveritis, &c. *Id eſt, cujuſcunque abſolutionem conſummaveritis. Conſummatio enim dicitur reſpectu inchoationis, quia Dominus inchoat ſolutionem dimittendo culpam & pœnam æternam, & Sacerdos conſummat dimittendo aliquid de pœna temporali ex vi clavium per impoſitionem manuum. Et hoc patet in reſurrectione Lazari. Dixit enim Dominus, Lazare veni foras. Poſtea dixit diſcipulis, ſolvite eum & ſinite abire. Igitur quando injungit Sacerdos alicui pœnitentiam minorem condignâ, ſi decedat illâ completâ, reſiduum ſine dubio ſolvet in Purgatorio, quia Sacerdos non penitus conſummavit abſolutionem, ſed in parte. Unde ſecundùm illam partem abſolutus eſt in cœlo.*

Rurſus cap. LII. *Purè, verè & propriè ſolus Deus dimittit peccata, & debitum pœna æternæ. Dicuntur autem Sacerdotes ligare & ſolvere tribus modis. Ligant enim & ſolvunt primò, id eſt, oſtendunt aliquid ligatum & ſolutum. Unde Dominus Leproſos per ſe priùs reſtituit ſanitati, deinde ad Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderentur mundati. Item Lazarum primò ſuſcitavit, deinde mandavit diſcipulis ſolvere ſuſcitatum; nam etſi aliquis apud Deum ſit ſolutus, non tamen in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per judicium Sacerdotis. Secundus modus ligandi eſt, cùm ſatisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt; vel ſolvendi cùm de eâ aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad communionem admittunt. Tertius modus eſt, qui fit per excommunicationem, & juxta omnes modos eſt auctoritas exponenda, Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. *Non tamen ſimpliciter, quia interdum Sacerdos immeritos damnat & juſtos, ac ligatos abſolvit. Unde diſtingue quantum ad hoc triplex judicium, primum Dei, ſecundum Petri in Eccleſiâ militante, tertium ſurſum in curiâ cœleſti. Primum eſt, quo Deus mundat animam in contritione, & hoc præcedit reliqua duo, tempore, dignitate, & effectu. Eſt enim Deus, qui claudit, & nemo aperit*, &c. *Secundum eſt, judicium Sacerdotis, qui auctoritate clavium ligat vel ſolvit in terris. Id eſt, oſtendit ligatum vel ſolutum à Deo: & poſt hoc ſequitur tertium, quod eſt approbationis ſcilicet Curiæ Cœleſtis & Angelorum. Secundùm hunc ergo ordinem expone quodcunque ligaveris ſuper terram judicio Petri juſto, vel clave non errante, erit ligatum & in cœlis, ſcilicet per approbationem Curiæ Cœleſtis.* Hæc autem conſtare poſſunt, ſi confeſſionis & abſolutionis virtus intelligatur ut *in voto exiſtens*, conſtare facilè non poſſunt, ſi intelligatur ut *in actu ſe exercens*. Verba ſunt, quibus ſanctus Doctor virtutem clavium explicat quæſt. XVIII. art. I. Nihil autem eſt admodum, cur in ἀνακολουθίας vitium, aut in contradictionis laqueos Vincentius compingatur. Sic igitur hæc locutio, ex quâ philoſophamur, ad ſuam originem reducta contritionis neceſſitatem oſtendit: deinde manifeſtè apparet, Theologos illos quatuor, quorum teſtimonia recenſuimus, huic ſe origini ſuo modo addixiſſe, quod mutua contentio ſine difficultate ullâ docebit.

C A P U T VIII.

Octavus probandi modus ex ratione diſciplinæ, quæ in confeſſione & abſolutione reſervatorum criminum poſt Tridentinam Synodum obſervata eſt.

OCTAVUS hic probandi modus ex duobus conſtat: unum eſt ipſa diſciplina, quæ in confeſſione & abſolutione reſervatorum criminum poſt Tridentinam Synodum retenta eſt. Alterum ipſa diſciplinæ ratio, quæ à Theologis redditur, hanc ut diſciplinam eſſe legitimam demonſtrent.

Ad primum quod attinet, ordior ab Romanâ Eccleſiâ ceterarum magiſtrâ, cujus diſciplinam Franciſcus Samarinus Lateranenſis Beneficiarius tradit in Sacerdotali, quod [c] anno M. D. LXXIX. edidit juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, & ſanctiones Concilii Tridentini cum approbatione Gregorii XIII. *Sacerdos autem*, inquit, *hoc caſu, quòd ſubditus ſibi confiteatur totaliter, inveniens inter alios Epiſcopi caſum, audacter abſolvat ab illis, & injungat pœnitentiam pro illis, quæ ſunt de auctoritate ſuâ. Caſum verò reſervatum remittat ad Epiſcopum.* Hæc ille in primâ parte de cautelis ſervandis ex parte Confeſſoris.

Joannes Maldonatus tom. II. de Pœnit. cap. IV. de integritate ex parte Miniſtri: *Ea ſententia communis eſt & uſitata, ut qui habet peccatum aliquod reſervatum, aliquando illud ſolum confiteatur ſuperiori, & ab illo ſolo ab eo abſolvatur. deinde cetera confiteatur inferiori; aliquando verò ut priùs inferiori confiteatur ſola peccata non reſervata, deinde ſuperiori reſervata, niſi fortaſſis qui confitetur, ſit homo indoctus, qui ignoret, quæ peccata reſervata ſint, tunc omnia dicit ſuperiori.* Hæc ille, qui Concilio fuit ætate ſuppar.

Ritualis liber Pariſienſis Eccleſiæ, qui anno M. DCI. editus eſt, de Sacramento Pœnitentiæ; regula IV. *Debet eſſe integra pœnitentis confeſſio, nec unum peccatum debet pœnitens*

[c] *Anno M. D. LXXIX.*] Vide notam [c] hujuſce Operis.

confiteri, & alterum celare, ſi veram & perfectam abſolutionem conſequi deſideret. Hic cavebit Sacerdos, ne pœnitentem abſolvat ab uno peccato altero retento, niſi fortè de eorum ſit genere peccatorum, quæ ad ſuperiorem jure ipſo devolvuntur, & remittuntur, & tunc mittat ad ſuperiorem. Hæc in illo libro, quæ ex beato Thoma deſumi videntur, & frequentatæ poſt Concilium diſciplinæ vindicantur.

Sic enim ille ſcribit quæſt. IX. art. II. *Ad quartum dicendum, quòd etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad ſuperiorem remittat.*

Bartholomæus Ugolinus tract. de poteſtate Papæ & officio Epiſcopi cap. XL. §. I. *Contrariam opinionem ſequi debemus, ſcilicet Epiſcopum poſſe à reſervatis tantùm abſolvere, etiamſi alia peccata non audierit, vel quia noluit, vel quia non potuit. Primò, quia ita conſuetudine receptum videtur.* Hæc ille Romæ edidit anno M. DC. XVII.

Ceterum quæ retulimus, ſufficiunt ad ſanciendam apud cordatos homines diſciplinam, ex qua nunc ſumimus argumentum. Supereſt modò, ut hujus diſciplinæ & inſtitutionis Eccleſiaſticæ ratio explicetur. Eam non explicabimus nos ipſi ne noſtris utilitatibus ſervire videamur.

Explicabit Henricus Gandavenſis Theologus Pariſienſis, quodlib. I. quæſt. XXIX. *Ad tertium dicendum, quòd aliquibus videtur, quòd ſicut contritio integra debet eſſe de omnibus peccatis, & ſimiliter confeſſio. Ita & Sacramentalis abſolutio, ut non poſſit valere abſolutio facta à Prælato inferiori de eis, quæ pertinent ad ſe, etſi conſequenter Prælatus ſuperior abſolvat de eis, quæ pertinent ad ipſum. Immo debet Prælatus ſuperior ſimul abſolvere ab eis, quæ pertinent ad ſe, de quibus ſibi ſpecialiter confeſſus eſt, & de quibus inferiori Prælato confeſſus eſt, & quæ pertinent ad illum, vel remittere ad inferiorem, ut de omnibus eum ſimul abſolvat. Sed contrarium hujus videmus communiter in univerſali Eccleſia, tam in curia Summi Pontificis, quàm aliorum Pontificum.* Et paullo pòſt: *Conſtat, quòd in his non errat Eccleſia. Simpliciter ergo dicendum, quòd inferior Prælatus poteſt ſimpliciter abſolvere ſubditum de pertinentibus ad ipſum, & remittere eum abſolvendum ad ſuperiorem ſuper eo quod pertinet ad illum. Cùm enim per contritionem & confeſſionem factam prælato inferiori omnia peccata ſint remiſſa, etiam peccator eſt abſolutus à Deo. Abſolutio enim Sacramentalis facienda per Eccleſiam duo facit: unum, quia partem debitæ ſatisfactionis remittit: aliud, quia abſolutum Eccleſiæ militanti, à quâ per peccatum ſeparatus fuerat, reconciliat.* Hæc ille ad annum M. CC. LX. in quibus redditur ratio diſciplinæ, quæ tunc in reſervatorum criminum confeſſione & abſolutione ſervaretur.

Explicabit Petrus Paludanus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus, & Patriarcha Hieroſolymitanus, in quartum Sent. diſt. XVII. quæſt. I. art. I. Concl. II. *Eccleſia obſervat, quòd inferior audiens totam confeſſionem abſolvat eum de caſibus, quibus poteſt: ſuperior autem, ad quem remittit, audit ſolum articulum pertinentem ad ſe, & de illo abſolvit.* Et poſt alia: *Eccleſia Romana ſic utitur: Abſolvit à majoribus mortalibus, remittens pro minoribus abſolvendum. Et ideo ſupponendum, quòd ita poteſt fieri. Quo ſuppoſito pari ratione poteſt fieri è converſo, quòd de mortalibus non minùs poteſt remitti majus ſine minori, quàm è converſo: Propter quod quâ ratione ſuperior poteſt abſolvere de retentis, non abſolvendo de conceſſis, eàdem inferior è converſo de conceſſis tantùm; quia ex quo iſte eſt abſolutus quoad Deum, ut ſupponitur, ex contritione, quam oſtendit, id quod eſt ex parte Eccleſiæ, poteſt dimidiari in foro pœnitentiali: ſicut in foro judiciali poteſt quis abſolvi ab uno judice, ab unâ ſententiâ, & ab alio ab aliâ.* Hæc ille ad annum M. CCC. X.

Explicabit Angelus Clavaſius ex Ordine Minorum Theologus, in Summâ, verbo *Confeſſio*, num. V. *Pœnitens debet omnia confiteri integrè, de quibus eſt memor, & Sacerdos abſolvet de quibus poteſt, & poſtea eum remittet ad ſuperiorem: ut abſolvat eum à reliquis. Ratio, quia per confeſſionem factam inferiori omnia peccata ſunt confitenti remiſſa, & jam peccator eſt abſolutus à Deo. Abſolutio verò ſacramentalis fienda per Eccleſiam duo facit; unum, quòd partem debitæ ſatisfactionis dimittit; aliud, quia abſolutum Eccleſiæ militanti, à quâ fuerat per ſuum peccatum ſeparatus, reconciliat. Omnis enim mortaliter peccans quantùm ad ſe, a communione Sacramentorum & Eccleſiæ ſeparatus eſt, & excommunicatus. Nunc autem neutri horum repugnat ſeparare abſolutionem, & facere eam per partem. Satisfactio enim per partes benè poteſt injungi.* Hæc ille ad annum M. CD. XC.

Explicabit æqualis Clavaſio Paulus Soncinas ex Ordine Prædicatorum Theologus, in IV. diſt. XVIII. concl. II. *Non eſt neceſſarium, quòd confitens ſemper abſolvatur ab omnibus peccatis confeſſis per unum & eundem: immo poteſt per unum abſolvi ab aliquibus, & non ab aliis, ſed remitti ad alium, qui abſolvat à reliquis.* Et poſt alia: *Eccleſia illud rationabiliter obſervat, & præcipuè quia Romana, ideo ponendum eſt, quòd poſſit ita fieri.*

Nam

Nam per contritionem omnia remiſſa ſunt crimina: ideo quod remanet, ſe tenet ex parte Eccleſiæ, & poteſt dimidiari, nec ullum ſequitur inconveniens.

Explicabit aliquot poſt annos Petrus Tartaretus Pariſienſis Theologus, qui licèt quæſtionem de clavibus Eccleſiæ cum ſuo Scoto contenebret; relato tamen Henrici teſtimonio ſubdit in ſuis Reportatis ad quartum ſent. Scoti diſt. XVIII. *Ultrà notandum, quòd communiter iſta tenetur opinio.*

Explicabit denique Joannes Coletus Officialis Trecenſis, qui ad annum M. D. XXX. floruit, in Commentariis ſtatutorum Trecenſis Eccleſiæ, de Confeſſ. loco V. ubi dixit confeſſionem dividi poſſe, ſubjicit: *Quia id quod eſt in confeſſione, quantum ad abſolutionem licèt ex parte Dei non dividatur, ſed totum ſimul remittat Deus in contritione, quod tamen eſt ex parte Eccleſiæ dividitur, quia cùm ipſa Eccleſiâ duo abſolvendo faciat, ſcilicèt aliquando remittit partem ſatisfactionis, & reconciliat Eccleſiæ militanti; primum dividi poteſt, ut ſi dicat Sacerdos, fac hoc per dies octo, deinde regredere, & injungam reliquam; & ſimiliter ſecundum dividi poteſt, ſicut de excommunicato pluribus excommunicationibus, qui abſolvitur primò ab unâ, & poſtea ab aliâ.* Hæc eundem cum aliis ſcopum feriunt.

Hanc porro contritionem, quâ peccatum ita remittitur à Deo, Ritualis liber Pariſienſis Eccleſiæ peccatori priùs indixit, quàm ab reſervatis criminibus abſolvendi regulam præſcriberet. Sic enim habet prima regula: *Qui peccatorum ſuorum veniam poſtulaturus confeſſarium adit, in-primis longo ſatis tempore ſeipſum & conſcientiam examinet, conſideretque ſceleris ſui gravitatem, Dei bonitatem & magnitudinem, quem offendit, à quantâ gloriâ ob peccatum deciderit, unde ex libro vitæ nomen ſuum deletum fuerit, de his contritionem habeat non fictam, ſed veram, quam à Deo per preces impetrare ſtudeat.* Hic ſine dubio veræ contritionis nomen ſumitur in ſenſu Scripturæ, Patrum, & Theologorum veterum, qui hoc veræ contritionis nomine perfectum & caritate formatum dolorem ſemper intellexerunt. Præterea contextus ipſe regulæ ſatis eam contritionem exprimit, quæ culpam abſtergat.

Ceterum, qui noſtræ diſciplinæ rationem reddiderunt, ante Tridentinum quidem Concilium vixêre, ſed cùm reddiderint rationem diſciplinæ, quæ & in Romanâ, & in aliis Eccleſiis poſt iſtud Concilium viguit, idem eſt, ac ſi poſt Concilium vixiſſent. Ex iis verò, qui poſt Concilium vixerunt, neminem attuli, quia non memini me legere, qui hujus diſciplinæ rationem traderet, quamvis invenerim facilè, qui diſciplinam exponeret. Neque enim qui diſciplinam exponit, diſciplinæ rationem continuò ſubjungit.

In hac autem diſciplinæ ratione, quæ communi conſenſu reddita eſt, obſervantur tria, quæ ad noſtrum faciunt inſtitutum. In-primis quâ in re Sacramentalis conſiſtat abſolutio, non certè in remiſſione culpæ, quæ per contritionem remiſſa ſupponitur, ſed partim in reconciliatione pœnitentis cum Eccleſiâ, partim in remiſſione alicujus partis pœnæ, quæ poſt remiſſam culpam luenda ſupereſt. Deinde quòd ſic dividatur Sacramentalis abſolutio, ut Sacerdos unus à peccatis reſervatis, alter à non reſervatis abſolvat. Tum demum quòd dividendæ hujus abſolutionis conſuetudo in Romanâ & in aliis Eccleſiis ſervetur omnibus. Ex quo nullus ſubeſſe poteſt error, aut ſi ſubeſſet, haud facilè deinceps generalis Eccleſiæ privilegium non errandi defenderetur. Quare prudenter omnino Caietanus in Summâ, verbo *Confeſſio*. conditione X. *Sic namque*, inquit, *ſancta Matris Eccleſiæ uſus habet, nec oportet ſapere pluſquam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Cave autem ne erres dicendo abſolutionem illam, quam impendit Epiſcopus hujuſmodi peccatis* (reſervatis) *non eſſe Sacramentalem.*

Hæc autem omnia neceſſitatem contritionis cùm in Sacramento ſupponant, indicium eſt certiſſimum, à Tridentino Concilio liberam eſſe relictam ſcholis de contritione & attritione controverſiam, quò noſtra diſputatio tota contendit. Verumtamen in hac ſentiendi libertate non poteſt, ut conſtat, ambigi, quin opinio, quæ pro contritione dimicat, aliam, quæ pro attritione pugnat, argumentorum bonitate & pondere, &, ſi dicam quod ſentio, Catholici dogmatis notis pæne omnibus antecedat.

AD EA, QUÆ DUABUS

libri partibus diſputata ſunt,

OBSERVATIONES.

HACTENUS executus ſum prudentiam Tridentini Concilii, quod ſectariorum novitatem in Sacramento Pœnitentiæ ſic damnavit, ut cum utriſque Catholicis circa contritionem & attritionem diverſimodè opinantibus verſatum ſit, & neu-

ttis

tris definiendo acceſſerit. Hæc eſt ſcriptionis totius meta, ad quam quicquid pertinere viſum eſt, direximus. Sed quoniam in agendo lineam ita tenui, ut parum evagata ſit oratio: hinc factum eſt, ut varias partes intercurrentium quæſtionum prætermiſerim. Quamobrem ne quid, quod momenti ſit alicujus, deſideretur, revocabo prætermiſſa, & quas difficultates objicient, vel cognitionem majorem poſtularent, nonnullis obſervationibus explicare conabor. Id præterea niſi neceſſarium, certè utile videtur, quia ædificatâ veritate, non omnibus adhuc licet aliquando mendacium oppoſitum videre, aut demoliri.

Observatio I.

Tres Sacramenti Pœnitentiæ partes accipi non debent, ſicut partes phyſicæ. Prima è tribus potior.

CUM locutus ſum de partibus Pœnitentiæ, ad eorum mentem, quorum teſtimonia retuli, locutus ſum. Nam planè conſentio Joanni Maldonato, qui tom. II. de Pœnitentia part. III. de naturâ Pœnitentiæ ſic reſpondet ad quandam de tribus Pœnitentiæ partibus objectionem: *Reſpondeo ſenſum Eccleſiæ non eſſe revocandum ad regulas Philoſophorum, ſed potiùs ad vulgarem & communem loquendi conſuetudinem. Vocat ergo tres partes pœnitentiæ, non quòd intelligat eſſe partes, ſicut materia & forma ſunt partes rei naturalis. Nam ſi ita loqueretur, non tantùm tres partes, ſed etiam quatuor debebat facere, numerans etiam abſolutionem: ſed vocat potiùs partes pœnitentiæ, id eſt, eas qualitates, quas pœnitens adferre debet, ut fructum conſequatur Sacramenti hujus.* Et rectè quidem ſummus ille Theologus: Nam & in Scripturis, & apud antiquos Eccleſiarum magiſtros res numerata, non numerus invenitur. Quicquid id eſt, hæ tres Pœnitentiæ partes, contritio, confeſſio & ſatisfactio, diligenter quidem ac ſtudioſè tractandæ ſunt, ſed prima diligentiùs adhuc & ſtudioſiùs, quia ſecunda & tertia ſine prima nihil unquam proſunt ad ſalutem, prima verò ſine aliis in actu ſpectatis aliquando prodeſt ad ſalutem. Quod ita exponit diœceſana Synodus Atrebatenſis, quæ anno M. D. XC. celebrata eſt: *Docere debent Sacerdotes ſuos parochianos, quòd vera pœnitentia regulariter conſiſtit, & habet tres partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem: & dico regulariter, quia ubi neceſſitas, non contemptus, excluderet confeſſionem & ſatisfactionem, in viâ ſufficeret ſola contritio ad expiationem peccati: unde verum eſt, quòd ſola contritio in tali caſu cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi tollit peccatum, & reddit hominem vivum qui per peccatum fuerat mortuus.*

Observatio II.

Aliquot exemplis oſtenditur, verum eſſe, quod à Clemente VIII. delecti ad beati Raimundi curandam inter Sanctos relationem judices affirmant, Canonici juris antiſtites & Theologiæ Magiſtros Summam Raimundi citaſſe.

IN priori parte propoſui cap. VII. judicium eorum antiſtitum, qui in vitam, mores & ſcripta Raimundi Pennafortii tunc gloriæ & beatitudinis candidati inquiſiverant. Sed inter alia magnæ commendationis loco ponunt, illius doctrinam à magiſtris pluribus æſtimatam fuiſſe tanti, ut eam ſuos in uſus & commentarios cupidè derivaſſent. Exemplum eſſe poteſt quæſtio, quæ noſtri eſt inſtituti. Hîc tamen non mihi ſumo, ut eos omnes referam, fieri enim quî poſſet? ſed illuſtriores nonnullos refero, qui ſplendore nominis ſui numerum & indigentiam meam compenſabunt.

Primus omnium erit Guido Baiſius Bononienſis Archidiaconus, qui ad annum M. CC. XC. claruit, in Decret. de Pœnit. quæſt. III. *Iſta*, inquit, *opinio, quæ habet, quòd contritio dimittit peccatum, eſt celebrior. Veruntamen non intelligas, quòd contritio non dimittat peccatum propriè loquendo, ſed ipſe Deus in contritione.* Quæ ſunt ipſiſſima verba Raimundi, quamvis eum nominatim non laudet.

[a] Bartholomæus Piſanus ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui ad annum M. CCC. XL. vixit, in Summâ, quæ à nonnullis *Piſana*, à Joanne Gerſone & aliis *Bartholina* dicitur, in verbo, *Clavis. Qualiter Sacerdotes per claves dicuntur ſolvere, reſpondeo ſecundùm Raimundum tribus modis, primò ligant & ſolvunt, id eſt, oſtendunt aliquem eſſe ligatum, vel ſolutum à Deo. Unde Dominus Lucæ* XVII. *leproſos per ſe priùs mundavit, deinde ad Sacer-*

[a] *Bartholomæus Piſanus*] Nomen genuinum eſt, *Bartholomæus à Sancto Concordio*, à patriâ, *Piſanus*, nuncupatus.

Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderentur mundati. Et cetera ut apud ſanctum Raimundum. Deinde in verbo *Sacerdos : Utrum quemcunque Sacerdos ligat vel ſolvit, liget vel ſolvat Deus? Reſpondeo ſecundùm Raimundum, illa auctoritas, quodcunque ligaveritis vel ſolveritis ſuper terram, &c. non eſt ſimpliciter intelligenda, ſed tunc de jure tantùm, cùm Sacerdos juſtè ligat vel ſolvit. Nam judicium triplex eſt; primum eſt Dei, quo Deus ſcilicet mundat animam in contritione; ſecundum eſt Sacerdotis, qui auctoritate clavium ligat & ſolvit; tertium curia cæleſtis, ſcilicet approbantis.*

Baptiſta [e] Trovamala ex Ordine Minorum Theologus, qui ad annum M. CD. XXC. floruit, in Summâ, quæ *Roſella* nuncupatur, in verbo, *Sacerdos. Qualiter Sacerdotes dicuntur ligare & ſolvere? Reſpondeo ſecundùm Raimundum tribus modis; primò ligant & ſolvunt, id eſt, oſtendunt aliquem ligatum vel ſolutum eſſe à Deo. Nam etiamſi quis apud Deum ſolutus ſit, tamen in facie Eccleſia non aliàs ſolutus habetur, niſi per judicium Sacerdotis. Secundò ligant, cùm ſatisfactionem pænitentibus imponunt, vel ſolvunt, cùm de ea aliquid dimittunt*, &c.

Baptiſta [f] Salius ex Ordine Minorum Theologus, qui ad annum M. CD. XC. claruit, in Summâ, quæ *Baptiſtiniana* dicitur, in verbo, *Sacerdos. Qualiter Sacerdotes dicuntur ſolvere & ligare? Reſpondeo ſecundùm Raimundum tribus modis.* Et cetera ut apud Trovamalam.

[g] Joannes Tabienſis ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui ad annum M. D. X. claruit, in Summâ, quæ & *Tabiena*, & *Summa Summarum* nominatur, in verbo *Sacerdos. Qualiter Sacerdos dicitur ſolvere & ligare? Reſpondeo ſecundùm Raimundum tribus modis.* Et cetera ut apud Piſanum, deinde, *Utrum quemcunque Sacerdos ligat, vel ſolvit, liget vel ſolvat Deus? Reſpondeo ſecundùm Raimundum, illa auctoritas, quodcunque ligaveritis.* Et cetera ut apud Piſanum.

Hi auctores ut Raimundi doctrinam ita & fortunam ſequuntur, quæ enim doctrina in Raimundo probata eſt tam magnificè, in his quinque ſcriptoribus non poteſt non pari modo probari. Hoc ita conſtituto, quod memorato cap. VII. diſputatum eſt, novam hîc accipit & conſtantiam & firmitatem, ſublatiſque è Concilio præjudiciis antiqua de contritionis neceſſitate & uſu clavium traditio confirmatur.

OBSERVATIO III.

Paulus & Michaël de Palatio de Tridentinâ Synodo locuti juſtum diſputandi modum exceſſerunt, & eos ſecuti recentiores nonnulli, quos inter Henricus Salmanticenſis Theologus, & Gabriel Vaſques eminent.

INTER opinandum Paulus & Michaël de Palatio exceſſerunt; hic enim in quartum Sent. diſt. XVIII. diſp. II. Concilium Tridentinum *impoſuiſſe finem huic controverſia* ſcribit; ille cùm in cap. XVI. Matthæi ait, *Super hac re jam opinari non licere, quippe qua ſit à Concilio Tridentino definita ſub Julio III.* Quis enim unquam in animum induceret, hos duos auctores noviſſe meliùs, quid Concilium definierit, quàm Fredericus Viennenſis Epiſcopus, qui Seſſione XIV. ſententiam dixit, quàm alii Epiſcopi & Doctores, qui Concilio interfuerunt & cum aliis communicarunt? Omitto cetera, quæ hoc toto libro diſſerui. Ea verò cùm vera ſint, falſum eſſe neceſſe eſt id, quod Paulus & Michaël definitum eſſe contendunt. Exceſſerunt & alii recentiores, qui vel ſeſe duobus illis ducibus commiſerunt, vel qui ſuis opinionibus nimiùm ſervierunt

Atque in-primis duo, quorum unus eſt Henricus Doctor Salmanticenſis, cujus ita meminit Alfonſus Vivaldus in Candelabro aureo, tit. VI. *Henricus Doctor Salmantinus in ſuis ſcriptis dicit per Concilium Tridentinum ſeſſ.* XIV. *cap.* IV. *admitti hanc opinionem de attritione* (propter timorem inferni, vel fœditatem peccati conceptâ) *cum Sacramento Pœnitentia ad remiſſionem peccatorum ſufficere, & tanquam veram in Academiis Italia & Hiſpania practicari, ſicque magiſtros Salmantinos eam recepiſſe.* Henricus autem iſte falsò ſibi perſuadet id à Concilio factum eſſe, quod non eſt factum. Deinde ſi verum eſt id, quod de Italiæ Academiis dicit, iis reſtiterunt, & pæne fugientem antiquam de contritione ſententiam omni ſtudio atque induſtria retinuerunt magni nominis Theologi, quos inter Buſtius, Silveſtranus, Palenterius, & Benedictus à Benedictis eminent. Præterea Romani cenſores, qui Cancelabro aureo correctricem appoſuerunt manum, paſſi ſunt eam Henrici ſenten-

[e] *Trovamala*] Apud Scriptores Ordinis minorum, *Trovamalis* dicitur.

[f] *Salius*] In eâdem Bibliothecâ, *Salvis* appellatur.

[g] *Joannes Tabienſis*] Germanorum nomen eſt *Joannes Canatius* dictus *Tabienſis* à *Taggia* Caſtro non ignobili Diœceſis Albingaunenſis, ad Appenninum montem in Liguria ſito.

ſententiam à Vivaldo confutari. Deinde, ſi veritate quoque nititur, quod de Hiſpaniæ Academiis ſcribit, iis pariter reſtiterunt magni nominis Theologi, & cum primis Franciſcus Suares. Ubi ſic prudenter ait: *Qui ſciens & volens* (cum attritione cognita Sacramento juncta) *ſe mori permittit, exponit ſe periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi eſt morale dubium eſt morale periculum, præſertim in re tam gravi. Hîc autem eſt morale dubium, cùm illa opinio* (de memoratâ attritione) *nec valde antiqua ſit, nec multùm communis.* Præterea ante Suarem Dominicus Sotus Concilii Theologus ſapienter admonuerat, *Patres antiquos ſolam contritionem agnoviſſe neceſſariam ad confeſſionem*, & de ſe locutus addiderat: *Revera eum, qui mihi diceret non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem.*

Alter eſt Gabriel Vaſques, qui de hoc argumento (cum veniâ dixerim) non ſatis meditatè ſcripſit. Ad quæſtionem enim XXCIII. art. II. num. XII. cùm de fide eſſe doceat eam opinionem, qua dicitur, Eccleſiæ claves *ad peccatum quoad culpam & pœnam æternam dimittendum directè pertingere*, conſequenter docere debet oppoſitam ſententiam hæreticam eſſe. Hæretica eſt igitur B. Raimundi doctrina, quæ dum ille in Sanctorum album relatus eſt à Clemente VIII. laudatores habuit tam egregios. Hæretica eſt igitur doctrina illa communis, quam Raimundus ſequi ſe ipſe teſtatur. Hæretica eſt igitur doctrina Alexandri Alenſis, quem volunt Innocentii IV. juſſu Theologiæ Summam edidiſſe, editamque ab eo Pontifice, & LXX. viris Eccleſiaſticis comprobatam eſſe. Hæretica eſt igitur doctrina ejuſdem Magiſtri, cujus unius lectionem beatus Thomas aliquando conſuluit interroganti cuidam, quis eſſet optimus addiſcendæ Theologiæ modus. Id Pariſienſis Cancellarius ſcribit in epiſtolâ, qua ſancti Bonaventuræ doctrinam commendat: *Teſtor*, inquit, *me ita legiſſe in tractatu quodam de viſione beatâ contra Joannem XXII.* Hæretica eſt igitur doctrina Gregorii I. Innocentii III. & Innocentii IV. qui quod aſſerit Vaſques, negarunt. Nam de Gregorio & de Clicthoveo, quem *Sanctum* appellat; poſtquam num. V. produxit illorum teſtimonia, ſic ait: *His duobus Sanctorum teſtimoniis non mediocriter probari videtur ſententia quorundam Catholicorum, qui falsò ſibi perſuaſerunt, Sacerdotis poteſtatem non eſſe ad hoc collatam, ut ab ipſâ culpâ, & labe peccati poſſit abſolvere.* Hæretica eſt igitur doctrina illorum omnium, quos cap. ultimo prioris partis attuli, & aliorum, qui adferri poſſent. Hæretica eſt tandem doctrina, cui plures Catholici dogmatis notæ conveniunt; Catholica verò, cui nullæ vel certè pauciores Catholici dogmatis notæ convenirent, ſi res iſta tractaretur.

Quod autem huic auctori videtur, id planè compertum eſt atque indubitatum B. Eligio Noviomenſi Epiſcopo, qui Homiliâ XII. Gregorium ſic intelligit: *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, facie ſqualidâ & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantum homini videre eſt poſſibile, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt, quia licèt impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignabitur; tunc enim, ut beatus dicit Gregorius, vera eſt abſolutio præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur judicis: quòd benè quatriduani mortui Lazari reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia priùs mortuum vocavit Dominus, & vivificavit dicens, Lazare veni foras, & poſtmodum is qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus.* Hæc autem interpretatio Eligii ſi quicquam valeat, Catholici Doctores, quos Vaſques refellit, non tam imprudenter aut falsò credunt ſuam ſententiam Gregorii teſtimonio confirmari.

Deinde num. VI. dicit, Magiſtrum auctorem eſſe primum illius opinionis, cui hæreſeos maculam inurit: *Hanc ſententiam*, inquit, *primò docuit Magiſter.* At Magiſtri ipſius lectio & noſtræ traditionis ſeries huic aſſertioni repugnant. Ut interim taceam plures Theologos, qui ob id Magiſtri ſententiam amplectuntur, quòd Ambroſii, Hieronymi & Auguſtini fuerit. Hiſpanus unus pro aliis ſpondebit Joannes Celaia Pariſienſis Theologus, qui Valentiæ in urbe ſuâ ad annum M. D. XXVI. Theologiam docuit. Verba ſunt in quartum diſt. XVIII. *Teneo cum Magiſtro Sententiarum, Hieronymo, Auguſtino, & Ambroſio, quòd Sacerdos Evangelicus non remittit culpam virtute Sacramenti, ſed benè aliquam pœnam, & quoad culpam duntaxat ipſum pœnitentem declarat eſſe abſolutum*, &c.

Tum num. VIII. affirmat, Hugonem Victorinum Magiſtri ſententiam amplexum eſſe. *Hanc Magiſtri ſententiam ſecutus fuit Hugo de ſancto Victore.* At Hugo ſcripſit ante Magiſtrum, qui Hugonis ſententiam partim ſequitur, partim refellit, quòd inconſequenter philoſophetur. Ceterùm Hugo in antiquâ Roberti appendice ad Sigebertum anno M. CXL. & in novâ anno M. CXLII. migravit. Petrus verò Lombardus in novâ illâ appendice

Pari-

Pariſienſis creatur Epiſcopus anno M. CLIX. & moritur anno M. CLXIV. juxta Baronium.

Poſtremò illius opinionis, quam hæreticam eſſe judicat, quæſt. XCII. art. I. dub. II. fautores aſſignat antiquiores magni nominis Theologos, Magiſtrum, Autiſſiodorenſem, Alexandrum, Bonaventuram, Okamum, Marſilium, Argentinam, Abulenſem, Gabrielem-Majorem, Medinam, qui & communem eſſe ſuam ſententiam inibi profitetur: Illius verò opinionis, quam docet eſſe Catholicam, defenſores paucos nominat, eoſque Magiſtro, Autiſſiodorenſi, Alexandro & Bonaventurâ recentiores, Scotum, Paludanum, Silveſtrum, Adrianum, Canum, Ledeſmam, quos pro attritione cognitâ pugnare contendit.

Sed in-primis removendus eſt Paludanus, qui licèt dicat, attritionem ad confeſſionis valorem ſufficere, ad percipiendum tamen ejus fructum ſufficere negat. Sequitur duntaxar opinionem ſancti Thomæ, qui contendit iterandam non eſſe confeſſionem, quæ ſine caritate fieret.

Deinde removendus eſt Adrianus, cujus ſecundas cogitationes non vidit. Hæ autem ſic ſe habent quodlibeto V. *Difficultas magna eſt inter Doctores, an claves Sacerdotii ſe extendant ad culpa remiſſionem, & certè probatiſſimi Theologi ſenſerunt quòd non. Magiſter Sent.* &c. *Item Doctor irrefragabilis*, &c. *Ejuſdem ſententia videtur Bonaventura* XVIII. *diſt.* IV. *Et certè probabile videtur, quia eadem eſt Sacerdotibus data facultas culpam retinendi & dimittendi: Manifeſtum eſt autem, quòd culpam retinere non poſſunt verè pœnitentis, quomodo ergo ſolvere poterunt culpam minùs dignè pœnitentis?* Hæc Adriani ratio mihi ſemper viſa eſt firmiſſima, ni dicam, invictiſſima, ſi modò verum eſt, quod dicit beatus Ambroſius lib. I. de Pœnit. cap. II. *Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit.* Verùm Adrianus ſic modeſtè perſequitur: *Attamen quia Doctores alii probabiliter oppoſitum ſuſtinent, quia pœnitentia ſcilicet Sacramentalis, ut ſecunda poſt naufragium tabula, primam interdum confert gratiam ex opere operato, hoc indiſcuſſum, tanquam probabile dubium prætereo.*

Tum removendus eſt Canus, qui ait quidem verum eſſe, quòd attritio ſufficiat, ſed addit, certum id atque indubitatum non eſſe, ut vidimus cap. IV. prioris partis.

Joannes Scotus, qui ad annum Chriſti M. CCC. vixit, hanc quæſtionem, ut & plures alias philoſophicè tractat, non theologicè. Hoc eſt, non utitur rationibus, quas Theologiæ principia duo, ſcriptura & traditio, ſubminiſtrent. Quò fit, ut pleriſque Scoti ſcriptis non conveniat vera Theologiæ ſcholaſticæ definitio, quam ex Joanne Majore, & Hieronymo Hangeſto Pariſienſibus Theologis retulimus cap. XII. libri de Variâ Ariſtotelis fortuna. Id obſervare facilè poterit, qui volet in perlegendis illius commentariis nonnihil operæ ac ſtudii collocare. Reliqui duo Silveſter & Ledeſma quæſtionem pari ferè modo tractant. Quare ex horum teſtimoniis aliud nihil colligi meritò poteſt, niſi quòd ſuis temporibus pugnans pro attritione opinio docebatur in ſcholis, & tolerabatur in Eccleſiâ; quod ultrò concedimus.

Illis autem tribus remotis ſuperſunt Scotus, Silveſter, Ledeſma, quos Vaſques in confirmationem Catholici dogmatis ſui producat. Atque hoc ipſum eſt, quod non ſatis meditatè ſcriptum ab illo auctore contendo. Nam fidei dogma non ita ſtatuitur, ut Catholicos oppugnatores longè plures habeat quàm patronos.

In aliâ omnino fuit ſententiâ Bellarminus, qui ſuis in controverſiis id unum agit maximè, ut nullus aut certè pauci à Catholico dogmate, quod defendit, alieni videantur. Cujus rei periculum fieri poteſt cùm in aliis quæſtionibus, tum in eâ quoque, quam de trium Sacramentorum charactere inſtituit.

In aliâ fuit ſententiâ Vigilius Papa in Encyclicâ ad univerſam Eccleſiam, ubi ſic loquitur: *Sciant igitur univerſi, nos illam fidem prædicare, tenere, atque defendere, quam ab Apoſtolis traditam, & per ſucceſſores eorum inviolabiliter cuſtoditam reverenda Nicæna Synodus* CCC. XVIII. *Patrum ſancto Spiritu ſibi revelante redegit in Symbolum.*

In aliâ quoque ſententiâ fuit beatus Auguſtinus, cui cùm objectus eſſet à Juliano Chryſoſtomus, ſic reſpondit: *Ita-ne verba ſancti Joannis Epiſcopi audes tanquam è contrario tot talíumque ſententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordiſſimâ ſocietate ſejungere, & eis adverſarium conſtituere. Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere: abſit inquam, ut Conſtantinopolitanus Joannes de baptiſmate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum tot ac tantis Coepiſcopis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginienſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio.* ALIA SUNT, IN QUIBUS INTER SE ALIQUANDO ETIAM DOCTISSIMI ATQUE OPTIMI REGULÆ CATHOLICÆ DEFENSORES SALVA FIDEI COMPAGE NON CONSONANT, ET ALIUS ALIO DE UNA RE MELIUS ALIQUID DI-

CIT ET VERIUS. HOC AUTEM UNDE NUNC AGIMUS, AD IPSA FIDEI PERTINET FUNDAMENTA Agnoſcat hîc Vaſques, quam ad ſanciendum fidei dogma Patrum conſenſionem Auguſtinus requirat.

OBSERVATIO IV.

Sub finem ſuperioris obſervationis memorata confeſſio informis exponitur, & quomodo ſanctus Thomas illam ſtabiliat, & ab aliis diſſentiat, oſtenditur. Tractanda Theologicæ quæſtionis methodus.

MULTORUM & cum primis beati Bernardi teſtimonia, quæ prioris partis cap. ultimo retuli, perſpicuè ſignificant, confeſſionem ita faciendam eſſe, ut eam præcedat contritio; ſanctus verò Thomas docet, id non eſſe omnino neceſſarium, ſed valere confeſſionem, cui non prævivit contritio: ſic autem ſcribit quæſt. IX. art. I.

Ad primum ſic proceditur: Videtur, quòd confeſſio non poſſit eſſe informis. Dicitur enim Eccleſ. XVII. *A mortuo, quaſi nihil, perit confeſſio: ſed ille, qui non habet caritatem, eſt mortuus, quia ipſa eſt animæ vita. Ergo abſque caritate non poteſt eſſe confeſſio.*

II. *Præterea confeſſio dividitur contra contritionem & ſatisfactionem: ſed contritio & ſatisfactio nunquam poſſunt extra caritatem fieri: ergo nec confeſſio.*

III. *Præterea in confeſſione oportet, quòd os cordi concordet, quia hoc ipſum nomen confeſſionis requirit: ſed ille qui adhuc manet in affectu peccati, ſi confitetur, non habet cor ori conforme, quia corde peccatum tenet, quod ore damnat: ergo talis non confitetur.*

Reſpondeo dicendum, quòd confeſſio eſt actus virtutis & pars Sacramenti: ſecundùm autem quòd eſt actus virtutis, eſt actus meritorius propriè, & ſic confeſſio non valet ſine caritate, quæ eſt principium merendi: ſed ſecundùm quòd eſt pars Sacramenti, ſic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit, & ſecundùm hoc confeſſio poteſt eſſe etiam in eo, qui non eſt contritus, quia poteſt peccata ſua Sacerdoti & clavibus Eccleſiæ ſubjicere, & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: ſicut etiam in aliis Sacramentis eſt. Unde non tenetur iterare confeſſionem, qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri.

Ad primum ergo dicendum, quòd auctoritas intelligenda eſt quantum ad fructum confeſſionis percipiendum, quem nullus extra caritatem exiſtens percipit.

Ad ſecundum dicendum, quòd contritio & ſatisfactio fiunt Deo, ſed confeſſio fit homini, & ideo de ratione contritionis & ſatisfactionis eſt, quòd homo ſit Deo per caritatem unitus, non autem de ratione confeſſionis.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui peccata, quæ habet, narrat, verè loquitur, & ſic cor concordat voci vel verbis, quantùm ad ſubſtantiam confeſſionis, quamvis diſcordet à confeſſionis fine.

Hìc generatim notanda ſunt duo; unum id, in quo Thomas cum aliis convenit; alterum id, quo ab aliis diſſentit. Convenit in eo reipſâ cum aliis, quòd nullum admittat Sacramenti vel confeſſionis fructum, niſi confeſſionem vera præcedat vel ſubſequatur contritio. Iſtud articulo toto ſignificat, & maximè dum ait, eum, qui non eſt contritus, fictum eſſe, & cum fictione confiteri: deinde dum ait, hanc fictionem peccatum eſſe, quod Sacramenti fructum impedit, & quod proximâ confeſſione Sacerdoti declarandum eſt. Nec poteſt aliter ſentire, niſi diſſentiat à ſeipſo, qui quæſt. X. art. V. docet, confeſſionem operari quidem, ſed præſuppoſitâ contritione, quæ culpam delet. Locum retuli cap. ultimo prioris partis. Diſſentit verò, quòd non putet opus eſſe, ut confeſſionem præcedat contritio, ſed eatenus valere confeſſionem, quatenus iteranda non eſt, quando fit à non contrito pœnitente, quem fictum appellat. Beatus Thomas contra eos Theologos diſputat, qui talem confeſſionem repetendam eſſe contendebant, ut quæ illorum judicio nulla & invalida foret. Hæc autem confeſſio, quæ ab homine contritionem non habente fit, à diſcipulis ſancti Thomæ dicitur informis, quòd fiat extra caritatem, quæ forma eſt virtutum omnium.

Joannes Capreolus ex Ordine Prædicatorum Theologus, hunc articulum ſic, ut à nobis non diſſideat, contraxit, in quart. Sent. diſt. XVII. *Quantum ad primum articulum ſit.*

Prima concluſio, quòd confeſſio facta ſine contritione non valet pro tempore, quo fit, ad remiſſionem peccati, quoad culpam & pœnam.

Secunda concluſio eſt, quòd talis confeſſio recedente fictione incipit eſſe fructifera confitenti.

Tertia concluſio eſt, quòd taliter confeſſus non tenetur iterare confeſſionem priùs factam, ſed ſolùm confiteri ſuam fictionem.

Ad me autem quod attinet, non poſſum ſtare à ſancti Thomæ partibus, qua in re ab aliis diſcordat. In-primis, quia ſententiam ſuam nullâ Scripturæ auctoritate, nullo Patrum teſtimonio confirmat, ſed adhibitâ tantùm inter confeſſionem, ut eſt actus virtutis, & ut eſt pars Sacramenti, diſtinctione, tres aliorum rationes declinat. Alii verò ſuam, ut apparet, opinionem conſtabiliunt Scripturæ loco, quem ſanctus Doctor adducit: Hic quidem locus ſanctum Doctorem non convincit, ſed alios convincit. In quibus omnino ſunt Auguſtinus, Bernardus, Gratianus, & Petrus Lombardus.

Primus quidem Sermone VIII. de verbis Domini ſecundùm Evangelium Matthæi: *Quare confiteris in accuſatione ipſius tui, quare confiteris, niſi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippe ait, A mortuo quaſi qui non ſit, perit confeſſio. Si perit à mortuo confeſſio, qui confitetur, vivit.*

Secundus ſermone ad milites templi: *Sed nec abſolvant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum, quandoquidem corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, alioquin à mortuo, quaſi qui non eſt, perit confeſſio.*

Tertius de Pœnit. diſt. I. cap. XXXIV. *Leproſus ſemetipſum Sacerdoti repræſentat, dum peccatum ſuum pœnitens confitetur, ſacrificium ex lege offert, dum ſatisfactionem Eccleſiæ judicio ſibi impoſitam factis exequitur: ſed antequam ad Sacerdotem perueniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confeſſionem oris peccati venia indulgetur. Hinc etiam medici negantur ſuſcitare aliquem, ut reſuſcitatus confiteatur, dum per Prophetam dicitur: Numquid medici reſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Item à mortuo, ut auctoritas ait, perit confeſſio, velut ab eo, qui non eſt. Unde pœnitens ille, qui timore æternæ pœnæ territus exclamaverat, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, poſtea ſupplicans aiebat: Salvum me fac propter miſericordiam tuam, quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui. In inferno autem nullus tibi confitebitur. Si ergo nullus confitebitur, niſi reſuſcitatus, nemo autem vivit æternæ gehennæ filius, & perpetua damnatione dignus, patet, quòd antequam quiſque confiteatur peccatum, à reatu ſuæ prævaricationis, quo æterna ſibi debebantur ſupplicia, per gratiam internæ compunctionis abſolvitur.*

Petrus Lombardus communis olim Pariſienſium magiſter lib. IV. Sent. diſt. XVII. *Hinc etiam leproſi illi, quibus præcepit* (Dominus) *ut oſtenderent ſe Sacerdotibus, in itinere, antequam ad Sacerdotes venirent, mundati ſunt. Ex quo inſinuatur, quòd antequam ora noſtra Sacerdotibus aperiamus, id eſt, peccata noſtra confiteamur, à lepra peccati mundamur. Lazarus etiam non priùs de monumento eſt eductus, & pòſt à Domino ſuſcitatus, ſed intus ſuſcitatus, prodiit foras vivus, ut oſtenderetur ſuſcitatio animæ præcedere confeſſionem. Nemo enim poteſt confiteri niſi ſuſcitatus, quia à mortuo velut qui non eſt, perit confeſſio. Nullus ergo confitetur niſi reſuſcitatus, nemo autem ſuſcitatur, niſi qui à peccato ſolvitur; quia peccatum mors animæ eſt, quæ ut eſt vita corporis, ita ejus vita Deus eſt. His aliiſque pluribus auctoritatibus probatur, ante confeſſionem vel ſatisfactionem ſolâ compunctione peccatum dimitti.*

Hæc autem cùm ita ſint, tutius eſt, aut certè prudentius, eorum, qui à ſancto Thoma refelluntur, quàm ipſius Thomæ ſententiam amplecti. Nam qui refelluntur, habent inprimis illuſtrem Scripturæ locum, quo nituntur, deinde habent conſentaneam ſibi ejuſdem loci interpretationem, quæ à propoſito divelli non poſſit. At bis duobus caret ſanctus Thomas.

Præterea Thomæ diſtinctio antiquis omnibus Magiſtris ignota eſt, quin etiam cum Auguſtino, Bernardo, Gratiano, & Lombardo directè pugnat. Tum demum illa diſtinctio Philoſophica eſt potiùs, quàm Theologica, quòd eam videlicet ex Theologiæ principiis, Scripturâ & traditione, non deducat. Hæc ergo ſolâ dicentis auctoritate fulcitur, quæ niſi volentem, vel juratum neminem urget. Pariſienſes enim majores noſtri in Conjectione cauſæ, quam Avenione contra fratrem Joannem Monteſonum lite perſecuti ſunt anno M. CCC. LXXXVII. ſcribunt, *Sancti Thomæ dicta in actibus Scholaſticis non gloſſari reverenter, nec exponi.* Sic dictorum Thomæ γλωσσόγραφον eſſe nolunt.

Quicquid id eſt, ego non ſatis perſpicio, quemquam poſſe tutâ conſcientiâ tranſire in hanc beati Thomæ ſententiam, cui definiendæ non eo incubuit modo, quem Gregorius IX. in ſuâ ad Magiſtros Pariſienſes regulari epiſtolâ præſcripſit. Verba ſunt hæc, quæ nuper in libro de Variâ Ariſtotelis Fortuna juris publici feci: *Magiſtri verò & ſcholares Theologiæ in Facultate, quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec philoſophos ſe oſtentent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in linguâ populi linguam Hebræam cum Aſoticâ confundentes, ſed de illis tantùm in ſcholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & ſanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Et poſt alia: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ proviſionis, conſtitutionis,*

conceſſionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis ergo attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Verùm quod maximè angere, ſolicitamque debet reddere bonæ mentis conſcientiam, Gregorii præſcriptum mutari neutiquam poteſt. Neque enim ſpatium temporum, neque privilegium regionum, neque patrocinia perſonarum id unquam efficient, ut Theologicas quæſtiones, eaſque præſertim, quæ ad Sacramenta pertinent, Philoſophica ratio ſola, vel Scriptura, Platonis, Ariſtotelis vel alterius cujuſlibet doctrinæ juncta definiat. Quare ſi definiendæ ſunt, Scripturâ & Catholicæ Eccleſiæ traditione, eo ſcilicet definiendæ ſunt modo, quem Pontifex ille ſapientiſſimus decernit. At qui ſecùs fecerit, eam inſiſtet viam ad inveniendum verum, quâ nunquam perveniatur, quâ largiſſima duraturis in perpetuum altercationibus materia ſuppetat. Atque ut ſuppetat neceſſariò, in verba Magiſtrorum contraria docentium nonnulli ſtudioſiſſimè, & ut credunt, ſanctiſſimè jurant, *quæſtiones*, ut ait Paulus, *ſine diſciplina moventes, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam pervenientes.* Ita nihil tam videtur certum & ſtatutum & veritati aptum, quod non ſtatim diverſiſſimum à vero eſſe appareat. Quæ mala cùm divinus homo Chryſoſtomus proſpiceret, ita ſcribit Homil. XXIV. in Joannem: *Nihil pejus eſt, quàm humanis rationibus ſpiritalia ſubjicere. Hoc illum* (Nicodemum) *impedit, ne quid magnum, ne quid profundum contemplaretur. Ideo nos fideles appellamur, quia humanarum cogitationum veritate contemptâ ad fidei altitudinem evadimus.*

OBSERVATIO V.

Neque ſancti Patres favent opinioni Vegæ, neque Sacramenta examinari debent ad gratiam pœnitentium, ſed ad Scripturam & traditionem.

DUM. cap. I. poſterioris partis incidit ſermo de Vega, cum obiter notavi in ſuam de attritione diſputationem congeſſiſſe multa, quæ non ſatis diligenter ponderarat. Inter ea occurrunt potiſſimè duo; unum, quo ſcribit, Hilarium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Theophylactum, Cyrillum & Bernardum opinioni ſuæ patrocinari. Hilarius in-primis veram animi compunctionem à peccatore exigit, enarratione ſuper Pſalmum CXVIII. *Hæc*, inquit, *pœnitentia vox eſt, lacrymis orare, lacrymis ingemiſcere, & per hanc confidentiam dicere, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrimis meis ſtratum meum rigabo. hæc venia peccati eſt, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madeſieri.* Hæc autem & ſimilia, quæ ſanctiſſimus Pater habet, ſi de verâ contritione intelligantur, quemadmodum intelligi convenit, intelligetur facilè, quò quæ tradit can. XVIII. in Matthæum, pertineant. *Ad terrorem metus maximi quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque abſoluti ſint, aut ligati.* Quid enim aliud eſt homines peccatorum nodis innexos relinquere, niſi homines, qui verâ contritione carent, in ſuis ligatos peccatis oſtendere? è contrario quid eſt homines ſolvere, ſeu ut interpretatur, homines confeſſione veniæ recipere in ſalutem, quàm à Deo ſolutos quoad culpam oſtendere per judicium Sacerdotis? quemadmodum loquitur ſanctus Raimundus, qui ex eo laudatur præſertim, quòd novas doctrinas confutaverit, quòd vetera & Catholica dogmata inviolata retinuerit, quòd in articulis ambiguis decidendis aut ſacrarum Literarum, aut ſacrorum Canonum, aut ſanctorum Doctorum auctoritate nitatur.

Chryſoſtomus, Auguſtinus & Bernardus ab opinione Vegæ tam ſunt alieni, ut vidimus, quàm qui maximè. Cyrillus & Theophylactus poteſtatem clavium duntaxat, non modum hujus exercendæ poteſtatis attingunt. De quo quid reipſâ ſenſerint, ex communione cum aliis Eccleſiarum magiſtris æſtimandum eſt religioſiùs, ne iis opinio, quam non habuerint, violenter impingatur.

Verum enim verò beatus ille Cyrillus Alexandrinus nonnihil attingit modum, quo hæc remittendorum criminum poteſtas exerceri debeat, dum lib. XII. in Joannem ita ſcribit: *Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu ſancto afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim dignos ad baptiſmum vocant, vita nimirum gravitate & conſtantiâ fidei jam probatos homines, vel prohibent & à gratiâ divinâ arcent eos, qui nondum digni ſunt? Vel alio quoque modo peccata remittunt ac retinent, nempe cùm filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoſcunt.* Quæ hîc in Catechumenis Cyrillus exigit, veram ut apparet, contritionem important. At non minorem in pœnitentibus diſpoſitionem requirit, ut iis Eccleſia ignoſcat.

Alte-

Alterum eſt, quo Vega quoque ſcribit, ſeſe eam tueri ſententiam, quâ Doctores quidam *Scholaſtici altiùs omnino & magnificentiùs de Sacramentali abſolutione ſentientes conſtanter tradiderunt, non ſolùm remitti partem pœna debita pro peccatis & jam juſtificatis augeri gratiam, ſed & nonnunquam primam gratiam per eam conferri*: ſeſe inquam, eam tueri ſententiam, *quòd pœnitentibus favorabilior ſit, & dignitatem Sacramentorum nova legis magis commendet.* Non eſt ſanè defendenda opinio, quæ pœnitentibus favorabilior ſit, ſed quæ ſacris Scripturis, Patribus ſanctiſſimis, & perpetuæ Eccleſiarum traditioni ac diſciplinæ magis conſentiat. Favor, qui pœnitentibus impendi debet, ex iis Theologiæ principiis, non ex meditationibus philoſophicis repetendus eſt. Ad ea Theologiæ principia, non ad gratiam pœnitentium ſtatuenda eſt pœnitentiæ conditio, quam qui peccarunt, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſariò ſubire debent. Alioqui cur Vega non eam tuetur opinionem, quam à Gabriele & Luthero affictam Doctori ſuo ſubtili conqueritur, ſed quam Clemens Monilianus ex Ordine Minorum Cardinalis in primâ Theologicarum inſtitutionum editione tenuit? Cur, inquam illam non defenſitat, cùm longè adhuc ſit pœnitentibus favorabilior, dignitatem Sacramentorum magis commendet, & claves Eccleſiæ altiùs & magnificentiùs, ſi ita loqui fas eſt, extollat? Monilianus quippe docet *ad conſequendam gratiam per Sacramentum ſatis eſſe, non ponere ei obicem, id eſt, non actu peccare in eorum ſuſceptione, & intendere illud juxta intentionem Eccleſia ſuſcipere.* Monilianus eam opinionem in alia libri ſui editione ſuſtulit, atque ita ſcripſiſſe doluit. At ſi prius illud Moniliani placitum, quod tributum perperam fuiſſe Scoto queritur, tueri recuſet Vega, ei, quam recuſationis ſuæ daturus eſt rationem, continuò reponemus.

Quod autem ad Sacramentorum novæ legis dignitatem & clavium poteſtatem attinet, ea tota ex auctoris voluntate & inſtitutione pendet. Voluntas verò & inſtitutio non ex commoditatibus pœnitentium, ut jam monuimus, & monemus iterum, ſed ex duobus ſacræ doctrinæ principiis, Scripturâ & traditione metienda eſt. Vallatus eſt campus, in quo Theologi pugnant, non apertus, in quo expatiari liceat, quod de fluminibus dixit poëta:

Expatiata ruunt per apertos flumina campos.

Hinc nobis neque evagari, neque finem & modum tranſire permittitur. Quâ de re Auguſtinus ſic pronuntiat lib. x. de Ciuit. Dei cap. XXIII. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, qua his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*

OBSERVATIO VI.

Scholaſtici quidam poſt Tridentinum Concilium novis contritionis & attritionis definitionibus & partitionibus quaſtionem aliàs difficilem implicuerunt funditùs.

E Scholaſticis nonnulli fuerunt, qui ut quod animis imbiberant, probarent, annos poſt Concilium Tridentinum plus minùs triginta, contra veterum Theologorum morem & doctrinam variè diviſerunt contritionem & attritionem, definierunt, atque ita quæſtionem aliàs difficilem novis obſcuritatibus infuſcarunt. Qua de re ſic conqueritur Hieronymus Llamas ex Ordine Ciſtercienſium Theologus in Inſtructione confeſſariorum & pœnitentium, cap. II. de Contritione: *Sciamus*, inquit, *in hac materiâ non poſſe omninò fugere nos labyrinthos & definitionum contritionis multitudinem, & expoſitionem earum adductarum non ſolùm à Doctoribus Sententiariis, ſed & à Summiſtis, à primis in quartum diſt.* XVII. *à ſecundis in ſuis Summis. & neſcio an hac multitudo definitionum eum fructum intentum peperit, cùm certò noverim confuſionem non parvam cauſaſſe.* Eam ob rem, qui quod de contritione ſimpliciter dicta Vega, Tapperus & Canus obſervarunt, ſuarum partium tenaces improbant, id ſibi ex auctoribus antiquioribus, vel certè æqualibus improbandum putent, aut ſi quod effici nequit, non efficiant; ſolem in meridie lucere patiantur.

OBSERVATIO VII.

Tridentinum Concilium ubi de forma Sacramenti Pœnitentia loquitur, maximè ſpectat communem tunc in ſcholis de eſſentiâ Sacramenti opinionem.

FUERUNT alii, qui aliter errarunt. Nam hæc Seſſ. XIV. cap. III. verba, *Sacramenti Pœnitentia vim in formâ pracipuè ſitam eſſe*, cùm legerent, rem Sacramenti cum Sacramento confuderunt. Eò loci Concilium non de re Sacramenti, quæ eſt interior contritio, ſeu gratia reconciliationis cum Deo, loquitur, ſed de Sacramento ipſo, quod

 ſcilicet

ſcilicet externum eſt ſymbolum. At iſtud communis tunc inter Scholaſticos ſententia in ſolâ abſolutione collocabat, ut notavimus, cùm Frederici Viennenſis Epiſcopi, Gabrielis Putherbei, & quorumdam aliorum teſtimonia retulimus cap. II. & III. poſterioris partis. Hæc opinio cùm alibi, tum apud Bononienſes Theologos perſeveravit. Sic enim Sacramentum Pœnitentiæ definiunt Joannes Paulus Palenterius, & Julius Gemellius: Ille tom. IV. in quartum Sent. lect. LXXV. *Pœnitentia Sacramentum eſt abſolutionis hominis pœnitentis facta à Sacerdote juriſdictionem habente, ſub certâ verborum formâ, cum debitâ intentione prolatâ ex inſtitutione divinâ efficaciter ſignificativam abſolutionis animæ à peccatis.* Hic in undecimo ſubgyrante gyro de Sacramento Pœnitentiæ: *Pœnitentia Sacramentum ſecundùm ſuam quidditatem eſt abſolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debitâ intentione prolatis à Sacerdote juriſdictionem habente, ex inſtitutione divinâ efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccatis.* Hæ duæ definitiones ſunt eædem, & reipſa conveniunt cum eâ, quam Fredericus Viennenſis Epiſcopus ſic tradidit: *Pœnitentia Sacramentum ſignum eſt exterius interioris abſolutionis, quæ diſponenti ad hoc Sacramentum contritione habetur.* Pares definitiones accumularem, ſi tam brevi negotio fieri poſſet, quàm poteſt facili.

Neque verò hæc, quam tractamus, opinio nova eſt. Ad eam enim ante Scotum, cui ut auctori à quibuſdam tribuitur, reſpicit Robertus Pullus Cardinalis & Romanæ Eccleſiæ Cancellarius, qui ad annum M. C. L. floruit. Sic autem loquitur in Summâ MS. apud ſanctum Germanum Pratenſem parte VI. cap. LXI. *Ex quo quis pœnitet, Deus dimittit, peccata poſtmodum confitenti miniſter Dei abſolvendo remittit. & quid eſt abſolvendo remitti, niſi quod Sacramentum remiſſionis & abſolutionis facit? Abſolutio, quæ peractâ confeſſione ſuper pœnitentem à Sacerdote fit, Sacramentum eſt, quoniam ſacræ rei ſignum eſt, & cujus ſacræ rei eſt ſignum, niſi remiſſionis & abſolutionis? Nimirum confitentibus à Sacerdote facta à peccatis abſolutio, remiſſionem peccatorum, quam antea cordis peperit contritio, deſignat. A peccatis ergo Presbyter ſolvit, non utique quòd peccata dimittat, ſed quòd dimiſſa Sacramento pandat.*

Deinde Pullum ſequitur æqualis Innocentio III. Stephanus Langtonus, ſeu Anglicus, ex Pariſienſi Cancellario Cantuarienſis Archiepiſcopus: *Solus*, inquit, *Deus ab utroque ſolvit* (à culpâ & à debito mortis æternæ), *Sacerdos verò ligat & ſolvit tripliciter, quoad culpam, per ſententiam, & quoad pœnam. A culpa ſolvit, cùm abſolutum à Domino eſſe oſtendit per miniſterium ſuum, nec iſta oſtenſio eſt tantùm in verbis, quia ſic quilibet alium poſſet abſolvere, ſed Sacerdos oſtendit eſſe abſolutum à Domino, id eſt, facit ſignum, quare à Domino ſit abſolutus. Unde abſolutio Sacerdotalis eſt ſignum abſolutionis divinæ.* Hæc ille in Summâ, de Remiſſ. peccat. quæ MS. aſſervatur in Bibliotheca S. Victoris. Joannes quidem Scotus his Magiſtris illuſtribus in Sacramento concordat, ſed ab iis in re Sacramenti diſcordat, atque uti diſcordet, in vanas quaſdam argutias ſe abdit, nec ullis planè utitur rationibus, quæ aliquid habeant pretioſi vel acceſſiti.

Ad illam ergo communem de eſſentiâ hujus Sacramenti opinionem, quæ tunc invaluerat, non ad privatæ opinionis præjudicium expendenda ſunt, quæ à Patribus in Concilio dicuntur. Qui ſecùs fecerit, ſibi, non Concilio canet. Concilium ſibi, non ſe Concilio aptabit, & propriis ſtudiis, non Theologicæ veritati ſerviet.

OBSERVATIO VIII.

Verba Seſſionis XIV. cap. V. ad opinionem de contritionis neceſſitate reduci facilè poſſent, ſi Concilii mens & intentio id ſuſtineret.

NON minùs falluntur, qui ex his Seſſ. XIV. cap. IV. verbis, *& quamvis ſine Sacramento Pœnitentia per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*, miris modis argutantur, ut probent Concilio viſum eſſe, attritionem reliquis Sacramenti partibus junctam ſufficere proximè ad juſtificationem. Sed laborant inaniter, & præter mentem Patrum diſputant, ut conſtat ex toto tractatu noſtro, in quo perſpicuè demonſtratum eſt, nihil eſſe hac de re à Concilio ſancitum. Ad hæc ſunt ex veteribus non pauci, qui pari ferè modo loquuntur, etiamſi credant, perfectam contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri. Exempli gratiâ unum adfero Thomam Argentinenſem ex Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini Pariſienſem Theologum, qui ad annum Chriſti M. CCC. XL. enituit. Hæc autem tradit in quartum Sent. diſt. XVI. art. I. *Ad tertium ſic in propoſito attritio ſeu diſplicentia peccatorum præcedens infuſionem gratiæ eſt quaſi medicina ſanitatis, perfecta contritio eſt ſanitatis introductiva, ſed*

confeſſio

confeſſio & ſatisfactio ſunt reliquiarum infirmitatis expulſiva. Hæc autem non adſero, quaſi
velim oſtendere, Concilii Patres Argentinenſem ſecutos eſſe, atque idem cum illo ſenſiſ-
ſe; ſed ut probem, ad ſententiam Theologorum, qui perfectam in Sacramento contritio-
nem exigunt, ſine negotio ullo reduci poſſe, quæ Concilium hoc loco docet, ſi Concilii
mens & intentio id pateretur.

OBSERVATIO IX.

*Pugnantes pro neceſſitate contritionis, & laudantes Concilium, à Concilii ſcopo rece-
dunt, quo tamen ſepoſito vincerent adverſarios.*

QUI pro contritione pugnant, & ſuas in partes trahunt Concilium, à Concilii ſcopo
& mente deflectunt non minùs, quàm qui pro attritione dimicant, & ſuum eſſe Con-
cilium aſſeverant. Siquidem Concilium cum utriſque verſari & neutris accedere voluit,
contentum inductam ab Heterodoxis novitatem abjicere, & antiquitatem novitati contra-
riam retinere. Hæc eſt Concilii ſobrietas, cui confirmandæ toto tractatu incubui. Multi
ſunt, qui pugnam illam pro contritione adornant. Sed eminent duo, Franciſcus Silvius
Duacenſis Theologus in tertiam partem quæſt. I. art. III. & Michaël Sanromanus Societatis
Jeſu Theologus lib. III. expeditionum ſpiritualium cap. III.

Primus ſic diſputat: „Quæ attritio cum abſolutione ſufficiat ad remittenda peccata? So-
„lam eam ſufficere, quæ eſt veri nominis contritio, licèt imperfecta, probatur primò, quia
„nullum peccatum mortale remitti poteſt ſine pœnitentiâ; ſed attritio, quæ non habet eſſen-
„tiam contritionis, non eſt vera pœnitentia: ergo non ſufficit ad remiſſionem peccati.
„Minor probatur. Ad veram enim pœnitentiam requiritur converſio ad Deum cum de-
„teſtatione & propoſito emendationis. Attritio autem illa, quæ non eſt contritio, ne qui-
„dem talem deteſtationem & emendationis propoſitum habet.

„Secundò nemini peccatum remittitur, qui non diligit Deum ſuper omnia, qui non con-
„vertatur ad Deum ex toto corde, qui non deteſtetur peccatum, ut offenſam Dei, qui non
„habet propoſitum melioris vitæ. Ut patet ex Scripturis, primæ Joannis III. Deuteron. IV.
„Matth. X. Ezech. XVIII. Qui verò eſt attritus, ita ut eſſentialem contritionis rationem non
„aſſequatur, non habet illa omnia: ſi enim haberet, eſſet contritus ea contritione, quam ex
„Tridentino Concilio expoſuimus.

„Tertiò ſecundùm doctrinam fidei contritio eſt pats neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ:
„ergo ſi deſit, Sacramentum non ſubſiſtit. Antecedens notum videtur tum ex perpetuâ tra-
„ditione, tum ex Concilio Florentino & Tridentino, quæ contritionem & ſatisfactionem
„proponunt materiam Sacramenti. Et quidem ſic, ut contritionem intelligant eſſe partem in-
„ter jam dictas maximè neceſſariam.

„Quartò, contritionis à Synodo deſcriptæ motus ad impetrandam veniam peccatorum fuit
„quovis tempore neceſſarius: ergo etiam tunc, quando ad Sacramentum acceditur, cùm
„eadem ſit contritio, quæ in homine poſt baptiſmum lapſo requiritur, & quæ olim requi-
„rebatur, niſi quòd includere debeat votum Sacramenti Pœnitentiæ.

„Quintò, quando Concilium dicit attritionem ſufficere cum Sacramento, ſolùm loqui-
„tur de illâ, quæ eſt eſſentialiter contritio. Vocat enim eam imperfectam contritionem
„Seſſ. XIV. cap. IV. Confirmatur. Idem Concilium cap. VI. tradit pœnitentem non debere
„adeo ſibi de ſuâ fide blandiri, ut etiamſi nulla ibi adſit contritio, aut Sacerdoti animus
„ſeriò agendi & verè abſolvendi, putet tamen ſe propter ſuam fidem vere & coram Deo
„eſſe abſolutum: ergo ſi deſit alterutrum, id eſt, vel pœnitenti contritio, vel Sacerdoti
„voluntas abſolvendi, abſolutio non tenet.

„Sextò, ut dicit idem Concilium cap. I. Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus,
„qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſe-
„quendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſita-
„te abjectâ & emendatâ tantum Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore
„deteſtarentur; ſed iſta pœnitentia non poteſt excludi à definitione contritionis: ergo con-
„tritio fuit neceſſaria. Confirmatur. Pœnitentia, quæ habeat rationem contritionis eſt ne-
„ceſſaria ante baptiſmum: ergo & ante Sacramentum Pœnitentiæ. Antecedens probatur
„tum ex jam recitatis verbis Concilii, tum ex aliis, quæ Seſſ. VI. cap. VI. habet Synodus,
„ubi inter cetera docet, ubi Catechumeni diſponuntur ad baptiſmum, quando Deum tan-
„quam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata
„per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſ-
„mum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam,
„& ſervare divina mandata. Hæc autem præparatio eſt veri nominis contritio per Conci-
„lium Seſſ. XIV. definita.

Alter

Alter ſic quoque diſputat: „Deinde docet (*Concilium*) hanc contritionem ab Adami
„peccato ſemper neceſſariam fuiſſe, addidiſſe tamen Chriſtum confeſſionis neceſſitatem,
„ſine quâ etiam juſtificat, cùm tamen in voto & deſiderio ſuo tempore facienda teneatur,
„& ob id quidem Lazato Chriſtus vitam dedit, ſolvi tamen à diſcipulis jubet, eo quòd
„contritio ſola vitam mortuis per gratiam præbeat, verùm nondum ſolutum debitum,
„quouſque per claves commiſſas Eccleſiæ miniſtris ſolvatur per confeſſionem pœnitentibus:
„illis dicitur, quicquid ligaveritis & quicquid ſolveritis in terris, erit ligatum & ſolutum in
„cælis. Id expreſſit Auguſtinus tract. XLIX. aiens, Miniſtris hoc dixit Dominus: ſolvite &
„ſinite abire, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælis. Unde Tridentinum ſuprà
„Seſſ. XIV. addit, nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod
„in illo includitur, non eſſe adſcribendam. Hoc accipiendum eſt de illo dolore, qui veræ
„contritionis nomen meretur. Ceterùm ſi imperſectus ſit ob metum malorum, quæ Deus
„rependere ſolet, ut inimicos aut puniat, aut moveat, non ſufficiet ad delenda peccata,
„niſi eum pœnitentiâ actuali jungatur. Licèt enim fiat interventu Spiritus ſancti, non tamen
„eo commorante in animâ. Hoc Concilium adverſus hæreticos docet Seſſ. XIV. cap. IV.
„Verumtamen donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc inhabitantis, ſed
„tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſalutis ſibi ad juſtitiam parat; & quamvis
„ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, ta-
„men eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Verum qui-
„dem eſt, hoc genus pœnitentiæ conceptæ ex timore rei temporalis, ægritudinis, aut alia-
„rum afflictionum non eſſe ſecurum, ac duraturum, ſicut illa, quæ ex vero timore Dei
„naſcitur. *Et poſt alia*: Pœnitentia tamen, quæ ſecuritatem promittit, ea eſt, quæ ex ve-
„ro cordis dolore, & mali deteſtatione ob Dei amorem prodit.

Hi autem Theologi duo cùm neceſſariam in Sacramento contritionem eſſe docent, id omnino præſtant, quod eminentiſſimi quique Doctores ante & poſt Tridentinum Concilium præſtiterunt. Sed cùm id à Concilio ſancitum eſſe colligunt, prætervehuntur illius metam: & maximè Silvius, qui id unum propoſuiſſe ſibi videtur, ut ex Concilio tantùm aſſereret neceſſitatem contritionis. Sanromanus verò præter Concilium adhibet Lazari exemplum & Auguſtini teſtimonium, probationis genera duo, quibus alii Magiſtri communiter utuntur, modumque ſolvendorum ac ligandorum pœnitentium demonſtrant.

Prætervectos igitur eſſe Concilii metam dico, cùm ad illud intelligendum non acceſſerint, quemadmodum ad intelligendam Scripturam Chryſoſtomus, & Cyrillus præſtantiſſimi duo Eccleſiarum Magiſtri, accedendum eſſe docuerunt: Hic in Theſauro aſſertione XX. *Primùm*, inquit, *quidem oportet eum, qui ad inveſtigationem ſacrarum Scripturarum accedit, obſervare tempus, quo aliquid dicitur, & perſonam à quâ dicitur, propter quid, & de quo dicitur.* Ille in Homiliâ de verbis Jeremiæ cap. X. *Allatam*, inquit, *in medium propheticam hanc ſententiam diligenter expendamus. Quis eam protulerit, & quorum cauſâ, quo tempore, & quem alloquens, & quo in ſtatu res tum eſſent, omnia denique perveſtigemus, qua ad inveniendum uſui eſſe poſſunt.*

Verum enim verò ſi quis eam Concilii mentem & intentionem, quam rationibus niſi fallor, optimis indicavi, circumſcriberet, & nonnihil ab eo de iſtâ Theologorum controverſiâ definitum ſupponeret; fatendum eſſet ingenuè, Silvium & Sanromanum viciſſe. Tunc enim petitione principii non niterentur eorum argumenta, quæ modò nituntur. Hoc ſallaciæ genere Theologica non eget veritas. Nam ſpectatis duntaxat Concilii verbis multò validiùs pro contritione, quàm alii pro attritione dimicant. Quod facilè conſtabit, ſi utriuſque partis diſputationes apertum in campum prodeant, & ratio rationi, auctoritas auctoritati committatur. Sed iſta facienda non eſt hypotheſis, cùm id, quod res eſt, tum ex metâ Concilii, tum ex illius adjunctis quæri debet. Veritas non eſt propriis cujuſquam utilitatibus, ſed ſuis momentis ac ponderibus metienda.

OBSERVATIO X.

Excuſari nonnihil poſſunt, qui rem non indagantes altiùs, Concilium modò in unam, modò in alteram partem trahunt.

QUAMVIS Concilium quæſtionem de contritione & attritione in Sacramento Pœnitentiæ Theologis liberam dimiſerit, & in alterutram partem nihil determinaverit, eâ tamen cautione & prudentiâ tractavit materiam, ut niſi quis diligenter advertat, in hanc vel illam partem facilè devolvetur. Concilium mediam tenet viam, nec in confiniis hæret, ſed qui non attentâ mente ſequitur, ad confinia ſenſim ſine ſenſu divertit. Id accidit cùm aliis, tum quoque Martino Navarro celebri moralis Theologiæ Magiſtro,

qui

qui multos Concilii Patres videre potuit, & ita ſcripſit in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ cap. v. de Contritione num. xxxvi. *Decimononò infertur ad illam magnam differentiam, quam idem Magiſter Sotus ponit inter pœnitentiam peccatorum ad ſuſcipiendum baptiſmum neceſſariam, & inter eam, qua neceſſaria eſt ad Sacramentum Pœnitentia, videlicet, quòd ad ſuſcipiendum baptiſmum ſufficit quacumque pœnitudo & deteſtatio peccati cum ceſſatione à peccando: item quòd ſit extra propoſitum peccandi, & quòd non placeat ei peccaſſe, id quod ait ſentire Concilium Tridentinum: quinimò addit ubi ſuprà: Volenti baptizari ſufficere quamtulamcunque attritionem, ut baptiſmi Sacramentum illi conferri poſſit, quamvis manifeſtum ſit eam non eſſe contritionem: Ad Sacramentum tamen Pœnitentia requiri pœnitentiam de peccatis propter amorem Dei, eo quòd peccatum eſt ejus offenſa, & quòd à pœnitente putetur eſſe contritio; vel ſaltem non credatur non eſſe contritio: atque ſibi videri Concilium Tridentinum id ſenſiſſe.* Rectè quidem Sotus dicit, ſibi videri Concilium id ſenſiſſe, cùm revera nullum ſit Concilii caput, nullus canon, ex quo concludi legitimè queat, attritionem, quæ putetur contritio, requiri potiùs, quàm ſufficere attritionem, quæ talis agnoſcatur. Sotus veterem de contritione ſententiam retinere voluit, & quò retineret faciliùs, eam aliquo Concilii odore imbuendam eſſe duxit. Id opinor fecit, ut Vegæ opinionem de attritione improbabilem redderet. Sed hac ſubtilitate opus non fuit, cùm neceſſitas contritionis in Sacramento, Scripturis & perpetuâ Eccleſiæ traditione ſatis aptè confirmetur. Hoc autem placuit obſervare de Soto, qui Navarrum in eandem ſecum opinionem pertraxit.

Observatio XI.

Aſſertâ contritionis neceſſitate, confeſſionis neceſſitas non tollitur, ſed confirmatur potiùs.

SUNT qui ut attritionem probent partem eſſe Sacramenti legitimam, ex contritionis neceſſitate confeſſionem minùs eſſe neceſſariam concludunt. Sed proculdubiò falluntur, cùm vera contritio votum confeſſionis importet. Deinde quicquid eſt hac in re difficultatis, enodarunt cùm alii Theologi, quos pluribus in locis adduxi, tum maximè Joannes Arboreus tom. I. Theoſophiæ cap. xi. ubi confeſſionis neceſſitatem adverſus Lutherum aſſerit: ſic autem loquitur explicando hunc Davidis locum; *dixi confitebor adverſum me injuſtitiam*, quo Lutherus abutebatur: „Illic Propheta diſſerit de firmo & efficaci „propoſito, quo munitus pœnitens pollicetur ſe deteſtaturum fervidâ quadam contritione labem peccati, & licèt Deus agnoſcens hujus pœnitentis mœrorem, triſtitiam & gemitus, jam remiſerit maculam, non propterea erit otioſa auricularis confeſſio. Si enim „nec ſancto propoſito; nec pio affectu vellet ad Eccleſiaſticum miniſtrum contendere, ſed „contemneret claves regni cælorum Sacerdotibus commiſſas, non aſſequeretur à Deo delicti ſui condonationem & veniam. Et quamvis à Deo priuſquam ſe dejiceret ad pedes Sacerdotis remiſſa ſit culpa, multis tamen rationibus properat ad ſalutem. Prima ad præſtandum Deo & ſanctæ matri Eccleſiæ obedientiam, qui ſuis præceptis nos obſtrinxerunt, ut „oſtenderemus nos Sacerdotibus. Secunda, ut per erubeſcentiam & verecundiam, quam „in Sacramentali Pœnitentiâ perferimus, nonnihil pœnæ temporalis peccato debitæ exolvatur. Tertia, ut virtute clavium Eccleſiaſticarum, & Sacramentalis abſolutionis aliqua „etiam pars pœnæ temporalis adimatur. Quarta, ut rudes & illiterati, cùm erudiuntur à „docto Sacerdote, agnoſcunt graviſſimam ſuorum ſcelerum ſarcinam, gravitatem & qualitatem. Quinta, ut confitentes accipiant à Sacerdote ſatisfactionis faciendæ menſuram & „modum, quid & quantum debeant pro ſatisfactione ſuorum delictorum agere. Hic Doctor unus ex omnibus, quos vidi (vidi enim aliquos) momenta confeſſionis ſingula ad præſuppoſitam contritionem diligentiùs expoſuit.

Observatio XII.

Recentiores quidam vehementer abutuntur Canone IX. *Seſſionis* XIV.

QUI Magiſtri, Bonaventuræ, Raimundi & aliorum opinionem de modo abſolvendi refellunt, prorſus abutuntur hoc Concilii canone: *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolvat, aut dixerit, non requiri confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, anathema ſit.* Hic enim canon non alium ferit præter Lutherum, cujus eſt hæc doctrina. *Abſolutionem uſqueadeo eſſe è ſolâ fide, ut pœnitens verè abſolutus ſit, dummodo illud ita eſſe credat, licèt contritione careat, neque ſeriò abſolutus ſit, ſed tantùm joco.*

Item: *In pœnitentiâ & remiſſione peccatorum nihil ampliùs facere Papam, vel Epiſcopum, quàm minimum Sacerdotem, quinetiam ſi deſit Sacerdos, quemlibet Chriſtianum, immo feminam, immo puerum poſſe idem aquè perficere.*

Deinde Concilium canonis iſtius doctrinam ſic explicat cap. VI. ejuſdem Seſſionis XIV: *Quamvis abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata: ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo velut à judice ſententia pronunciatur, atque ideo non debet pœnitens adeo ſibi de ſuâ ipſius fide blandiri, ut etiamſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſolvendi deſit, putet tamen ſe propter ſuam ſolam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pœnitentiâ remiſſionem illam peccatorum præſtaret, nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem jocosè abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.*

Petrus Sotus Concilii Theologus eandem Heterodoxorum opinionem ſic quoque explicat lect. IV. de neceſſitate contritionis: *Hæretici omnes moderni verba hæc (quorum remiſeritis, &c.) putant ad prædicationem Evangelii pertinere & confirmationem fidei. Ita ut non aliud ſit abſolvere, quàm certam Evangelii doctrinam & remiſſionem peccatorum huic peccatori annunciare, quam ille, inquiunt, certè tenetur credere, ſi vult ſibi remitti peccata.* Hæc autem Novatorum doctrina, quæ & à Concilio & à Soto explicata eſt, quid habet commune cum doctrinâ Catholicorum, quorum definitiones ſententiaſque retulimus affluenter?

Novatores ad peccati remiſſionem exigunt ſolam fidem, quæ contritione & gratiâ careat vel certè carere poſſit. Catholici Doctores ad peccati remiſſionem exigunt perfectam contritionem, quæ nec fide nec gratiâ caret, aut carere poteſt.

Novatores dicunt Sacerdotem verè abſolvere, ſive ſeriò ſive joco abſolvat. Catholicorum Doctorum nemo ita temerè loquitur.

Novatores in abſolutione Sacerdotis non actum judicialem, ſed nudum duntaxat miniſterium agnoſcunt, quale foret in feminâ vel puero. Catholici Doctores in abſolutione, ſeu pœnitentis reconciliatione, quâ totum dandæ pœnitentiæ ordinem continet, non unum tantùm, ſed duos Sacerdotis actus judiciales agnoſcunt & prædicant: Unum, quo abſolutione digni ab indignis diſcernuntur: hoc eſt, quorum remiſſa jam à Deo per contritionem culpa, vel defectu contritionis non remiſſa oſtenditur: Alterum, quo dignis aliqua pars pœnæ peccatis debitæ condonatur, & pro pœnâ ſuperſtite ſatisfactio imponitur. Hi autem duo actus quamvis à Sacerdote tanquam à judice procedant, poſterior tamen peculiari ratione judicium appellatur, qua de re ſic beatus Thomas quæſt. X. art. V. ad primum: *In confeſſione*, inquit, *Sacramentali non ſolùm requiritur abſolutio, ſed judicium Sacerdotis ſatisfactionem imponentis expectatur.* Ubi videtur abſolutioni opponere judicium, quo juxta culpæ modum & contritionis menſuram ſatisfactio injungitur.

Præterea Concilium doctrinam novam, non antiquam percellit, Lutheri doctrina ſic nova eſt, ut ex duobus Theologiæ principiis nihil habeat, quo eam ſuſtentet. Catholicorum doctrina præ ſe fert antiquitatem, univerſitatem, nec ſpernendam in antiquitate conſenſionem. Quod in hoc opere declaratum eſt abundè. Sed iſtud non attendunt, qui veterem pœnitentiæ diſciplinam & Theologiam non attendunt, qui licèt Tridentino Concilio non interfuerint, quæ in eo geſta ſunt, meliùs ſe putant intelligere, quàm qui magnâ cum eruditionis & pietatis laude interfuerint. Atque in-primis Andreas Vega, & Dominicus Sotus, qui os ipſius impudentiæ ſua ſinceritate & modeſtiâ obturarint. Et revera non poſſum ſatis illos mirari, qui hoc arcani genus ſibi ſumunt, & magnâ contentione vindicant. Sed cuique licet ſuo ſapere modo.

OBSERVATIO XIII.

Redditur ratio, cur qui poſt Lutherum & Concilium veterum de contritionis neceſſitate opinionem retinuerunt, modum loquendi de formâ abſolutionis non retinuerint.

CERTUM eſt nonnullos ex iis, qui veterum, Magiſtri putà, Bonaventuræ, Raimundi opinionem de neceſſitate contritionis in Sacramento retinuerunt, modum loquendi de abſolutionis formâ non retinuiſſe. Id cap. II. poſterioris partis de Cornelio Janſenio Gandavenſi Epiſcopo, & cap. III. ejuſdem partis, de Claudio Guillaudo, & Joanne Arboreo facilè poteſt obſervari. Sed ii Doctores mutato loquendi modo ſic diſputant, ut omnem tollant inconſequentiæ ſuſpicionem. Sunt verò alii, qui niſi cominùs inſpicias, ita diſſerunt, ut aliquando videantur cum inconſequentiâ locuti. In exemplum ſint duo, Marianus Victorius, & Alfonſus Salmeron.

Primus

Primus in libro, quem cap. III. poſterioris partis laudavimus, ſic diſputat cap. XIII. de abſolutione, poſtquam ea dixit, quæ retulimus: *Toto igitur aberrant cælo ii, qui aſſerunt nequaquam per Paſtores remitti peccata, ſed tantùm declarari remiſſa. Hoc enim modo falſa & alieno in ſenſu poſita eſſent illa verba Chriſti, cùm dixit, quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: & alibi, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; cùm aliud omnino ſit ſolvere & remittere, aliud ſolutum & remiſſum declarare, & illud ad judicem, hoc veriùs ad doctorem & expoſitorem pertineat.* Quibus verbis non refellit Doctores Catholicos, quibus reipſa conſentit, ſed Heterodoxos, qui verba illa Scripturæ ad ſolam Evangelii prædicationem detorquent. Quare Marianus dicit, id veriùs ad doctorem, quàm judicem pertinere. Potuiſſet tamen rem explicare paullo uberiùs: ſed eum intricavit mota inter Hugonem Victorinum, & Petrum Lombardum ſuper contritionis effectu controverſia, cujus momentum non ita probè tenuit. Sic à Mariano quidem mutatum in modo docendi veterum, ſed in doctrinâ nihil mutatum.

Alter, qui ut notavimus cap. VII. poſterioris partis, contritionem ante Sacramentum, vel tandem in ipſâ Sacramenti ſuſceptione poſtulat, ſic eo loci argumentatur in verbo, *Remiſeritis: Oſtendit Sacerdotes abſolvendo verè remittere peccata, & non tantùm oſtendere remiſſa, & confitentem abſolutum, & non tantùm peccatorum pœnas, ut quidam volunt, ſed ipſas culpas, quæ præcipuè ſunt peccata, miniſterio ſuo abſolvere, quamquam Deus principaliter remittat.* Sed injectam à ſe difficultatem relinquit Salmeron, haud ſignificans ibi, quò in remiſſione culpæ Deus, & quò Sacerdos, & quâ ratione pertingat.

Hunc autem intricatum loquendi modum, niſi me fallit animus, tria pepererunt: Unum, quòd quidam uni ſe beato Thomæ addixerant, qui licèt reipſa & ſpectatis omnibus, nec à præceptoribus ſuis Alberto & Alenſi, nec à communi temporis illius ſententiâ, quam beatus Raimundus expoſuit, receſſerit, abſolutionis tamen formam aliter expreſſit; mentemque propterea nonnullis dubiam ita fecit, ut in partes varias ducatur: immo ſunt ex recentioribus, qui quam abſolutionis formæ, ut credunt, dedit interpretationem, rejiciant.

Alterum, quòd alii timuerint, ne in damnatum à Concilio Lutheri dogma incurrerent, quo nudum in abſolvente Sacerdotale miniſterium agnoſcebat. Sed dogmate Lutheri non bene intellecto timuerunt, ubi timendum non erat. Scio quidem, neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timet, ſed hic nullus eſt juſto timori locus. Ad novitatem enim doctrinæ, quam Lutherus induxit, timendum erat, non verò ad antiquitatem doctrinæ, quam à majoribus acceptam Catholici Doctores aſſerebant, & poſteris conſignabant. Nam ut Goffridi Vindocinenſis verbis utar, *determinanda eſt iſta* (Concilii) *ſententia ſapienter, ut intelligi poſſit utiliter, & fidei noſtra integritas conſervetur.*

Tertium, quòd quidam hinc falsò crediderint, verba hæc, *Abſolvo te à peccatis*, omni retro ætate uſurpata fuiſſe, dum à Sacerdotibus pœnitentes abſolverentur, & reconciliarentur Eccleſiæ; inde non acceperint, quomodo acceperunt, qui quo propemodum tempore veteribus abſolvendi formulis indita fuerint, vixerunt.

Inter eos Alexander Alenſis Doctor Irrefragabilis dictus, ſit accepit quartâ parte Summæ quæſt. LXXIX. memb. VIII. art. I. antiquæ editionis, vel quæſt. XX. memb. VIII. art. I. novæ editionis: *Dico ergo, quòd in contritione dimittitur culpa & reatus, id eſt, debitum mortis æternæ, & hoc ex ſententia ſive miſericordia judicis; Hujus autem ſententiæ promulgator eſt Sacerdos, qui eſt quaſi os Domini, de quo Hierem.* XXV. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Ex hoc eſt, quòd ſicut os judicis quaſi ſubditum ſibi promulgat ſententiam judicis, & eſt unitum judici, ſic Sacerdos ſecundùm habitudinem ſubjectionis, quam habet ad Deum, eſt promulgator ſententiæ & ei unitus: ſic enim Sacerdos loquitur, & promulgat ſententiam judicis, quaſi in perſonâ ejus dicens: Excommunico te, vel abſolvo te, id eſt, judico te abſolutum ſcilicet à culpâ.*

Poſt Alenſem Innocentius IV. Pontifex ſic accepit lib. V. Decretalium de pœnis & remiſſ. tit. XXXVIII. cap. III. *Sed quæres*, inquit, *quid eſt dictum* (in foro pœnitentiali) *abſolvo te à peccato, id eſt, denuntio te abſolutum.* Ubi tamen excluſionis ſeu exceptionis particulam nullam addidit, contrà quàm nonnulli ætate noſtrâ non ſatis conſultò addiderunt. Niſi forſan cùm addiderint, reſpectu culpæ duntaxat additam intellexerint: ſed eorum, qui unum tantùm aut alterum è Magiſtris recentioribus legunt, vitandæ offenſionis gratiâ addendum illud fuiſſe puto.

Sanctus Thomas Innocentio æqualis non multum recedit, eadem verba ſic interpretatus: *Abſolvo te, id eſt, Sacramentum abſolutionis tibi impendo.* Qui enim juxta Innocentium denuntiat pœnitentem eſſe quoad culpam abſolutum, illi Sacramentum abſolutionis impendit. Quòd autem ſanctus Thomas non multùm ab illo Pontifice recedat, ex

duobus præſettim liquet; ex eo primùm, quòd ibi dicat, ſuam interpretationem eſſe perfectiorem aliâ: perſectum autem à perfectiori non valde diſtat, cùm id ad explicationem magis, quàm ad rem explicatam pertineat: Deinde ex eo quòd in Supplemento quæſt. XVIII. art. I. ita ſcribat: *Secundùm aliam opinionem, quæ ſuſtinetur communiùs, Sacramenta nova legis emundationem oſtendunt divinitùs factam: & hoc modo etiam Sacerdos novi Teſtamenti oſtendit abſolutos à culpâ, quia proportionaliter oportet loqui de Sacramentis & poteſtate miniſtrorum.* Eoque ſpectant illa, quæ opuſculo de formâ abſolutionis reſpondet cap. II. ad argum. VII. quod ex Lazaro ſuſcitato objicitur: *Per hoc*, inquit, *non oſtenditur, quòd Sacerdos non abſolvat, aut non debeat dicere, abſolvo te, ſed quòd eum non debeat abſolvere, in quo ſigna contritionis non videt, per quam homo juſtificatur interiùs à culpâ remiſſâ.*

Quæ omnia non animadvertens Petrus Sotus, lect. IV. de materiâ & formâ Sacramenti Pœnitentiæ ſcribit: *Eſt circa hæc verba, abſolvo te à peccatis tuis, digna conſideratione dubitatio de propriâ eorum ſignificatione atque virtute. Nam ut patet, Sacramenta efficiunt, quod ſignificant. Eſt ergo hic articulus de proprio effectu Sacramentalis abſolutionis. Neceſſe eſt enim id efficere, quod ſignificat, & è contrario ſignificare quod efficit. Eſt hæc quæſtio inter illos priores Hugonem, & Ricardum de ſancto Victore, Magiſtrum ipſum & ſequentes. Hi igitur omnes propter neceſſariam præparationem & contritionem ad abſolutionem à peccatis conſequendam, vehementer dubitarunt, quid verba illa Sacramentalia operentur.* Non dubitarunt de ſenſu horum verborum, quia nondum erant uſu communi recepta in foro pœnitentiæ, ut ex pluribus colligi poteſt.

Et primò quidem ex Pontificalibus libris omnibus, qui ante Hugonis ætatem deſcripti reperiuntur, in quibus non comparent; deinde ex Radulfo Ardente Homiliâ in Letania majori; tum ex Guillelmo Pariſienſi lib. de Sacramento Pœnitentiæ; quartò ex beato Thoma in Opuſculo de formâ abſolutionis, ubi cap. ultimo objectioni, quæ his verbis *abſolvo te*, epocham ſtatuit, reſpondet, & reſpondendo quæſtionem facti in quæſtionem juris convertit: Quintò ex Rainerio Piſano Ordinis Prædicatorum Theologo in Pantheologiâ part. I. cap. V. Sextò ex Atrebatenſi Concilio, quod anno M. CCC. LXIV. celebratum eſt: Poſtremò ex multis Ritualibus editis, quæ in formulâ abſolutionis verba illa memorata non habent. Longum eſſet omnia recenſere.

Ceterùm cùm Hugo, Ricardus, & Magiſter Sent. in exigendâ contritione convenirent, utrùm in contritione remitteretur culpa tantùm, non verò æternæ pœnæ reatus dubitarunt. Hugo & Ricardus aiebant, Magiſter & alii negabant. Hæc eſt illorum pura puta contentio, quam videtur Sotus ignoraſſe. In aſſignando autem verbis illis effectu Alexander Alenſis, & Innocentius IV. non hæſitaverunt. Prima verborum ſignificatio fere ſemper clara eſt, ſed variis, quæ poſtea ſuccreſcunt, altercationibus inobſcuratur.

OBSERVATIO XIV.

In hac propoſitione, ex attrito fieri contritum, novus aperitur ſenſus, iſque alter ab expoſito & confirmato in poſteriori parte, præcipuo auctori ſuo vindicatur, ſed fruſtra.

IN poſteriori parte ad cap. VII. notavi tria: Unum eſt, poſt Lateranenſe Concilium IV. ſcilicet poſt annum M. CC. XV. in ſcholam inductas eſſe has propoſitiones duas, ex attritione fieri contritionem, ex attrito fieri contritum. Alterum, poſteriorem ptopoſitionem ex priori natam eſſe. Tertium, in eo ſenſu, qui his propoſitionibus primùm datus eſt, à communi tunc temporis opinione non recedi. Sed poſtea cœperunt à nonnullis aliter exponi, atque ita exponi, ut ab illa communi opinione recedatur: hic autem ſenſus cò tendit, ut attritio ſimplex Sacramento juncta peccatorem juſtum efficiat, vel ut clavium poteſtas præviâ tantùm attritione remiſſionem culpæ primò per ſe & directè operetur, id eſt contritioni æquivaleat. Joannes Scotus qui circa annum Chriſti M. CCC. floruit, præcipuus auctor nominari conſuevit. De quo Joannes Raulinus qui circa annum M. D. claruit, ita ſcribit Serm. XXII. de Pœnitentia: *Secundùm Doctorem Subtilem per confeſſionem de attrito ſit homo contritus.* Quod & alii plures ſignificant, tum maximè Jacobus Almainus, qui ad annum M. D. XI. Lutetiæ Theologiam magnâ cum laude & commendatione nominis docuit. Locus eſt in quartum Sent. in quo Magiſtri, & Scoti dictata expendit diſt. XVIII.

De hac quæſtione ſunt duæ opiniones, una eſt Magiſtri, quæ conſiſtit in duobus dictis: primum, Sacerdos Evangelicus virtute clavium nunquam remittit culpam. Allatis Magiſti rationibus ſubdit: *Secundum dictum ejus eſt: Claves iſtæ duplici modo ſe extendunt ad pœnam: primò ad pœnam relaxandam, ſecundò ad pœnam injungendam: & nunquam ad culpam. Nam poſt*

quam

quam culpa eſt remiſſa per contritionem, reſtat pœna luenda in Purgatorio. Et poſt alia: *Ecce dicta Magiſtri, quibus ſe confirmant multi antiquorum, & ipſe Gabriel. Doctor* (Scotus) *quantum ad primum, eſt omnino opinionis oppoſita.* Relatis verò & confutatis Scoti rationibus ſic ait: *Sed apparentia eſt pro oppoſitâ parte & contra Doctorem. Sacramentum enim Pœnitentia eſt Sacramentum, quod ſolùm ſuſcipi debet ab adulto utente ratione: ergo ut aliquis poſſit hoc Sacramentum ſuſcipere, requirit præviam diſpoſitionem ex parte ſuſcipientis. Nam Sacramenta, quæ non poſſunt miniſtrari, niſi adultis, prærequirunt diſpoſitionem in ſuſcipiente, & non diſponens ſe & ſuſcipiens peccat actualiter, & ponit obicem: ergo ex præcepto divino requiritur diſpoſitio prævia; ſed talis diſpoſitio eſt ſufficiens ad remittendam culpam apud opinionem probabiliorem: ergo nunquam virtute Sacramenti remittitur peccatum. Patet minor. Vel ſuſcipiens Sacramentum fecit ſufficientem diligentiam ad recognitionem peccatorum, vel non adhibuit: ſi non, ergo peccat mortaliter ſuſcipiendo: vel fuit diſplicentia benè circunſtantionata, vel non; ſi non, ergo peccat actualiter, ergo non ſuſcipit gratiam. Si dicas, quòd habet utrumque, ſcilicet ſufficientem recognitionem ex ſufficienti diligentiâ, & cum hoc diſplicentiam benè circunſtantionatam: ergo apud eos, qui dicunt, quòd non requiritur diſplicentia in certo gradu, nec per certum tempus continuata, ſed ſufficit diſplicentia benè circunſtantionata, & præcipuè circunſtantia finis, nunquam virtute Sacramenti remittitur peccatum, & ita oportet neceſſariò fateri.* Hæc ille ad annum M. D. XCI. in quibus præter morem deſerit Scotum, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd opinio Scoti vetuſtioribus Theologis non concordet: ſed jam antea deſeruerat quæſt. I. de Confeſſione: *Si eſt*, inquit, *aliquis paſſus* (Scripturæ), *erit iſte poſt reſurrectionem, Joan.* XX. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remiſſa erunt, & quorum retinueritis retenta erunt. Et arguitur ſic, ſicut arguunt Doctores communiter, quòd confeſſio ſit de jure divino: Nam ex illo paſſu collata eſt Apoſtolis poteſtas arbitrandi, ſeu judicandi non principaliter, ſed miniſterialiter in peccatis,* ET JUDICANDI HOMINEM ESSE ABSOLUTUM, VEL NON ESSE ABSOLUTUM A QUIBUSCUNQUE PECCATIS, *ſed ſic eſt, quòd nullus poteſt benè arbitrari & judicare de peccatis, niſi ſit notum, vel per teſtes, vel per confeſſionem peccatorum: ergo.* In eo tamen Scotum ſequitur, quòd hujus Sacramenti naturam totam abſolutioni tranſcribat. Ego breviùs refellerem, quicquid Scotus de attritione & clavium poteſtate aſſeruit. In-primis novum eſt, id quod de utroque aſſeruit, vel certè falſum, quod beatus Raimundus de contritione & de clavium efficaciâ confirmavit: ſed id non eſſe falſum cap. VIII. prioris partis oſtendimus. Quamobrem, ut Tertulliani verbis utar, adverſus Scotum *compendii gratiâ de poſteritate præſcribo.* Deinde Scotus quæſtionem hanc Theologicam Philoſophicè, non Theologicè tractavit. Res autem tanti momenti tractanda fuit Theologicè, id eſt, rationibus, quæ ex duobus Theologiæ principiis, Scripturâ & traditione, ducerentur. Hoc autem ſi quando neceſſarium eſt, tunc vel maximè, cùm vel nova in Theologicis propoſitio, vel novus de re loquendi modus inducitur, ut is certè, quo Joannes Scotus *ex attrito fieri hominem contritum* diſſeruit.

OBSERVATIO XV.

Explicatur, quibus rebus reſervatorum caſuum diſciplina continetur, quibus in tuta eſt, & quibus nonnihil immutata.

DUO ſunt, quibus reſervatorum caſuum diſciplina omnis comprehenditur. Unum, recepta dudum per Romanam & alias Occidentis Eccleſias conſuetudo, quâ pœnitens, qui & reſervatos & non reſervatos caſus habet, ſic duobus confitetur Sacerdotibus, ut ab uno unam uno in loco, ab altero alteram in altero loco nonnunquam remotiſſimo abſolutionem conſequatur. Alterum, Theologicæ rationi conſentaneus explicandæ illius conſuetudinis modus. Hæc autem duo ita comparata ſunt inter ſe, ut quas difficultates primum objicit, eas omnes diluat ſecundum. Nec occurrit aliud quicquam, quo breviùs & faciliùs diluantur. A gravi temeritate non eximerem eos, qui morem adeo universè receptum, & pluribus ſæculis frequentatum accuſarent. Hunc enim Eccleſia gravibus de cauſis induxit. Perſuaſum quippe habuit homines à perpetrandis atrocioribus flagitiis deterreri eò magis, quò laborioſiùs veniam eorum abſolutionemque obtinerent; & cùm modò unum Sacerdotem adirent, modò alterum, majori pudore ac verecundiâ frangerentur. Eâ in re partem eſſe Pœnitentiæ non modicam, Patres affirmant. Quinetiam Scholaſtici non abnuunt, & cum primis ſanctus Thomas quæſt. X. art. V. *Confeſſio directè ordinatur ad dimiſſionem pœnæ, quod quidem facit ex erubeſcentiâ quam habet, & ex vi clavium, quibus ſe confitens ſubjicit.* Et poſt alia: *Sed*

Sed ex illâ parte, quâ erubeſcentia confeſſionis peccati pœnam minuebat, pœna iſtius, de quo quis ſpecialiter coram Sacerdote non erubuit, non eſt diminuta. Verùm ante annos centum & quadraginta nonnulli fuere Doctores, qui piam conſuetudinem propriis momentis cùm minimè perpenderent, illius abrogandæ viam ſuis diſputationibus volaticis aperuerunt. His Joannes Major Pariſienſis Theologus *communem Eccleſiæ conſuetudinem, & ſaniorem Theologorum opinionem* ſapienter opponit, in quartum diſt XVII. quæſt. III. concl. III.

Tum abhinc annos quoque fermè quinquaginta quàm dimicans pro attritione opinio non rationum bonitate juxtà atque auctorum multitudine corroborata eſt, reſervatorum caſuum diſciplina quibuſdam in locis cœpit aliter tractari. Ex opinionis enim illius principiis diſputatum eſt, peccatum unum ſine alio remitti, & gratiam cum peccato conſiſtere non poſſe, ut confeſſionem, ita nec abſolutionem quæ ad Sacramentum pertinet, dividi non poſſe; & tandem factum eſt, ut non reſervati perinde ac reſervati caſus deponantur apud unum duntaxat Sacerdotem, à quo beneficium abſolutionis impertitur. Atque ita grave illud negotium, quod antea inter pœnitentem, & Sacerdotes duos, quorum unus ab altero ſæpe multùm diſtabat, tranſigebatur, nunc inter pœnitentem & Sacerdotem unum tranſigitur. Sed quod notandum maximè, in veteris diſciplinæ mutatione homines à committendis, quæ reſervantur, criminibus, non magis quàm anteà deſtiterunt. Idque cùm alia teſtantur multa, tum id quoque, quòd nec numerus Sacerdotum ab expiationibus, nec pœnitentium turba decreſcat. Quare per hanc licentiam nec judicium melioris partis emergit, nec ad illam diſciplinæ mutationem aptari facilè poteſt iſtud Tertullianicum, cap. I. de velandis virginibus: *Hac lege fidei manente*, (quam antea retulit) *cetera jam diſciplina & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & perficiente uſque in finem gratiâ Dei.* Ad hanc mutationem contulit & aliquid aliud, quod adjicerem, niſi probè noſſent illud Sacerdotes piacularium rituum præfecti. Sed ipſi viderint.

OBSERVATIO XVI.

Explicantur cauſæ quatuor, quibus dimidio abhinc ſæculo factus eſt major pro attritione, quàm pro contritione opinantium numerus.

IN priori parte cap. VIII. Franciſcus Suares aſſerit, opinionem, quæ attritionem Sacramenti partem idoneam facit, non eſſe admodum communem, nec valde antiquam. Ego verò dico communiorem eſſe factam ab eo tempore, quo inſignis ille è ſchola Theologus ſcripſit. Cur autem id ita contigerit, diſquirere non erit inutile. Doctiorum ea ſuper re ſententiam opperior, & iis interim ſubmitto, quam pronunciaturus ſum. Hujus igitur rei cauſas invenio maximè quatuor.

Primum locum tenet non intellecta mens & intentio Tridentini Concilii, quod ita Sectariorum placita damnavit, ut Catholicorum nullam receptam de attritione vel contritione opinantium ſententiam ſimul damnare voluerit. Quidam hoc non aſſecuti crediderunt perperam, à Concilio judicatum eſſe ſecundùm eos, qui attritionem Sacramenti partem, ſeu præparationem ad illud legitimam fecerant. Quo ita conſtituto, pro attritione juxtà ac pro Catholico dogmate pugnarunt, contrariam opinionem hæreſeos labe aſperſerunt, & Rituales libros ad ſuam accommodarunt opinionem, expunctis quæ officere viderentur. Quod non accideret, vel certè multò prudentiùs & regulis Eccleſiaſticis convenientiùs accideret, ſi Canon iſte alterius Milevitani Concilii ſervaretur: *Nec alia omnino* (preces, præfationes, orationes, commendationes, manus impoſitiones) *dicantur in Eccleſiâ, niſi quæ à prudentioribus tractata, vel comprobata in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit comprobatum.* Sed præter ea, quæ iis hoc in opere oppoſui, nunc oppono, quod Joannes Major in tertium Sent. diſt. XXXVII. quæſt. XXVI. ſcribit his verbis: *Non eſt minùs hæreſis aſſerere, aliquid eſſe de fide, quod nullatenus de fide eſt, quàm negare aliquid de fide, quod eſt de fide.*

Deinde ſuccedit non ſatis moderata diſputandi ratio contra Novatores, qui poteſtatem clavium vel funditùs ſuſtulerant, vel nimium depreſſerant. Nam è Catholicis fuerunt, qui hunc errorem ut oppugnarent, in aliud inclinarunt extremum, & poteſtatem clavium nimis extulerunt. In Ethicis virtus inter extrema duo vitia conſiſtit, atque ut defectus corrigatur exceſſu non eſt opus, ſed mediocritate, ad quam virtus revocari perpetuò debet.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Sic in Theologicis doctrinæ novitas, quæ facit hæreſim apud Chriſtianos, refellenda non eſt

eſt aliâ novitate doctrinæ ,. ſed antiquitate , quæ unam è Catholicæ fidei notis conſtituit. Novitas doctrinæ hoc ipſo novitas eſt , quòd antiquitati contradicat. Eutyches Neſtorianæ novitati aliam novitatem oppoſuit , & eam ob rationem propriæ hæreſeos auctor extitit.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim , quandoquidem non providerat , ut Neſtorio antiquitatem opponeret, eique inhæreret, *quæ prorſus tam non poſſet ab ullâ novitatis fraude ſeduci*, ut loquitur Vincentius Lirinenſis cap. IV. Commonitorii I.

Tum adeſt tractata à quibuſdam perfunctoriè Scripturarum , veterum Patrum & Doctorum Theologia , quæ ad Eccleſiaſticorum dogmatum confirmationem ſemper neceſſaria fuit. Aliquos enim reperias, qui dum quæſtionem hanc tractant , neque Scripturarum , neque Patrum meminerint. De conſimilibus ſcholaſticis Albertus Pighius lib. VI. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. IV. ſic conqueritur : *Nam paradoxa ut videantur pleraque , quæ ex Theologicis illis principiis alioqui ſunt evidentiſſima , fecit ſacrarum Litterarum , & Eccleſiaſticæ illius antiquitatis , orthodoxorumque Patrum , qui jamdiu regnavit , neglectus , & recepta pro illis profana quadam quidvis ex ſuo ſtatuendi definiendique temeritas.*

Poſtremò adjungitur ſacramentuum illud , quo nonnulli in auctoritatem & verba magiſtri ſui jurant , & tum demum credunt ſe valde doctos & ſubtiles eſſe , ſi quælibet illius placita tanquam oracula defendant. Id hominum genus graviter olim reprehendit Durandus ſuâ in Magiſtrum Sent. præfatione : *Modus* , inquit , *loquendi aut ſcribendi in ceteris , quæ fidem non tangunt , eſt magis ut innitamur rationi , quàm auctoritati cujuſcunque Doctoris , quantumcunque celebris vel ſolennis , & parvipendatur omnis auctoritas humana , quando per rationem etiam eluceſcat contraria veritas. Quamvis enim captivandus ſit intellectus noſter in obſequium Chriſti , ut in his , quæ tangunt fidem , plus acquieſcere debeamus auctoritati ſacræ Scripturæ , quàm cuicunque rationi humanæ , quia divina notitia , quam exprimit ſacra Scriptura , plus excedit humanam notitiam , quàm humana notitia beſtiales : tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem.*

Durandum excipit Pariſienſis Cancellarius in tractatu de appellatione à Pontifice : *Hanc*, inquit , *materiam latiſſimè & ſtudioſiſſimè proſecutus eſt , & fundavit Okam in dialogo ſuo , cujus ſolius auctoritati non oportet inniti , quamvis fuerit egregius Theologus ; ſed innitendum eſt rationibus ſuis pro quanto robur & auctoritatem accipiunt à ſacrâ Scripturâ , cujus contemptus ſæpe cum ſuis profeſſoribus duxit , & ducet in errores.*

Pariſienſem Cancellarium ſequitur Joannes Major in quartum Sent. diſt. XV. quæſt. XXXVIII. *Thomiſtas* , inquit , *omnes non ſuppuſo præter ſolum beatum Thomam. Ratio : erant adducti jurare in verba Magiſtri : ſecus eſt de Henrico , qui liberè locutus eſt ſecundùm quod judicabat.*

Ad utrumque accedit Judocus Clicthoveus Pariſienſis Theologus , in eâ ad Franciſcum Molinum epiſtolâ , quâ Jacobi Fabri Stapulenſis librum de Magdalenâ confirmat : *Adde* , inquit , *aliquos eſſe , qui nonniſi ſuo credunt conſilio , & quod ſemel aſſeruerunt , volunt oraculo ſolidius haberi. Alii auctoritatulâ una , aut unius ſcribentis dicto , ut equus capiſtro retinentur , & ceteros aſpernantur , qui eâ de re aut dixerunt , aut ſcripſerunt , aliamque ſpernunt rationis indaginem.*

Hæc ergo quatuor , ductum minùs conſideratè ex Tridentino Concilio præjudicium , in confutandis Novatoribus [illegible] , incurata Scripturæ & traditionis Eccleſiaſticæ cognitio ſeu inapparatio , atque in hujus vel illius Magiſtri verba juramentum , perfecerunt maximè , ut abhinc annis ſexaginta multo plures quàm antea , ſeſe ad opinionem , quæ pro attritione diſputat , aggregarint.

Habes nunc PRÆSUL AMPLISSIME , quibus de cauſis Tridentina Synodus Theologicam de contritione , & attritione controverſiam non diremerit , & quare illam ſcholæ liberam , curiſque agitandam gravioribus reliquerit. Habes quid in hac ſentiendi libertate ſecurius teneatur , & ad ſalutem efficacius. Hinc enim opinio , quæ attritionem Sacramenti partem idoneam eſſe defendit , ab auctoribus omni ſuſpicione carentibus nec certa , nec tuta , nec antiqua , nec communis publicè judicatur : Inde ſententia , quæ contritionem Sacramenti partem eſſe neceſſariam tuetur , contrarias dotes ſibi vindicat , & per legitimæ traditionis lineam ad optima Eccleſiæ ſæcula reducitur , & cum Scripturis appoſitè cohæret. Hæc autem ſententia illi opinioni meritò anteferri & poteſt & debet , ſed tamen in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis anteferenda eſt , & ſervanda ſemper Eccleſiæ concordia , qua nihil Deo gratius , nihil ſenſui Patrum convenientius , nihil ædificandis in domo Dei populis aptius. Tanta fuit priſcis illis Patribus caritatis cura , ut ritus quoſdam perperam receptos aliquando toleraverint , ne vel minimam diſſidii occaſionem præberent.

Lau-

Laudatur Dionyſius Alexandrinus, quòd eximiâ ductus ratione Novato Eccleſiam perturbanti ſcripſetit, ſchiſmatis, quàm idololatriæ fugam eſſe multò commendabiliorem. Gaudeo mihi te & probare memoratam veterum Chriſtianorum συγκατάθεσιν, & ſentire cum Dionyſio, paremque cum tanto Antiſtite laudem mereri.

Porro autem ſi quid tibi hoc in opere diſplicuerit, diſplicebit quoque mihi, atque ego ipſe primus omnium expungam, ſubſtitutis melioribus, quæ offerentur. Si quis verò alius certiori methodo deprehenderit, Tridentinos Patres aliter feciſſe, quàm eos feciſſe docui, aut aliter veteres Magiſtros de contritionis neceſſitate & de poteſtate clavium judicaſſe, quàm eos judicaſſe retuli, libenter id ſtudioſeque amplectar, ei voce maximâ veritatis aſſertionem primùm, deinde relatam de me victoriam mihi ceteriſque utilem gratulaturus.

Facundus Hermianenſis Epiſcopus lib. IV. cap. IV.

Quis porro auctoritatem poſſit contemnere iſtorum? quis dubitet talium ſequi ſententiam? videns, quoniam liberè ab eis & intrepidè veritas prædicatur.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS,

PARISIENSIS THEOLOGI

DE MENTE TRIDENTINI

Concilii circa Satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ

DISSERTATIO.

Tertullianus in libri de Pœnitentiâ capite VII.

Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes, habes, cui ſatisfacias, & quidem volentem.

Et in Capite IX. *Satisfactio confeſſione diſponitur.*

EPISTOLA

Ad Virum Clariſſimum GERMANUM HABERTUM *Sancti Vigoris Cerifiaci, Abbatem meritiſſimum.*

CUR ſe tibi ſiſtat Diſſertatio hæc, *Vir Clariſſime*, faciunt quæ duo ſumma ſunt in te, pietas & eruditio. Hæc de mente Concilii Tridentini quæſtionem movit, num verum eſſet, quod illi de modo agendæ ante abſolutionem ſatisfactionis tribuitur, & eâ ſtudiorum contentione tribuitur, ut piorum hominum animos non mediocri religione ſollicitet: Illa verò eâ ſuper re Diſſertationem à me exegit, in quâ hoc argumenti genus tractarem. Hæc autem dum ſic agerentur, intelligebam ſatis, me operi huic pro dignitate vacare non poſſe: ſed quia nullus erat tam humanum imperium detrectandi locus, tenuitati meæ ſic conſului, ut nihil eſſet, quod meâ cauſâ cauſæ deperiret, & haberes aliunde, in quo tua & pietas & eruditio acquieſcerent. Hoc ita demum factum eſt, ubi certos quoſdam in ordines & quaſi claſſes diſtribui, de propoſito lemmate quid Concilii Tridentini Patres, quid eorum Equales, quid ſuppars Epiſcopi ac Theologi memoriæ prodiderint. Etenim qui hoc nominantur loco, ii ſunt vel maximè, à quibus certum eâ de re judicium expectandum eſt. Scilicet apprimè noverunt, alii, quid, ſi ſuperis placet, in Concilio dixerint, aut ſignificaverint; alii, quid ſtante Concilio dictum aut ſignificatum acceperint; alii tandem, quid docentibus poſt Concilium hominibus Concilii didicerint. Quæ autem in Sacramento Pœnitentiæ imponitur ſatisfactio, eam ritè poſt abſolutionem fieri, quemadmodum ante Concilium & ipſo Concilii tempore fiebat in Eccleſiâ, dixerunt, acceperunt, didicerunt. Tantùm abeſt, ut quæ contraria diſci-

plina

plina eſt, eam à Concilio definitam tradiderint, vel ſaltem plures ab eodem apertas eſſe vias ſcripſerint, quibus agendæ ante abſolutionem ſatisfactionis uſus inducatur. Et verò licèt plerique, quos hic teſtes appello, id omnes unâ profiteantur voce: ſunt tamen ex iis nonnulli, qui receptam in Eccleſiâ diſciplinam adverſus heterodoxos tam acriter defendunt, nihil ut ſuprâ eſſe poſſit. Hinc equidem ſpero ſatisfactum iri eruditioni tuæ, quæ muſis dudum exculta purioribus, te ad * Gallicæ eloquentiæ culmen evexit; inde pietati, quæ cùm vitâ ad virtutum genus omne compoſitâ, tum privatis colloquiis, operibus & habitis ad populum concionibus illuſtris reddita, in exemplum aliorum venit. Nam pro eâ, quâ plurimùm vales judicii acrimoniâ, rectè pervidiſti, rem potiſſimùm ex Tridentino Concilio pendere, quod alii dum mirum quantum oſtentant, ratiocinationis ſuæ totius arcem oſtentant, vel certè nobis quaſi ſiparium obtendunt. At ubi Concilium de mutando agendæ ſatisfactionis ritu. quem ſua tunc ætas habuit in Eccleſiâ, decreviſſe nihil, vel decernendum indicaſſe conſtabit; tum demum velut è machinâ prodibit Auguſtinus, quem, qui repugnant, nullâ unquam opinor exceptione repulſuri ſunt. Nempe de variis ad Januarium Eccleſiæ moribus diſſerens, ſic adverſus eos præſcribit: *Siquid horum totâ die per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Quæ verba ſi forent alterius, paulò duriora fortè viderentur, ſed cùm ex amantiſſimi patris ore prodeant, certis de cauſis non poterunt non videri acceptiſſima iis, in quorum gratiam adferuntur. Tu interim, *Abbas meritiſſime*, quem in obeundâ poſt abſolutionem ſatisfactione ritum, haud ſatis probant, aut certè mutandum eſſe ſcribunt, eum per univerſam frequentatum Eccleſiam facilè deprehendes, ſi quando per otium rerum graviorum, quibus diſtineris, oculos ad hanc Diſſertationem adjiciendos eſſe putes. Ann. Domini M. DC. XLIV.

P R Æ F A T I O.

De agenda in Pœnitentia Sacramento ſatisfactionis ordine, quid Concilium Tridentinum cenſuerit, nuper à nonnullis ſcriptoribus variè diſputatum eſt. Alii enim confidenter aſſerunt, Concilium ſtatuiſſe reipſa, ut quæ à Sacerdotibus audita confeſſione imponitur ſatisfactio, ante abſolutionem fiat, & niſi fiat, unam vel alteram rerum conditionem ſi excipias, caſſum atque irritum abſolutionis beneficium fore, quod impertiretur. Alii verò contendunt, & ſummoperè contendunt, Concilium ſex vel ſeptem aperuiſſe vias, quibus agenda ante abſolutionem ſatisfactionis modus reſtituatur. Reſtitui quidem dicunt, quòd ab antiquâ Patrum traditione profectus jamdudum obſervari deſierit. Quâ in re utrique benè inter ſe conveniunt. Duo ſunt igitur, quæ de modo agendæ ſatisfactionis diſputant: unum veterem Eccleſiæ diſciplinam attinet, in quâ ſic adminiſtratum eſſe volunt Pœnitentiæ ſacramentum, ut injuncta priùs expleretur ſatisfactio, quàm reconciliatio daretur, niſi periculum mortis interveniret. Alterum Tridentinam Synodum maximè ſpectat, ubi vel ſimpliciter definitum eſſe dicunt, ut in uſum revocetur diſciplina vetus illa, vel certè ut revocetur, pluribus in locis apertè indicatum. Primum ex his duobus noſtræ Diſſertationis argumentum non erit: quoniam licèt illud diſciplinæ genus obtinuiſſe quondam, & tantumdem ætatis obtinuiſſe demus, quantum affirmant, tamen quemadmodum potuit, ſi expedire viſum eſſet, ſic & non potuit à Concilio reſtaurari. Ecquis enim eſt rerum in Concilio geſtarum æſtimator prudens, qui dicere audeat, priſcum ab illo certis anni temporibus baptizandi morem reſtitutum, vel de eo reſtituendo cogitatum eſſe; quamvis Siricius, Leo & alii ex Apoſtolicâ traditione manaſſe multò certiùs aſſeverent. Hoc ergo velut ἀδιάφορον nunc prætermittimus, & ad ſecundum aggredimur, quod totum haud in juris, ſed in facti conditione verſatur. Scilicet an Concilium definierit, vel tantùm quibuſdam in locis ſignificaverit, ut in Pœnitentiæ Sacramento quæ injungitur, aut convenienter injungenda eſt ſatisfactio, ante abſolutionem agatur. Neutrum autem à Concilii Patribus factum eſſe demonſtramus, & eâ methodo demonſtramus, quâ, ni fallimur, neque factum, neque ut fieret, ſignificatum demonſtrari poteſt. Hoc verò demonſtraſſe, communem, qui ante Concilium & ipſius Concilii tempore ſervaretur in Eccleſiâ, agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis morem, ſuppoſitum, & tacito ſaltem conſenſu retentum, probatumque demonſtraſſe eſt. Et quanquam iſtud abundè ſufficit, diluemus tamen quicquid pars utraque diſceptatorum opponit, ut cùm dilutum fuerit, demonſtrationis noſtræ veritas cuique magis, qui magis conſideraverit, inclareſcat. Ceterùm demonſtratio noſtra, qualis nimirum hæc in

* Unus fuit ex illuſtribus illis viris qui Academiam Gallicam Condidere. Vide Hiſtoriam hujus Academiæ quam Pelliſſonius ſcripſit. Ibi Haberti elegantiſſima opuſcula recenſentur.

materiâ poteſt haberi, octo comparatur omnino rationibus, quas ita deducemus, ut neque de primo illo momento, cujus jam meminimus, neque etiam de primâ pœnitentiæ parte, vel de efficacitate abſolutionis quicquam dictum eſſe velimus, cùm illa omnia ad hanc non pertineant Diſſertationem. Quo fit, ut ſiqui poſtea futuri ſint adverſarii, in hoc uno ſcammate non mecum quidem, ſed cum exercitatiſſimis athletis decertent neceſſe ſit.

CAPUT PRIMUM.

Ratio prima quæſita ex Seſſionis VI. *Capite* XIV. *de Lapſis, & eorum reparatione.*

IN hoc igitur capite res ſic ſe habet: *Qui verò ab acceptâ juſtificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncupaverunt. Etenim pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: unde docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali: eaque contineri non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verumetiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam & ſacerdotalem abſolutionem; itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœnâ æternâ, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cùm culpa remittitur, ſed pro pœnâ temporali; quæ ut ſacræ literæ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtaverunt, & templum Dei violari non ſunt veriti: de quâ pœnitentiâ ſcriptum eſt: Memor eſto, unde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac: & iterum: Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus: Pœnitentiam agite & facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hæc anno M. D. XLVII. In hoc capite Sacramenti Pœnitentiæ partes omnes eo recenſentur ordine, quo noſtra ratio prima quæritur & firmatur; contritio, confeſſio, abſolutio, ſatisfactio, quæ implenda, ut apparet, abſolutioni poſtponitur, non præponitur, præponeretur autem, ſi Concilium præponendam eſſe judicaſſet. Deinde ſi præponendam eſſe judicaſſet judicii hujus ſignum dediſſet aliquod; ſed nullum dedit: Quinetiam ſignificat eo retinendam eſſe in ordine, quo recenſet. De actibus externis non de internis, qui ſunt ignoti, conjectura tantùm ſumenda eſt.

CAPUT II.

Ratio altera quæſita ex iis, qui ſtatim poſt publicatam Concilii Seſſionem VI. *& ante publicatam Seſſionem* XIV. *de Pœnitentiâ ſcripſerunt.*

ET primum occurrit Franciſcus Urgellitanus Epiſcopus in Manuali, quod anno M. D. XLVIII. edidit Lugduni, quâ parte Pœnitentiæ regulas præſcribit: *ultimò poſt injunctionem pœnitentiæ abſolvat eum* (Pœnitentem) *modo ſequenti: primò deprecativè dicat: Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te cum ſuis Sanctis ad vitam æternam: Amen. Poſtea, ego auctoritate omnipotentis Dei, &c.*

Deinde liber de Sacramentis ſecundùm uſum Lugdunenſem eodem anno M. D. XLVIII. editus: ubi de Sacramento Pœnitentiæ agitur: „Sequitur ordo ad miniſtrandum Sacra„mentum Pœnitentiæ. Et primò audiat & intelligat Sacerdos diligenter pœnitentem, & poſt„quam confitens confeſſus fuerit omnia peccata ſua integrè cum ſigno veræ contritionis, di„cat Sacerdos. Deo gratias: Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata „tua, & perducat te Jeſus Chriſtus cum ſuis Sanctis in vitam æternam. Reſpondeat pœni„tens, Amen, & poſt Sacerdos cautè corrigat, & pœnitentiâ ſibi impoſitâ ſalutari dicat: Et „ſuper hoc Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt verus & ſummus Pontifex per merita ſuæ „paſſionis te abſolvat, & ego auctoritate Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli te abſolvo à „ſententiâ minoris excommunicationis ſi quam incurriſti, & ab omnibus peccatis tuis confeſ„ſis, contritis & oblitis de quibus non recordaris, & reſtituo te in gremium ſanctæ matris „Eccleſiæ, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Vade in pace, & noli am„pliùs peccare.

In his autem Sacrorum Rituum libris agenda poſt abſolutionem ſatisfactio præſcribitur, nec opinor ita præſcriberetur, ſi Tridentinum Concilium aliter decerneret, vel velle ſe priſtinum reſtaurare morem innuiſſet. Quinetiam quo ordine recenſetur in ſeſſionis VI. capite XIV. eodem & hîc præſcribitur.

Mogun-

Moguntina Synodus Provincialis, quæ anno M D. XLIX. habita eſt, in Chriſtianæ doctrinæ methodo cap. XXX. de ſatisfactionibus: *Sacerdotes etiam confeſſarios monemus eiſque præcipiendo injungimus, ne in uſurâ, furto, rapinâ, aut fraude abſolutionem confitenti impertiantur, niſi ea quæ injuſtè abſtulit, quatenus illius facultates permittunt, ſe reſtituturum promiſerit.* Non præcipitur, ut peragatur ante abſolutionem ſatisfactio, ſed tantùm ut qui gravia illa confitentur crimina, ſe ſuam impleturos ſatisfactionem promittant.

Inſtitutio ad pietatem Chriſtianam, in hoc Provinciali Concilio promiſſa, quæ anno eòdem in lucem prodiit: *Hactenus peccatoris animus confeſſionis ſollicitudine exercitatus eſt, nunc idem abſolutionis conſolatione eſt erigendus: poſteaquam peccator omnia ſua delicta coram ſacerdote plenâ confeſſione effudit, jam in abſolutione Sacerdotis animum intendens nihil ampliùs humani operis ſecum agi exiſtimet: ſed planè divinam operationem animo præſumat, & in myſterio Sacerdotis virtutem agnoſcat Spiritus Sancti.* Et poſt alia: *Hæc de confeſſione & iis quæ ad ipſam pertinent dicta ſufficiant, nunc ad ſatisfactionem tertiam Pœnitentiæ partem accedendum.*

Satisfactionem autem non eo ſenſu appellant Eccleſiaſtici Patres, quaſi nos operibus noſtris remiſſionem peccatorum noſtrorum mereri, aut pœnam æternam peccatis noſtris debitam iſta ſatisfactione noſtrâ abolere valeamus. Illam igitur ſatisfactionem, quâ nobis delictorum noſtrorum culpa remittitur, & æterni ignis pœna aufertur, ſoli Chriſto tribuimus, qui ſeipſum impendens pro nobis, ut nos à peccatis noſtris redimeret, factus eſt propitiatio non pro peccatis noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Cujus merito abſit, ut ingrati tantùm derogemus, aut operum noſtrorum meritis inflati & ſuperbi tantùm arrogemus, ut ſi omnium hominum omnia merita in unum confluant, pro unius hominis delictis abſque Chriſti ſatisfactione ſatisfacere poſſe aſſeveremus. Ideòque Eccleſiæ Sacerdotes in virtute & gratiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti confitentes abſolvant, eoſque de ſolâ Dei miſericordia remiſſionem peccatorum ſuorum ſperare jubeant non ex fiduciâ ſatisfactionis, quæ ſæcula noſtro demum poſt abſolutionem implenda ipſis imponitur. Quæ tamen ſequens ſatisfactio in iis, qui ex Dei miſericordiâ per abſolutionem Sacerdotis plenam criminum ſuorum remiſſionem conſecuti ſunt, multiplici de cauſâ ſalubris & neceſſaria eſſe dinoſcitur.

Prima, eſt quia poſt remiſſionem peccati, quam per Sacerdotis miniſterium de Chriſti beneficio accipimus plerumque adhuc quædam peccati reliquiæ reſident, piis exercitiis eluendæ, & quædam de peccato relicta manet infirmitas, quæ ſequentibus remediis ſananda & ad debitum robur perducenda eſt. Et poſt alia: *Tametſi enim in abſolutione Sacerdotis ex gratiâ & veraci promiſſione Domini omnis peccatorum culpa remittatur, illa tamen ex peccatis reſidua infirmitas continuis remediis adjuvanda & ſtabilienda eſt, donec ad debitum robur rurſus adoleſcat.* Et poſt alia:

Altera cauſa eſt, cur utilis prorſus & ſalubris ſit etiam pro remiſſis peccatis ſatisfactio, poſtquam enim omnis peccatorum culpa per Dei miſericordiam & gratiam ex merito Chriſti ſoluta eſt, non tamen mox omnis pœna pro peccatis debita, remiſſa & condonata eſt. Sed Deus unà cum peccati culpâ æternam quidem damnationem pro peccato debitam relaxat & condonat, nihilominus tamen temporali pœnâ in peccata noſtra vindicat. Et poſt alia: *Hæc eſt ergo ſatisfactionis noſtræ lex & utilitas, ut cùm peccatorum noſtrorum, adeòque etiam æternæ mortis, quam delicta noſtra commeruerant, remiſſionem & condonationem Deo miſerante acceperimus, non tamen ceſſemus punire in noſmetipſis, quod deliquimus, ſed per pia ſatisfactionis exercitia (ſive ſponte noſtrâ, ſive per Eccleſiæ Præſides injuncta) contendamus juſtam Dei offenſam mitigare.* Et poſt alia.

Olim qui deliquerant, ad communionem non recipiebantur, antequam plenâ pœnitentiâ pro delictorum qualitate ſatisfeciſſent, niſi aut mors urgeret, aut alia ingens neceſſitas cogeret reconciliationem accelerare: quo tamen caſu adjiciebatur conditio, ut ſi Domini gratiâ convaluiſſent, pro peccati menſurâ canonicam ſatisfactionem adimplerent, eamque publicam injungebant, non pro manifeſtis tantùm, ſed etiam pro occultis delictis gravioribus. Quam ſeveritatem cùm ſemper in pejus vergentes hominum mores non ferrent, hodie res ad multò majorem lenitatem redacta eſt. Nam hodie ante abſolutionem imponitur quidem ſatisfactio pro delictis, ſed demum poſt reconciliationem implenda. Ceterùm apud paucas Eccleſias Cathedrales ſic mos remanſit, ut pro manifeſtis & atrociſſimis criminibus ſatisfactio publica ab eo, qui ſic deliquit, recipiatur, priuſquam illi reditus ad communionem pateat. Quod autem ad delicta occulta attinet, talem moderationem jubent Eccleſiaſticæ leges hodie, ne cuiquam invito publica pœnitentia pro peccato occulto quantumvis atroci imponatur, neve pro privatâ ſatisfatione talis caſtigatio adhibeatur, unde is, qui occultum crimen confeſſus eſt, per ſatisfactionis ſigna prodatur. Et poſt alia: *Ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, perſpicuum evadit, quanta ſit etiam poſt abſolutionem & tam culpa, quàm æterna pœna condonationem ſatisfactionis canonicæ utilitas.*

Omnia hæc, quæ mihi viſa ſunt præclara & egregia, deſcribere placuit; imprimis ut conſtet varia peragendæ ſatisfactionis conditio, nunc ante, nunc poſt abſolutionem. Deinde ut agnoſcatur, Chriſtianæ inſtitutionis auctorem de reſtituendo peragendæ ante abſolutionem ſatisfactionis uſu cogitationem nullam ſuſcepiſſe. Ac niſi me fallit animus cogitationem ſuſcepiſſet aliquam, ſi quam illius ſuſcipiendæ viam Tridentina Synodus aperuiſſet. Nullam igitur ſuſcepit, contentus ſequi eum ordinem, quem Synodus hæc in ſeſſionis VI. capite XIV. tradiderat.

CAPUT III.

Ratio tertia quæſita ex rebus in Concilio Tridentino tractatis Seſſione XIV.

IN quartâ decimâ Concilii Tridentini ſeſſione duo tractantur, ex quibus noſtram rationem tertiam comparamus. Unum eſt propoſita de Sacramento Pœnitentiæ doctrina, quæ in capita novem, alterum propoſita de eodem ſacramento fides, quæ in canones quindecim diſtribuitur. Ergo Concilium doctrinam de ſacramento Pœnitentiæ ſic proponit. In primo capite Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutionem ac neceſſitatem adſtruit. In ſecundo Pœnitentiæ Sacramentum à Baptiſmo longiſſimè diſſidere probat. In tertio de partibus & fructu ſacramenti hujus tractat, ubi partes illas ita recenſet: *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio, qui quatenus ad integritatem ſacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentia partes dicuntur.* In quarto perfectam, & imperfectam contritionem, quæ Attritio vocatur, ex diverſis Scripturæ teſtimoniis exponit. In quinto inſtitutam à Domino confeſſionem docet. In ſexto ſacramenti hujus miniſtrum & abſolutionem exequitur. In ſeptimo iis tantùm qui ſummi ſacerdotes appellantur, vindicatam graviorum criminum abſolutionem tradit. In octavo & nono de ſatisfactionis neceſſitate, fructu & operibus agit.

In hac autem rerum ſacramenti ſerie perſpicuum eſt, communem ſupponi dandæ abſolutionis & obeundæ ſatisfactionis ritum & ordinem, qui tunc in præponendâ exequendæ ſatisfactioni abſolutione per Eccleſiam Dei ſervaretur. Concilium enim ſimulatque Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutionem & neceſſitatem aſſeruit, hujus partes aggreditur ita, ut ſive illas recenſione factâ deputet in materiam, ſive illarum naturam ceteraſque dotes explicet, primum locum contritioni, ſecundum confeſſioni, quam abſolutio continenter ſequitur, tertium ac poſtremum ſatisfactioni concedat.

Ad canones autem quod attinet; in iis quæ fidei ſunt, ea ſic ſe habent. In primo canone ſub anathematis pœnâ ſtatuitur, pœnitentiam verè ac propriè ſacramentum eſſe. In ſecundo hoc pœnitentiæ ſacramentum à baptiſmo diſtinctum, eamque rectè ſecundam poſt naufragium tabulam vocari. In tertio hæc verba Domini Salvatoris, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt,* intelligenda eſſe de poteſtate remittendi ac retinendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit. In quarto ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur. In quinto contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum cum propoſito melioris vitæ, verum & utilem eſſe dolorem, & ad gratiam præparare. In ſexto ſacramentalem confeſſionem jure divino ſtatutam & ad ſalutem neceſſariam eſſe. In ſeptimo ad remiſſionem peccatorum hoc in ſacramento conſequendam juſſum divinitus, ut exponantur omnia & ſingula peccata letifera, quorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur: & hanc præterea confeſſionem non ſolùm eſſe utilem erudiendis aut conſolandis pœnitentibus, nec olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam. In octavo confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, nec hominum vires excedere, nec humanam traditionem eſſe à piis abolendam; atque inſuper ad eam obligari omnes & ſingulos utriuſque ſexus fideles juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem. In nono abſolutionem actum eſſe judicialem, non verò nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata pœnitenti, modò credat tantùm ſe eſſe abſolutum, & ad hæc requiri confeſſionem pœnitentis, ut ſacerdos eum abſolvere poſſit. In decimo ſacerdotes, qui in mortali peccato exiſtunt, ligandi ſolvendique poteſtatem retinere, eoſque ſolos eſſe abſolutionis miniſtros. In undecimo Epiſcopos habere jus reſervandi ſibi caſus, atque adeò hac caſuum reſervatione prohiberi, quominus presbyter à reſervatis verè abſolvat. In duodecimo totam pœnam peccatis debitam non ſemper à Deo remitti ſimul cum culpâ, & pœnitentium ſatisfactio-

tiſfactionem aliam eſſe à fide, quâ Chriſtum pro iis feciſſe ſatis apprehendunt. In decimo tertio pro pœnâ temporali per Chriſti merita Deo ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, vel à pœnitente ultro ſuſceptis, uti jejuniis, orationibus, eleemoſynis, & aliis etiam pietatis operibus. In decimoquarto ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum peccata redimunt, eſſe cultus Dei, non hominum traditiones, quæ doctrinam de gratiâ, verum Dei cultum, & ipſum mortis Chriſti beneficium obſcurent. In decimoquinto claves Eccleſiæ non modò ad ſolvendum; ſed etiam ad ligandum referri, neque ſacerdotes, dum pœnitentibus pœnas imponunt, agere contra finem clavium, vel contra inſtitutionem Chriſti.

In hac autem canonum diſpoſitione manifeſtum quoque eſt, eum & ſupponi & obſervari ordinem, quem in doctrinæ capitibus ſuppoſitum & obſervatum exhibuimus. Poſt aſſertam enim ſacramenti veritatem, & eum Scripturæ locum, quo potiſſimè aſſeritur, ſingulas hujus ſacramenti partes, quæ materiæ vicem tenent, contritionem, & confeſſionem & ſatisfactionem ſic perſequitur Concilium, ut imprimis de contritione, tum de confeſſione & abſolutione, quæ confeſſioni ſtatim reſpondet, poſtremò de ſatisfactione canones ſanciat. Atque hac omnino ratione docemur, à Concilio nihil eſſe mutatum in eâ Eccleſiæ diſciplinâ, quæ, ſicut volunt, qui nunc dierum reipſa mutatum aliquid, vel ſaltem uti mutaretur, in votis Patrum fuiſſe affirmant, dudum obtinuerat, ut pœnitentes ante obitam, quæ auditâ confeſſione imponitur, ſatisfactionem, à miniſtris Dei reconciliarentur.

Hæc autem duo, quæ nunc diſſeruimus ex capitibus & canonibus Concilii, luculenter ex eo confirmantur, quòd ſola hæreticorum dogmata Concilium damnare voluerit: quemadmodum & ſubjecta materies docet, & data Franciſcanis Theologis reſponſio, qui nonnullam de ſenſu verborum abſolutionis injecerant difficultatem. Sed quæſo te ritus agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis Lutheranos quid attinet, qui totum Pœnitentiæ ſacramentum vaſtaverant.

Ceterùm hæc mihi bimembris ratio vehemens & juſta eſt, quæ ubi à Concilio Tridentino, cùm in tradendis doctrinæ de ſacramento Pœnitentiæ capitibus, tum in edendis de eodem ſacramento fidei canonibus ſuppoſitum & retentum communem Eccleſiæ in præmittendâ peragendæ ſatisfactioni abſolutione morem oſtendit, eò etiam pervadit, ut in hoccé more & ritu nihil planè mutatum à Concilii Patribus, vel de eo mutando quidquam actum, aut etiam cogitatum perſuadere meritò poſſit.

C A P U T IV.

Ratio quarta quæſita ex iis, qui in decimâ quartâ Tridentini Concilii Seſſione ſententiam tulerunt.

RATIONEM quartam repetimus ex iis, qui in decimâ quartâ Concilii Tridentini ſeſſione ſententiam tulerunt. Inter alios autem nobis objiciunt ſeſe illuſtres Epiſcopi tres, Fredericus Nauſea Viennenſis, Jacobus Naclantus Clodienſis, Nicolaus Pſalmius Virdunenſis, quorum

Primus hæc ſcribit in Catechiſmo lib. III. de Pœnitentiâ capite XXXVIII. *Cùm itaque peccator opitulante primùm divinâ gratiâ cognoverit ſe peccatorem, ſuiſque peccatis multifariam Deum offendiſſe, cœperitque tandem ex amore erga Deum præcipuè, & ex amiſſione illius gratiæ, & pœna gehennæ adeptione prorſus ex animo contriſtari & conteri; mox facto ſigno ſanctæ crucis contra diabolicas inſidias incipiat ex ordine memorare peccata ſua, quatenus poterit cum amaritudine, cum ſummâ ſpe veniæ de eiſdem ipſis peccatis conſequendæ, & cum firmo propoſito illa non ampliùs perpetrandi humiliter accedat ad ſacerdotem, atque illi loco Dei geniculando ſupplicet, ut ſuam non gravetur Dei cauſâ audire confeſſionem. Quo ipſius petitioni annuente, breviter commiſſa, prudenterque cum neceſſariis circumſtantiis recenſeat, ac iis ex integro recenſitis abſolutionem Sacramentalem ex Jeſu Chriſti miſericordiâ poſtulet, quam ubi unà cum injunctâ pœnitentiâ ſacramentali, quam communi vocabulo ſatisfactionem appellant, obtinuerit, curet, ut amanter devotèque impleat, modiſque omnibus ſtudeat Deo ſatisfacere pro ſuis peccatis. Quâ de re nimirum tertiâ & poſtremâ pœnitentiæ parte in ſequentibus nobis erit ſermo.* Hæc ille eo in libro, quem anno 1547. Reginaldo Polo, Petro Paulo Parriſio, & Joanni Morono Cardinalibus, & ad Concilium Tridentinum Sedis Apoſtolicæ Legatis dicavit, quemque conſtat rurſus editum anno 1557. qui à ſeſſione decimâquartâ Concilii ſextus eſt. Duo ſunt igitur, quæ inter cetera hoc loco faciendo monet Viennenſis in Germaniâ Epiſcopus; unum, ut pœnitens cum impoſitâ ſatisfactione ſacramentalem abſolutionem obtineat, alterum ut impoſitam ſatisfactionem magno pietatis ſenſu impleat. Quo fit, ut ex receptiſſimo uſu ſatisfactionem vocet poſtremam pœniten-

nitentiæ partem, quæ poſtrema nec eſſet, nec talis jure vocaretur, ſi reconciliationem antecederet, vel ut antecederet, Tridentina Synodus juſſiſſet, aut in votis habuiſſet. Eruditum hominem & probum aliter in Synodo, aliter extra Synodum ſenſiſſe quis dicat? vel quod minùs ferendum eſſet, priorem ſententiam noluiſſe cum Synodi ſententiâ commutare?

Alter Epiſcopus in tractatione decimâ de Indulgentiis hæc habet: *At quod de pœnitentia blaterant ſacramento* (Hæretici) *nòn renuimus; ſatisfactionem à confeſſario demandatam partem eſſe pœnitentia non eſſentialem, ſed integralem, ſeque tenentem ex parte materiæ. Quare etſi ad illius exigitur perfectionem, non tamen ad eſſentialem neceſſitatem. Nam licèt ſit neceſſaria pœnitenti, non tamen neceſſe eſt à miniſtro injungi, tum quia tam eximia poteſt eſſe contritio, ut Deo & Eccleſia ſit ſatisfactum, tum quia pœnitens illam ſumere poteſt per ſe: ergo cùm ſatisfactio in partem erigitur ſacramenti, id non ſit ad eſſentialem ejus exigentiam, ſed ad ſatisfactionis noſtra robur, ut qua vi clavium inſignem accipit efficaciam.* In his verbis ſunt quoque duo, quæ ad rem noſtram obſervemus. Alterum, ſatisfactionem, quæ in Pœnitentiæ ſacramento imponitur à ſacerdote, partem hujus ſacramenti non eſſe eſſentialem, ſed integralem, quatenus id quod integrale eſt, eſſentiali opponitur. Alterum, duabus de cauſis neceſſe non eſſe, ut ſatisfactio quamlibet pœnitenti neceſſaria, imponatur. Ex quo planè conſectarium eſt à Naclanto haud requiri, ut impoſitæ ſatisfactionis expletio ſacramentalem abſolutionem antevertat. Eritne modò aliquis, qui vel cogiter Naclantum hæc dum anno 1567. edidit, edidiſſe contra mentem Tridentini Concilii, in quo ſedens ipſe judex eâ ſuper re pronuntiaverat?

Tertius in Manuali Eccleſiæ ſuæ, quod anno M. D. LIV. editum eſt, ubi pœnitentium confeſſioni formam abſolutionis ſubjungit: *Tamen*, inquit, *pro ſpeciali pœnitentiâ, quam levem ſecundùm peccata tua tibi imponam, tu dices ſic & ſic, facies ſic vel ſic: & injunctâ pœnitentiâ & à pœnitente ſuſceptâ dicat presbyter, Vade in pace, & noli ampliùs peccare.* Amabo vos quid eſſet cauſæ, cur ad aliam, quàm ad Concilii normam ſacerdotes ſuos inſtitueret? cur receptum pluribus, ut volunt, abhinc ſæculis uſum retineret, quem Concilium vel abrogaſſet, vel abrogare voluiſſet? dico ampliùs: quem ipſe abrogaſſet in Concilio, vel abrogari optaſſet?

CAPUT V.

Ratio quinta quæſita ex iis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, quamvis in Seſſione XIV. *ſententiam tuliſſe non legantur.*

RATIONEM quintam repetimus ex iis, qui licèt decimæ quartæ ſeſſioni Concilii non interfuiſſe legantur, conſequentibus tamen ſeſſionibus interfuerunt.

Primus nobis erit Oſius Varmienſis Epiſcopus, & in Concilio Tridentino Sedis Apoſtolicæ Cardinalis Legatus, in confeſſione Catholicæ fidei cap. XLVII. cui titulus eſt, *de confeſſione & qua illi reſpondet, abſolutione.* Tum capite XLVIII. *Tertia pœnitentia pars eſt ea, quam Tertullianus confeſſione diſponi ſcribit ſatisfactio, quam ſi quis malit ſequelam appellare, nulla eſt litigandi cauſa: Nam qua præcedebat ſemper abſolutionem, tunc ſequi plerumque conſuevit.* Itane quæſo loqueretur celebris ille ſcriptor, ſi Concilii Patribus aliquando veniſſet in mentem, receptam in agendâ ſatisfactione conſuetudinem tollere, eamque revocare, quam olim viguiſſe affirmat?

Secundus Nicolaus Pelvæus Archiepiſcopus Senonenſis & Cardinalis, in Manuali Eccleſiæ ſuæ, ubi generalem de pœnitentiæ ſacramento doctrinam tradens, auditâ confeſſione & ſubjunctâ abſolutione ait: *Pro ſpeciali pœnitentiâ, quam levem ſecundùm peccata tua tibi imponam, tu dices ſic & ſic, & facies ſic vel ſic: & injunctâ pœnitentiâ, & à pœnitente ſuſceptâ dicat presbyter, Vade in pace & noli ampliùs peccare.* Hæc cur ita præſcriberet, ſi Concilium aliter præſcripſiſſet, vel ut aliquando præſcriberetur, deſideraſſet?

Tertius Euſtachius Bellaius Pariſienſis Epiſcopus, qui in Synodo ad annum 1557. habitâ ſic decernit: *Sacerdos, qui confeſſioni præeſt, ab initio pœnitentem examinet, & ſciſcitetur, ex quo tempore confeſſus non fuerit, ſi cuncta ſcelera ſua ſuperiori confeſſione declaraverit, ſi ſatisfactionem injunctam & impoſitam bene præſtiterit.* Et poſt alia: *Tunc indictâ pœnitentiâ cum manûs impoſitione abſolvat.* Quibus verbis poſt impletam ſatiſfactionem abſolutio non remittitur, immo ut ſtatim ab indictâ ſatiſfactione abſolvatur pœnitens, definitur.

Quartus Guillelmus Caſſadorus Barcinonenſis Epiſcopus in Eccleſiæ ſuæ Ordinatio, quod anno M. D. LXIX. editum eſt, in libro II. de ſacramento Pœnitentiæ cap. VII. *Pœnitens cogitet, num pœnitentiam ſibi à Sacerdote injunctam adimpleverit.* Cur ita? Nempe ante abſolutionem impleta non fuit, & poſt abſolutionem potuit non impleri vel negligenter & imperfectè impleri. Deinde poſt præſcriptam in cap. IX. abſolutionis formam, in cap. X.

verna-

vernaculè diſputat de ſatisfactione, quæ imponenda eſt, at non ſervaret ordinem hunc ſi mutandum eſſe Synodus innuiſſet.

Quintus Franciſcus Richardotus Atrebatenſis Epiſcopus, qui in quâdam ad ſuos Parochos monitione hæc habet ad calcem Manualis Eccleſiæ ſuæ: *Hoc facto Sacerdos aurem confeſſioni pœnitentis præbebit, atque ut feret occaſio, illum interrogabit, cùmque articulos fidei, tum præcepta Dei & Eccleſiæ docebit, & poſtea illum abſolvet, & congruentem ſuo judicio pœnitentiam imponet.* Hæc ille Gallicè, quæ nos Latina fecimus. Sed his verbis aut Concilio Tridentino turpiſſimè prævaricatur, aut ſalutarem & conſentientem illi diſciplinam Parochis ſuis præſcribit. Illuſtrem verò pietate & doctrina Epiſcopum Concilii prævaricatorem quis appellet?

Sextus Hieronymus Burgenſis Catalaunenſium Epiſcopus in Manuali Eccleſiæ ſuæ, ubi præmiſſâ reconciliationis formulâ leguntur hæc: *Tunc dicat,* (ſacerdos) *Amice vel Domine & Magiſter, vel aliter: in multis Deum offendiſti, & tuam ſalutem impediſti, caveas de cetero à peccatis & à laqueis diaboli, & bene facere ſtudeas. Deus tibi concedat, ut bona quæ feciſti, & quæ facies impoſterum per Dei miſericordiam convertantur in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum tuorum. Tamen pro ſpeciali pœnitentiâ, quam levem ſecundùm peccata tua tibi imponam, tu dices ſic vel ſic, facies ſic vel ſic: & injunctâ pœnitentiâ, & à pœnitente ſuſceptâ dicat ſacerdos, Vade in pace & noli ampliùs peccare.* Sic eandem cum aliis diſciplinam præſcribit.

Idem quoque Epiſcopus in ſynodalibus ſtatutis, quæ anno 1557. edidit, hæc in ſacramento Pœnitentiæ Sacerdotibus præſcribit: *Auditâ confeſſione interroget confitentem ſacerdos, utrum à peccatis, quæ commiſit, & ab omni peccato firmum habeat abſtinendi propoſitum, alienumque efficaciter reſtituendi. Et ſi reſpondeat, ita, injunctâ pœnitentia ſalutari abſolvat ipſum.* Et poſt alia: *Pœnitentia ſecundùm qualitatem culpæ, conditionem & poſſibilitatem confitentis ſunt à Presbytero injungendæ.* Et poſt alia: *Quòd ſi pœnitens recuſet injunctam pœnitentiam propter ejus difficultatem, debet ſacerdos aliam mitiorem imponere, & nihilominùs pœnitentem abſolvere.* Et poſt alia: *Neque refert, ſi abſolutio fiat ante injunctionem pœnitentiæ, vel poſt.* Quibus verbis uſitata eo tempore diſciplina ſancitur, nec ita profectò ſanciretur, ſi Concilium aliter ſanciendum docuiſſet, aut ut ſanciretur, deſideraſſet.

Septimus Joannes Venator Lexovienſis Epiſcopus in Diœceſanâ Synodo, De pœnitentiâ: *Neque multùm refert, ſi abſolutio fiat ante injunctionem pœnitentiæ, vel poſt: priùs tamen, quàm abſolvant, injungunt periti confeſſores.* Non contradixiſſet Concilio, ſi Concilium decreviſſet aliter, vel aliter faciendum eſſe ſignificaviſſet.

Octavus Martinus Rithovius Iprenſis Epiſcopus in Manuali, quod anno M. D. LXXVII. evulgavit: *De modo adminiſtrandi ſacramentum Pœnitentiæ: poſtremò cùm ſacerdos pœnitentis confeſſionem audierit, ac de peccatis ipſius diligenter cognoverit, pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem ei pœnitentiam imponat.* Et quibuſdam interpoſitis, *Unde ſacerdos eundem abſoluturus primùm dicat, Miſereatur,* &c. quis affirmabit Epiſcopum pietate & doctrina celebrem voluiſſe in Manualis ſui editione Concilii decretis aut votis repugnare, aut aliter facere, quàm ipſe vel cenſuerit in Concilio, vel alios cenſuiſſe cognoverit?

Nonus Simon Vigoreus Theologus Pariſienſis, & poſtea Narbonenſis Archiepiſcopus, ſermone diei decimæ quartæ poſt Trinitatem: ubi ſic habet Gallicè, quæ in Latinum vertimus: *Cùm poſt baptiſmum homo in peccatum labitur, & eum poſtea facti pœnitet, opus eſt, ut ſeſe exhibeat ſacerdoti, qui abſolutionem ei concedat poſtquàm peccatum confeſſus fuerit.* Vides ſis quomodo non expectatâ illius, quæ imponitur, ſatisfactionis executione dandam eſſe reconciliationem prædicat. Ceterùm hic ille eſt, quem Emarus Redonenſium Epiſcopus alterum ætatis noſtræ Athanaſium vel Hilarium appellare non dubitavit.

Decimus Claudius Sancteſius Theologus Pariſienſis, & poſtea Ebroïcenſis Epiſcopus, in Synodo, quam habuit anno 1577. ſemel atque iterum ſignificat ſibi ſatis eſſe, ſi ſatisfactio ante abſolutionem acceptetur: & primò quidem capite de reſidentiâ Curatorum, ubi ſic habet: *De quibus à confeſſariis non reſidentes curatos decet moneri, nec ſine ſatisfactionis obligatione abſolutionem in foro conſcientiæ eiſdem conferri.* Deinde capite de officio populi: *Quod ipſis,* inquit, *injungere mandamus eorum confeſſariis, nec niſi cum illâ obligatione* (reſtituendi) *abſolutionem dare.* Ubi ſermo eſt de malis hoſpitiorum, leproſariarum & fabricarum rectoribus, tanquam de pauperum & Eccleſiarum fraudatoribus. At præ ceteris Sanctеſium fuiſſe ſtudioſiſſimum rerum, quæ à Concilio decretæ ſunt, vel ad reformandum propoſitæ, docent cùm alia multa, tum illud caput de reſidentiâ Curatorum, quod modò laudavimus.

Undecimus Joannes Soares Epiſcopus Conimbricenſis tract. 1. in cap. VII. Matth. ubi ſatisfactioni abſolutionem ſic præmittit: *Et cùm ſacerdos hujuſce morbi præ ceteris jubetur*

eſſe

eſſe cognito & medicus, manifeſtè ubique declaratur, peccata, quæ verè ſunt lepra animæ, à ſacerdotibus agnoſcenda, & per ſacerdotes fore curanda, & virtute paſſionis Domini per ſacramentalem abſolutionem remittenda, & operibus per pœnitentiam injunctis ſalutaribus redimenda.

Idem tractatu v. in cap. xv. ejuſdem Matthæi eundem agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ ritum deſcribit, *Ad veram*, inquit, *pœnitentiam poſt puram confeſſionem peccatorum factam, & abſolutionem receptam, & pœnitentiam à confeſſario injunctam adimpletam, ad quam peccator tenetur, poſtquam illam acceptavit, aſſuefactus peccatis non tantùm proficiet ſe illis opponendo, quantum proficiet deviando*, &c.

Duodecimus Petrus Sotus in lectionibus de inſtitutione ſacerdotum, lectione IV. de materiâ & formâ pœnitentiæ: *Actus*, inquit, *pœnitentis vel neceſſarii ad abſolutionem, vel conſequentes judicii ſpiritualis ſententiam & poteſtatem ſunt materia, ex qua hoc ſacramentum conficitur. Hi verò ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio.* Et paulò pòſt: *Et quanquam abſolutio perficiatur & conſequatur effectum ante ſatisfactionem, tamen propterea non minus illa dicenda eſt pars integralis materia, ſine quâ conſiſtit nonnunquam (quod ad eſſentiam attinet) totum, ſed mutilum, eſt homo ſine pedibus & manibus, deeſt illi aliqua pars integralis ſed non eſſentia. Ita in hoc ſacramento ante ſatisfactionem completam, quia eſt jam in intentione pœnitentis & obligatione propter ſententiam ſpiritualis judicis, & integrum ſacramentum, & paulatim perducitur ad perfectam integritatem, cùm illa completur: quòd ſi deſit ſatisfactio, omittente ejus impletionem pœnitente, non redditur nulla abſolutio præcedens, aut ſacramentum.* Cùm ſatisfactionem, quæ à ſacerdote imponitur, non ad eſſenniam ſacramenti, ſed ad integritatem ſolùm attinere, & ante ſatisfactionis executionem beneficium abſolutionis impertiri docet, duo nimirum docet, quibus oppidò refelluntur, qui contrarium à Concilio Tridentino factum, vel certè uri fieret, multis ſignificatum rationibus, vehementiſſimè contendunt.

Decimus tertius Melchior Canus magnæ vir eruditionis parte v. Relectionis de Pœnitentia, ubi ſic reſpondet ad hoc argumentum. *Satisfactio eſt poſterior tempore, quàm abſolutio ſacramenti, ergo non eſt pars, ſed accidens rei.* Et poſt alia: *Ad quartum ergo nego conſequentiam. Capilli enim & ungues partes hominis ſunt, nec tamen ſimul cum homine naſcuntur. Accuſatio quoque, teſtimonium, ſententia judicis & ſolutio pœnæ, cùm non ſint ſimul, ſunt tamen de integritate judicii.* Hæc reſponſio perimit novitium illud inventum, quo ſatisfactionem eſſentialem eſſe ſacramenti partem, atque adeò requiri, ut hæc abſolutionem reipſa præcederet, Tridentinum Concilium decreviſſe fingunt. Debuiſſet quippe Canus aliter reſpondere, ſi ea fuiſſet Patrum mens, quæ illis ingeritur, nec argumentum concedere, quod ex ejuſdem Concilii doctrinâ facilè negaviſſet.

Decimus quartus Dominicus Sotus in 4. Sent. diſp. 17. art. 2. *Seeundò*, inquit, *arguitur: In ſacramentis nova legis confertur gratia, ſed per ſatisfactionem nulla confertur, quippe quæ abſolutionem ſubſequatur. Immo verò quandoque non eſt neceſſaria, ut cùm quis ſub articulo mortis confitetur, ergo non eſt pars. Reſpondetur, quòd ſatisfactio confert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam in exercitatione.* Et poſt alia: *ſine parte eſſentiali non poteſt res conſiſtere, ſed tamen ſine parte integrali, qualem nos ponimus ſatisfactionem, eſſe poteſt.* Hæc ille, in quibus & ſatisfactionis impletio ſequitur abſolutionem, & ipſa ſatisfactio ad integritatem tantùm, non ad eſſentiam ſacramenti pertinet.

Decimus quintus Gentianus Hervetus in Catechiſmo Gallico, cujus verba ſic Latinè reddimus: *Pœnitentia ſacramentum eſt, quo peccator, ubi contritus fuerit, Denuque offendiſſe doluerit, atque ex divinâ lege peccata ſua ſacerdoti expoſuerit, conceſſâ abſolutione & injunctâ ſatisfactione peccatorum ſuorum remiſſionem conſequitur.* Hæc Gentianus ille, qui ut erat probus & doctus, non potuit repugnantem Concilio Tridentino diſciplinam tradere, aut, ſi quoquomodo tradidiſſet, impunè ferre.

Decimus ſextus Cornelius Janſenius Gandavenſis poſtea Epiſcopus in Evangelicæ Concordiæ capite XLIV. *Proinde hoc ordine in primitivâ Eccleſiâ ad altare Domini & fidelium communionem admittebantur pœnitentes, ut poſt confeſſionem, & contritionis declarationem nonniſi impletâ ſatisfactione injunctâ, quâ veluti pili abradebantur & corpus abluebatur, admitterentur ad altaris communionem.* Si Tridentina Synodus de reſtituendo veteri more cogitaſſet, non tacuiſſet auctor hic, quia loquendi ſeſe ſponte offerebat occaſio.

Decimus ſeptiinus Alfonſus Salmeron tomo 11. tractatu 25. *Deinde*, inquit, *objiciunt* (hæretici) *Patres ante abſolutionem & acceſſum ad Euchariſtiam exegiſſe ſatisfactionem, ergo vel ad remiſſionem culpæ inſtituta eſt ſatisfactio, quòd derogaret virtuti paſſionis Chriſti, vel ad ſatisfaciendum non ſolùm coram Eccleſiâ, & non ad ſolutionem temporariæ pœnæ poſt extinctam culpam. Reſpondemus Patres quandoque ſolitos tribuere abſolutionem ante com-*

pletam

pletam ſatisfactionem, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex pænitentiis antiquorum ſecretis; imò etiam publicè pænitentiam agentium, ſi ægrotabant, quibus quidem abſolutio impendebatur, & Euchariſtia communio exhibebatur ante ſatisfactionem impletam, quam tamen ſi convaleſcant, perficere jubentur. Interdum etiam iidem Patres ſatisfactionem exigebant ante abſolutionem, & hoc commune erat. Quod quidem duas ob cauſas obſervari ſolitum erat: prima eſt, quia cùm talis ſit longa pænitentia, ut plurimùm per contritionem & Sacramenti votum erant abſoluti, antequam per Miniſtros Eccleſiæ reconciliarentur, præſertim cùm ante ultimam reconciliationem & communionem crebrò, ut dicunt Canones, venerint ad manus impoſitionem, ante ſolemnem & ultimam reconciliationem, hinc meritò dicuntur ſatisfactiones non pro culpâ, ſed pro pænâ. Altera ratio eſt, non eſſe inconveniens, pænitentias publicas eâ ratione, quâ publicæ ſunt, magis ſpectare ad ſatisfaciendum proximis vel ad continendam diſciplinam, quàm ad pænam peccato debitam delendam; ad quod ſatis eſſent ſecreta pænitentia, & ideo etſi fierent in peccato, vocari poterant ſatisfactiones, quia Eccleſiæ ſatisfaciebant. Itane hæreticis, qui Pœnitentiæ Sacramentum tollere nituntur, reſponderet Salmeron, ſi de reſtituendâ, cujus meminit, vetere diſciplinâ nonnihil ſtatuiſſet Concilium, vel etiam ſtatuere cogitaſſet? Minimè verò; ſed in aliam facilè reſponſionem abiret, quæ Concilio, aut Concilii conſilio accommodaretur, quæque vel ex eo robur ingentius obtineret.

Deinde idem Auctor paulò pòſt ſatisfactionem non ad eſſentiam Sacramenti, ſed ad integritatem ſpectare confirmat his verbis: *Verum eſt ſatisfactionem non eſſe de eſſentiâ Sacramenti, quia cujuſlibet Sacramenti ſubſtantia conſiſtit in materiâ & formâ, quæ in hoc Sacramento ſunt confeſſio & abſolutio. Eſt tamen ſatisfactio pars cum contritione & confeſſione ad integritatem Sacramenti faciens.* At iſtud quâ ratione conſtaret, ſi quod Concilio tribuunt, vere tribuendum eſſet? Hactenus ii, quorum alii inſtitutis de Sacramento Pœnitentiæ diſputationibus interfuerunt; alii verò cum ipſis qui interfuerunt, judicibus contulerunt, & eandem animo ſententiam inbiberunt.

C A P U T VI.

Ratio ſexta quæſita ex iis, qui à publicatâ decimâ quartâ Concilii Seſſione de Pænitentiâ ſcripſerunt.

RATIONEM ſextam ſumimus ex iis, qui à publicatâ XIV. Concilii Seſſione, hoc eſt ab anno M. D. LI. ad annum M. D. LXX. de pœnitentiâ libros ediderunt.

Horum primus erit Gaſpar Contarenus Cardinalis, qui etiamſi ante hanc ſeſſionem fortaſſis obierit, ejus tamen de Sacramentis libri duobus poſt illam annis Florentiæ prodierunt. Is ergo hæc habet libro III. de Sacramentis: *Contra Scotum his rationibus adducor, ut ſentiam longe ſaniorem aliorum Theologorum ſententiam, qui ponunt ſatisfactionem eſſe partem pænitentiæ, quæ in propoſito antecedit abſolutionem, præſtatur autem actu poſt abſolutionem.* Hæc ille, quem Paulus III. pro reformandâ Eccleſiâ in Concilium delectorum aſcivit, & quem in componendis illorum temporum diſſidiis plurimum laboraſſe nemo neſcit.

Secundus, Archiepiſcopus ſeu Synodus Senonenſis, quæ anno MDLIV. habita eſt: *In injungendis*, inquit, *pænitentiis conſiderent Confeſſores peccatum, modum peccandi, tempus, locum, qualiter & quando, perſonam, qualitatem, & quantitem culpæ, & contritionem confitentis, & non injungant nimis magnas pænitentias, neque graves & duras, ſed moderatas dicendo: nimis parva eſt iſta pænitentia, ſed quicquid ultra boni feceris, hoc tibi valeat in remiſſionem peccatorum, & quod in te fuerit, abſtineas à peccato. Si pænitens recuſet pænitentiam propter ejus difficultatem, debet Sacerdos aliam mitiorem imponere, & nihilominus pænitentem abſolvere.* Hæc eſt clara & aperta doctrina, quâ qui Synodum celebrarunt viri probi & eruditi, Diœceſanos Sacerdotes inſtituerunt. Ibi ſatisfactio quidem injungitur ante abſolutionem, ſed abſolutio datur ante ſatisfactionis illius perfectionem.

Tertius, Epiſcopus, ſeu Synodus Bellovacenſis, quæ eodem anno celebrata eſt. *In injungendis pænitentiis*, inquit, *conſiderent Confeſſores peccatum, modum peccandi, tempus, locum, qualiter & quando, qualitatem & quantitatem culpæ & contritionem confitentis, & non injungant nimis magnas pænitentias, neque graves & duras, ſed moderatas, quæ & ſi fieri poteſt, intra paucos dies fieri poſſint. Quòd ſi pænitens recuſet pænitentiam injunctam propter ejus difficultatem, debet Sacerdos aliam mitiorem imponere, & nihilominus pænitentem abſolvere.* Hæc Bellovacenſis Synodus eodem anno, iiſdem verbis idemque omnino præſcribit quod Senonenſis.

Quartus Gabriel Prateolus in Chriſtianæ Doctrinæ Summâ, quam anno M. D. LIX. ad Carolum Cardinalem Borbonium edidit, de Sacramento Pœnitentiæ. *Quid porro*, inquit,

de ſatisfactione ſentiendum eſt? Id videlicet, quod alia Chriſti redemptoris, alia fidelium pœnitentium communis ſit ſatisfactio; illa ſimel in corpore Chriſti Crucifixi, dum agnus ille mundi peccata talia pertulit, eſt, ut qui naturâ ſunt filii iræ Deo reconcilientur; hæc verò, quæ ad pœnitentes pertinet, à Chriſti membris in Eccleſiâ quotidie peragitur poſt confeſſionem, ea, quæ ſacerdos abſolvens injunxit, perficiens, aut cùm ultro quidem dignos fructus pœnitentiæ edimus. Hæc eſt agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis doctrina in eo libro, quem tunc Pariſienſes Theologi approbarunt, nec approbaſſent, ſi Concilium perficiendæ ante abſolutionem ſatisfactionis viam aliquam patefeciſſet.

Quintus Ruardus Tapperus Lovanienſis Decanus in articulo ſexto Lovanienſi, ubi ſic docet ex Academiæ ſuæ ſenſu: *Inſinuant etiam non eſſe veram pœnitentiam, per quam in Dei gratiam revertemur, niſi tantum fuerit odium peccati: ut in nobis ipſis ipſum vindicemus pro quantitate & magnitudine culpæ, laborioſa & pœnalia opera ſolvendo, ut præceptum ſatisfaciendi, hoc eſt, injuriam, quam in Deum commiſimus, compenſandi, incluſum ſit in præcepto pœnitendi & peccatum odiendi, propter quod antiquitus ſatisfactio ante abſolutionem imponi ſolebat, ut experimentum ſumeretur, an vera eſſet pœnitentia, per quam reconciliatio fieri poſſet, & quæ divinam clementiam provocaret.* Qui ut abſolutioni ſatisfactio præmitteretur, eam olim fuiſſe conſuetudinem ſcribit, neque quòd ordo ille pridem deſierit, læſam eſſe ſacramenti Pœnitentiæ naturam ſupponit, ſatis ſuperque indicat, illum agendæ, quæ imponitur, ante abſolutionem ſatisfactionis ordinem, meram eſſe in ſacramento ceremoniam. Hunc autem ordinem ſi reſtituiſſet Concilium, vel ut reſtitueretur expetiiſſet, cur id Tapperus reticeret?

Sextus Epiſcopus, ſeu Manuale Lemovicenſis Eccleſiæ, in inſtructione generali de pœnitentiâ pro ſacerdotibus, ubi auditâ pœnitentis confeſſione, & ſubjunctâ abſolutionis formâ ſic habetur: *Tamen pro ſpeciali pœnitentiâ, quam levem ſecundùm peccata tua tibi imponam, tu dices ſic & ſic, & facies ſic vel ſic: & injunctâ pœnitentiâ & à pœnitente ſuſceptâ dicat presbyter. Vade in pace, & noli ampliùs peccare.* Hæc clariſſima ſunt.

Septimus Alphonſus à Caſtro lib. 12. adverſus hæreſes in verbo, Pœnitentia: „Pœnitentia ſacramentalis complectitur Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, tanquam „tres illius partes integrales. Non enim ſunt tres illæ partes eſſentiales pœnitentiæ, ita quòd „ſine aliquâ Sacramentalis pœnitentia eſſe non poſſit. Quia confeſſio integra peccatorum „cum qualibet parvâ illorum diſplicentia pœnitentia vera eſt, quæ valet ad delendam om„nem culpam, ſed non eſt integra & completa pœnitentia, quia deeſt illi una pars videli„cet ſatisfactio, quæ ex ſe non ordinatur ad deletionem peccati, ſed ſolùm ad deletionem „pœnæ. Cùm autem dico confeſſionem eſſe partem pœnitentiæ Sacramentalis, intelligo no„mine confeſſionis non ſolam illam prolationem ſuorum peccatorum, quam coram ſacer„dote peccator facit, ſed etiam ipſius ſacerdotis abſolutionem, quoniam aliàs plures eſſent, „quam tres partes integrales pœnitentiæ Sacramentalis, & oporteret addere quartam, vide„licet ſacerdotis abſolutionem, & poſt pauca Tridentinos de Sacramento Pœnitentiæ canones & capita pleraque deſcribit, nec intelligit ex levi verborum ſono, quemadmodum intelligunt, qui nobis volaticâ diſputatione contradicunt, ſed ex receptâ Eccleſiæ conſuetudine, in quâ tres illæ partes aliter atque aliter uſurpantur, aliter atque aliter ad conſtituendum Pœnitentiæ ſacramentum pertinere creduntur. Deinde cùm nomine confeſſionis declarationem peccatorum abſolutioni junctam intelligit, & ſic intellectam confeſſionem facit alteram ſacramenti partem, ſatisfactionem, quæ tertia pars eſt, abſolutioni poſtponit. Hæc eſt doctrina hujus Theologi, quem mihi conſtat Concilio interfuiſſe dum de juſtificatione ſeſſio habita eſt; in qua multum fuiſſe de ſacramento Pœnitentiæ ſermonem Concilium ipſum ſeſſioni XIV. præfatur. Sed quia non liquet, an poſterioribus ſeſſionibus interfuerit, eum hoc in capite collocavi.

Octavus Gabriel Putherbeus in libro de Pœnitentiâ, quem Pariſienſes Theologi comprobarunt: illius Gallica verba ſic Latinè reddimus: *Ut igitur cum auxilio divinæ gratiæ de ſatisfactione ſermonem inſtituamus, quatenus neceſſarium eſt impræſentiarum. Illa ergo quod ad executionem ſpectat, abſolutionem ſequitur, quamvis antiqua conſuetudo tulerit, ut ante executionem imponeretur, ſi tamen poſt abſolutionem imponeretur, nihil inde periculi creatum appareret.* Hic auctor receptum in agendâ poſt abſolutionem ſatisfactione ritum confirmat, nec à Concilio immutatum vel leviter inſinuat.

Nonus Guillelmus Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus in libri IV. Panopliæ Evangelicæ capite LXX. *Quare duabus*, inquit, *pœnitentiæ partibus explicatis ad ſatisfactionem eſt tranſeundum, ut eam quoque à Catholicis ad peccatorum deletionem adhibendam doceri demonſtremus, videatur fortaſſe cuipiam antè de abſolutione agendum fore, quemadmodum &* nunc temporis uſus habet Eccleſiaſticus, *verùm ipſum rerum ductum atque ordinem naturalem,*

ralem tum propter ſui perſpicuitatem, *tum propter lucem*, *quam rebus alioquin obſcurioribus affundit*, *libenter inſequimur. Adde quòd & apud veteres abſolutio*, *niſi ſatisfactione purgatis ferè non impartiebatur.* Quibus in verbis obſervamus duo: unum eſt Eccleſiaſticus hujus temporis in dandâ ante peractam ſatisfactionem abſolutione uſus; alterum, priſca in dandâ poſt peractam ſatisfactionem abſolutione conſuetudo. Hanc autem abrogatam nec reſtitutam vir gravis ſuggerit ex publico Eccleſiæ uſu, quem ſincerè teſtatur. Quòd ſi Tridentini Patres utrumque vel alterutrum feciſſent, quod nonnulli ſcriptores modò feciſſe volunt, quin illud toto ſtudio amplexus fuiſſet Lindanus, dubitaturum exiſtimo neminem, qui quæ ex eo retulimus, accuratè perpendet.

Decimus Epiſcopus, ſeu Synodus Sueſſionenſis de Sacramento Pœnitentiæ, ubi poſtquam egit de confeſſione, ſubjicit: *Item ſi proponit ſtudetque emendare vitam ſuam*, *quibus ſic factis poterit abſolvere eum Sacerdos ſub tali formâ.* Deinde agens de ſatisfactione, quam tertiam pœnitentiæ partem appellat, hæc quoque tradit: *Si pœnitens recuſet pœnitentiam propter ejus difficultatem*, *non deneget propterea Sacerdos aliam mitiorem ei injungere*, *& eum abſolvere.* Idem ex aliis Synodis jam relatum eſt, ut videas Eccleſias inter ſe mirum in modum convenire.

Undecimus Marianus Victorius in capite XVI. libri de Sacramento Confeſſionis: *Satisfactio*, inquit, *tertia pœnitentiæ pars eſt*, *& poſt abſolutionem plerumque hodie ſequitur*, *licèt olim ipſam præcederet*, *non tamen ante confeſſionem. Confitebatur enim quiſ ſcelera ſua*, *præfigebatur deinde illi pœnitentia*, *quâ peractâ abſolutio poſtremò impendebatur.* Eâ-ne ſolâ oratione uteretur Victorius, ſi de revocandâ hodiernum in uſum vetere diſciplinâ, cujus meminit, Concilium cogitaſſet? Porro cauſæ ſunt omninò tres, quare hic auctor rem noſtram conficere ſolus deberet: una eſt, quòd traditionem, uſum & quicquid eſt pœnitentiæ præ multis aliis calluit. Altera, quòd quæ in hujus Sacramenti adminiſtratione corruptelæ intervenerunt, eas plurimùm exagitarit, & in revocandâ veteri in pleriſque diſciplinâ vehementer inſudarit. Tertia, quòd vel eo nomine placeat iis, quorum ſententia, quam de conſilio Concilii Tridentini imbiberunt, nobis non arridet, & ut aliena refellitur.

Duodecimus liber Sacerdotalis ad uſum Venetiarum anno M. D. LV. editus, cap. XIX. *Qualiter ſe habere debet Sacerdos cum pœnitente auditâ ejus confeſſione.* Et paullò pôſt: *Confeſſione peractâ ſi fuerit excommunicatus*, *ſi poteſt*, *priùs eum abſolvat ab excommunicatione*, *vel ſi non poteſt*, *remittat eum ad ſuperiorem.* Et paullò pôſt: *Abſolutus igitur à Sacerdote*, *ſi poteſt; vel ab Epiſcopo à vinculo excommunicationis*, *ſacerdos ei injungat pœnitentiam ſecundùm quod conditioni ipſius perſona viderit expedire*, *& ſecundùm qualitatem peccatorum. Videlicet in jejuniis*, *orationibus*, *eleemoſynis*, *vel peregrinationibus*, *vel miſſis.*

Decimus tertius Maximilianus à Bergis Epiſcopus Cameracenſis in Manuali Eccleſiæ ſuæ: *Poſtquam*, inquit, *Sacerdos pœnitentis confeſſionem audiverit*, *& de peccatis ipſius diligenter cognoverit*, *pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem pœnitentiam ei imponat*, *commendans ei opera pietatis & miſericordiæ*, *qualia ſunt orationes*, *eleemoſynæ*, *jejunia*, *& pia meditationes circa Paſſionem Domini*, *deinde ad abſolutionem hoc ordine procedat*, &c.

Sic Maximilianus, & liber ille Sacerdotalis præſcribunt adverſus eas novitates, quæ Concilio Tridentino nunc tribuuntur.

Decimus quartus Joannes Monlucius Valentiæ Epiſcopus in eâ, quam Gallicè edidit Sacramentorum inſtitutione: *Poſtquam*, inquit, *Sacerdos audierit pœnitentis confeſſionem*, *& ejus contritionem agnoverit*, *ſi ablata rei vel fama aliena reum offenderit*, *ei dicet*, *hoc peccati genus non antè condonari quàm ſatisfactio præcedat*, *& ſine abſolutione pœnitentem dimittet*; *niſi in caſu neceſſitatis.* Hæc exceptio receptam conſuetudinem firmat, quæ paulò pôſt ſic explicatur. *Et poſtquam pœnitenti abſolutionem dederit injunget ei*, *ut impoſterum meliùs cognoſcat Deum*, *quàm antea*, *& pœnitentiam agat*, *ſuamque carnem & pravam voluntatem comprimat jejuniis*, *eleemoſynis & orationibus.*

Decimus quintus Franciſcus Sonnius Buſcoducenſis Epiſcopus tractatu IV. de Pœnitentia cap. X. *Diſcipulus. Nunquid quando peccatum condonatum eſt per abſolutionem*, *totum tunc remiſſum intelligitur*, *ita ut nihil pœnarum reſtet eluendum? Magiſter. Lege & relege iterum atque iterum capita 3. & 4. Geneſeos*, *& caput Exodi 32. & Numerorum 14. & 20. ſecundi Regum 12. & 14. & videbis luce clarius ſæpius fuiſſe remiſſum peccatum ab ipſomet Deo*, *quoad exterminium*, *reſtantibus nihilominus caſtigatoriis pœnis*, *quas poſt reconciliationem adhuc luere oportebat.* Quibus verbis non ſolùm approbat uſitatam ſuo tempore diſciplinam, quâ peractam ſatisfactionem præcedit abſolutio, ſed & illam rectè ſic inſtitutam pluribus Scripturæ teſtimoniis confirmat. Ut mirandum eſſet prorſus, magnæ pietatis & eruditionis Epiſcopum id feciſſe contrà, atque Tridentinum Concilium præſcripſiſſet, aut præſcripturum ſe voluiſſe innuiſſet.

Decimus ſextus Catechiſmus ille, qui Concilii Tridentini dicitur, *Sed illud*, ait, *imprimis de ſacerdotibus obſervari oportet, ut auditâ confeſſione peccatorum, antequam pœnitentem à peccatis abſolvant diligentiùs curent, ut ſiquid ille fortè de re aut de exiſtimatione proximi detraxerit, cujus peccati damnandus merito eſſe videatur, cum latâ ſatisfactione compenſet. Nemo enim abſolvendus eſt, niſi priùs quæ cujuſque fuerint, reſtituere polliceatur.* Et poſt alia: *In irrogandâ autem ſatisfactionis pœnâ ſacerdos nihil ſibi ſuo arbitratu ſtatuendum eſſe, ſed omnia juſtitiâ & pietate dirigenda exiſtimabit. Atque ut hac regulâ peccata metiri videantur, & pœnitentes ſcelerum ſuorum gravitatem magis agnoſcant, operæpretium eric interdum eis ſignificare, quæ pœna quibuſdam delictis ex veterum canonum præſcripto, qui pœnitentiales vocantur, conſtituta ſint: igitur univerſæ ſatisfactionis modum culpæ ratio temperabit, ſi auditâ confeſſione judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti omnino defuiſſe, abſolvi poterit: ſin autem utrumque in eo deſiderari animadverterit, auctor illi & ſuaſor erit, ut majorem curam in excutiendâ conſcientiâ adhibeat, hominemque vel blandiſſimè quoad poterit, tractatum dimittet.* Siquis liber eſſe poteſt, in quo ſecundùm acta Tridentini Concilii de reſtituendâ veteri Eccleſiæ conſuetudine, quæ expletam ſatisfactionem ante abſolutionem ſæpiùs exegit, mens Patrum ſignificari debuit, is eſt profectò Catechiſmus, cujus verba recenſita ſunt. At in eo contraria planè diſciplina non ſignificatur modò, ſed etiam præſcribitur, & duplici exceptione luculenter confirmatur. Una alienæ rei vel exiſtimationis detractæ reſtitutionem, altera cùm in enumerandis peccatis diligentiam, tum in iis deteſtandis dolorem ſpectat. Prima ſic concipitur: *Nemo abſolvendus eſt, niſi priùs quæ cujuſque fuerint, reſtituere polliceatur.* Atque ita quem hac ratione peccati pœnitet, is promiſſâ quidem, ſed nondum exſoluta promiſſione abſolvitur. Secunda ſic habetur: *Si ſacerdos auditâ confeſſione judicaverit in enumerandis peccatis diligentiam, aut in deteſtandis dolorem pœnitenti defuiſſe, eum ſine abſolutione dimittet.* Quò fit, ut cùm judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti defuiſſe, is abſolvi omnino poſſit. Quamvis nimirum eâ, quæ imponitur, ſatisfactione nondum defunctus ſit.

Deinde Catechiſmus non antè præcipit, ut ad demonſtrandam peccatorum gravitatem ſacerdos indicet, quibus ab Eccleſiâ pœnis olim plecterentur, quàm continuò oſtendat, & iſtud ipſum præſtari, & quod majus eſt, pœnitentialium canonum ſeveritatem in omnibus ferè conditionibus revocari poſſe, quamvis peractâ nondum ſatisfactione abſolutio daretur. Quod ſummè obſervandum eſt, nequis ſibi ſucum fieri patiatur ex iis, quæ cùm ex Actis, tum ex auctoribus vitæ beati Caroli Borromæi producuntur, & magnâ verborum pompâ jactantur. Scilicet aliud eſt omni ope conari, ut ex veterum canonum præſcripto accommodæ delictis ſatisfactiones imponantur: aliud verò ſtatuere, ut non priùs pœnitentes abſolvantur, quàm ejuſmodi ſatisfactiones obierint. Primum Borromæus quoad potuit, effecit; ſecundum ne cogitando quidem tentavit. Immo contrarium præſcripſit, ut conſtat ex iis, quæ poſtea commemorabimus. Hîc de communi diſciplinâ ſermo eſt, non de privatis quibuſdam articulis, quos non tam generalis regula, quàm aptata cuilibet tempori ratio ſemper temperavit.

Ceterùm ad hanc obſervationem veluti fulgurita cadunt, quæcumque hàc inſuperhabitâ diſtinctione ex ſancti Caroli geſtis adducuntur, ut diximus, & nimium magnificè prædicantur, cùm ad mentem auctoris ſui ſincerè non prædicentur. Et verò licèt daremus illius eâ in re mentem paulò obſcuriorem eſſe, tunc ſequenda eſſet regula, quam Facundus Hermianenſis Epiſcopus proponit lib x. cap. v. *Non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt, quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam perſona defuncta eſt, ex communione religioſiùs æſtimatur.* At ex III. & IV. cap. certum eſt eorum Doctorum, in quorum communione vixit Carolus neminem eſſe, qui ſcripſerit, Tridentinum Concilium pluribus in locis ſignificaſſe, ut communiter non daretur abſolutio, niſi peractâ ſatisfactione, quæ auditâ peccatorum confeſſione injungitur; aut etiam Carolum id cenſuiſſe, quod Concilium cenſuiſſe dicunt, qui hac in re Caroli auctoritate abutuntur. Qui autem in datâ hypotheſi, quam dari neceſſe non eſſe cap. v. animadvertimus, regulam Facundi reſpuerent, de iis non immeritò diceretur, quod olim de aliis quibuſdam aliâ in occaſione Vincentius Lirinenſis dixit cap. XI. Commonitorii, *captant plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta paulò involutiùs edita, ut illud neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur.* Quam tractandi methodum fraudulentiam appellat.

Decimus ſeptimus Georgius Ederus Colonienſis Theologus in partitionibus Catechiſmi Concilii Tridentini tabulâ LXXIII. *Si auditâ confeſſione ſacerdos judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti omnino defuiſſe, abſolvi poterit.* Hæc ille, quem ſingulari laude Pius V. commendavit: Neque ex Concilii de-

creto

creto aut voto ullo exigit vel conſulit, ut pœnitens antè ſatisfaciat, quàm abſolvatur.

Decimus octavus Sanctus Carolus Borromæus Cardinalis in Concilio primo Mediolanenſi: *Caveant*, inquit. *Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cùm facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque ut id facerent ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, quæ debent quamprimùm abſolvant.* Illa duorum caſuum exceptio communem firmat uſum, quo ante peractam ſatisfactionem abſolutio impertitur.

Idem quoque Carolus parte quartâ Actorum in inſtructione pœnitentium: *Antequam*, inquit, *pœnitentiam imponat, & abſolutionem tribuat pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum ſuorum contritionem habeat, anque certum deliberatumque ei ſit in poſterum, quantum in ſe eſt, divina gratiâ adjuvante à peccatis abſtinere, & quæ anteà commiſerit, pro iis ſatisfactionem perſolvere.* Et poſt alia: *Quòd ſi pœnitens nullam contritionem, nec verò ſaltem attritionem, aut neque propoſitum abſtinendi in poſterum ab aliquo peccato mortali oſtendat, eum Confeſſor minimè abſolvat.* Eam profectò in dandâ abſolutione diſciplinam non præſcriberet ſanctus Carolus, ſi Concilium Tridentinum abſolutionem ſatisfactioni poſtponendam eſſe duxiſſet, aut uti poſtponeretur, gratiſſimum ſibi fore ſignificaſſet. Hæc ergo cùm ille ſic ſtatuat, ſtatuendum quoque nobis eſt, pura puta eſſe commenta, quæ de agendâ ante abſolutionem ſatisfactione illi nunc tribuuntur.

CAPUT VII.

Ratio ſeptima quæſita ex Joanne Groppero Colonienſis Eccleſiæ Archidiacono.

RATIONEM ſeptimam colligimus ex iis, quæ Joannes Gropperus Colonienſis Archidiaconus de pœnitentiâ ſcripſit. Hujus autem verba ſunt in Inſtitutione Catholicâ ſub hoc titulo. *Solâ vel incuriâ vel inſcitiâ præſidum Eccleſiæ publicam pœnitentiam jam penè abolitam eſſe.* Et paulò pòſt de caſibus reſervatis. *Non igitur hoc mihi improbatur, quod Epiſcopi præſenti tempore in his caſibus, ſi occulta ſint crimina, faciant Presbyteris pœnitentiam dandi & abſolvendi poteſtatem, ſed quòd ſimul illis poteſtatem faciant in ejuſmodi caſibus, cùm crimina iſta manifeſtè commiſſa ſunt, reconciliandi flagitioſos ante publicam pœnitentiam factam, id an ſecundùm veterum canonum, atque adeò juris divini ſententiam faciant, aliorum eſto judicium.*

Deinde ſub hoc titulo: *Non relaxari in Eccleſiâ gravia crimina, niſi ſatisfactione ſuſceptâ & peractâ. In ſummâ hoc conſtat non relaxari ritè per ſacerdotes gravia à baptiſmo commiſſa crimina, niſi factâ exomologeſi, & peractâ publicâ, ſi publica ſint crimina, vel privata, ſi ſecreta ſint, ſatisfactione ab ipſis ſacerdotibus ſuſceptâ.* Poſtremo ſub hoc titulo: *Ritus danda & agenda publica pœnitentia. Quare diſcretione magnâ opus eſt, & hæc imprimis ſervanda venit inter pœnitentes publicè & abſconsè. Enimverò oportet, ut bene dictum eſt, ut qui publicè peccaret, publicâ multaretur ſententiâ, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur. His verò, qui clam graviora ſcelera admiſerunt, eaque confeſſi ſunt, & ſi non injungere, indicare tamen ſaltem debent ſacerdotes remedium canonicum, quod ſubire debuiſſent, ſi eorum facinora publicata fuiſſent: Cùm verò lateant admiſſa, conſilium ei dabunt, ut ſaluti animæ ſuæ occultâ pœnitentiâ conſulant, hoc eſt, ut veraciter ex corde, ſi ſe deliquiſſe cognoſcant, & per jejunia & eleemoſynas, vigiliaſque & ſacras orationes cum lacrymis peccata ſua purgare contendant, ut ſic ad ſpem veniæ per miſericordiam Dei ſe perventuros confidant.* Quanquam hæc aliter intelligi poſſunt, quàm velint adverſarii, tamen intelligimus ad mentem eorum, qui hunc maximè auctorem adducunt, ut probent, revocandam nunc eſſe eam diſciplinam, in quâ ſatisfactionem ſeu publicam, ſeu privatam olim anteceſſiſſe reconciliationem ſcribunt. Quibus ita ſuppoſitis duas eſſe cauſas dicimus, cur vir doctus & prudens, qualis erat Gropperus, ſuam aſſertionem ex Concilio Tridentino confirmari debuerit, ſi, ut illi vehementer contendunt, Concilium revocandam eſſe illam diſciplinam cenſuit, vel ſaltem illius revocandæ viam ullam aperuit. Prima eſt, quòd hac ratione aſſertionem, quæ ſingularis erat inter Catholicos ſcriptores, non ſolùm defendiſſet à novitatis invidiâ, verumetiam ut in pretio atque uſu haberetur ab omnibus, effeciſſet.

Altera, quòd recenti eoque firmiſſimo argumento ductus, priorem de ritu agendæ ſatisfactionis ſententiam mutaſſet, ne ſcilicet ſecundæ cogitationes, quæ in aliis ſapientiores eſſe ſolent, in ſeipſo deteriores viderentur. Sic enim Gropperus in Chriſtianæ Inſtitutionis Enchiridio, quod nomine Concilii Colonienſis edidiſſe anno M. D. XXXVI. Poſſevinus & Schottus tradunt, de ritu agendæ ſatisfactionis ſcripſit: *Interim quoque rememorandum eſt, in veteri Eccleſiâ canonicis inſtitutis cautum fuiſſe, non aliter reconciliandos, nec ad communionem admittendos pœnitentes, quàm poſt peractam pœnitentiam: niſi tamen neceſſitas coegiſſet, &*

pericu-

periculum mortis inſtetiſſet. Et poſt alia : *Hodie longè remiſſiùs agitur cum pœnitentibus. Nam exceptis atrociſſimis criminibus publicè in totius Eccleſiæ ſcandalum commiſſis (quæ etiamnum publicè expiari convenit , antequam criminoſus ad communionem admittatur) pro cæteris certè delictis ante abſolutionem imponitur quidem , ſed non exigitur ſatisfactio , nimirum poſt abſolutionem complenda. Hoc ergo ſolùm Eccleſia (nos admodum mititer & indulgenter tractans) nunc reſpicit , ſi congruam ſatisfactionem non negligamus, ſed agendam recipiamus, & curemus: ferenda quidem hæc lenitas , ſed interim videant Sacerdotes, ne cùm in conſiderandâ ac explorandâ vitâ pœnitentium poſt abſolutionem incurii ſunt, haud poſtremus ille ſatisfactionis finis non negligatur.* De communi agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis ritu hæc Gropperus, quæ cum ceterorum illius ſæculi Theologorum placitis conveniunt, quæque præterea ſunt ejuſmodi, ut ab iis vir doctus & probus diſcedere poſtea non debuerit, (quemadmodum neceſſariò diſceſſiſſe ſcribunt) niſi cujuſdam omni exceptione majoris auctoritate cogeretur. Quo verò tempore priorem ſententiam mutaſſe volunt, qui poſteriorem oſtentant (ſi tamen priorem illam noverint) nulla ejuſmodi auctoritas occurrebat, præterquam Tridentini Concilii, quo cùm non ſit uſus, dum anno M. D. LVII. inſtitutionem Catholicam ſcripſit, nec revera uti potuerit, manifeſtiſſimum ſignum eſt, Concilium nec receptam de ordine agendæ ſatisfactionis conſuetudinem mutaſſe, nec ullam inſuper de eo mutando cogitationem ſuſcepiſſe.

Quinetiam quod ad Gropperum ſpectat, eum quidem aliquando Tridenti de appellationibus diſputaſſe obſervatum reperitur, ſed de mutandâ agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis conſuetudine diſputaſſe quicquam , vel etiam ut diſputaretur, optaſſe ; obſervatum nuſquam reperitur. Quare cùm ex aliis, tum ex hoc quoque facile eſt ea, quæ in Inſtitutione Catholicâ ſcripſit, cum iis, quæ in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis, conciliare, ſi modò patiantur , ut quæ clariora ſunt obſcurioribus lucem adferant.

Nam in Inſtitutione Catholicâ cùm ait Gropperus , *Non relaxari ritè per Sacerdotes gravia à baptiſmo commiſſa crimina , niſi factâ exomologeſi , & peractâ publicâ, ſi publica ſint crimina , vel privatâ , ſi ſecreta ſint , ſatisfactione ab ipſis Sacerdotibus ſuſceptâ* ; Non agit de tribus pœnitentiæ partibus quæ ſic inter ſe componantur, ut non priùs quis Eccleſiæ & Altari reconcilietur , quàm expleverit ſatisfactionem , quæ auditâ confeſſione pro publicis, vel occultis criminibus injungi debet : ſed integram Sacramenti pœnitentiæ naturam exponit, quæ in eo ſita eſt, ut peccata non relaxentur ritè , niſi auditâ confeſſione Sacerdotes congruam ſatisfactionem imponant, eamque pœnitentes ſuſcipiant implendam. Hujus autem ſatisfactionis impoſitionem & ſuſceptionem cùm à quibuſdam negligi Gropperus animadverteret, illorum incuriam graviter redarguit, & rectè omnino ſcribit , peccata non relaxari ritè , niſi factâ exomologeſi pro conditione peccatorum imponatur ſatisfactio, quæ juxta receptum Eccleſiæ Catholicæ morem expleatur. Quæ omnia maximè concordant Enchiridio, ubi pro criminibus alter atque aliter in Eccleſiâ ſatisfieri tradit. Nam pro publicis, quæ in Eccleſiæ ſcandalum veniunt , pœnitentia imponitur , quæ ante abſolutionem explenda eſt. Quod diſciplinæ genus cùm videret non accuratè ſervari, de Sacerdotibus inde conquerendi occaſionem accipit: pro ſecretis verò criminibus ſatisfactio ante abſolutionem imponitur quidem, ſed poſt abſolutionem complenda. Quod in Eccleſiæ more atque inſtituto poſitum eſſe dicit, nec ullatenus reprehendit , immo retinendum eſſe confirmat.

Ceterùm hic Auctor nuper à quibuſdam Cardinalis appellari non debuit, niſi qui oblatum ſibi à Pontifice Cardinalatum recuſavit , Cardinalis dictus ſit aliquando , vel dici meritò poſſit. Qua de recuſatione ſic Jacobus Auguſtus Thuanus lib. XVI. Hiſtoriarum ad annum M. D. LV. *Qui* (Gropperus) *dignitatem ultro oblata , quam ceteri mortales plerumque ardentiſſimi votis ambiunt , rarâ hoc ævo modeſtiâ , & animi magnitudine repudiavit.* Unde neque illuſtris Cardinalium Nomenclator , neque Ciaconius neque alii, qui de Cardinalibus ſcripſerunt , Joannem Gropperum inter Cardinales retulêre.

CAPUT VIII.

Ratio octava quæſita ex iis , qui Tridentini Concilii ſuppares fuerunt.

RATIONEM octavam petimus ex iis, qui Tridentini Concilii ſuppares fuerunt. Suppares hic intelligo, qui ab anno, M. D. LXX. ad annum uſque M. DC. XII. de propoſitæ Diſſertationis argumento ſcripſerunt.

I. Initium in hoc ordine ducet Edmundus Augerus lib. I. de Pœnitentiâ cap. XV. *Ad hujus*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ munus antè veniamus, quàm de ſatisfactione tractemus. Hanc quippe abſolutio præcedere conſuevit.* Paucis verbis , quæ ex Gallico Latina fecimus, Eccleſiæ conſuetudinem ſic atteſtatur, nec in eâ ſignificat quicquam mutatum.

II. Martinus Azpilcueta Navarrus capit. XXVI. Manualis , *Quomodo Confeſſarius ſe geret*

ret erga confeſſum : Decimò confeſſarius imponat pœnitentiam ante abſolutionem , quod tamen non eſt neceſſe , quia tantùm valet , & tam ſacramentalis eſt quæ pòſt , quàm quæ antè imponitur. Non aliis verbis diſciplinam exprimeret , quæ per univerſam Eccleſiam frequentaretur.

III. Matthæus Galenus Duacenſis Cancellarius Catecheſi CLXXV. *Et fateor*, inquit, *Paulum oſtendere, non ſemper eſſe nefas , ante legitima pœnitentiæ tempora recipere peccatores, ſi deſperationis, mortis, aut tyrannidis metus oriatur : ſed poſterioribus ſæculis cœpta eſt Apoſtolica permiſſio, inſtar præcepti haberi , ut tum exigeretur ſatisfactio, cùm eſſent abſoluti.* Quibus verbis receptum pridem obeundæ poſt abſolutionem pœnitentiæ ritum confirmat , eumque ab Apoſtoli Pauli conceſſione deducit. Sed quoniam poſteà veteris inſtituti cum laude meminit , illud ſi Tridentini Patres reſtituiſſent , vel ut reſtitueretur, paſſim optaſſent cur non prædicaſſet Galenus, qui, quòd ſacerdotes juſtam aliquando ſatisfactionem non imponunt, eos vehementer accuſat ? qui quorumdam Theologorum de differendâ in Purgatorium ſatisfactione ſententiam configit ?

IV. Neapolitana Synodus Provincialis, quam Gregorius XIII. approbavit anno M. D. LXXVI. cap. XVI. De Sacramento Pœnitentiæ : *Et nequis citò manus imponens alienis peccatis communicare convincatur, caveant ſacerdotes , ne ante debitam vel famæ vel pecuniæ ſatisfactionem , ubi reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſolvant, præcipuè ubi pœnitens datum in ſuperiori confeſſione de ſatisfactione præceptum neglexerit.* Hic locus erat tangendæ rei , quæ in diſceptationem venit. At nec directè, nec obliquè tangitur.

V. Petrus Caniſius in Opere Cathechiſtico, quod cum ſummi Pontificis auctoritate in lucem prodiit anno M. D. LXXVI. de ſatisfactione num. VII. *Hæc verò , quæ ad pœnitentes pertinet, à Chriſti membris in Eccleſiâ quotidie peragitur, cùm pœnitentes poſt confeſſionem ea , quæ ſacerdos abſolvens injunxit , perficimus.* Sic intelligit cap. VIII. & IX. ſeſſionis XIV. Concilii Tridentini , quod ad marginem libri notatur.

VI. Fredericus Cornelius Patavienſis Epiſcopus in Synodo , quam anno M. D. LXXIX. habuit, communem in dandâ ante ſatisfactionem reconciliatione morem his exceptionibus confirmat : *Neminem ante ſatisfactionem abſolvat , qui cùm proximo damnum dederit, vel aliquid furtim arripuerit , vel falſo teſtimonio alicujus exiſtimationem violaverit, & ſatisfacturum ſe ſuperiori fortaſſe confeſſione promiſerit , ſatisfacturum tamen diſtulerit , vel ſtatim ſatisfacere nolit , cùm poſſit.* In his peccatis , quæ proximum attinent , acceptâ ſatisfaciendi ſponſione pœnitens reconciliatur , quod eſt cum ceteris peccatis commune : ſi tamen poſtea ſponſionem non exolvat , cùm poſſit, tunc eum habet exceptio locum , quem Eccleſia ſemper haberi voluit.

VII. Theodorus Peltanus Ingolſtadienſis Theologus libro de noſtrâ ſatisfactione, ſectione VIII. cujus eſt titulus ; *Non eaſdem eſſe pœnitentium omnium leges , nec eaſdem quoque indicta & non expleta ſatisfactionis cauſas. Cùm alia non pauca obſervanda ſint à ſacerdote , ut rectè ſuo munere fungatur , tum id eum præcipuè obſervare oportet, ne auditâ peccatorum exomologeſi priùs pœnitentem abſolvat , quàm diligenter curarit , ut quod ille de re fortè , aut exiſtimatione proximi malè detraxit , integrâ reſtitutione compenſet. Nemo enim abſolvi debet , neque legitimè quoque abſolvi poteſt , niſi damna alteri contra juris æquitatem illata reſarciat , aut ubi primùm potuerit , id ſe facturum certò apud ſe conſtituat , promittatque.* Et poſt alia : *Ponimus* (peccatorem) *peccata ſua integrè ſincereque faſſum eſſe, veniamque abſolutionem humili ſubmiſſoque animo expetiviſſe, quæ proinde jure ipſi debebatur , tum ſatisfacere quoque voluiſſe , quamvis non eo modo , vel eo ſatisfactionis genere.* Communem in agendâ ſatisfactione diſciplinam explicat , & acceptâ ſatisfaciendi proximo ſponſione reconciliationem concedit. Eorum ergo , quæ nunc de præponendâ abſolutioni ſatisfactione Concilio tribuunt , nihil vidit , nihil ab iis , qui Concilium celebrarunt , audivit : non diſſimulat tamen iniquitatem ſacerdotum , qui convenientes delictis pœnitentias non imponunt.

VIII. Conventus Gallicanæ Eccleſiæ Meloduni habitus anno M. D. LXXXIX. qui ſic inſcribitur : *Archiepiſcopi, Epiſcopi , Abbates, Decani , Archidiaconi & alii ſtatus Eccleſiaſtici in Conventu urbis Melodunenſis nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ coacti , dominis ac fratribus Archiepiſcopis , Epiſcopis , Abbatibus , Capitulis , totiuſque Gallicanæ Eccleſiæ clero ſalutem in Chriſto precantur ac pacem.* De pœnitentiâ : *Cùm pœnitentia & peccata deleat & gratiam infundat , ad tanti ſacramenti perceptionem , ſæpiſſimè à parochis cohortandi ſunt populi. Catechiſmi Tridentini in rebus ejuſmodi ac piis operibus exercendis regulas & præcepta , quàm fieri poterit , accurate ſequantur Confeſſarii.* Quas autem regulas de adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento Catechiſmus ille ſanciverit , capite VI. expoſitum eſt. Hic unum advertendum reſtat, nempe Gallicanam Eccleſiam in celebri Conventu ſuum feciſſe , quod Catechiſmus , ut vocant , Tridentinus ſtatuit , neque alio impulſam motu ſuum id feciſſe ,

quàm

quàm quo Chriſtiani populi ſalutem procurari, & Pœnitentiæ Sacramentum optimâ ratione adminiſtrari duxit.

IX. Petrus Paparinus Chaumontius Vappincenſis Epiſcopus, in Inſtructione Curatorum editâ in Synodo, quam habuit anno M. D. LXXIX. num. X. *Poſtea ſiquis confiteatur, ſe bona alterius injuſtè detinere, Curatus, aut Sacerdos abſolutionem ei non priùs concedat, quàm reſtituerit, aut reſtituturum ſe promittat.* Hæc conditio, quæ communem uſum confirmat, habetur in Concilii Catechiſmo, quem ut Sacerdotes ſibi comparent, Epiſcopus ille ſtatuit num. LXXVII. & LXXVIII.

X. Liber Ritualis Pientinæ Eccleſiæ anno M. D. LXXXII. editus de Sacram. Pœnit. *Cùm autem*, inquit, *pœnitentem abſolvere voluerint injunctâ priùs & acceptatâ ab eodem pœnitentia ſeu ſatisfactione, elevatâ aliquantulum manu ſuper abſolvendum dicant, Miſereatur tui* &c.

XI. Concilium Provinciæ Burdigalenſis, quod anno M. D. LXXXII. celebratum eſt; de pœnitentiâ: *Sæpe prædicent Parochi Chriſtiani hominis pœnitentiâ contineri, veterum peccatorum deteſtationem, tum eorundem ſacramentalem confeſſionem, itemque ſacerdotalem abſolutionem, ac demum ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes & alia pia ſpiritalis vitæ exercitia, quibus & pravi habitus citiùs ex animo evelluntur, & boni faciliùs inſeruntur.* Sic in enumerandis Sacramenti Pœnitentiæ partibus eum ordinem ſequitur, in quo abſolutionem excipit injuncta ſatisfactio. Deinde eundem ordinem hac exceptione confirmat. *Neminem Parochi abſolvant eorum, qui cum præcedente confeſſione ſe ablata reſtituturos, aut legata ad pias cauſas ſoluturos eſſent polliciti, cùm facultas adfuiſſet, neglexerint.* Hîc duo ſcire operæpretium eſt; unum, ad hoc Concilium Vaſatenſem Epiſcopum, qui alterius eſt provinciæ, ob ſummam pietatem & eruditionem vocatum, eique interfuiſſe; alterum, ad Concilii Tridentini normam ut habitum, ſic & à Gregorio XIII. probatum eſſe Burdigalenſe Concilium.

XII. Spoletina Synodus, quæ anno M. D. LXXXIII. celebrata eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Cùm autem pœnitentem abſolvere voluerint, injunctâ priùs, & per pœnitentem acceptatâ pœnitentiâ, ſeu ſatisfactione elevata aliquantulum manu ſuper abſolvendum dicant*, &c. In recepto more mutat nihil, quia mutandum nihil ab eis, qui Tridentino interfuerant, acceperat.

XIII. Theliſpergenſis Synodus, quæ anno eodem habita eſt, in parte I. Statutorum Rubricâ XXIV. Pœnitentiâ: *Pœnitentiæ, quas vocant, ſeu fructus pœnitentiæ digni, qui poſt abſolutionem injunguntur, Sacerdotis arbitrio relinquuntur.* In ordine ſatisfactionis mutatum nihil, quia nihil à Concilio mutatum invenit.

XIV. Concilium Remenſis, Provinciæ, quod anno M. D. LXXXIII. celebratum eſt, de pœnitentiâ num. VIII. *Poſt confeſſionem abſolutio nemini concedatur, qui non fuerit reconciliatus cum proximo, ſiquem oderat, ſaltem in voto.* Quæ exceptio communem in Eccleſiâ morem probat, qui ſic exponitur in Manuali, quod ad uſum omnium Provinciæ Eccleſiarum ex Decreto Concilii editum eſt anno M. D. LXXXV. de Sacramento Pœnitentiæ: *Communis verò modus abſolvendi pœnitentem, ubi confitendi finem fecit, eſt ejuſmodi: Miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. *Tunc injungat ei pœnitentiam pro numero, qualitate & gravitate peccatorum.* Iterum poſt alia: *Porro ubi Sacerdos pœnitentiam injunxit, pœnitentem abſolvit dicens*, &c.

XV. Synodus Bituricenſis Provinciæ, quæ anno M. D. LXXXIV. habita eſt, Canone XII. de Pœnitentiâ: *Pœnitentiam & ſatisfactionem injungant Sacerdotes, non pro ſuo arbitratu, ſed pro gravitate peccatorum: habeant tamen rationem contritionis, dum pœnitentem abſolvunt.* Sic contritionis rationem haberi jubet, ut pro ratione majoris vel minoris contritionis minor vel major ſatisfactio imponatur poſt abſolutionem explenda. Quod diſciplinæ genus ex proximo Canone colligitur, in quo ita decernitur: *Sacerdos in peccato mortali conſtitutus non propterea differat abſolutionem ejus, cujus confeſſionem audierit:* Illum igitur auditâ confeſſione ſtatim abſolvet, expletâ nondum ſatisfactione, quæ imponetur. Neque hæc Synodus citatos in margine Concilii Tridentini Canones aliter intellexit. Quid igitur fiet iis hominibus, qui hodie docent Concilium ſtatuiſſe, ut ſatisfactionis expletio ante abſolutionem exigatur? vel ſaltem plures oſtendiſſe vias, quibus hic agendæ ſatisfactionis modus inducatur?

XVI. Dionyſius Peronetus Pariſienſis Theologus & Autiſſiodorenſis Eccleſiaſtes in Manuali ſeu Inſtitutione Curatorum, quam vernaculè edidit ann. M. D. LXXXIII. Sermone de Pœnitentiâ: *Et quoniam*, inquit, *Sacerdos peccata remittere non poteſt, quorum nullam habet cognitionem, neceſſe eſt, ut pœnitentis confeſſio abſolutionem præcedat præter has duas pœnitentiæ partes, ſupereſt alia quæ vocatur ſatisfactio, ad quam homo manet obligatus poſt ſacramentalem abſolutionem.* Eritne qui probet Theologum hunc aliam pœnitentiæ diſciplinam propoſuiſſe, quàm quæ à Concilio Tridentino propoſita eſt?

XVII.

XVII. Diœceſana Synodus Piſtorienſis, quæ anno M. D. LXXXVII. habita eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Caveant Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, qui in anteriori confeſſione promiſerunt rem alienam reſtituere, vel pia legata perſolvere, ſi neglexerint, cùm tamen id faciendi facultatem habuerint.* Receptum uſum retinet & abuſum corrigit nec tantùm corrigeret, ſed veterem etiam uſum reſtitueret, ſi reſtituendum eſſe in Concilio legiſſet.

XVIII. Joannes Molanus Theologus Lovanienſis tractatu I. de Pœnitentiâ cap. XIII. concluſione III. *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere. Unde à Leone ſcriptum eſt, Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem; ut & confitentibus ſatisfactionem pœnitentia darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem per januam reconciliationis admitterent. Poſtea tamen Eccleſia infirmitati fidelium ſeſe accommodans, ſatisfactionem poſt reconciliationem injunxit.* Et paulò poſt: *Quanquam igitur pœnitens obligetur ad ſuſcipiendam & implendam pœnitentiam, quæ ei rationabiliter ſacerdotis arbitrio imponitur: ſacerdos tamen, ſi pœnitens reluctetur, infirmitati ejus, quoad fieri poterit, ſeſe attemperet. Caveat quoque ne pœnitentiam imponat incommodam pœnitenti, aut in tertii præjudicium. Neque unquam pro occulto peccato manifeſtam imponat.* Quæ omnia lectione ſolâ intelliguntur: in iis tamen obſervanda ſunt duo, primum quidem, Molanum dicta Leonis non ſic accipere, quaſi Leo voluerit ipſe, ut imponendæ pœnitentibus ſatisfactionis, ita & illius poſt, vel ante reconciliationem agendæ ritum divini juris eſſe, ſed iſtud, quod non rem, ſed rei modum attinet, arbitrio Eccleſiæ relictum. Hoc autem ſi ſemel animadvertatur, de iis argumentis actum eſt, quæ ex beati Leonis teſtimonio perinde ducunt adverſarii, quaſi, ut injunctæ ſatisfactionis perfectio reconciliationem antecederet, Chriſtum Dominum inſtituiſſe credidiſſet. Sed illud ex Leonis teſtimonio nemo deducet ſine Accidentis ſallacia, cujus indigere Eccleſiam nunquam probabunt: deinde Molanum non dicere, quoſdam de Eccleſiâ, vel aliquam Eccleſiæ partem, ſed Eccleſiam abſolutè, quæ infirmitati fidelium ſeſe accommodaverit, ſatisfactiooem, ſeu ſatisfactionis perfectionem poſt reconciliationem injunxiſſe, hoc eſt, ſibi ſuffeciſſe ratam, ut injuncta ſatisfactio poſt acceptam abſolutiooem compleretur. Hæc autem fidelium infirmitas in cauſa eſſe non poteſt, ut quæ divini ſunt juris, ſed tantùm quæ Eccleſiaſtici, ratione pari mutentur.

XIX. Vicentina Synodus, quæ anno M. D. LXXXIII. congregata eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Poſtquam ſacerdos à peccatis præteritis abſolverit pœnitentem, non ſolùm hortetur & ſuadeat, ut futura peccata devitet, ſed etiam viam monſtret & modum. quo illud efficere poſſit*, &c. *Sciant omnes confeſſarii canones pœnitentiales, ut quamvis in pœnitentiis injungendis eos ſervari ad unguem tempora non patiantur, tamen peccatoribus aperiantur, unde fiet, ut & à peccatis deinceps cautiùs abſtineant. & injunctas à ſacerdote pœnitentias libentiùs amplectantur & exequantur.* Et poſt deſcriptam abſolutionis formulam: *Cautius autem eſt priùs injungere pœnitentias, quàm impendere abſolutionem, niſi fortè pœnitens ſit perſona pia & devota.* Siquis Synodum hanc conſideret attentiùs, judicabit ſine dubio, eam reſtituiſſe antiquum peragendæ ſatisfactionis ritum, ſi Tridentinam Syoodum id habuiſſe in votis agnoviſſet.

XX. Georgius Buſtus Bononienſis Theologus quæſt. V. de reatu pœnæ poſt culpam remiſſam: *Fatendum eſt*, inquit, *cum Catholicâ Eccleſiâ peccato per pœnitentiam remiſſo nempe per contritionem, confeſſionem & abſolutionem, remanere poſſe reatum & obligationem ad pœnam perſolvendam, ſicuti infrà declarabimus, cùm de ſatisfactione tractabimus adverſus impium Luterum.* Idem quæſt. VI. de ſatisfactione ſacramentali art. III.. *Poſt veram contritionem perfectamque confeſſionem proprio ſacerdoti factam, poſtque impertitam ipſi pœnitenti abſolutionem, quibus peccata delentur, ſatisfactionem temporalem neceſſariam dicimus ad ſalutem æternam naciſcendam.* Sic utrobique pœnitentiæ partes numerat, ut abſolutio ſatisfactionem antecedat. Neque innuit uſpiam, ſe in Italiâ aliquid eorum audiviſſe, quæ Concilio Tridentino, vel Concilii Tridentini votis nunc tribuuntur.

XXI. Nicolaus Thuanus Carnotenſis Epiſcopus in Gallicâ collectione Inſtitutionum ad Sacramentorum Catholicæ Eccleſiæ intelligentiam, ubi conſtituit ſeſe omnia Concilii Tridentini decretis accommodare. De Pœnitentiæ autem ſacramento differens hæc habet, quæ Latinè reddimus: *Quandonam indicitur ſatisfactio? Illa proponitur & indicitur ante abſolutionem ſacramentalem, ſed poſt eam reipſa perficitur.* Quicquid eſt in Eccleſiæ moribus poſitum, paucis explicat, & factitandum proponit. Nemo nunc dubitet, quin illuſtris Epiſcopus Concilii decretorum amantiſſimus juſſiſſet, ut non antè daretur abſolutio, quàm impoſitam ſibi ſatisfactionem pœnitentes egiſſent, ſiquid ejuſmodi à Concilio ſtatutum eſſe, vel expetitum inaudiviſſet.

XXII. Paſtorale ad uſum Romanum accommodatum, quod Joannes Hauchinus Mechlinienſis Archiepiſcopus anno M. D. LXXXVIII. edendum curavit, de Sacramento Pœnitentiæ: *Poſtremò cùm ſacerdos pœnitentis confeſſionem audiverit, & de peccatis ipſius diligenter cognoverit, pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem ei pœnitentiam imponat.* Et poſt alia: *Pro ſpeciali verò pœnitentiâ leges aut facies hoc aut illud: hic injungat pœnitentiam delictis congruam. Magis autem convenit ſatisfactionem ante abſolutionem imponere, quàm poſt eam: tum ut pœnitens tanto magis voluntarium ſe præbeat ad ſuſcipiendam pœnitentiam imponendam, tum quòd in veteri Eccleſia abſolutio impendi ſoleat pœnitentiâ priùs peractâ.* At iſtud vetus inſtitutum ſi Tridentini Patres reſtauraſſent, vel ut reſtauraretur, paſſim ſignificaſſent, cur quæſo Mechlinienſis Archiepiſcopus, iis aut eorum votis non paruiſſet? immo cur contrariam diſciplinam probaſſet?

XXIII. Placentina Synodus quæ anno M. D. LXXXIX. facta eſt, de Sacramento Pœnitentiæ inter interrogationes, quæ à Confeſſario fiunt pœnitenti, *An pœnitentia aliàs injuncta ſatisfecerit.* infrà: *Ne homines deſperent. quandoque mitigetur pœnitentia confeſſarii arbitrio, quæ quidem pœnitentia ſeu ſatisfactio ſemper ante abſolutionem injungatur.* Non addit, & impleatur; addidiſſet ſi addendum eſſe Tridentina Synodus vel leviter inſinuaſſet.

XXIV. Joannes Lenſæus Lovanienſis Theologus libro de Eccleſiaſticâ ſatisfactione pœnitentis adverſus Benedictum Aretium Bernenſem Theologum cap. XV. *Quid hîc agis Areti? cùm hujus temporis Eccleſiam accuſes prætextu Eccleſiæ veteris, tanquam in eâ, quæ eſt de ſatisfactione doctrinâ, hæc ab illâ deſciverit, hîc jam tamen in illam directiùs, quàm in hanc tua reprehenſionis tela miſiſti. Nam cùm modò uſitatiùs poſt reconciliationem injungatur, aut injuncta compleatur ſatisfactio, non ei hoc nunc tribuitur, ut à morte æternâ liberet, cujus per Sacramentum reconciliationis reatus fuit antè reſolatus.* Et paulò pòſt: *At cùm ante reconciliationem mos olim fuiſſet, ſatisfactiones explere, (quemadmodum ex Cypriano, Innocentio & Leone aliiſque liquet auctoribus) ut purgati ſatisfactionibus pœnitentes ad communionem altaris per januam reconciliationis admitterentur, tum nihil familiarius fuiſſe, quàm ut ſatisfactiones ab æternâ quoque morte liberare dicerentur, ut ex iis, quæ ſuprà producta ſunt, veterum teſtimoniis repeti memoria poteſt. Hîc igitur, Areti, veterem illam reprehendis Eccleſiam, fruſtraque loqueris, poſteriora hæc ſæcula doctrinam de ſatisfactione bene à veteri Eccleſiâ traditam, erroribus, variiſque abuſibus corrupiſſe.* Deinde cap. XXIV. cujus eſt hic titulus: *Non fieri præjudicium veteri de ſatisfactione doctrinæ, quòd poſt abſolutionem nunc ſatisfactiones expleantur. Accedit, inquis, & is error, quòd hodie prius ſemper illis denunciatur abſolutio, poſtmodum demum imponant aliquas ſatisfactiones. cùm apud veteres ſatisfactio præcederet. Habitâ enim inquiſitione quærebant, an Eccleſiæ ſatisfeciſſet. Hodie id negligunt, abſolvunt, poſtea imperant peregrinationes, aut precum numerum, cereos vel ſimile quiddam.* (Hæc Aretius.)

Quod tibi hoc errore facere videatur nunc Eccleſiam, ut poſt abſolutionem ſatisfactiones injungat, aut antè quidem præſcribat, ſed poſt abſolutionem explendas, id ex illo tuo errore proficiſcitur, quo tibi tuiſque perſuaſiſti, nullam aut olim fuiſſe, aut nunc eſſe ſuſcipiendæ ſatisfactionis rationem, niſi ut Eccleſia læſa & offenſa ſatisfiat. Quod ſi ita eſſet, ego quoque tecum requirerem, ut priùs ſatisfactio compleretur, quàm recipi quis poſſet ab Eccleſiâ, id quod tibi eſt pœnitentem abſolvi. Ceterùm cùm probe ſciret ſæculi poſterioris Eccleſia ſatisfactionem injungi ſolitam propter Deum propitiandum pœnitenti, neque tamen tantam diſciplinæ ſeveritatem propter ſolum reatum mortis æternæ diſſolvendum neceſſariam fuiſſe, ſed quò plena, quoad poſſet, remiſſio peccatorum obtineretur, priſtinumque in ſtatum peccator reſtitueretur, aut ad id certè quàm proximè accederet: iis de cauſis ſine præjudicio ſanæ, veteriſque doctrinæ fieri poſſe putavit, ut ſatisfactio poſt abſolutionem ſacramentalem imponeretur, aut impoſita compleretur. Neque enim ſic minus fructus conſecuturi erant fideles de pœnitentiâ, cùm & vi ſacramenti abſolverentur à reatu damnationis æternæ, & quod reliquum erat in temporariis pœnis, id poſtea ſatisfaciendi ſedulitate diluerent, idque tantò efficaciùs, quantò eſſet pretioſior ipſa coram Deo ſatisfactio, quam & filius offerret, & inhabitans Chriſti ſpiritus produceret, & charitas de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ commendaret. Et poſt alia: *In quibus docet olim in ægrotis ante peractam ſatisfactionem, pœnitentibus datum fuiſſe abſolutionis beneficium: Quorſum autem ſpectabat illa ſatisfactio (quæ ab ægrotis, poſtquam convaluerant, fiebat) eodem proculdubio, quò ea pertinet, quæ nunc poſt abſolutionem ſacramentalem uſitatiùs aut imponitur, aut certè expletur. Itaque etſi pro conditione temporum, vel pro languore Chriſtianorum, vel aliâ quâpiam non prætereundâ ratione mutatio quædam acciderit, in hac ſatisfactoria obſervatione diſciplinæ, doctrina tamen & fides, ratioque ſatisfaciendi una atque eadem perſeverat: quomodo una eſt diſciplina medendi ægris, etiamſi neque eadem omnibus, neque*

pari

pari pradita virtute, neque eodem tempore medicamenta prabeantur. Et poſt alia: *Et quamvis unius ejuſdemque Chriſti Eccleſia utraque conſuetudo eſt, non debet improbari poſterior, quòd diverſa prior extiterit: quemadmodum nec in medico reprehendi uno debet, ſi ingraveſcente cujuſpiam atate alia velit medicamenta praſcribere, quàm anteâ ſolitus ſit, agri corpore valentiore. Nec in eodem homine ſi parciùs cœnet, aut exercitiis utatur ſenior, quàm junior conſueverat. Atque ſimilem in modum in hac de ſatisfactione cauſâ, ſic illa prior conſuetudo laudanda eſt, ut iſta non vituperetur. Eſt enim unius ejuſdemque Eccleſia, & ſponſa Chriſti conſuetudo diverſa, ubi ſi hanc improbes, illam quoque ut improbandam putare poſſis, in proclivi erit, quoniam cujus Eccleſia hac poſterior eſt conſuetudo, eiſdem omnino prior illa fuit. Eò fit, ut iſti, quamvis hanc ſe Romanam Eccleſiam duntaxat oppugnare velle profiteantur, tamen in illius auctoritatem impingant, ejuſque ſimul & eâdem operâ ſcita & conſtituta convellant. Tenendum proinde in utraque conſuetudine illud beati gentium Apoſtoli: Siquis vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei, meritoque à Sixto IV. damnatus eſt articulus cujuſdam Petri Oxomenſis, qui inter ceteros erat ejuſmodi: Neminem priùs abſolvi poſſe, quàm injunctam pænitentiam integrè abſolviſſet.* In his primùm videre eſt, Aretium alienæ communionis hominem, qui priorum ſæculotum Eccleſiam, poſteriorum Eccleſiæ objicit, hancque mutatæ in agendâ pœnitentiâ diſciplinæ incuſat, ea omnia proponere, quæ hodie nonnulli ſcriptores proponunt. Deinde videre eſt, Lenſæum, cùm Aretio reſpondet, poſteriorum ſæculorum, quàm priorum Eccleſiæ conſuetudinem in agendâ ſatisfactione non minoris æſtimare: tantum abeſt, ut dixerit, Tridentinum Concilium ſublatâ poſteriorum ſæculorum Eccleſiæ conſuetudine antiquam reſtituiſſe, vel certè quibus reſtitueretur, ſex aut ſeptem vias ſtraviſſe. Poſtremò videre eſt, Lenſæum firmiſſimis rationibus poſteriorum ſæculorum Eccleſiæ conſuetudinem defendere, qua poſt ſacramentalem abſolutionem ſatisfactio imponitur, aut expletur. Quæ cauſa eſt, cur ex hoc Auctore plura retulerimus.

XXV. Manuale Aurelianenſis Eccleſiæ, quod anno M. D. LXXXIII. typis mandatum eſt, in pœnitentium Inſtructione: poſt datam abſolutionem ſic indicenda præſcribitur ſatisfactio: *Tunc pro ſpeciali pænitentiâ, quam levem ſecundùm peccata tua tibi imponam, Tu dices ſic & ſic, & facies ſic & ſic: & injunctâ pænitentia & à pænitente ſuſceptâ, dicat Presbyter: Vade in pace & noli ampliùs peccare, ne deterius tibi contingat.* Hîc nihil de reſtituendo agendæ ſatisfactionis more, quem Tridentina Synodus reſtituere voluerit.

XXVI. Joannes Langhecrucius libro III. Speculi Canonicorum & aliorum Eccleſiaſticorum cap. VII. *Verùm*, inquit, *quia ſatisfactio olim abſolutionem pracederet, jam verò plerumque eandem ſequi ſolet. Plerumque* dixit juxta morem excipiendi eos caſus, qui à Catechiſmo Concilii excipiuntur. Sed de illis commentis, quæ eidem Concilio nunc tribuuntur, ne verbum quidem.

XXVII. Veneta Synodus, quæ anno M. D. XCII. coacta eſt, cap. III. *Admonendi ſunt fideles à Parochis, ut ſaltem ſemel in anno ſalutari pænitentia antidoto anima infirmitatibus mederi procurent, aut contrito corde ad Deum convertantur, & peccata proprio Sacerdoti ſacramentaliter confiteantur, atque abſolutione obtenta debitè ſatisfaciant.* At quis Tridentinæ Synodo Synodum hanc contradicere voluiſſe diceret?

XXVIII. Julius Gemellus Bononienſis Theologus in undecimo ſubgyrante gyro de Sacramento Pœnitentiæ: *Satisfactio quantum ad impoſitionem debet pracedere abſolutionem, quantum ad impletionem debet ſubſequi.* Hæc anno M. D. XCII. Gemellus erraſſet graviſſimè, ſi Tridentinum Concilium ſenſiſſet aliter, vel ſentiendi viam aliquam pateſeciſſet.

XXIX. Collenſis Synodus, quæ anno M. D. XCIV. habita eſt: de Pœnit. cap. XXX. *poſt abſolutionem doceant rudiores, ut impoſitam pænitentiam in charitate perficiant.* Synodo huic incognitum fuit de reſtituendo veteri agendæ pœnitentiæ uſu Concilii votum.

XXX. Manuale Venetenſis Eccleſiæ, quod anno M. D. XCIV. editum eſt, inter Canones generales de Sacramentis: *Poſtremò cùm Sacerdos pænitentis confeſſionem audierit, & de peccatis ipſius diligenter cognoverit, pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem ei pænitentiam imponat.* Et poſt alia: *Hic injungat Sacerdos pænitentiam delictis congruam. Magis enim convenit ſatisfactionem ante abſolutionem imponere, quàm poſt eam: tum ut pænitens tanto magis voluntarium ſe prabeat ad ſuſcipiendam pænitentiam imponendam, tum quòd in veteri Eccleſiâ abſolutio impendi ſoleat pænitentiâ priùs peractâ.* Eadem eſt, iiſdemque concepta verbis diſciplina, quam Archiepiſcopus Mechlinienſis in ſuo Paſtorali expreſſit.

XXXI. Robertus Cardinalis Bellarminus lib. IV. de Pœnitentiâ cap. V. *Et quamvis*, inquit, *opera laborioſa pænitentibus olim ante abſolutionem imponebantur, & explebantur, tamen non fuit id abſolutè neceſſarium, ſed potuiſſe etiam expleri poſt abſolutionem, ut hoc tempore fieri ſolet. Ac per hoc ſatisfactiones illas non tam ad culpam, quàm ad pænam tem-*

poralem expiandam referri conſueviſſe perſpicuum eſt ex Conciliis illis, quæ in articulo mortis jubent pænitentibus communionem dari, etiamſi nulla, aut non plena præceſſerit ſatisfactio. Hodiernam in agendâ poſt abſolutionem ſatisfactione conſuetudinem appellat, nec veterem, cujus meminit, à Concilio revocatam ſuſpicatur, quamvis quæ ab eodem Concilio definita, vel etiam inſinuata ſunt, ea omnia propugnarit acerrimè.

XXXII. Franciſcus Cardinalis Toletus lib. III. Inſtructionis Sacerdotum cap. XII. *Quartò, adverte*, inquit, *non eſſe dandam abſolutionem, niſi poſt impoſitam & acceptam pænitentiam. Cùm tamen probabiliter ſcit Confeſſarius pænitentem recepturum, non eſt inconveniens præcedere abſolutionem, ſemper tamen melius eſt, quòd pænitentiæ impoſitio præcedat.* Vir doctus ſic planè ignorat voluiſſe Concilium, ut ſatisfactionis perfectio abſolutionem antecedat, vel plures aperuiſſe vias, quibus ea ſatisfaciendi ratio in uſum admittatur.

XXXIII. Manuale Pariſienſis Eccleſiæ, quod anno M. DC. I. editum eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: undecimâ regulâ: *Factâ integrâ peccatorum confeſſione Sacerdos ad abſolutionem pænitentis procedat hoc modo: Miſereatur tui omnipotens Deus*, &c. Decimâ quintâ regulâ: *His peractis* (monitionibus quibuſdam) *Confeſſarius injungat ſalutarem pænitentiam pro numero, qualitate & gravitate peccatorum, quâ injunctâ poſtulabit, an paratus ſit exequi, & utrum poſſit, ſi pænitens, vel pro infirmitate corporis, vel aliâ quâvis legitimâ excuſatione non promiſerit, injungat faciliorem, mitiorem & leniorem: Deinde abſolvat hoc modo: Iſta pænitentia & meritum Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, &c. Sic recepta dudum in agendâ poſt abſolutionem ſatisfactione diſciplina confirmatur, & novorum Tridentini Concilii Interpretum commenta refelluntur.

XXXIV. Paulus Boudotius Pariſienſis Theologus & poſtea Atrebatenſis Epiſcopus, lib. III. de Pœnitentiâ cap. VI. *Quod autem ſpectat ad pænitentiam, quæ à Sacerdote, ſive ante abſolutionem, ſive poſt injungi debet, magnâ prudentiâ opus eſt.*

XXXV. Renatus Benedictus Parôchus ſancti Euſtachii in urbe & Facultatis Theologiæ Pariſienſis Decanus, in Tractatu de confeſſione edito ann. M. D. LXIV. cap. III. *Confeſſione factâ & abſolutione receptâ oportet implere pænitentias injunctas à Sacerdote qui judex eſt & vice Dei ſententiam pronuntiat in terris, quæ rata in cælis habetur.* Deinde in catecheſi, quam de confeſſione Sacramentali anno M. D. LXXXI. edidit ad Parochianos ſuos: *Pænitens ubi abſolutionem obtinuit, & ſatisfactionem acceptavit, cum humili reverentiâ debet à Sacerdotis pedibus, ad quos erat provolutus recedere.* Tum in Catecheſi, quæ eſt de præparatione ad Corporis & Sanguinis Chriſti Communionem, Pœnitentiæ Doctrinam uſui recepto conformem paucis complectitur, ubi ait: *Pænitentiam cordis contritione, oris confeſſione cum abſolutione Sacramentali, & operis ſatisfactione perfici.* Idem eundem doctrinæ & uſus ordinem ſupponit in tractatu de Indulgentiis cap. II. in quo Indulgentia definitur, *remiſſio pænæ temporalis pro peccatis actualibus pænitentium non remiſſis in abſolutione Sacramentali factâ à Prælato Eccleſiæ*, &c. Ergo ut in Eccleſiâ, ſic & in ſcholâ Pariſienſi, idem agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ modus docetur, quemadmodum ex Manuali, & ex his duobus & aliis Theologis apparet.

XXXVI. Henricus Henriquez Salmanticenſis Theologus lib II. de Sacramento Pœnitentiæ cap. XXII. *Non oportet, ut pænitentia imponatur ante abſolutionem, & oblitus imponat poſt illam. Immò quia cenſetur eſſe ſimul moraliter, non peccat qui imponit poſt abſolutionem.* Hanc, ut liquet, quæſtionem eâ religione tractat, ut de his, quæ Concilio tribuuntur, nullum, inter mortales rumorem fuiſſe ſatis demonſtret.

XXXVII. Manuale Carnotenſis Eccleſiæ, quod anno M. DC. IV. vulgatum eſt, de pœnitentiâ & confeſſione, ubi poſt præſcriptam abſolutionis formulam ſequitur: *Tamen pro ſpeciali pænitentiâ, quam levem ſecundum peccata tua tibi imponam, tu dices ſic & ſic, facies ſic & ſic: & injunctâ pænitentiâ, & à pænitente ſuſceptâ, dicat presbyter, Vade in pace, & noli ampliùs peccare.* Quibus verbis aſſeritur ea conſuetudo, quæ ante Concilium & ejuſdem tempore vigebat.

XXXVIII. Alexander Peſantius Romanus Theologus in III. partem ſancti Thomæ diſput. II. *Secundò dico aliter ſatisfactionem eſſe partem Sacramenti, quàm reliquos actus, patebit infrà, ubi oſtendemus, confeſſionem ita eſſe partem integrantem, ut ſit etiam de eſſentiâ, ſatisfactionem verò ita integrare, ut ſine illâ conſiſtat eſſentia Sacramenti. Ut enim ad eſſentiam hominis pertinet quidem corpus & anima, ſed corporis aliquæ partes ita, ut his ſublatis non ſit homo, ut cor, caput, &c. alia ita, ut integrent, ſed non conſtituant eſſentialiter: ſic de ratione hujus Sacramenti eſt, tam materia, quàm forma, ſed in partibus materiæ aliter atque aliter, ad quod inſinuandum Tridentinum cap. III. ad integritatem requiri dixit, non ad eſſentiam.* Pœnitentiæ partes ſic explicat, ut continuò iis, quæ ex Concilii verbis nunc objiciunt, reſpondeat. & ſatisfactionem probet ad eſſentiam Sacramenti non pertinere.

XXXIX.

xxxix. Manuale Cabillonenſis Eccleſiæ, quod anno M. DC. V. editum eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Poſtremò cùm Sacerdos confeſſionem pœnitentis audiverit, & de peccati ipſius diligenter cognoverit, pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem ei pœnitentiam imponat.* Et poſt alia: *Hic* (id eſt poſt completam confeſſionem) *Sacerdos imponant pœnitentiam delictis congruam. Magis autem convenit ſatisfactionem ante abſolutionem imponere, quàm poſt eam, tum ut pœnitens tanto magis voluntarium ſe præbeat ad ſuſcipiendam pœnitentiam imponendam, tum quòd in veteri Eccleſiâ abſolutio impendi conſueverat, pœnitentiâ priùs peractâ.* Hæc Eccleſia, ut conſuetudine, ſic & verbis, quæ conſuetudinem interpretentur, cum Venetenſi & Mechlinienſi convenit.

xl. Thomas Stapletonus Lovanienſis Theologus in Promptuario Catholico in feriâ IV. hebdomadis II. quadrageſimalis: *Satisfactiones, quas poſt totam antiquitatem Catholici hodie docent, nec reconciliationis noſtræ cum Deo pretium aliquod eſſe docentur, nec ejuſdem cauſa omnino ulla ponuntur. Satisfactio enim eorum eſt, qui jam Deo reconciliati per Chriſtum ſunt, non autem ut Deo reconciliemur, adhibetur. Homo impius Deo reconciliatur & juſtificatur, ſeu ex impio juſtus fit per gratuitam remiſſionem peccatorum pretio Sanguinis Chriſti illi conceſſam. Ut hæc peccatorum remiſſio obtineatur, alia ſanè ex parte hominis juſtificandi requiruntur, fides imprimis, amor Dei, ſpes veniæ, dolor de præteritis, emendationis propoſitum, & hujuſmodi, quæ omnia nec pretium, nec cauſa, ſed diſpoſitio tantùm neceſſaria ſunt ad remiſſionem peccatorum gratuitam conſequendam: at verò ſatisfactio; quæ relapſis propria eſt, homini jam reconcilio imponitur, non ut peccatorum remiſſionem conſequatur; quam jam habet, eamque gratuitam beneficio mortis Chriſti; ſed ut peccatorum pœnæ temporales jubeantur.* Stapletonus non ita differerer, ſi Tridentina Synodus id feciſſet, quod quidam feciſſe volunt. In Synodo eas non reperiſſe vias, quas alii reperiſſe ſe jactitant, quis crederet?

xli. Sacramentale Ferrarienſis Eccleſiæ, quod anno M. DC. VI. in lucem exiit, in ordine adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ: *Pœnitens autem humili habitu, poſitis humi genibus, junctis in modum ſupplicis manibus peccata ſua confiteatur, adjuvante quotieſcunque opus eſt, Sacerdote, qui demum interrogat, an alia recordetur, & ejus conſcientiam perfectiùs examinat, prout conditio perſonæ poſtulat, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis inducere conatur, & tunc pœnitentiam imponit, remedia peccatorum tradit & abſolvit, diſtinctis in ſcriptis verbis, ut à pœnitente audiatur.* Sic imponitur pœnitentia, quæ poſt abſolutionem compleatur. Credibile eſt Ferrarienſem Epiſcopum, qui Tridentino Concilio interfuit, de reſtituendo veteri peragendæ ſatisfactionis ritu, quem reſtituere Concilium cupiverit, tradidiſſe nihil.

xlii. Manuale Burdigalenſis Eccleſiæ, quod anno M. D. LXXXVIII. & M. DC. XI. editum eſt; quodque dicitur *reformatum ex Romano & iis, quibus Eccleſia Gallica paſſim utuntur, idque tantâ cautione, ut omnia revocata ſint ad Decreta Conciliorum, Pontificum & ad Catechiſmi Trid. verba & regulas*; De Sacramento Pœnitentiæ: *Denique poſtquam Sacerdos pœnitentis confeſſionem audiverit, & ei dixerit id, quod privatim dicendum ex officio ſuo judicaverit, & pœnitentiam delictis congruam injunxerit, eidem pœnitenti ſuggeret, ut tundendo pectus dicat, Mea culpa*, &c *poſtea Sacerdos dicat, Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen. Quo facto illi ſatisfactionem pro magnitudine delicti, & pro gravitate peccatorum imponet, ut ea faciat, quæ triſtitiam & dolorem adferant. Hæc autem ſunt tria, oratio videlicet, jejunium & eleemoſyna: Deinde Sacerdos manum extendens verſus pœnitentis caput dicet: Dominus noſter Jeſus-Chriſtus te abſolvat*; &c. In hoc uno Manuali non unius tantùm Burdigalenſis, ſed & aliarum Galliæ Eccleſiarum, atque adeò Romanæ conſenſus habetur. Quo repugnantius dici nihil poteſt iis, quæ vel à Tridentino Concilio decreta, vel ab eodem exoptata dicuntur.

xliii. Jacobus Baius Lovanienſis Theologus lib II. Inſtitut. Chriſtianæ religionis cap. LXXX. *Partes*, inquit, *Sacramenti Pœnitentiæ intrinſecæ ac eſſentiales ſunt materia & forma: hoc eſt actus pœnitentis & abſolutio Sacerdotis. Integrales autem ſunt contritio, confeſſio & ſatisfactio, quæ totam pœnitentiam conſtituunt, plenamque peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione operantur. Primariæ autem ſunt partes, contritio & confeſſio, abſque quibus pœnitentiæ ſacramentum non conſiſtit, inter ſecundarias verò eſt ſatisfactio, abſque quâ Pœnitentiæ Sacramentum conſiſtere, ſed non plenè peccatum delere valet.* Idem capite XCVIII. *In primitivâ verò Eccleſiâ priuſquam beneficium abſolutionis impenderetur, ſatisfactio imponi ac peragi ſolet, quâ pœnitens ad impetrandam plenam peccatorum remiſſionem diſponeretur. Nunc verò ante quidem reconciliationem ſatisfactio injungitur, ſed ut poſt abſolutionem peragatur.* Quæ cap. LXXX. tradit Baius, plurimum valent, cùm ad explicandam communem Theo-

logorum ſententiam, tum ad diluenda ea, quæ ex definitis à Concilio pœnitentiæ partibus opponuntur. In aliis verò ad ceteros Auctores cùm accedit, de iis, quæ de ritu agendæ pœnitentiæ Concilio tribuunt adverſarii, ſignificat ſe nihil quicquam à majoribus, qui eidem Concilio interfuerant, accepiſſe.

XLIV. Manuale Gebennenſis Eccleſiæ ad Romanæ præſcriptum, quod anno M. DC. XII. auctoritate Franciſci Saleſii Epiſcopi typis mandatum eſt, de Sacramento Pœnitentiæ: *Poſtremò cùm Sacerdos pœnitentis confeſſionem audiverit, & de peccatis ipſius diligenter cognoverit, pro delictorum qualitate & quantitate ſalutarem illi pœnitentiam imponat, commendans ei opera pietatis & miſericordiæ, ut orationes, eleemoſynas, jejunia, & pias circa Paſſionem Domini meditationes. Et quoniam infirmitas hominum jam non patitur, ut condigna eis pœnitentia juxta veteris Eccleſiæ diſciplinam imponantur, ad quam tamen, quantum fieri poteſt, redeundum eſt, exponatur pœnitenti gravitas pœnitentiæ peccatis ejus debita, quodque ad eam utcumque exſolvendam expediat eum frequenter ad Paſſionem Domini, & Sanctorum merita recurrere, petendo ab iis ſibi ſuppleri à Deo, quod ſuæ infirmitati deeſt.* Et poſt alia: *Deinde injungat pœnitentiam delictis congruam, jubeatque pœnitentem proſequi.* Confiteor à mea culpa *ad finem uſque.* Hinc ſequitur forma abſolutionis. Idem habet capit. IX. Commonitorii, quod anno M. DC. XVII. ad Diœceſis ſuæ Confeſſarios vernaculè ſcripſit. De modo agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ non alia ſentit, quàm quæ omnis retrò ad Concilium traditio ſenſit. Maximæ ſanctitatis & eruditionis Epiſcopo injuriam non mediocrem faceret; qui nunc affirmaret, eum in dandâ reconciliationis gratiâ ſanxiſſe diſciplinam, quæ Concilii decretis, aut votis repugnet. Ex his potiùs libris, quibus generalis & publica adminiſtrandæ pœnitentiæ ratio præſtituitur, mens tanti Præſulis quærenda eſt, quàm ex quibuſdam epiſtolis, quas ad privatorum ductum in aliis atque aliis rerum conditionibus ſcripſit. Quin autem ita factum eſſet, vix dubito, ſi ſuis momentis aſſerenda fuiſſet veritas. Sed ferventibus partium ſtudiis, cùm ex æquo nihil ferè fiat, etiam contigit, ut ex hujus Epiſcopi ſcriptis id prodiderint, quod non quærebatur, & tacuerint id, quod quærebatur.

Reliquum eſt modò, ut de iis Auctoribus, quos in diverſas claſſes digeſſimus, primùm utriuſque partis adverſariis ſalvâ honorificentiâ dicamus id, quod productis in medium numero paucioribus dixit Auguſtinus lib. II. contra Julianum cap. X. *Verùm etſi tales non fuerint in his cauſis, quas ad ſe delatas, & inter partes cognitas, cùm hic viverent, ſuo judicio definierunt, ad hanc tamen cauſam tales erant, quando de illâ ſententias protulerunt, nullas nobiſcum amicitias attenderunt vel inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque vobis irati ſunt, neque nos neque vos miſerati ſunt. Quod invenerunt in Eccleſiâ tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos judices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, nondum vobiſcum certabamus, & iis pronuntiantibus vicimus.* Deinde advertamus, fieri profectò non poſſe, ut tot tantique auctores, qui vel Tridentinum Concilium frequentarunt, vel ab iis qui frequentarunt, edocti fuêre, quique tam variis in locis ac temporibus de ritu agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ ſcripſerunt, hujus Concilii eâ de re doctrinæ aut canonibus contradixerint, ſeu plures illas vias, quibus obeundæ ante abſolutionem pœnitentiæ ritus induceretur ignoraverint, ſeu etiam cognitas ſuis documentis occluſerint. Hoc autem qui negaret tuendæ opinionis ſuæ gratiâ, dignus fieret, qui Theodoretum in inconfuſo ſic loquentem audiret: Μανιῶν ἔργον ἢ θρασοῦς κατὰ τῶν γενναίων ἐκείνων, ἢ τὴν πίστιν ἀρτγίαν τὴν γλῶτταν κινεῖν. Poſtremò quod neceſſariò conſectarium eſt, concludamus figmenta eſſe & velut idola ſpecus, quæ de ritu peragendæ ante abſolutionem ſatisfactionis Tridentino Concilio quâquâ ratione tribuerunt. Quod ni fallor, ab illis hominibus non aliter factum eſt, niſi quia forſan non perviderunt cum Chryſoſtomo in Pſalmum CXV. ὅταν καινὸν ᾖ τι λεγόμενον ἐκπέμπειν τὰ πράγματα τῆς πίστεως, vel cum Facundo Hermianenſi Epiſcopo lib. II. cap. VI. *Si humanis perſuaſionibus ſemper diſceptare ſit liberum, nunquam deeſſe poſſe; qui veritati audeant reſultare, & revera quis erit contentionum atque certaminum finis, ſi de his, quæ totius Eccleſiæ conſenſione firmata ſunt, ſemel licuerit ferre judicium. Cur enim non rurſus & ipſum judicium judicetur?* At planum fecimus, morem illum, quo quæ auditâ pœnitentium confeſſione imponitur ſatisfactio, poſt acceptam abſolutionem expletur, totius Eccleſiæ conſenſione firmatum eſſe.

CAPUT

CAPUT IX.

Expenduntur illorum momenta, qui ut Satiſfactio abſolutionem antecedat, Tridentinum Concilium decreviſſe contendunt.

QUA methodo hactenus Tridentini Concilii conſilium mentemque expoſuimus, eâdem ſimul effectum eſt, ut quæ illi à nonnullis de ordine agendæ ante abſolutionem pœnitentiæ nunc tribuuntur, ſalsò tributa videantur. Unius quippe rei una veritas eſt, ad eamque viâ unâ, ſi rectam teneas, pervenitur. Veruntamen hoc capite argumenta, quibus utuntur, perſtringam, eaque deinceps diluent, qui vel Novatoribus reſponderunt, vel in Concilio Tridentino ſententiam eâ de re tulerunt, vel ab iis, qui tulerunt, edocti hodiernæ diſciplinæ veritatem ſuis monimentis conſignarunt. Sic enim quod falſum eſt, ſemel atque iterum falſum eſſe ita conſtabit, ut de falſitate poſtea nullus ſuperſit ambigendi locus.

* Proponunt igitur tertium ſeſſionis XIV caput, in quo ſic habetur: *Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt abſolutio, ejuſque quaſi materia ſunt actus pœnitenti, contritio videlicet, confeſſio, & ſatiſfactio.* Et quibus primò concludunt has omnes in hoc ſacramento partes eſſe non integrantes modò, ſed etiam eſſentiales; deinde in hoc ſacramento, dum reipſa miniſtratur, nullam ex illis partibus omitti poſſe; quin ſuâ in eſſentiâ mutiletur; poſtremò trea pœnitentis actus, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, qui materiæ vicem gerunt, neceſſariò præcedere abſolutionem, quæ formæ locum habet, atque ita ex Concilii definitione nullam, quæ valeat, abſolutionem pœnitentibus antè dati poſſe, quàm tribus illis actibus contritione, confeſſione & ſatisfactione defuncti fuerint.

Proponunt ſecundò quartum ejuſdem ſeſſionis canonem his verbis: *Siquis negaverit, ad integram perfectamque peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Ex quibus eadem, quæ modò retulimus, iterum concludunt, adjiciuntque Concilium pari ratione loqui de ſatisfactione, ac de contritione & confeſſione. Ex quo ſiquis aſſereret, nondum expletâ ſatisfactione, abſolutionem recipi poſſe, aſſerere quoque poſſet, ſine contritione & confeſſione abſolutionem recipi poſſe, cùm verba Concilii æquè unum atque alterum præ ſe ferant. Hæc eſt ſumma eorum, quæ ſexcenties exagitant, ſed quàm parum feliciter, videndum eſt.

Imprimis dicimus, quæ ex verbis materiæ & formæ atque ex rerum phyſicarum comparatione ſumuntur, paulò acriùs urgeri ab iis, qui Philoſophiam Theologiæ nimis immixtam eſſe queruntur, quique perperuò inclamant vetera inſtituta, traditiones, Concilia, Patres, quorum unus libro I. adverſus Pelagianos pro nobis ita reſpondet: *Hæc argumentatio cornuoſa eſt, Eccleſiaſticam ſimplicitatem inter philoſophorum ſpineta concludens.* Quare Maldonatus tomo II. de Pœnitentiâ theſi VII. ſic argumento reſpondet, quod ex Concilio Tridentino ſimili viâ comparatur: *Reſpondeo*, inquit, *ſenſum Eccleſiæ non eſſe revocandum ad regulas philoſophorum, ſed potiùs ad vulgarem & communem loquendi conſuetudinem. Vocat ergo* (Concilium) *tres partes pœnitentiæ, non quòd intelligat ita eſſe partes, ſicut materia & forma ſunt partes rei naturalis. Nam ſi ita loqueretur, non tantùm tres partes, ſed etiam quatuor debebat facere, numerans etiam abſolutionem.*

Deinde dicimus, quòd etiamſi Concilium in locis, quæ adducunt adverſarii, non uſurpaverit nomen *eſſentiæ*, vel *eſſentialis partis*, illud tamen diſputando perinde obtrudunt, quaſi Concilium in illis ſemper uſurpaſſet. Quâ in re cùm ſincerum agendi modum deſideramus, animadvertimus ſimul iniquitatem cauſæ, quæ defendi non potuit, niſi Concilio vis inferretur. Etenim quæ duo *eſſentia* & *eſſentialis partis*, verba in memoratis locis tribuerunt Concilio, ea niſi tribuiſſent, quod ad ſpeciem aliquam diſputarent, habuiſſent nihil. Ecquis amabo vos locus eſt, in quo vel illa venditata Concilii definitio legatur; vel ex quo per legitimam conſecutionem deducatur? Ecquis locus, unde ſi talem aſſertionem contendas elicere, paralogiſmis lectorem tuum non ludifices? aut in argumento ſophiſticâ fraude non diſtribuas, quod Dialecticorum leges diſtribui vetant?

Tertiò dicimus Eccleſiaſticam ſimplicitatem, quæ ſequenda commendatur ab Hieronymo, exhibitam eſſe primo & tertio capite Diſſertationis, ubi de ritu agendæ ſatisfactionis doctrinam Concilii ex Concilio, mentemque expoſuimus: & eâ propoſitâ hodiernam, & jampridem, ut ipſi concedunt adverſarii, receptam in dandâ ante peractam ſatisfactionem abſolutione diſciplinam confirmavimus.

Quartò

* Quos hic oppugnet Launoius, neſcire me fateor. Fruſtrà inſudati, ut ab iis larvam deponerem.

Quartò dicimus in gratiam adverſariorum, qui nos ad Philoſophorum ſpineta ſtudio & curâ omni rapiunt, illam Eccleſiæ ſimplicitatem facilè explicari cùm ex iis, quæ ſecundo capite retuli, tum à tribus Epiſcopis illis, qui non impoliti è ſcholâ Dialecticorum ſeſſioni XIV. Concilii interſuerunt, & in eâ judices conſederunt. Horum autem unus in Catechiſmo præſcribit, ut auditâ confeſſione ſatisfactio imponatur pœnitenti, deinde abſolvatur, tum demum impoſita ſatisfactio peragatur. Alter verò tradit, ſatisfactionem non eſſe eſſentialem ſacramenti partem, ſed tantùm integralem. Præterea quæ de quibuſdam obeundæ ſatisfactionis conditionibus obſervat, planiſſimè demonſtrant in aliâ fuiſſe omnino ſententiâ, quàm ut nonniſi obitâ ſatisfactione reconciliatio concedatur. Utriuſque verba capite quarto retulimus, quæ ibidem & legi, & expendi poſſunt, ſicut & quæ capite quinto deſcribuntur. Porro illud aſſerimus, permagni ſæpè referre, ut ad manum habeamus quorumdam teſtimonia, qui velut oculati teſtes actionum Concilii Tridentini coram adfuêre, ut horum etiam ſententia & explicatione nobis & poſteris manifeſtiora reddantur, quæ ſunt in eodem Concilio ſancita.

Quintò dicimus, illud idem ab aliis, quorum ſuffragia in ſequentibus capitibus produximus, apertè traditum, frequenter explicatum, & perſeveranter confirmatum deprehendi. Imprimis negant illa tria, quæ ex tertio ſeſſionis XIV. capite deducunt, rectè deduci; ſi modò verba Concilii in ſenſu Concilii & Eccleſiæ ſumantur, uti ſumenda ſunt, quia Concilii ſenſus quæritur. Pœnitentis enim actus contritio, confeſſio & ſatisfactio, qui quaſi Sacramenti materia dicuntur, materiales Sacramenti partes non unâ ratione dicuntur: Contritio & confeſſio eſſentiales quidem: ſed ſatisfactio integrans tantùm. Contritio & confeſſio ſi componantur inter ſe, ad eſſentiam Sacramenti non æquè concurrunt; in moribundo requiritur quidem contritio, & in explicatæ per ſingula confeſſionis locum quædam contritionis indicia ſufficiunt, & nulla tunc ſatisfactio imponitur, ſed tantùm inſinuatur, quæ imponenda foret ſi bene valeret. In eo verò qui bene valet, illa contritionis indicia non ſufficiunt, ſed præter veram contritionem explicata peccatorum confeſſio ſic deſideratur, ut nulla eſſet aliàs abſolutio, quæ daretur. Adhæc tanta poteſt eſſe aliquando pœnitentis contritio, ut pœnam omnem cum culpâ tollat. Quod abſolutionis miniſter ſi aſſequatur, neceſſe non eſt, ut is pœnitenti ſatisfactionem imponat. Hæc autem cùm in doctrinâ & quotidianâ Eccleſiæ praxi certiſſima ſint, nemo non videt, ex iis, quæ primùm proponunt, malè concludi, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem ad eſſentiam Sacramenti ratione pari ſpectare, nullam ex iis tribus pœnitentis actibus omitti poſſe, quin Sacramentum aliquâ ſui neceſſaria parte mutiletur, & irritam fore abſolutionem, quæ nondum expletâ ſatisfactione concederetur. Quòd autem iſta tam malè concludantur, parum eſſet, niſi Tridentino Concilio tribuerentur, ſed perperam omnino & ἀσυλλογίστως, ut planum fecimus.

Deinde quæ ſecundò proponunt, cùm eundem ſcopum ſcriant, iiſdem quoque machinis repercutiuntur. Jam enim non ſemel perſpicuè oſtenſum eſt, quibus modis contritio, confeſſio & ſatisfactio componantur inter ſe, & Pœnitentiæ Sacramentum conſtituant, in cujus uſu ſe nihil adhuc verſatos eſſe manifeſtè produnt.

In ſummâ quamvis admitteremus Petri Paludani ſententiam, qui ut confeſſionem, ſic & ſatisfactionem ad Pœnitentiæ Sacramentum ſpectare diſputat, nullum tamen inde adverſariis ſuffragium quæreretur, quoniam Paludano ſatis eſt, ſi ſatisfactio abſolutionem antecedat, vel ſequatur, hîc fiat, vel alibi. Sic habetur in quart. ſent. diſt. XVII. quæſt. I. art. III.

Sextò & ultimò dicimus, eam quæ & in dandâ abſolutione, & in agendâ pœnitentiâ nunc ſervatur, diſciplinam à Sonnio & Lenſæo tam rectè inſtitutam, & illius utilitatem tam ſincerè probatam eſſe, ut nihil appareat rationis, cur tribuatur Concilio, quod tribui non poſſe docuimus. Nam de hoc tantùm agitur. Facti, non juris quæſtio hîc tractatur.

Et ſanè qui diligenter ponderabit, quæ Benedictus Aretius hæreticæ communionis homo contra hodiernum agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis ritum objecit, & quæ poſtea Joannes Lenſæus Catholicæ communionis Theologus reſpondit, quicquid fermè in utramque partem dici poteſt, eos occupaſſe judicabit. Sed cum hoc diſcrimine factum id quoque reperiet, ut Lenſæus & bonitate cauſæ, & validioribus argumentorum momentis ſuperior evaſerit.

Proponunt tertiò octavum ejuſdem ſeſſionis caput, quod eſt de ſatisfactione, ubi declarari ſcribunt, ex omnibus Pœnitentiæ partibus ſatisfactionem eſſe eam, *qua à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maximè noſtra atate ſummo pietatis pratextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt.* Quid tum? Concilium ſatisfactionem, quæ tertia ſacramenti pars eſt, ab hæreticorum calumniis vindicat: Ex quo quis unquam concluder, non eſſet dandam pœnitentibus abſolutionem, quin antè impoſita ſatisfactio expleatur? Concilium docet ſatisfactionem hanc

ſemper

ſemper fuiſſe à Patribus Chriſtiano populo commendatam: bene habet. Poſteriorum ſæculorum Magiſtri non minùs commendant, & ſiquis fortè minùs commendaret; graviſſimam reprehenſionem mereretur. Sed ſive ante, ſive poſt abſolutionem expleatur ſatisfactio, æquali apud Chriſtianos commendatione digna eſt.

Proponunt quartò primum ejuſdem Seſſionis caput, in quo, ut aiunt, Sacramenti hujus ratio & mens Concilii conſiſtit. *Quoniam autem Deus dives in miſericordiâ cognovit figmentum* (hominum,) *illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur.* Quid tum poſtea? Deus, tradente Concilio, fidelibus poſt baptiſmum peccantibus, aliud à baptiſmo vitæ remedium paravit. Ex eo-ne colligere eſt, non priùs impertiendum pœnitentibus abſolutionis beneficium, quàm injuncta ſatisfactio peragatur? ad eruendam Concilii mentem ratiocinatione opus non eſt, ubi Patres ſeſe tam apertè, ut vidimus, interpretantur, perſpicua veritas argumenta non quærit.

Proponunt quintò ſecundum ejuſdem Seſſionis caput, in quo ſic habetur: *Nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſiâ Catholicâ nullâ ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ad ipſum pœnitentes confugerint, ab admiſſis peccatis poſſent liberari.* Quid inde? Concilium docet, qui commiſſa poſt baptiſmum crimina remittantur, & quoties per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur: Ex eo-ne ſequitur, reconciliandos non eſſe pœnitentes, quin impoſitam ſatisfactionem executi fuerint? vel ſatisfactionem actualem non minùs ad eſſemiam Sacramenti pertinere, quàm contritionem, vel confeſſionem? quæ duo probanda ſuſcipiuntur, nec ex Concilii mente probabuntur unquam.

Proponunt ſextò tertium ejuſdem Seſſionis caput, ex quo hæc referunt: *Sanè verò res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo per plenam & perfectam peccatorum remiſſionem, ad quam ex Dei inſtitutione requiruntur in pœnitente actus contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis, qui partes pœnitentiæ dicuntur.* Sed quis unquam Philoſophus ex iis concludet, priùs implendam eſſe à pœnitentibus ſatisfactionem, quæ illis auditâ peccatorum confeſſione, injungitur, quàm abſolvantur? vel eam ſatisfactionem aliam eſſe Sacramenti partem, quàm integralem?

Proponunt ſeptimò quartum ejuſdem Seſſionis caput, ex quo hæc citant: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero.* Et poſt alia: *Declarat igitur ſancta Synodus hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum. Et certè qui in illos Sanctorum clamores conſideraverit, Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et poſt pauca: *Et quamvis attritio ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Concilium definitionem contritionis tradit, hanc ex ſacris Codicibus adſtruit, & ſubjungit, quid valeat, quid ferre recuſet attritio; Eritne propterea neceſſariò colligendum, quòd ante abſolutionem perfectio ſatisfactionis exigi debeat, vel quòd ſatisfactio ſi conſideretur ſecundùm actum alia pœnitentiæ pars ſit, quàm integralis? huc ſpectare debent, quæcunque ex Concilio proponuntur, ſi prudenter proponantur.

Proponunt octavò ſecundum ejuſdem Seſſionis caput, ex quo hæc laudant. *Ad quam tamen novitatem creaturæ & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus divinâ id exigente juſtitiâ pervenire nequaquàm poſſumus, ut meritò pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit.* Quid tum? Concilium dicit, nos ad vitæ novitatem poſt peccatum, & ad perfectam ejus remiſſionem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus pervenire non poſſe: quod eſt extra omnem dubitationis aleam poſitum. Sed ex eo-ne concluditur, non antè concedendam abſolutionem eſſe, quàm impoſita obeatur pœnitentia? aut ſatisfactionem eſſemialem eſſe Sacramenti hujus partem? Quaſi verò non æquè poſt abſolutionem atque ante laborioſa foret ſatisfactio, ſi quæ ejuſmodi præſcriberetur? vel ad integram peccati remiſſionem ea non pertineret, quæ poſt abſolutionem completur? Si modò capiant peccati nomine, non culpam tantùm, ſed etiam pœnam & in Scripturis & in Eccleſiaſticis Ritibus comprehendi.

Proponunt nonò caput octavum ſub finem his verbis: *Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Quid

inde? Ex hiſ-ne argumentari licet, peragendam eſſe à pœnitentibus ſatisfactionem, quæ auditâ confeſſione imponitur, deinde tribuendam iis abſolutionem? Minimè verò. Quaſi pœnitentes ligari nequirent ad pœnitentiam, quæ acceptâ abſolutione executioni demandetur. Concilii Patres veritate iſtâ perſuaſos fuiſſe certum eſt ex iis, quæ ſuperioribus capitibus tradita ſunt.

Proponunt ultimò ejuſdem Seſſionis præfationem, ubi ſic habetur: *Quamvis in Decreto de juſtificatione multus fuerit de pœnitentia Sacramento propter locorum cognationem neceſſariâ quadam ratione ſermo interpoſitus, tanta nihilominus circa illud noſtrâ hac ætate diverſorum errorum eſt multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe, in quâ demonſtratis & convulſis Spiritus ſancti præſidio univerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret, quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſervandam proponit.* Quid tum? Deus immortalis! Concilium ſtatuit, deleturum ſe univerſos errores, qui ſuâ ætate circa Pœnitentiæ Sacramentum emerſerant. Ex eo-ne Concilii propoſito ſequitur, abſolutioni ſatisfactionem, quæ auditâ confeſſione injungitur, præponendam, vel ſatisfactionem ad eſſentiam Sacramenti potiùs, quàm ad integritatem pertinere? Qui ſcribunt, inductum eſſe pluribus abhinc ſæculis morem, quo poſt abſolutionem ſatisfactio completur, hoc forſan obliti Chronologiæ ſuæ inter errores tempore Concilii exortos annumerant.

Hæc omnia, quæ illi cùm ex præfatione Seſſionis XIV. tum ex variis ejuſdem capitibus & Decretis, ſatis, ut liquet, perturbatè proponunt. Sed cùm illorum veſtigia relegenda nobis eſſent, meliorem ordinem exhibere nec potuimus nec debuimus. Ut primùm ex tam perturbata locorum Concilii propoſitione conſtaret, quò ſe tenebrarum recipiant, qui Concilium ſuam in ſententiam traducunt, de quâ ne cogitaſſe quidem perſpicuè oſtendimus: tantùm abeſt, ut id, quod contendunt, definierit. Igitur hæc omnia Concilii loca, quæ adferunt, ſi eò ſolùm ſpectent, ut Pœnitentiæ Sacramentum commendetur, & ab Hæreticorum inſultibus & profanis novitatibus defendatur, optima ſunt; ſin autem, ut ex iis, quemadmodum ſubinde inculcant, Patres ſtatuiſſe probent; abſolutionem nonniſi communiter peractâ ſatisfactione dandam eſſe, inutilia; ut euntes per ſingula vidimus. Sed ſatis eſt tam infirmarum, & ἀφιλοσόφων conſecutionum, quas præterire ſilentio, quàm in oculis omnium defigere præſtitiſſet, niſi fortè qui hujuſmodi rationum ſimulacris utuntur, nos vitioſæ cujuſdam κρίσεως accuſaſſent. Hæc enim & ſimilia expoſuiſſe, confutaſſe eſt.

CAPUT X.

De relatis quibuſdam Tridentini Concilii Locis Judicium Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

OPERÆ PRETIUM eſt huc adducere Judicium illud, quod Facultas noſtra Theologiæ Pariſienſis nuper tulit in quaſdam propoſitiones, quæ Concilio Tridentino nunc tribuuntur, nunc ex ejuſdem verbis deduci finguntur. Has autem propoſitiones cur ad verbum referre, neceſſe non ſit, duæ res faciunt. Prima eſt, quòd quæ & quales fuerint, ex ſuperiori capite nullo negotio colligatur; altera, quòd in Cenſurâ prædictæ Facultatis Theologicæ ſatis exprimantur.

Cenſura Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

Iſtæ propoſitiones, quatenus aſſerunt executionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis impoſitæ neceſſariò & ex inſtitutione Chriſti ac invariabili Sacramenti naturâ, ita prærequiri abſolutioni, ut alioqui abſolutio non ſit valida, niſi ejuſmodi ſatisfactio priùs completa fuerit, temerariæ ſunt, & hæreticæ, & à Sixto quarto contra Petrum de Oſma, illiuſque ſequaces prædamnatæ, Bullâ datâ anno Domini M. CCCC. LXXVIII. *atque ad hunc errorem aſtruendum abutitur Auctor Concilio Tridentino.*

Hæc eſt Cenſura, quæ ſummâ animorum conſenſione & libertate decreta eſt, quæque hujus capitis brevitatem magnitudine & auctoritate ſuâ compenſabit.

CAPUT XI.

Expenduntur ſeptem illæ Tridentini Concilii Viæ, quibus alii Satisfactionis expletionem ante abſolutionis beneficium exigi poſſe contendunt.

SUNT verò & * alii, qui eandem quidem reciprocant ſerram, ut aiunt, ſed manu paulò leniori ac delicatiori. Non enim apertè ſcribunt, Tridentinum Concilium decreviſſe, ut priùs ea, quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponitur ſatisfactio, peragatur, quàm detur abſolu-

* Inter Novatores accenſet Antonium Arnaldum hic validiſſimè impetitum, qui ſeptem vias commonſtrat quò probetur Triden-

abſolutio ; ſed quibus hoc ipſum præſtetur, vias complures aperuiſſe vehementer contendunt. Quod ex eorum aſſertionibus non obſcurè concluditur, cùm ex unâ parte veterem in agendâ pœnitentiâ diſciplinam reſtitui velint, & ex alterâ è præcipuis illius diſciplinæ conditionibus fuiſſe unam, ut pauciſſimis exceptis caſibus non antè concedatur abſolutio, quàm impoſita ſatisfactio fiat. His accedit, quòd hac potiſſimùm ratione Euchariſtica communio retardetur, alterum ſcriptionis totius argumentum. Et verò licèt illas omnes, ni fallimur, vias octo rationibus jam occluſerimus, ſingulas tamen perſtringemus, exploraturi, num tales ſint, quæ à ſuis auctoribus haberi videntur.

Prima via ex eo aperitur, quòd ſibi perſuadeant, Concilium Apoſtolicas traditiones omnes reſtituere, & teſtari centies optare ſe, ut vetus Eccleſiæ diſciplina in priſtinum revocetur ſtatum, à quo hominum relaxatione, Canonum ignorantiâ, & morum depravatione deſciverat. Sed quibus hæc propoſitio probetur, nulla Concilii loca citantur, ac proinde gratis aſſerta videri poſſet. Verùm quæ citari potuerunt, ſi tamen citari potuerint, citata jam fingamus: quid tum verò ? niſi continuò ſint ex Concilii capitibus, vel Canonibus, vel Patribus, qui teſtentur primùm inter Apoſtolicas traditiones, quas reſtituere vult Concilium, univerſos veteris pœnitentiæ ritus contineri : Deinde inter univerſos veteris pœnitentiæ ritus eum maximè contineri, quo impoſita ſatisfactio ante abſolutionem expleatur. Siquidem vetus pœnitentia reſtitui poteſt, licèt hæc illius conditio non reſtituatur, (quamvis hanc illius conditionem fuiſſe inter omnes conveniret) ſed ea, quam dudum in uſu eſſe concedunt, retineatur. Concilii Catechiſmus, & plures alii, quos laudavimus, antiquorum pœnitentialium Canonum ſerveritatem pœnitentibus indicari volunt, ut ex iis ſcelerum gravitatem agnoſcant, & nihilominus, ut implenda poſt abſolutionem ſatisfactio imponatur, præſcribere non dubitant. De ceteris Sacramenti Pœnitentiæ conditionibus nec loquimur, nec loqui volumus, ſed de hac tantùm, cujus gratiâ Diſſertationem inſtituimus. Huic autem viæ cùm deſint illa duo, quæ illuſtri teſtimonio indigere notavimus, illa tam facilè clauditur, quàm aperitur, licèt alioqui clauſa jam teneretur.

Secunda via aperitur ex eo, quòd dicant Concilium omnes antiquos de moribus, deque Eccleſiaſticorum virorum muneribus Canones innovaſſe, ſub iiſdem vel etiam gravioribus pœnis, quàm primùm conditi ſint ; Sed quæ duo primæ viæ deeſſe animadvertimus, huic quoque ſecundæ deſunt, ac proinde citiùs clauditur, quàm aperitur. Laudatur quidem caput primum Seſſionis XXII. in decreto Reformarionis, ſed in eo nulla ſit mentio ejuſmodi Canonum, qui ſic innoventur. Quod ſi caput primum Seſſionis XIV. laudari debuit, ex eo quoque nullus unquam deducet, ante peractam, quæ in Sacramento Pœnitentiæ injungitur, ſatisfactionem, non eſſe impertiendum beneficium abſolutionis.

Tertia via aperitur ex Seſſionis XIV. câpite octavo, quo Eccleſiæ doctrina de ſatisfactionis neceſſitate & fructu traditur, deinde ex Canone XIII. tum demum ex Canone XIV. Sed profectò his tribus in locis nihil eſt, quo concludatur ; mutandum eſſe agendæ ſatisfactionis ordinem, qui tunc in Eccleſiâ Dei ſervaretur, & exigendum à pœnitentibus, ut impoſitam ſatisfactionem obeant ante abſolutionem : præſto ſunt illi Canones ex quibus an illud colligi poſſit videas : Canon XIII. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, anathema ſit.* Canon XIV. *Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, anathema ſit.* Et revera neque horum Canonum conſtructio, neque Concilii in damnandâ Lutheranorum hæreſi ſcopus eò pertinet, ut ante vel poſt abſolutionem imponatur ſatisfactio, aut impoſita compleatur, ſed ut Sacramentum Pœnitentiæ, & maximè tertia pars illius aſſeratur. Quare quibus Canonibus aperiri hæc tertia via credebatur, iiſdem firmiſſimè clauditur, ut prætercam alia, quibus ſingulæ viæ clauduntur.

Quarta via aperitur ex Seſſionis XIV. capire octavo, ubi ſic habetur : *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.* Sed ex his verbis nemo conficiet unquam, non poſſe pœnitentem antè reconciliari, quàm impoſitam ſatisfactionem obierit.

Tridentinum Concilium innuere, Satisfactionis perfectionem ante acceptam abſolutionem. Conſule Arnaldi opus de *Frequenti Communione* à Cap. XXI. partis 2. ad Caput uſque 32. Hæc refutanda ſuſcepit hic Launoius.

Neque præterea ulla eſt Concilii in docendis ſatisſactionum utilitaribus ratio, une ſimilis aſſertio colligatur: Quid enim quæſo vetat, quominùs poſt abſolutionem Sacerdos pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes pœnitentias injungat? Ar profectò nihil vetare docent inſignes pietate & eruditione viri, quorum teſtimonia retulimus.

Quinta via aperitur ex eodem ejuſdem Seſſionis capite, in quo ſic traditur. *Habeant præ oculis Sacerdotes, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves Sacerdotum, non abſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres tradunt & docent.* Quid tum? Eritne propter eam cauſam priùs agenda, quæ injungitur, ſatisfactio, quàm abſolutio pœnitenti concedatur? Minimè verò. Non unus certè paralogiſmus ſufficeret ei, qui propoſitionem illam, ex illis verbis eruere tentaret. Deinde quæ poſt abſolutionem imponitur, vel quæ ante abſolutionem imponitur poſt illam complenda ſatisfactio, memoratas hoc capite conditiones ſortiri omninò poteſt. Scilicet erit & ad novæ vitæ cuſtodiam, & ad infirmitatis medicamentum, & ad præterirorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Poſtremò non minùs in hoc quàm in alio diſciplinæ genere accepta divinitùs clavium auctoritas eluceſcet.

Sexta via aperitur ex quinto ejuſdem Seſſionis XIV. capite, in quo hæc dicuntur: *Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non priùs in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Hæc autem in injungendis pœnis æquitas cùm recte ſervetur in præſcribendâ pœnitentiâ, quæ poſt abſolutionem agatur, quid eſt quæſo cur ex illis verbis contrarium haberetur? Quaſi verò leves pro gravioribus delictis pœnitentiæ non poſſent imponi, quæ ante abſolutionem peragerentur. De eo conqueruntur Gregorius VII. & alii: quos eo tempore vixiſſe volunt, quo non dabatur reconciliatio, quin impoſita ſatisfatio priùs expleretur. Impoſitio pœnitentiæ ad liberum Sacerdotis judicium pertinet, quod quolibet tempore bene vel malè exerceatur: bene quidem, ſi commendatam à Concilio, in pœnis injungendis æquitatem ſervet; malè verò, ſi non ſervet.

Septima via aperitur ex Seſſionis XXIV. octavo de Reformatione matrimonii capite; quod ita concipitur: *Grave peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum verò & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat. ſtatuit hujuſmodi concubinarios tam ſolutos, quàm uxoratos, cujuſque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio ter admoniti eâ de re fuerint, concubinas non ejecerunt, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerunt, excommunicatione feriendos eſſe, à qua non abſolvantur, donec reipſa admonitioni facta paruerint. Quòd ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab Ordinario ſeverè pro qualitate criminis procedatur*, &c. ejuſmodi. At hîc nulla eſt verborum clauſula, quæ vel leviter inſinuet in communi Sacramenti Pœnitentiæ diſciplinâ peragendam eſſe priùs ſatisfactionem, quæ auditâ confeſſione imponitur, quàm pœnitens abſolvatur. Immo publicus à concubinatu peccator, qui ſacrorum communione ſummotus eſt, ſi admonitioni factæ pareat, ſtatim abſolvitur, adeò non ad multos annos vel menſes reconciliatio illius differtur. Communem porro in agendâ pœnitentiâ diſciplinam quærimus, non ſingularem, ex quâ generaliter argumentari nec licet, nec licuit unquam. Hoc eſt in eorum ſcholâ, qui non tuendæ opinionis ſuæ gratiâ diſputant, ſed qui indagandæ aſſerendæque veritati tantùm incumbunt.

Cererùm vetuſtos Patres, qui inter explicandum vias illas ſeptem referuntur, hac in parte non moramur, quia ad unicum opinor ſcriptionis ornamentum referuntur, ſi tamen, quod in loco non ſuo refertur, ad ornamentum referri poſſit. Illos profectò & ſolos referri decuit, qui rebus in Concilio geſtis, vel ad refotmandum propoſitis reddere teſtimonium poſſent. Ad hoc autem quid conducunt Cyprianus, Ambroſius & alii, qui pluribus ante Concilium ſæculia vixerunt? Ex iis enim Patribus nemo reſciet unquam, num Tridentinum Concilium unam aut alteram, tres aut quatuor, ſex aut ſeptem vias aperuerit, quibus tertia Sacramenti pars ſatisfactio ante abſolutionem exigatur; quibus videlicet is in agendâ pœnitentiâ otdo muterur, qui tunc per Eccleſiam frequentabatur univerſam. Cùm ergo ut illæ viæ munirentur, eorum qui in Concilio, vel poſt Concilium floruerunt, nullus teſtis allatus eſt, ne tentarunt quidem efficere, quod aliis effectum perſuadere voluerunt. Non quæ ad populum ſunt, phaleras quærimus, ſed quæ ad aſſerendam veritatem argumentam ſincerè parantur. Hæ ſunt igitur ſeptem viæ, quas occluſimus cùm ex ſubjectâ materie, quam idcireo proponere ſatis fuit, tum ex octo omnino rationibus, quas antè totidem capitibus diſtinctas expoſuimus.

Verum-

Verum enim verò ut quæ iſto & ſuperiori capite dicta ſunt, magis magiſque confirmentur, mantiſſæ loco adjungimus ea, quæ anno M. D. XXI. Chiſtophorus Marcellus Corcyræ Archiepiſcopus contra Lutherum de hoc agendæ pœnitentiæ ritu diſputavit. Hæc autem habet lib. I. de auctoritate Papæ capite XVIII. ſecundæ ſectionis; ſub hoc titulo: *Cur primis Eccleſiæ temporibus ſolebant pœnitentia ante abſolutionem inſligi: Quo etiam pacto in utrâque conſuetudine ſemper neceſſaria fuerit ſatisfactio.*

I. *In ſuo adhuc inſtituto perſiſtens Lutherus quatuor ſatis debiles attulit rationes. Nam priſcus erat Eccleſiæ mos, pro peccatis pœnitentiam priùs injungere, quâ peractâ abſolutio ſequebatur, quoniam pœnitentiæ finis abſolutio eſſe videtur: cùm itaque modò oppoſitum fiat, vanus iſte mos eſſe videtur: quia finem præponit iis, quæ ad illum ſunt ſuo jure directa. Eum autem fuiſſe priſcum Eccleſiæ morem docet, quæ obſervatur homicidii pœnitentia.*

II *Id auctoritate Hieronymi probat, qui ſuam Fabiolam in hunc modum ſcribit abſolutam fuiſſe, & Divi Ambroſii, qui eodem pacto Theodoſium Imperatorem abſolvit. Ita Cyprianus* III. *Epiſtolarum lib. fieri docuit. Ita Tripartita & Eccleſiaſtica Hiſtoria. ita Dionyſius Areopagita factum eſſe commemorat.*

III. *Neque Chriſtus Jeſus niſi poſt lacrymas & humillimam afflictionem Magdalenam abſolvit*

IV. *Joſeph legitur multis afflictionibus fratres ſuos tentaſſe, ut exploraret, an ſibi afficerentur, & denique in gratiam illos ſuſcepit.*

Ad primam nihil abſurdi eſt, pœnitentiam gratiam præcedere, aut ſequi. Etſi enim gratia finis eſt, cùm tamen pœnitentiæ acres magnâ cum difficultate ferantur, atque ideo ſæpiùs omittebantur, hinc rectiùs factum eſt, ut per ſatisfactionem confirmationem accipiant. Neque finis iis, quæ ad ipſum directa ſunt, eâ ratione præponitur, quòd neceſſe ſit, ut aliqua interior pœnitentia gratiæ conſecutionem præcedat. Satisfactio autem, quæ ſubit pœnitentiæ nomen, gratiam pro fine non habet, ſed pœnarum diminutionem in purgatorio, aut præcedentis gratiæ augmentum, ut dictum eſt.

Ad ſecundam, inſtitutionis illius obſervationem negare non poſſumus, quæ unâ ex parte, ut conſtat, melior videbatur, ſed durior ex alia, noſtra hæc mitior, tutior, atque ideo ſimpliciter melior judicanda. Quæ tamen parum, ut ſcias, immo nullatenus differunt. Nam confeſſionis judicium in utrâque ſatisfactionis ſententia ſequitur, & pœnitentia ante abſolutionem erat ſatisfactio, veluti modò poſt abſolutionem. Siquidem ante pœnæ dilutionem confeſſionis judicium præceſſiſſe operæpretium eſt. In quo judicio pro ſatisfactione à canone, aut ab homine pœna erat inflicta, quæ, ut veriſimile eſt, gratiam ſequebatur, & abſolutio poſtmodum facta non erat, niſi præcedentis gratiæ ſignum, quam peccator ſibi ex acri pœnitentiâ comparaverat.

Ad tertiam, dici ſimiliter poteſt, per contritionem Mariam Magdalenam fuiſſe gratiam conſecutam: Deinde lacrymas effudiſſe, & denique Dominum illi ſolutionis ſignum dediſſe, quando contritionis menſuram ipſe cognoverat. Quod quidem ſignum illius gratiam auxit.

Ad quartam, ſi Joſeph fratres ſuos, ut de eorum benevolentiâ tentaret, afflixit, memineris, ſe eos ob peccata, quæ in illum commiſerant, tot & tanta mala pati dixiſſe, ut XLII. *Geneſeos capite commemoratur, atque ideo agentes pœnitentiam à Deo ſunt gratiam conſecuti, antequam Joſeph illos ipſos in propriam acceptaret.* Hæc ille, in quibus primùm Lutherus affirmat, vanum fuiſſe agendæ ſatisfactionis morem, qui ſuo tempore in Eccleſiâ ſervaretur, quia non erat is, qui olim fuit ſcilicet ante abſolutionem olim explebatur ſatisfactio, nunc poſt abſolutionem expletur. At hunc eundem agendæ ſatisfactionis morem *generali omnium hominum impœnitentiæ favere* qui ſcribunt hodie, vanum quoque illum morem atque inutilem eſſe ſcribunt. Nam ſi verum amemus, propoſitiones hæ duæ reipſa nihil inter ſe differunt. Atque ita iſti & Lutherus æquo pede in Eccleſiam Dei impingunt, & illius integritatem non mediocriter ſollicitant.

Deinde Lutherus Catholicis ea ex Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, & aliis contra receptam agendæ ſatisfactionis conſuetudinem opponit, quæ ab aliis hodie contra eandem opponuntur. Nempe ut hi oſtendant, Eccleſiam ſuo tempore receſſiſſe *ab originali praxi, ab Apoſtolicâ praxi, ab omnium Patrum praxi, ab univerſaii Eccleſiæ per ſæcula ferè duodecim praxi.* Verba ſunt eorum, quæ ex Gallico Latina facimus. Ab his autem omnibus qui recedunt, eos conceptis verbis docent receſſiſſe *ab unâ è præcipuis Eccleſiæ notis, Antiquitate nimirum & Succeſſione doctrinæ.* An autem Eccleſia ſtare poſſit ſine Antiquitate & Succeſſione doctrinæ, viderint iidem, qui de ejuſdem Eccleſiæ infallibilitate locuti pugnantia loquuntur, vel non attendunt certè, quid diverſis in locis eâ de re loquantur.

Poſtremò Corcyrenſis Archiepiſcopus Eccleſiæ in hodiernâ agendæ ſatisfactionis diſciplinâ cauſam ſic agit, ut noſtram quoque quæ eadem eſt, agat in hac Diſſertatione adverſus eos, quorum placita refellimus: Tum Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum &

alios Patres non ſic intelligit, quaſi ſenſerint, divinæ inſtitutionis eſſe, vel præcepti, ut quæ in Sacramento Pœnitentiæ imponitur ſatisfactio, ante abſolutionem peragatur, ſed tantùm ut impoſita ſatisfactio peragatur, ſive ante, ſive poſt abſolutionem peragatur. Cur autem illi Patres de ſatisfactione loquantur, quæ ante abſolutionem expleatur, non divina lex ulla, ſed Eccleſiaſtica ſui temporis diſciplina fecit. Atque iſtud ipſum, quod de modo agendæ poſt vel ante abſolutionem ſatisfactionis aſſerimus, quis non aſſerer de nonnullis aliis pœnitentiæ conditionibus, quæ Tertulliani, aut Cypriani tempore erant in uſu Eccleſiæ, & poſtea ex eodem abierunt? Profectò id aſſerendum ſuggerit Innocentius primus ad Exuperium ſcribens Toloſanum Epiſcopum, nòn *Archiepiſcopum*, ſicut quodam in loco ἀνεπιστήμως ſcribunt. *Et hoc*, inquit, *quæſitum eſt, quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt. De his conſuetudo prior, durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt.* Diverſa ſunt igitur, aliquid eſſe ex veteri diſciplinâ & traditione, & eam diſciplinam ac traditionem eſſe divinam. Quæ duo cùm pro unâ eâdemque re habuerint adverſarii, omnem omnino traditionem confuderunt, Eccleſiaſticam cum Apoſtolicâ, & hanc utramque cum divinâ. Ex quo poſtmodum contigit, ut inter diſputandum duriſſima quæque experti ſint contra Eccleſiam & ferè ultima.

Quòd autem illa duo rectiſſimè diſtinguantur, ordo baptizandi luculenter declarat, in quo multa facta ſunt olim, & fiunt adhuc, quæ, ut auctor eſt Tertullianus, ex omni retro traditione originem ducunt. Et tamen illa non creduntur à Chriſto præſcripta, vel tam neceſſaria eſſe, ut iis forte quadam omiſſis baptiſmus aliquo ſui careat, quo ſine baptizati periculo carere neutiquam poſſit. Hanc atem traditionum diſtinctionem, ſi admittant adverſarii, ut neceſſariò admittere debent, capti ſunt, cùm veterem de peragendâ ante abſolutionem ſatisfactione traditionem, quam urgent & exaggerant, divinam eſſe nunquam probaverint: niſi rurſus quicquid in veteri traditione poſitum reperiunt, id totum pro more ſuo divinæ traditionis eſſe falſa & fallaci aſſeveratione pronuntient: Si verò reſpuant, nulli ſunt, cùm ſe non veritatis, ſed mendacii aſſertionem quærere velle demonſtraverint.

CAPUT XII.

Sex ad Diſſertationis confirmationem animadvertuntur.

AD Diſſertationis hujus aſſertionem majorem operæpretium eſſe duxi, ut animadvertantur capita ſex, quorum ſic ſe habet.

Primum: quibus, ni fallimur, modis intelligi poterat, Tridentinum Concilium reipſa decreviſſe, ut abſolutionem expletio ſatisfactionis antecederet, vel plures aperuiſſe vias, quibus expletio ſatisfactionis exigeretur, iiſdem omnibus primùm intelleximus, neutrum à Concilio factum eſſe: Deinde adverſarios, ſuam ut opinionem ſtabiliant, Tridentino Concilio non minùs abuti, (abſit verbo injuria) quàm Ariani quondam, ut ſuam quoque ſtabilirent, Antiocheno Concilio, ubi Paulus Samoſatenus damnatus eſt, abuterentur. Quod enim ὁμοούσιον ad hujus Pauli ſenſum Antiocheni Patres rejecerant, cùm ſimpliciter & abſolutè rejectum Ariani contenderent, ad eum quoque ſenſum, quo Nicæni ex verâ Patrum traditione receperant, damnatum nefariè contendebant. Sic ubi Tridentinum Concilium Lutheri & aſſeclarum contra fidem & Eccleſiæ de Sacramentis doctrinam novitates rejecit, explendæ quoque poſt abſolutionem ſatisfactionis ritum, qui per univerſam tunc frequentabatur Eccleſiam rejeciſſe, vel quibus rejiceretur, ſeptem vias oſtendiſſe adverſarii confirmant. Sed cùm Athanaſius & Hilarius ὁμοούσιον ad Pauli Samoſateni mentem ſic ab Antiochenis Patribus rejectum docuerunt, ut nihil prorſus incommodaverint vero Eccleſiæ dôgmati, quod poſtea Nicæni ſanciverunt, quo nunc idem officii genus Tridentino Concilio præſtetur, luculentiſſimum Catholicis exemplum reliquerunt. Et verò ad me quod attinet, in primo & tertio Diſſertationis capite Tridentini Concilii de Sacramento Pœnitentiæ & ejus partibus fidem & doctrinam ita exhibui, ut cognoſcere facile fuerit, Concilii Patres diſciplinam, quæ in obeundâ poſt abſolutionem pœnitentiâ tunc ubique terrarum ſervabatur, à profanis Sectariorum novitatibus ſecreviſſe, & his damnatis, illam diſciplinam retinuiſſe. In ſecundo capite conſentientem & conſpirantem cum Seſſionis VI. capite XIV. diſciplinam exhibuimus, quæ ex Sacrorum rituum libris duobus Urgellitano & Lugdunenſi depromitur. His accedit Chriſtianæ Doctrinæ methodus, quam Moguntina Synodus Provincialis tradendam curavit. In capite IV. trium in paucis nominatiſſimorum Antiſtitum, qui in XIV. Concilii Seſſione de Sacramento Pœnitentiæ ſententiam dixerunt, teſtimonia retuli, ex quibus quid ipſis, & aliis in eâdem Seſſione Epiſcopis, & Doctoribus viſum fuerit de diſciplinâ ritè agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis, manifeſtiſſimè conſtat.

In

In quinto capite eandem diſciplinam vindicavi ex ſeptemdecim quà Epiſcopis, quà Doctoribus, qui variis in Tridentini Concilii Seſſionibus comparuerunt, quique, ſi non omnes intelligas, vel inter Doctores Seſſionis XIV. numerandi ſunt, vel certe cum Patribus ejuſdem Seſſionis de fide & doctrinâ Sacramentorum communicarunt. In ſexto capite eandem quoque diſciplinam probavi ex Epiſcoporum libris & Synodis, ex Manualibus Eccleſiarum, ex Tridentini Concilii Catechiſmo, ex aliis tandem ſcriptis Auctorum, qui omnes ſi Contarenum excipias, à promulgatâ Seſſione XIV. Concilii de agendâ ſatisfactione ſcripſerunt. In ſeptimo capite oſtendi Groppetum de ritu agendæ ſatisfactionis eo intellectum modo, quo adverſariorum quidam intellexerunt, non ipſis, ſed nobis favere: deinde Gropperum malè ab iis acceptum, nec ad inveniendi aſſerendique veri leges intellectum eſſe. Nam in libro quem laudant, in eo tantùm Sacramenti Pœnitentiæ naturam ſitam eſſe docet, ut peccata non relaxentur ritè, niſi auditâ confeſſione Sacerdotes congruam delictis ſatisfactionem imponant, eamque pœnitentes ſuſcipiant implendam. Sed modum, quo impleatur, ab admiſſâ per Eccleſias diſciplinâ non abjudicat, nec abjudicare ei conſilium eſt, tum demum probavi Gropperum, ut ei major auctoritas quæreretur, neglectis hiſtoriæ legibus appellatum eſſe Cardinalem, niſi fortè ut hanc culpam tueantur, parentheſim Florimundi Remundi neſcio quam accerſant. Sed hujus ſcriptoris error alios nihil admodum juvabit. In octavo capite latiſſimum Synodorum & Scriptorum cujuſlibet ferè nationis campum aperui; quibus ordo agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis præſcribitur, & ab hæreticorum calumniis defenditur.

Ut mirum ſit aliquos eſſe in Galliâ, qui hinc Tridentino Concilio id audent tribuere, quod quoquo modo tribui nulla ratio permittit, inde docent aliter agendam eſſe in Sacramento Pœnitentiæ ſatisfactionem, quæ auditâ pœnitentium confeſſione imponitur, quàm agendam omnis Gallicana Eccleſia in ſuis Doctoribus, in Epiſcopis, in Pontificalibus libris; in Synodis, cùm Diœceſanis, tum Provincialibus ſentit hactenus, & ad Concilii & Catechiſmi Tridentini regulas & Decreta ſentire ſe palam profiterur. Quin id profitetur cum Romanis Pontificibus, qui cùm oblata ſibi Synodos probant, hæ ut diligenter obſerventur, excitant & cohortantur. Quòd autem Doctores illi, Epiſcopi, Synodi, & Conventus Epiſcoporum ſic agendam, acceptâ reconciliatione ſatisfactionem, ſenſerint, quemadmodum ſenſiſſe vidimus, non hujus odium, vel illius favor, ſed unum procurandæ Chriſtiano populo ſalutis ſtudium, una caritas fecit. Porrò hos omnes Tridentinorum Patrum, quos uti Magiſtros & inſtitutionis ſuæ duces habuerunt, Decreta vel mentem non intellexiſſe, vel contrà quàm intellexerunt, agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis ritum præſcripſiſſe, non audent quidem dicere adverſarii, ſed id ſanè dicunt, ex quo non minùs apertè quàm neceſſariò colligitur. Scilicet alii dicunt, Tridentinum Concilium reipſa decreviſſe, ut ante abſolutionem impoſita compleatur ſatisfactio: Alii verò ſeptem aperuiſſe vias, quibus ſatisfactionis expletio ante abſolutionem exigatur. Sed eos abuti Tridentino Concilio docuimus, cùm ex ſenſu Theologicæ Facultatis, tùm ex manifeſtâ ſolutione argumentorum, quæ cap. IX. & XI. nobis opponunt, & velut machinas illudendæ veritatis obtendunt.

His commodè acceſſit Corcyrenſis Archiepiſcopus, qui cùm Lutheri rationibus reſpondit, præcipuis noſtrorum adverſariorum objectionibus reſpondit. Ut igitur renovatæ ſunt veteres contra Eccleſiaſticam Sacramenti Pœnitentiæ diſciplinam objectiones, ſic & renovata pro Eccleſiaſticâ Sacramenti Pœnitentiæ diſciplinâ defenſio.

Secundum. His omnibus modis demonſtravi, Tridentino Concilio nunquam veniſſe in mentem, ut doceret, quemadmodum contritionem & confeſſionem, ſic & ſatisfactionem ad conſtituendum Pœnitentiæ Sacramentum ſpectare, aut hanc aliam illius eſſe partem, quàm integralem, quatenus quod integrans dicitur in hac materiâ, opponitur eſſentiali. Hæc de integrali parte quæſtio ad aliam acceſſit, quæ præcipuum Diſſertationis argumentum eſt. Has enim duas quæſtiones inter ſe conjunxerunt, & conjunctas Tridentino Concilio ſic affinxerunt adverſarii, ut una cum alterâ neceſſariò tractari debuerit, & tandem ſimiliter decidi.

Ex iis enim, qui eâ ſuper re Concilii ſenſa certò noſſe potuerint, ſatisfactionem eſſentialem eſſe hujus Sacramenti partem nemo quiſquam dixit. Immo eam non eſſe eſſentialem, ſed integralem tantùm omnes conceptis verbis affirmarunt. Ex his autem & propoſitis celebettimorum toto orbe virorum teſtimoniis, quæ antea retulimus, manifeſtè ſe prodit velut duplex eorum error, qui primùm docent, Patres omnes non loqui, niſi de pœnitentiâ ſeu ſatisfactione, quâ non temporalis pœnæ, ſed culpæ remiſſio impetratur, deinde qui hac ratione tertiam Sacramenti partem cum primâ confundunt. Quo fit, ut ex horum Scriptorum ſententia, ſatisfactio, quæ tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars nuncupatur, omni-

bus

bus Patribus incognita ſit, cùm non verba faciant, niſi de eâ, quæ culpæ veniam conſequatur. An autem, qui de Patrum omnium ſententia ſic judicant, & ſuum judicium abnutivis & proinde nihil excipiennibus verbis exprimunt, cauſam Eccleſiæ contra hæreticos defendant, viderint ii, qui adverſus Lutheranos de tribus pœnitentiæ partibus diſputant, contritione, confeſſione & ſatisfactione. Utut eſt, eorum Scriptorum ita comparatur opinio, ut in ea dici poſſit, Tridentinum Concilium ſine ullâ Patrum traditione inter Sacramenti Pœnitentiæ partes retuliſſe ſatisfactionem; quâ quæ poſt remiſſam culpam aliquando remanet, pœna temporalis expietur. Scio quidem, ut hi Scriptores excuſentur, aſſeri poſſe, Patres non ſemper diſtinguere inter ſatisfactiones, & pœnitentias, quibus culpa remittatur, & quibus pœna ſuperſtes extinguatur. Sed illud aſſeretur fruſtra, niſi fortaſſis, ut graviùs accuſentur. Siquidem Patres ita diſtinguentes inducunt, ut nullus eorum ſit, qui de pœnæ tantùm temporalis ſatisfactione loquatur. Sic enim ſcribunt: *Patres omnes de agendâ pœnitentiâ non loquuntur, niſi ut hac culpa obtineatur remiſſio. Omnes Sancti profeſſi ſunt, ſeſe eo fine & conſilio pœnitentiam agere. Et tantùm abeſt, ut Eccleſia ſupponat, priùs obtinendam eſſe hanc remiſſionem, quàm pœnitentia agatur, ut hujus pœnitentia expletionem ab ipſis Catechumenis ante baptiſmi gratiam ſemper exegerit. Certum autem eſt hanc pœnitentiam, qua gratiam impetrat, qua veniam & remiſſionem impetrat, debere ut plurimùm abſolutionem præcedere.* Hæc ad verbum reddita ſunt, non eleganter quidem, ſed fideliter, ex quibus eos idem fermè quod ſuperiores adverſarii ſentiunt, novâ nec minus periculoſâ diſputandi ratione ſentire, ut videtur, perſpicuum eſt. Sed his opponimus, quæ in capite II. IV. V. VI. VII. & VIII. retulimus, quia his in capitibus retulimus, & Tridentino Concilio concordant & agendæ ſatisfactionis ordini, qui per univerſam Eccleſiam & præcipuè Gallicanam obſervatur. Hoc autem, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe, non ego, ſed beatus pronuntiat Auguſtinus. Hîc nolo prætermittere Jacobum Cardinalem Perronium in libro II. obſervatione II. Reſponſionis ad Jacobum magnæ Britanniæ Regem cap. III. ſcribere, apud antiquos Patres reperire ſe ſatisfactionem & pœnitentiam, qua ſuperſtes poſt ablatam culpam pœna diluatur.

Tertium. Ex adverſariis, qui dicunt, Tridentinum Concilium reipſa decreviſſe, ut abſolutionem ſatisfactionis eapletio præcedat, ſi res ex ſeipſa conſideretur, cùm ingentius proferant mendacium, eos graviùs peccare conſtat aliis, qui ſcribunt, Concilium plures tantùm pandiſſe vias, quibus ante abſolutionem expletio ſatisfactionis exigatur. Qui verò ſcribunt, Concilium plures tantùm pandiſſe vias, quibus ante abſolutionem expletio ſatisfactionis exigatur, ſi rei conſecurio ſpectetur, graviùs mihi peccare videntur aliis, qui dicunt, Concilium reipſa decreviſſe, ut abſolutionem ſatisfactionis expletio præcedat. Nam qui dicunt, Concilium reipſa decreviſſe, ut abſolutionem ſatisfactionis expletio præcedat, diſciplinam, quâ ante abſolutionem ſatisfactio expleatur, tanti eſſe momenti credunt, ut ejus ſanctionem ſoli Tridentino Concilio tribuant, quippe quæ Eccleſiam attineat univerſam. De rebus enim in hoc Concilio perſpicuè definitis litigare quis audeat? Qui verò ſcribunt, Concilium plures pandiſſe vias, quibus ante abſolutionem expletio ſatisfactionis exigatur, & hujus diſciplinæ ſanctionem ſingulis Confeſſariis permittunt, & abrogationem illius, quæ per totum orbem ſervatur, & ut anteà vidimus, utiliſſimè ſervatur. Hæc autem duo illa faciendi variè poteſtas, quot & quantas in Eccleſia turbas & ſcandala partura foret, nemo eſt, qui cogitatione non aſſequatur. Ceterùm ſimilitudinem, quæ & in hac & primâ animadverſione, adhibita eſt, non in perſonis, ſed in rebus ſitam eſſe volo, tametſi perſonæ rebus immixtæ videantur. Ex dicentis conſilio, dum illud vel maximè aperit, æſtimanda ſunt, quæ dicuntur. Veritatem quæro, & ſi poſſum aſſero ſine juſtâ cujuſquam offenſione.

Quartum. In occludendâ illa ſeptemplici viâ perinde verſatus ſum, quaſi Auctores illius voluerint, inter alios veteris pœnitentiæ ritus eum præſertim reſtitui, quo ante abſolutionem ſatisfactio fiat, quemadmodum ex Chriſti inſtitutione & regulis olim factam aſſerunt. Illud autem videre eſt, cùm ex pluribus, tum ex his quoque, quibus tertia via explanatur & munitur. *Non poteſt ſine crimine contemni, vel inverti hac ſatisfactio ſalutaris, quam omnes Patres tantâ cum diligentiâ fidelibus perpetuò commendarunt. Intelligebant quippe viri prudentes, quoniam idem eſt Deus, qui offenditur, idem eſt crimen, quod committitur, Chriſtianus homo eſt, qui ut aliàs idem committit, rationi maximè conſentaneum eſſe, ut idem homo eidem Deo, pro eodem crimine, in eâdem Eccleſiâ, & eodem modo ſatisfaciat. Quòd ſi corporis vulnera hocce tempore ſanentur eodem modo, quo mille & bis mille abhinc annis, majori cum ratione in curandis animi vulneribus inviolatè ſervanda ſunt eadem Jeſu Chriſti regula quas & Apoſtoli, & eorum ſucceſſores nos docuerunt, cùm ſint adhuc Hippocratis rationibus, & natura proprietatibus immutabiliores.* Si ut ſatisfactio ante abſolutionem expleretur, inſtituiſſet

Chriſtus,

Chriſtus, & ut ejuſmodi in perpetuum ſervaretur inſtitutio, velle ſe omnino teſtatus eſſet, nemo ſanè vix poſſet uti verbis ad illud explicandum illuſtrioribus, efficacioribus, ſignificantioribus. Lego quidem ſatisfactionem, quæ auditâ confeſſione imponitur, ab antiquis Patribus ſummè commendatam fuiſſe, ſed non lego tam ſtrictâ, tamque nervoſâ oratione commendatam, quanta hic unus agendæ ante abſolutionem ſatisfactionis modus commendatur. Et quanquam in aliis Chriſti inſtitutio & præceptum ab illuſtribus viris aliquando diſtinguantur inter ſe, tamen ut in hoc negotio diſtinguantur à ſuis Auctoribus vel Fautoribus, memoratæ orationis ſeries & compactio apud æquos rerum Judices non ſinit. Quaſi verò hac in oratione deprehendi poſſit, Chriſtum quidem inſtituiſſe, ut ſatisfactio ante abſolutionem expleatur, ſed non præcepiſſe. Hæc duo qui diſtinguunt hoc in loco, vel fucum faciunt, vel patiuntur. Eos autem fucum pati non credo. Sed lectores ſuos eos eſſe, qui pati poſſint, forſan ſibi perſuadent. Illorum verba iterum conſideremus: *Quòd ſi corporis vulnera hocce tempore ſanentur eodem modo, quo mille & bis mille abhinc annis, majori cum ratione in curandis animi vulneribus inviolatè ſervanda ſunt eadem Jeſu Chriſti regula, quas & Apoſtoli & eorum ſucceſſores nos docuerunt, cùm ſint adhuc Hippocratis rationibus, & naturæ proprietatibus immutabiliores.* Nonne præter Chriſti inſtitutionem his verbis præceptum ejuſdem explicatur? Nonne eâ quâ poteſt contentione perurgetur? Nonne regulæ idem quod præceptiones accuratis Scriptoribus ſignificant? Nonne ſumpta è rebus phyſicis & naturæ proprietaribus comparatio eò tendi, ut ejuſmodi regulas, quarum mentionem faciunt, mutari non poſſe intelligamus? Scilicet, ut naturæ proprietates naturam non antecedunt, nec niſi violatâ naturæ lege antecedere poſſunt: ita & ſatisfactio, quæ ut aiunt alicubi, *Confeſſionem inter & abſolutionem interponi debet*, abſolutioni non ſuccedit, nec niſi violatis Chriſti regulis ſuccedere poteſt. Deinde quia illæ Chriſti regulæ naturæ proprietatibus immutabiliores ſunt, quemadmodum ordo ille, qui inter naturam & ejus proprietates ab auctore naturæ inſtitutus eſt, nullo in caſu mutari ſic poteſt, ut proprietates naturam, cujus ſunt proprietates, antecedant: ita & ordo ille, qui à Chriſto inter abſolutionem & ſatisfactionem ſic inſtitutus eſt, ut ſatisfactio abſolutionem antecedat, multò minus ἐπιείκειαν & συγκατάβασιν admittit. Quare antiquos Canones, qui moribundis reconciliationem nondum expleta ſatisfactione concedunt, tam ambiguè, tam frigidè, & tam parum ſincerè tractarunt, ut in graviſſimam & juſtiſſimam aliorum reprehenſionem incurrerint. In ſummâ, qui à Concilio Conſtantienſi damnati ſunt, quòd neceſſariam ex inſtitutione Chriſti Laïcis ſub utrâque ſpecie communionem docerent, & rejectâ, quæ pridem in Eccleſiaſtico uſu erat, ſub una ſpecie communicandi conſuetudine, antiquum ſub duabus ſpeciebus communicandi ritum reſtitui contenderent, ſuam illam neceſſitatem haud gravioribus verbis expreſſerunt, aut magis exquiſitarum ſimilitudinum exemplis confirmarunt.

Porro jam viſum eſt ex Molano, Lenſæo, Corcyrenſi Archiepiſcopo & aliis, quos bene multos retulimus, Chriſtum neque inſtituiſſe, neque præcepiſſe, ut quæ in Sacramento Pœnitentiæ injungitur ſatisfactio, ante abſolutionem expleatur. Præcepit Chriſtus ut homines pœnitentiam agant, ſed modum, quo agant, non præcepit, ſed Eccleſiæ arbitrio reliquit. Qui autem ſecùs ſentiunt, Eccleſiam, in quâ pluribus abhinc ſæculis ſatisfactio poſt abſolutionem expletur, atque ut vidimus, ex auctoritate Synodorum & Epiſcoporum expletur, divinarum inſtitutionum & præceptionum ignorantiâ laboraſſe tantumdem temporis, vel ſi non laboraverit, eas inſuper habuiſſe ſentiant oportet.

Quintum. Si quæ modò notavi, ex relatis verbis concludi recuſent, & in iis inſtitutionem à Chriſti præcepto rectè diſtinguant, & hodiernum agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis Ritum tanquam legitimum, & in Eccleſia Dei legitimè adminiſtratum retineant, quemadmodum ante Concilium Tridentinum & ipſo Concilii tempore retinebatur, & nunc dierum retinetur, ex animo volo quaſi non dictum haberi, quicquid ad occludendas ſeptem inſtaurandæ per Concilium illud veteris pœnitentiæ vias diſſerui. Quippe modò hunc unicum agendæ poſt abſolutionem pœnitentiæ Rituum vindico, quem impugnant, & cujus contrarium eo vel maximè reſtitui contendunt, ut frequentior communionis uſu impediatur. Statim enim atque pœnitens poſt veram de criminibus ſuis contritionem, & legitimam confeſſionem abſolutus eſt, Euchariſticæ communionis jus adipiſcitur, tametſi nondum expleta ſit, quæ audita confeſſione impoſita fuit ſatisfactio. Hîc mihi præ ceteris mirum in modum placent, quæ laudatus cap. VI. Vappincenſis Epiſcopus, de Euchariſtiæ uſu tradit in Inſtructione Curatorum, quam edidit vel ab alio editam probavit in Synodo anni M. D. LXXIX. hoc eſt ante illud tempus, quo Carthuſianus Molina ea de re nondum ſcripſerat; multò minùs ii qui illaudati Molinæ Scripta ſibi vindicarunt. Ingenuum eſt profiteri per quos profecimus. *Cùm ergo*, inquit ille Epiſcopus, *Euchariſtiam aliqua die Dominica ſumes, effice, ut hæc ſumptio ſit veluti præparatio ad eandem Euchariſtiam aliàs reli-*

gioſiùs ſumendam. Hæc in re verus Catholicus hæreticum accipere ducem non debet. Ne hunc divinum cibum unquam faſtidias, ſive quia, qui eum tangas, teipſum judices indignum. (ſi enim quoad ſis omnino purus, atque ita diſpoſitus, ut nihil tibi deſit, expectes, ad illius divini cibi communionem nunquam accedes: tua fragilitas tali majeſtate digna eſſe nequit) ſive quia multi è ſæculo homines non tanti faciunt. Hæc ille, quæ ex Gallico Latina reddidi fideliter, ut facilè videri poteſt. Hunc illuſtrem Galliæ Epiſcopum cum ſuâ Synodo averſis in Cælum palmis abominentur, ſi velint adverſarii, nos converſis laudabimus, & uti probum ac fidum Chriſtianæ vitæ ductorem venerabimur.

Illis igitur conditionibus, quas propoſui, mea quantulacunque dicta revocari volo. Dum enim de pœnitentiâ ſermo eſt, fruſtra revolverentur tam ſæpè beati Cypriani Epiſtolæ, niſi ex earum unâ diſceremus omnes, vitandam eſſe contentionem, *quæ ſanctitatis & veritatis inimica eſt.*

Sextum. Siquis non volaticis & umbratilibus rationum momentis, quibus nonnulli Concilium Tridentinum placitis ſuis, non placita Concilio accommodant, & quibus quò quiſque vult, Concilium trahitur & inflectitur, ſed certiori methodo, quàm noſtra demonſtret, Tridentinum Concilium aliter de ordine agendæ ſatisfactionis ſenſiſſe, aut etiam cogitaſſe, quàm ſenſiſſe, aut cogitaſſe octo rationibus demonſtratum eſt, illud æquo libentique animo complectar. Ego enim in me facilè recipio, quod idem beatiſſimus Martyr habet epiſt. LXXI. *Non vincimur*, inquit, *quando nobis offeruntur meliora, ſed inſtruimur, maximè in his, quæ ad Eccleſiæ unitatem pertinent, & ſpei & fidei noſtræ veritatem.*

CAPUT XIII.

De Quæſtione Juris nonnihil proponitur magis, quàm aſſeritur.

HACTENUS quæſtionem, quæ in facti conditione verſatur, executus ſum. Nempe Tridentinum Concilium nec decreviſſe ut ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ abſolutionem reipſa præcedat, nec ad reſtituendum id genus diſciplinæ aditus ullos patefeciſſe. Nunc de quæſtione, quæ ad Juris conditionem pertinet, delibandum eſt aliquid ne prorſus intacta dimitti videatur. Juris igitur quæſtio hæc eſt, utrum revocandus ſit mos antiquus, quo ante datam abſolutionem ſeu reconciliationem Altaris injuncta peragebatur ſatisfactio. Quin revocari poſſit, non dubito; quia quod ſemel factum eſt diu multumque, quominus fiat adhuc, intercedere nihil poteſt, ſiquidem ordo ille, quo ante vel poſt datam abſolutionem peragitur ſatisfactio, res eſt obnoxia mutationi. Id tantùm in deliberationem venit, utilius-ne ante quàm poſt abſolutionem impleatur ſatisfactio. Quæ enim mutantur in Eccleſiâ, cùm præſertim Canone mutantur, in melius, non in pejus mutantur. *Alma mater Eccleſia nonnulla rationabiliter ordinat & conſultè, quæ ſuadente ſubditorum utilitate poſtmodum revocat, & in melius commutat.* Extrà de Sent. Excomm. Hæc eſt regula, hæc præſcriptio, hæc norma, ad quam dirigi perpendique debet Juris quæſtio. In qua

Dicerem antiquos mores præſtare recentibus, ſi antiquorum & recentium origo ſpectetur. Antiqui mores, quibus ante reconciliationem implebatur ſatisfactio, ab Apoſtolis vel certè ab Apoſtolicis hominibus manarunt. Recentes verò, quibus poſt reconciliationem impletur ſatisfactio, non tam communi Eccleſiæ Decreto quàm diſciplinæ ſanctioris remiſſione inducti ſunt. Non enim memini Concilium legere me ullum, in quo Eccleſiæ Sacerdotes mutandam eſſe veterem agendæ pœnitentiæ ordinem decreverint. Temporis progreſſione ſenſim & ſine ſenſu mutatus eſt, & mutatum probavit Eccleſia, cùm ſciens & prudens de Sacramento, cujus pars eſt ſatisfactio, præcepta Chriſtianis dedit. Hæc eſt igitur prima ratio meæ, quæ ex antiquorum & recentium Rituum implendæ ſatisfactionis origine comparatur.

Deinde ſatisfaciendi voluntas, quæ ad conſequendum abſolutionis beneficium neceſſaria eſt, à Sacerdote multò meliùs agnoſcitur, cùm ſatisfactioni jungitur, quàm cùm ab eâ ſeparatur. Sunt enim plures, qui Altaris reconciliationem adepti ſatisfacere poſtea negligunt, aut tepidè & languidè faciunt quod promiſerunt.

Tum implendæ antè, quàm poſt abſolutionem pœnitentiæ modus frequentiores in peccata lapſus reprimit & retardat. Hoc ſi cum adjunctis conſideretur omnibus, cogitanti unicuique occurret.

Præterea in antiquo Ritu percipiendæ communionis difficultas major pœnitentem humiliorem efficit & cautiorem. At humilitate virtutes comparantur & inſiguntur altiùs, & cautione peccata vitantur diligentiùs.

Ad extremum eſt peccati genus aliquod, furtum videlicet, in quo ſi reipſa fieri poteſt

ſatis-

ſatisfactio, hæc ante abſolutionem exigitur, ſublatæ rei reſtitutio, cùm præſertim pœnitens non ſtetit promiſſis, aut ſtetit negligentiùs.

Mediolanenſis Synodus prima, quam Beatus Carolus Archiepiſcopus habuit anno M. D. LXV. *Caveant Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cùm facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque ut id facerent, ſuperiori confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, quæ debent quamprimùm abſolvant.*

Neapolitana Synodus, quæ anno M. D. LXXVI. habita & à Gregorio XIII. confirmata eſt, in cap. XVI. de Sacramento Pœnitentiæ: *Et ne quis citò manus imponens alienis peccatis communicare convincatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam vel famæ vel pecuniæ ſatisfactionem, ubi reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſolvant, præcipuè ubi pœnitens datum in ſuperiori confeſſione præceptum neglexerit.*

Salernitana Synodus, quæ anno M. D. LXXIX. habita eſt, in tit. XXVI. cap. X. *Ante debitam ſatisfactionem neminem abſolvant eorum, quibus facultas eſt aliena reſtituendi, aut legata pia perſolvendi, præſertim ſi Jura, Cenſus, Juriſdictiones & Bona Eccleſiarum quovis colore occupata detineant.*

Burdigalenſis Synodus, quæ anno M. D. LXXXIII. congregata & à Gregorio XIII. confirmata eſt, de Pœnitentiâ, cap. XII. *Neminem Parochi abſolvant eorum, qui cum præcedente confeſſione ſe ablata reſtituturos, aut legata ad pias cauſas ſoluturos eſſent polliciti, cùm facultas adfuiſſet, neglexerint, eos excipimus, qui in mortis articulo fuerint conſtituti, qui tamen admonendi erunt, ut id oneris, ſi obierint, hæredibus imponant, vel ſi convaluerint, quamprimùm poterunt, ſatisfaciant.*

Piſtorienſis Synodus quæ anno M. D. LXXXVII. convenit, de Sacramento Pœnitentiæ. *Caveant Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, qui in anteriori confeſſione promiſerant, rem alienam reſtituere, vel pia legata perſolvere, ſi neglexerint, cùm tamen id faciendi facultatem habuerint.*

Concordienſis Synodus, quæ eodem anno coivit, parte III. de Sacramento Pœnitentiæ. *Si pœnitens proximo damnum dederit, vel aliquid furtim abſtulerit, ſeu falſo teſtimonio alicujus exiſtimationem in judicio violaverit, illum ante ſatisfactionem ne abſolvat* (Sacerdos) *niſi juſtâ de cauſâ ſatisdationem ei Parochus ad aliquod tempus diſtulerit.*

Volaterrana Synodus, quæ anno M. D. XC. congregata eſt, de Sacramento Pœnitentiæ cap. VII. *Caveant Confeſſores ne ante debitam ſatisfactionem quempiam abſolvant præſertim, qui facultatem habeant aliena reſtituendi, vel legata pia perſolvendi.*

Anagnina Synodus quæ anno M. D. XCVII. coacta eſt, cap. XX. de Sacramento Pœnitentiæ: *Canones pœnitentiales Confeſſores omninò ſcire debent, ut ſingulis peccatis pœnitentias ex Eccleſiæ præſcripto irrogandas non ignorent, caveantque, ne ante debitam ſatisfactionem quempiam abſolvant, cui ſit facultas reſtituendi aliena, vel pia legata adimplendi.*

Joannes Monlucius Valentiæ Segalaunorum Epiſcopus, in Sacramentorum Inſtitutione, quæ in cap. VI. laudata eſt: *Poſtquam Sacerdos audierit pœnitentis confeſſionem & ejus contritionem agnoverit, ſi ablata rei vel famæ aliena reum oſtenderit, ei dicet, hoc peccati genus non antè condonari, quàm ſatisfactio præcedat, & ſine abſolutione pœnitentem dimittat, niſi in caſu neceſſitatis.* Hæc pauca de multis, quæ non operosè colligerentur. Quæ igitur abſolvendi forma in uno peccati genere ſervatur, in ceteris ſervari poſſet, quandoquidem ſi res ex ſeipſâ conſideretur ut opportet, eadem ſit peccatorum omnium ratio. Diſcrimen adferretur nullum, quod non facilè retorqueretur, & quod ſemel retortum Diſputatorem quamlibet acutum involveret, & conſtringeret. Quis enim potiorem eſſe proximi quàm Dei & pœnitentis ipſius rationem probaret? ſi tamen probaret, aſſentirer.

Hæc de Juris quæſtione habui, quæ magis proponerem, quàm aſſererem. Verùm propoſitæ & ſuis communitæ rationibus diſciplinæ inſtauratio, unius vel alterius, vel etiam plurium privatorum hominum opus non eſt, ſed generalis Concilii, cui Chriſtiani omnes parere tenerentur. Quæ ad auſteriorem agendi vivendique modum pertinent, haud eâdem facilitate reſtituuntur in ſtatum priſtinum, quâ pridem ab illo receſſerunt. Siquidem homines quæ ſua ſunt, quærunt, mollia nimirum, & languida, non quæ Chriſti, laborioſiora videlicet & aſperiora. Hîc conſequens, non antecedens facultas attenditur. Poſſet quidem diſciplina vetus illa, quæ paulatim mutata eſt, ad uſum primò inductum paulatim redire, ſed illud perfectionis genus hominum mores vix quidem ferunt; quia dum rediret, plauſibiles rixæ, plenæ diſſenſionum & variarum opportunitatum controverſiæ, & diverſa per viam occurrerent impedimenta, quæ curſus ſui veſtigium inflecterent, avocarent aliò, & tandem remorarentur. Neceſſarium eſſet Concilium generale unum, vel multa provincialia, quæ generali æquivalerent, & ubi totius Chriſtiani nominis repræſentatio celebraretur.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS, PARISIENSIS THEOLOGI EXPLICATA

ECCLESIÆ TRADITIO CIRCA CANONEM

Omnis utriuſque Sexus.

Illuſtriſſimo Viro PETRO CAMBULTIO COISLINO * *Aurelianenſium Epiſcopo ;*
& Regis Eleemoſynario primo.

EPISTOLA

DESPONSA *jam tibi ab initio Eſpicopatus tui, ac deſtinata fuit Hiſtoria, quam de celebri Lateranenſis Concilii Canone*, Omnis utriuſque Sexûs, *& de variis illius agitationibus conſecturus eram. Proſpiciebam animo*, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *& multò antè tanquam ex aliquâ ſpeculâ proſpexeram. te futurum eſſe convenientiſſima diſciplina Epiſcopum: nec in proſpiciendo meus me feſellit animus. Ex voto accidit, quod prævideram. Accidiſſe verò citiùs, quàm omninò prævideram, ego ipſe miratus ſum. Recreatus nondum eras ab immenſo labore, quem adventus & introitus in urbem maxima Civium, Nobilium & Plebeiorum multitudine refertam, & lætitiâ triumphantem attulerat, cùm prudentiſſimi vigilantiſſimique paſtoris numeros ac partes omneis reddere cœpiſti. Prima eſt in erogandâ pauperibus, captivis, univerſo miſerorum generi ſtipe, quæ ad Epiſcopii fructus annuos ſi non pervenit, certè proximè acceſſit. Tunc † Evurtii & Aniani tempora rediiſſe Chriſtus ſuis in membris expertus eſt. Laudanda imitationis ſtudium fuit, in quo deceſſoribus ſanctis profeſſione & actu juxtà ſic reſpondiſti, ut & Aurelianenſis Civitas in te quod ſuſpiciat, & Eccleſia poſſit invenire quod diligat, & Chriſtus habeat quod ampliſſimè remuneret. Altera eſt in obeundis ſtatim diœceſeos parœciis, quæ Sacerdotis aſpectum præſentiamque magis exigerent. Ad Sigaloniam, agrum rudem & aſperum, omni, ut ita dicam, feſtinatione properas, in Cleri Plebiſque vitam & mores inquiris. Reorum uni culpam, quia levior erat, deprecati ſunt: reorum alii culpam, quia gravior, deprecari non ſunt auſi. Seipſos ſponte damnarunt, & indicatam à te potiùs, quàm indictam pœnam animo æquo tulere. Si adeundus ſuis carcer ipſe, in carcerem ipſum ſe contulerunt. Tua tantùm potuit prudentia, comitas, affabilitaſque ſermonis, conſtantia & religionis exiſtimatio. Cenſorium opus hoc eſt, quod exemplo hactenus caruit. Vix credent poſteri, cùm narrabitur. Narrandum tamen erit factum, cui debetur æternitas. Ad ea verò quæ divinum cultum attinent, caviſti tam diligenter, ut ſi quo in loco anilis quadam hominum imbecillitatem occupaverat ſuperſtitio, hæc ſublata ſit, & vera reſtituta pietas. Quod in exponendis Sanctorum reliquiis ſacri præſcribunt Canones, id caſtè atque integrè cuſtodiviſti. Videbaris in eo beatum Carolum Mediolanenſem Archiepiſcopum exprimere ac referre. Cùm oportuit Clericorum bona, & ſarta tecta ædium Sacrarum tueri, hæc ut propria tuitus es. Intelligebas nempe tua eſſe, quæ Deus tuæ ſollicitudini & cuſtodiæ commiſit. Tertia eſt in erigendo duabus de cauſis Clericorum ſeminario: primùm ut in eo ad Eccleſiaſtica officia piè ac rite peragenda erudirentur ii, quos in urbe vel in pagis regendis fidelibus præficeres: deinde ut in eodem reformandi ac velut recoquendi darentur, quos in parœciis minùs bene formatos, rudes, nec ſatis ſubacto præditos ingenio reperires. Et quamvis nondum impleſti jura & formulas, quæ de ſeminarii fundo conſtituta ſunt, tamen ut impleantur brevi, contentione ſummâ eniteris, & ne differatur opus adeo neceſſarium tibi viſum, tuis ipſius bonis & redditibus ſeminarium fovere ſuſtenta-*

* Coiſlinum appellare, laudare eſt neminem latet fuiſſe Epiſcopum primis Eccleſiæ temporibus digniſſimum Antiquæ doctrinæ, & diſciplinæ tuendæ ſtudioſiſſimum.

† Duo hic recenſentur Aurelianenſes Præſules. Evurtius adfuit, Concilio Valentino in Galliis anno 374. Anianus adhuc vivo Evurtio ſucceſſit. Vide Bailletum in vitis Sanctorum & Catellanum in Hiſtoriâ Eccleſiæ Valentinenſe.

tentareque decreviſti. Sed quoniam omnino mavis eſſe, quàm haberi, ad eas te redactum eſſe video anguſtias, ut non poſſis non haberi; quia quæ facis, (facis autem maxima) commendationem ab invidis etiam & obtrectatoribus extorquerent. Aut igitur deſine de publico bene mereri, quo nihil eſt naturæ tuæ magis repugnans & contrarium; aut aliorum laudes patienter ſuſtine, malum quidem tibi nullis, ut reor, artibus, vel machinis vitandum. Poſtrema eſt in retinendâ nobili circa Sacramentorum, & cum primis Pœnitentiæ, adminiſtrationem diſciplinâ, quæ Sacris Canonibus Pontificumque Decretis ex iiſdem Canonibus promulgatis ſancitur. Jure ſiquidem, non auctoritate, (verba ſunt Gregorii Papæ I.) Sacris legibus, non derogatione Sacrarum legum, ſeu privilegiis hujuſmodi regenda eſt Eccleſia. Qui ſanctis venerandiſque inſtitutionibus dominari potiùs, quàm morem gerere ſunt ſoliti, morem geſſerunt. Non defuere, qui morem geſtum putarent inſtar miraculi. Hæc igitur adminiſtrandæ Pœnitentiæ ratio, quæ vix ſuperandam in certis quibuſdam Diœceſibus aliis difficultatem etiamnum patitur, in Aurelianenſi paſſa eſt nullam. Mandata tua mandatoris æquitatem & firmitudinem reveriti exhauriunt omnes, excepto nemine. In ſumma tranſacta ſic res eſt, ut in exemplum imitatione principali dignum iverit. Hinc enim effectum, ut Rex prudens & perſpicax Aurelianenſis Eccleſiæ diſciplinam (non mentior) ſequendam eſſe ſemel atque iterum abhinc anno uno plus minùs pronunciaverit; cùm Judex æquiſſimus in ſolio ſedens excitatam ea ſuper adminiſtrandæ Pœnitentiæ ratione controverſiam diremit: * *Aginnenſem primum ante menſes aliquot, deinde Apamienſem ſub horam eventus poſt homines natos maximè memorabilis; cùm ſcilicet futurus intra Februarii dies perpaucos, novem, victor, in Burgundiæ Comitatum, illuſtriorem veteris Sequanorum provinciæ tractum, excurrere ſecum ipſe cogitabas. In vindicatorum à te,* PRÆSUL OPTIME, *Sacrorum Canonum portionem venit Lateranenſis ille Canon, cujus hiſtoriam teximus, & anniverſarias viciſſitudines deſcribimus. Sed in deſcriptione, & noſtris ad eam obſervationibus Romanæ Eccleſiæ per ſuos Præſules traditionem ducem ſequimur, cùm de intelligendo Sacerdote proprio Canonis agitur. Ut illi Sacerdotem proprium intelligunt, nos intelligimus Parochialem presbyterum: quo nomine Romanus Pontifex & Diœceſani Antiſtites ſeipſos appellarunt, & cohoneſtarunt nunquam. Ad eos accedimus, qui Romanæ Eccleſiæ traditioni firmiùs inſiſtunt; ab iis recedimus, qui non inſiſtunt. Acceſſum & receſſum iſtiuſmodi, ut ſe dat occaſio, & latè & variè confirmamus. In excutiendis Fratrum, me vide,* PRÆSUL NOBILISSIME, *Privilegiis Romanæ curiæ juriſprudentiam, in quâ ſit nonnunquam Sacrarum legum derogatio, adhibemus, etiamſi hæc in Galliâ nec magno nec admodum probato ſit uſui. Duritia cordis, cui dandum eſt nonnihil aliquando, id obtinuit. Quâ viâ litigioſis hominibus conquerendi cauſa omnis adimitur, & conveniendi mecum honeſtior imponitur neceſſitas, cùm ab univerſis exceptionibus vacua & nuda ſunt omnia. Secundùm Curiæ juriſprudentiam, quâ in explicatâ Eccleſiæ traditione retulimus privilegia, hæc in paſchalem vel annuam confeſſionem flexa, niſi habeantur pro ſuppoſititiis, pro ſubreptitiis haberi neceſſe eſt. In verbis iſtis diſcrimen eſt aliquod, in forenſi certamine diſcrimen nullum. Sed ut Fratres æqui placatique dimittantur, adjungimus Sedis Apoſtolicæ juriſprudentiam, quæ quo temporis intervallo privilegia conceſſa ſunt, viguit, univerſalibus Conciliis, & Sacris Canonibus ad publicam Eccleſiæ & fidelium utilitatem editis derogandi clauſulam oppreſſit, & Lateranenſem Canonem ſalvum in ſuo genere incolumemque ſervavit. Verum enim verò ut tum demum inter Parochos & Fratres pax firma ſtabiliretur, de privilegiis juri communi adverſantibus experiri propoſui judicio gravi, quod antegreſſa diſceptationem rei primam Sedis Apoſtolicæ juriſprudentia conſtitueret, ut eo modo Parochi vel Fratres id haberent, in quo ſublatis diſcordiis omnibus acquieſcerent. Et ſic qui poſtea acquieturi & ceſſuri non ſunt mutuò, hi pertinaces, ſeditioſi, & ſanctæ Sedi crudeliter inimici judicentur. Hîc litium cardo & vertitur & finitur. Ergo juxta hanc Sedis Apoſtolicæ juriſprudentiam & tabulas adverſus Fratres Parochis datur Lateranenſis Canonis poſſeſſio, in qua quamdiu paſchales celebrabuntur feriæ, permanebunt. Exinde & Concilii & Sedis cauſam egiſti anno ſuperiori, dum eos, qui hac de materia locuti modum exceſſerant, ſtatim revocaſti ad officium, in quo prudenter continuerunt ſeſe: nec ulla deinceps apparuit tergiverſatio. Dum egiſti tunc cauſam Concilii, cauſam agebas tuam & Collegarum: quia cauſa erat deceſſoris tui & aliorum præſulum, qui adfuerunt Concilio, & Canonem,* Omnis utriuſque Sexûs, *condiderunt. Dum egiſti cauſam Sedis Apoſtolicæ, cauſam quoque agebas tuam & Collegarum: quia cauſa erat Sedis Apoſtolicæ, quæ conditi à deceſſore tuo & aliis præſulibus Canonis executricem ſe ſemper præbuit, nec ullam Sacræ legis derogationem admiſit omni memoriâ. Cauſa tam juſta defenſio cùm ex aliis te decet, tùm ex eo quoque quòd eam teneas ſedem, quæ habitis ævo meliori ad ſanciendam Clericorum*

* Conſule hac de re Commentarios Comitiorum Cleri Gallicani anni 1670.

& Monachorum diſciplinam, & componendos fidelium mores tot Conciliis tantopere inclaruit. Vix ulla eſt in Galliis ſedes, quæ honoris & gloriæ tantùm ſibi vindicet. Et quamquam locus ſe hic offerat retexendi multa, non tamen retexam. Memorabo duntaxat unum, quod nonniſi neglectâ pietate omitterem. Clodoveus Magnus Aurelianenſe coëgit Concilium primum, eique argumenta dedit ſtatuendorum canonum, quibus, prout ordinationis & religionis poſtulat, presbyteri, clerici & monachi in Epiſcoporum poteſtate conſiſterent. Concilii Patres quod Rex tantus faciendum eſſe certâ quadam judicii prærogativâ cenſuit, communi conſenſu & unâ omnium voce decreverunt. Ludovicus Magnus Canones illos nuper & anno ſuperiori recepit in ſe, & eorum præcepta duplici nomine perfecit: uno, cùm auctori & ſuaſori edendorum canonum Clodoveo ſuccedat; altero, cùm editorum canonum cuſtos ſit, vindex & aſſertor. Itaque cùm Rex tantus Aurelianenſis Eccleſiæ morem in rei à ſe judicandæ teſtimonium inſumpſit, jus non uſurpavit pontificium, ſed avitam & regiam Clodovei hereditatem crevit. Et hæc eſt peculiaris laus tua, niſi eam fugeres, & Aurelianenſis, quam adminiſtras, Eccleſiæ: Tua quidem, quia Rex æſtimat ſuum, quod tuum eſt; Aurelianenſis verò Eccleſiæ, quia quod illius olim hodieque ferè proprium eſt, à Principe animum veluti Sacerdotalem gerente, in alias regni ſui Eccleſias diffunditur. Et quoniam diligenter exequeris, quæ majores tui fecerunt præclarè, ultro ſe nobis exhibent illuſtres Epiſcopi duo, Theodulfus & Jonas, qui quondam Aurelianenſi Eccleſiæ magna cum laude præfuerunt. Theodulfus ad presbyteros parochiæ ſuæ dedit tributum in capita XLVI. *libellum, qui ut Capitulare diceretur, temporum illorum mos obtinuit. Tu verò ex iis capitibus, quæ ſervari nunc poſſunt, das operam, ut fideliter ſerventur. Jonas varia identidem elucubratus eſt opuſcula, quibus non plebeios modò, ſed etiam magnates & principes ad Chriſtianam pietatem inſtituit, & ad omne officii genus inſtruxit. Tu verò ab ætate primâ in Regis aulâ enutritus, gradum feciſti ad eas ſubinde virtutes, quæ quadrant in Epiſcopum, & quæ te reddiderunt peridoneum, qui Jonæ ſuccederes, cùm de ſucceſſione tali cæteris cogitantibus, tu ſolus nihil minùs cogitares. Tunc Rex vota implevit omnium, præſentiens & Aulicis & Aurelianenſibus profuturum te plus exemplo virtutum tuarum, quàm Jonas olim profuerit, hodieque libris editis proſit. Hinc non miror, nec mirantur alii, cur Ludovicus Magnus, æquè ac Clodoveus, gentium triumphator alter, cariorem te habeat, volueritque, ut tinctionis Sacræ ritus conſummares in filia, quæ tunc à Suſceptoribus ſuis illuſtre & lectum Annæ Tereſiæ nomen accepit. Hæc Regis filia recepto apud nos uſu Domina nuncupatur. Inſignem & ſanctam operandi rationem popoſcit munus illud, quod apud Regem tam laudabiliter ſuſtines, quodque ad aulam è diœceſi tuâ te & lubentem & invitum interdum devocat: lubentem quidem, quia quæ fatis mandante rerum Domino, lubenti prolixoque animo facis: invitum verò; quia Aurelianenſis Eccleſiæ ſponſum te exiſtimas, & quæ quantaque ſponſi fides eſſe debeat, jampridem mente imbibiſti. Sed abſentia clero, populo, bonis omnibus acerba & luctuoſa nonnihil ſupplere poteſt munus aulicum, quod ad ſponſi curam pertinet, vel tunc maximè, cùm integritate tantâ geritur, quantâ tu geris. Antiquitatem generis utriuſque non memoro, quippe quæ nota ſit omnibus, & ſuis honorum inſignibus ſplendeſcat. Majorum laus hæc eſt, non tua, niſi quod paternam, maternam, avitam claritatem inculpatâ vitâ & propriis illuſtras virtutibus & auges,* Præsul amplissime. *Et quia hæc, ut & alia, pertinent ad cenſum eorum, quæ taceri vehementer deſideras, taceo, ne tibi moleſtus ſit, qui ſe tibi moleſtum eſſe planè reformidat.*

Anno Dom. M. DC. LXIX.

Devinctiſſimus Joannes Launoius.

EXPLICATA ECCLESIÆ TRADITIO,
CIRCA CANONEM
Omnis utriuſque Sexus.

Lateranense Concilium generale, quod anno Chriſti M. CC. XV. habitum eſt, Chriſtianis omnibus præſcribit duo, ut ſaltem ſemel in anno cùm ad diſcretionis ætatem pervenerint, peccata ſua confiteantur Sacerdoti proprio, & Sacramentum Euchariſtiæ ad minus in Paſchate percipiant. Sanciti hac de re canonis verba ſunt: *Omnis utriſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſchâ Euchariſtiæ Sacramentum,*

niſi

niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſia arceatur. & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiâ publicetur, ne quiſquam ignorantia cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Siquis autem alieno Sacerdoti voluerit juſtâ de cauſâ confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à Sacerdote proprio, cùm aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare. A Conciliis ſanciti fuerunt pro moribus Eccleſiæ Canones multi, ſed nullus æquè ac Lateranenſis iſte tot vices habuit, aut expoſitiones tam varias ſuſcepit. Harum autem certam quandam hiſtoriam texere inſtitui, & ſimul apertam in lucem edere, quæ Synodi, quæ Romani & alii Pontifices, quæ Theologi de mente Canonis hujus diverſis ætatibus tradiderint: Tum obſervationes nonnullas adjiciam, ut quid certi in varietate tantâ ſtatui poſſit ad pacem Eccleſiæ, diſquiratur.

C A P U T I.

Quid ab anno Chriſti M. CCXV. *ad annum* M. CCL. *circa Lateranenſem Canonem ejuſque materiam acciderit, refertur.*

IN hac ætate objiciunt ſe multa, & primò quidem privilegium confitendi, quod Gregorius IX. anno M. CCXXVII. Prædicatoribus conceſſit. Matthæus Paris. Illud in Hiſtoriâ Angliæ ex occaſione, quam explicat, ad annum M. CCXLVI. deſcribit: *Eodem tempore Fratres Prædicatores limites paupertatis, quam profeſſi ſunt nuper, jam ad ſuperos gradus aſcendere, venerari & timeri à Prelatis Eccleſiaſticis affectabant, & non jam tantùm Prædicatores, ſed etiam eſſe Confeſſores contendebant, uſurpantes ſibi officium ordinariorum, & haberi eoſdem contemptu procurantes, quaſi ſcientiâ & poteſtate inſufficientes populum Dei regere & Eccleſia lora moderari, unde multis diſcretis videbantur ordinem univerſalis Eccleſia per ſanctos Apoſtolos & Sacros Doctores noſtros anteceſſores, de quorum ſanctitate toti mundo conſtat, ſancitum nimis enormiter perturbare. Teſtificatum eſt etiam, quòd Ordo ſancti Benedicti, vel Ordo beati Auguſtini per multorum ſpatium ſæculorum tantum non deliravit, quantum eorum, qui nondum in Angliâ per triginta annorum ſpatium, radicum propagines tranſplantavit. Impetrato igitur à Papa Gregorio, qui ſpecialiter eorum fautor erat, paucis evolutis annis inaudito privilegio, hoc etiam his temporibus novum ad primum roborandum, non ſine ordinariorum jacturâ & præjudicio à Domino Papa ſunt adepti.*

„Gregorius Epiſcopus ſervus, &c. Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &
„dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis & Archipreſbyte-
„ris & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam
„benedictionem. Quoniam abundavit iniquitas & refriguit charitas plurimorum, ecce Or-
„dinem dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum Dominus ſuſcitavit, qui non quæ ſua
„ſunt, ſed quæ ſunt Chriſti, quærentes, tam contra profligandas hæreſes, quàm contra peſ-
„tes alias mortiferas extirpandas ſe dedicaverunt Evangelizationi Verbi Dei in abjectione
„voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum ſanctum propoſitum & neceſſarium miniſte-
„rium favore benevolo proſequentes Univerſitati veſtræ ipſos affectuoſè duximus commen-
„dandos, charitatem veſtram rogantes & exorantes in Domino, ac per Apoſtolica vo-
„bis ſcripta mandantes, ut dilectos filios Fratres Ordinis memorati pro reverentiâ divinâ
„ad officium prædicandi, ad quod deputati ſunt, recipiatis benignè, ac populos vobis
„commiſſos, ut in ore ipſorum verbi Dei ſemen devotè ſuſcipiant, & confiteantur eiſdem,
„cùm ipſis auctoritate noſtrâ liceat Confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere, ſedu-
„lò admonentes pro noſtrâ & Apoſtolicæ Sedis reverentiâ in ſuis eis neceſſitatibus liberali-
„ter aſſiſtatis quatenus ad prædicta ſuſcipienda veſtris exhortationibus populi præparati tan-
„quam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis, incipiant ſegetem germinare virtutum,
„& dicti Fratres per comparationem veſtram ſuſcepti miniſterii curſum feliciùs conſumman-
„do optatum reportent ſui laboris fructum & finem, ſalutem videlicet animarum. Quia
„verò ſæpe vitia ſub ſpecie virtutum occultè ſubintrant, & Angelus Satanæ in Angelum
„lucis ſe plerumque ſimulatè transformat, præſentium vobis auctoritate mandamus, quate-
„nus ſiqui de Prædicatorum Fratrum Ordine ſe dicentes in veſtris partibus prædicaverint,
„ad quæſtum ſe pecuniarum convertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem
„profeſſi ſunt, contingeret infamari, vos tanquam falſarios capiatis & condemnetis. Datum
„Anagniæ IV. Calend. Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Gregorius igitur Prædicatoribus concedit privilegium, quo illi poſſint audire confeſſiones eorum, quibus Evangelium annunciarent, eamque ob cauſam privilegii literas iis omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, perſcribit.

Hæc

Hæc autem dum aguntur, Alexander Alenſis, qui anno Chriſti M. CCXLV. migraſſe dicitur, materiam hanc tractat parte IV. quæſt. XIX. de Confeſſ. art. II. Verba ſunt: *Conſequenter quæritur, utrum contra voluntatem proprii Sacerdotis poſſit quis confiteri alii diſcretiori?* Et poſtquam partis utriuſque aientis & negantis argumenta expoſuit, quæ ſequuntur, adjungit. *Contrà, habetur extra lib.* V. *de Pœnit. & Remiſſ. cap. Omnis, ubi dicitur: Omnis utriuſque ſexus.* Et paullo pòſt: *Reſpondeo, quòd nullus debet propriâ auctoritate confiteri alii, ita ut omnino ſubtrahat ſe à Confeſſione faciendâ proprio Sacerdoti. Unde ſiquis velit omnino alii à Sacerdote proprio confiteri, aut hoc faciat obtentâ licentiâ à Superiore, vel confiteatur proprio, & pòſt alii diſcretiori, quem elegerit, vel habeat propoſitum confitendi illi.*

Deinde, Art. III. *Conſequenter quæritur, utrum prætermiſſo inferiori ſcilicet Parochiali, pœnitens poteſt confiteri Superiori ſcilicet Epiſcopo, vel ejus Pœnitentiario? & videtur, quòd non, per illud de pœnit. & remiſſ. Omnis utriuſque ſexus, &c. Ibi planè habetur, quòd omnis fidelis tenetur confiteri proprio Sacerdoti.* Et poſt alia: *Contrà poteſtas juriſdictionis deſcendit à Superioribus ad inferiores, ergo ſi aliquibus dat Epiſcopus poteſtatem ſuam, ut Pœnitentiariis ſuis, cùm inferior non poſſit ſuper Superiore, ſed è converſo videtur, quòd pœnitens quicunque etiam nolente Sacerdotes proprio poſſit ipſi Epiſcopo confiteri, & illis quibus dedit poteſtatem ſuam.* Et poſt alia: *Reſponſio, ſine præjudicio melioris ſententia quòd ſummus Pontifex, ſimiliter & alii inferiores poſſunt licentiaire aliquem, ut confiteatur cui voluerit, & abſolvere eum à tentione confitendi Parochiano ſuo, quia ſi poteſt Parochialis dare licentiam Parochiano ſuo confiteri, cuicunque voluerit, & ſolvere à tentione confitendi ſibi ſimpliciter, & ad tempus, ſecundùm quod eſt rationi conſonum, cur hoc non poteſt Epiſcopus, cujus eſt Parochianus? hoc ponere eſſet ponere, Epiſcopum non habere omnem poteſtatem in ſubditos, quam habet ſimplex Curatus.*

„Ad illud ergo, quod primò objicitur per Decretalem, quòd quilibet fidelis tenetur con-
„fiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, dicendum, quòd proprius Sacerdos dicitur multi-
„pliciter, uno modo, & propriiſſimè Sacerdos parochialis, qui adminiſtrat Sacramenta, &
„cui commiſſa eſt cura ſpecialis Parochianorum. Alio modo, ſcilicet communiori, dicitur
„Superior ordinarius proprius Sacerdos: qui propriâ auctoritate vel officio gerit curam Pa-
„rochianorum ſuorum, id eſt, omnium qui ſunt in propriâ Diœceſi, ut Epiſcopus. Talis
„namque Prælatus ordinarius poteſt abſolvere ſubditos. Communiſſimo modo poteſt dici
„proprius Sacerdos, quicunque poteſt Pœnitentem recipere ad confeſſionem & illum abſol-
„vere auctoritate conceſſâ à Superiori. quales ſunt Pœnitentiarii Domini Papæ & inferiorum
„Epiſcoporum, & illi, quibus à Domino Papa conceſſum eſt privilegium audiendi confeſſio-
„nes. Poteſt ergo dici, ſive confeſſus fuerit Sacerdoti Parochiali, ſive Superiori ordinario
„ut Epiſcopo, quòd confeſſus eſt proprio Sacerdoti, nec tenetur alii confiteri, & maxi-
„mè ſi aliquâ de cauſâ Epiſcopus abſolverit eum à tentione confitendi ipſi inferiori: debet
„tamen facere, quòd illi innoteſcat, à quo abſolutus eſt, in ſcandali vitationem. De iſtis
„autem qui abſolvunt ex poteſtate commiſſâ non ordinariâ, diſtinguendum eſt, quia aut
„auctoritas, ſive poteſtas eis commiſſa eſt à Superiori ordinario ſimpliciter, aut in caſu. Si
„ſimpliciter, tunc judicandum eſt ſicut de ordinario, ſicut patet de his, qui ſunt Pœnitentia-
„rii Domini Papæ & inferiorum Epiſcoporum: ſi ſit commiſſa in caſu, ſicut illis, qui obten-
„tu alicujus privilegii utpote Prædicatoribus, qui habent poteſtatem audiendi illos, qui
„veniunt ad illorum ſermonem, quia utopinor, talibus data eſt poteſtas audiendi con-
„feſſiones, non in præjudicium Sacerdotum, & maximè bonorum, ſed potiùs in favorem
„fidelium & excitationem audiendi Verbum Dei, & propter ignorantiam & negligentiam
„& alios defectus ipſorum Sacerdotum, non credo, quòd Presbyteri jure ſuo priventur.
„Unde exiſtimo, quòd Parochiani quantumcunque & quotieſcunque talibus confiteantur,
„tenentur Sacerdotibus propriis confiteri, ſi ab illis requirantur, nec aliter ſint contenti, &
„hoc dico ſemel in anno. Ad hoc igitur, quod objicitur, quòd tenetur confiteri Sacerdoti
„proprio, dicendum, quòd verum eſt ſumendo proprium Sacerdotem, ſecundùm quod pro-
„prius complectitur modos antedictos; ſecundùm autem quod intelligitur omnino de Paro-
„chiali, ſic non eſt omnino verum. Hæc ille, qui ut apparet, poſt conceſſum Prædica-
toribus à Gregorio IX. privilegium ſcripſit. Hujus quippe mentionem certam facit.

Prædicatores deinceps in Angliâ cùm voluerunr uti privilegio ſuo, ab nonnullis Eccleſiarum præſidibus reclamatum eſt. Unde accidit, ut [a] anno M. CCXLIV. Innocentius IV. Epiſcopis tribus Winctonienſi, Wingornienſi & Norwicenſi ſcripſerit, & in Mandatis dederit, ut caverent nequid adverſus conceſſa Prædicatoribus privilegia fieret, vel attentaretur. Innocentii literas ita refert Matthæus loco citato: *Innocentius IV. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus fratribus Winctonienſi, Wigornienſi & Norwicenſi Epiſcopis ſalutem & Apoſto-*

[a] *Anno M. CCXLIV.*] Id contigit anno 1246.

Apoſtolicam benedictionem. Quia nonnulli ſic in malitiâ delectantur, ut voluntatis libito, abſtinentia ruptis habenis ad illicita relaxato, perſonas religioſas Dei timore poſthabito multipliciter moleſtare præſumant, conſuevit pia Mater Eccleſia perſonis ipſis contra pravitatem talium defenſionis remedio miſericorditer ſubvenire, per quod moleſtatorum ipſorum compeſcatur temeritas, eædem perſonæ tutæ permaneant, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur. Cùm itaque dilecti filii, Prior Provincialis & Fratres Ordinis Prædicatorum in Provinciâ Anglicanâ conſtituti (ſicut ex eorum parte nobis extitit intimatum à nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant) moleſtias multiplices patiantur, nos volentes eiſdem contra inſolentiam & conatus malignantium providere, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratis Priori & Fratribus contra perverſorum audaciam efficaciter favoris præſidio aſſiſtentes, non permittatis ipſos contra indulta privilegiorum Apoſtolicæ Sedis ab aliquibus indebitè moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, nonobſtante Conſtitutione de duabus dietis editâ in Concilio generali, præſentibus poſt decennium minimè valituris. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequantur. Datum Lateran. XVI. Calend. Junii Pontificatus noſtri anno primo.

Matthæus continuò ſubjicit: „His igitur lætificati & magnificati Prædicatores varios Ec-
„cleſiarum Prælatos, Epiſcopos, Archidiaconos in Synodis ſuis Præſidentes ubi multi &
„magni viri, videlicet Decani, Presbyteri, Vicarii, necnon & Eccleſiarum Rectores cum
„Clericis convenerant, procaciter alloquentes, indulta ſibi talia privilegia in propatulo de-
„monſtraverunt, erectâ cervice ea exigentes recitari, & in eorum Eccleſiis veneranter recipi
„& commendari, & ad prædicandum populo ſine aliqua contradictione, vel in Synodis, vel
„in Eccleſiâ Parochianis; quaſi Legatos vel etiam Dei Angelos admitti, & ſe ingerentes, ni-
„mis impudenter rogitabant ſingulos etiam ſæpe viros religioſos, eſne confeſſus? Quibus, ſi
„reſponſum fuiſſet, etiam: à quo? à Sacerdote meo. Et quis ille idiota? nunquam Theolo-
„giam audivit, nunquam in decretis vigilavit, nunquam unam quæſtionem didicit enodare.
„Cæci ſunt & Duces cæcorum: Ad nos accedite, qui novimus lepram à leprâ diſtinguere,
„quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei ſecreta patuerunt. Nobis confitemini imper-
„territi, quibus tanta, ut jam videtis, & auditis, conceſſa eſt poteſtas. Multi igitur præci-
„puè nobiles, & nobilium uxores, ſpretis propriis Sacerdotibus & Prælatis ipſis Prædicatori-
„bus confitebantur. Unde non mediocriter viluit ordinariorum dignitas & conditio, & de
„tanto ſui contemptu non ſine magnâ confuſione doluerunt, nec ſine evidenti cauſâ. Videbant
„enim ordinem Eccleſiæ tam enormiter perturbari, quem conſtat longis retroactis tempori-
„bus in Deo placitâ ſimplicitate ambulantem multos è ſæculo migrantes præſentaſſe ſanctos, de
„quorum ſanctitate nefarium judico dubitare. Videbant inſuper Parochianos ſuos audacter
„jam peccare & impudenter, ſcientes ſe coram Presbytero proprio non erubeſcere, ſua enor-
„mia peccata confitendo, quod magnum reputatur periculum, cùm rubor & confuſio in
„confeſſione pars ſit maxima & potiſſima pœnitentiæ. Dicebantque ſuſurrantes peccaturi ad in-
„vicem, perpetremus, quæ nobis voluptuoſa videntur & placentia. Aliquibus enim Prædica-
„torum vel Minorum per nos tranſitum facientibus, quos nunquam vidimus, vel nunquam
„viſuri ſumus, cùm conſummatum fuerit, quod deſideramus, ſine aliquâ moleſtiâ confite-
„bimur: Et ſic contemptis ordinariis & eorum diſciplinis peccatum copioſiùs exuberavit. Et
„dum mundus more marino talibus æſtuabat ebullitionibus, contigit, quoſdam Prædicatores
„ſuis armatos privilegiis, aſſumptis cornibus Eccleſiam ſancti Albani (ubi ſicut moris eſt Ar-
„chidiaconus Eccleſiæ ipſius Synodum ritè celebravit) ingredi, & monſtrantes ſua privilegia
„ſeſe novis & inauditis poteſtatibus & dignitatibus communiri. Et dum unus eorum, qui vi-
„debatur alteri præeſſe, ſilentium prædicaturo ſibi dari imperiosè poſtulaſſet; reſpondit Ar-
„chidiaconus; Moderatiùs te frater habe, exſpecta pauliſper, donec diſcretioni veſtræ quæ
„ſentio demonſtraverim. Miramur nos ſimplices & veteribus atque approbatis aſſueti conſue-
„tudinibus de hac novitate repentinâ. Nec mirum ſi inaudita novitas admirationem generet
„cum ſtupore; Ut quid inſufficientes vel indignos officio nobis deputato tam procaciter re-
„putatis. Creditis vos ſolos de numero fore ſalvandorum, cùm dicat Apoſtolus: neſcit ho-
„mo ſi ſit dignus odio vel amore. Ingeritis vos jam non tantùm ad prædicandum, ut prædi-
„catores dicamini, ſed ad confeſſiones recipiendas, imò potiùs extorquendas, ut jam Fratres
„Confeſſores accumulato titulo teneamini. Fratres, non ſanum arbitror à certo recedere prop-
„ter incertum, ab ritè uſitato ad inuſitatum ſine majoris conſilio deliberationis & Prioris veſ-
„tri conſultatione: vos nequaquam vel ad prædicandum, vel ad confeſſionum receptionem
„eorum, quibus Abbatis præcepto præſum, adhuc recipio. Conſtat enim univerſali Eccle-
„ſiæ hæc, quæ vobis & omnibus hîc circunſedentibus eminus demonſtrabo, à Concilio ge-
„nerali immo generaliſſimo ſub Innocentio III. celebrato, anno gratiæ M. CCXV. ubi præſen-

„tes fuerunt ex totius Chriſtianitatis Univerſitate Primates, Archiepiſcopi LXI. Epiſcopi
„CCCCXII. Abbates verò & Priores DCCC. fuiſſe ſtatuta & confirmata omnibus mundi tem-
„poribus, irrefragabiliter conſervanda, & librum aperiens monſtravit & legi fecit iſtam ſu-
„per hoc Decretalem: Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervene-
„rit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, &
„injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus
„in Paſchâ Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam
„rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & vivens
„ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ. Unde hoc ſalutare
„ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ex ignorantiæ cæcitate velamen
„excuſationis aſſumat. Siquis alieno Sacerdoti voluerit juſtâ de cauſâ ſua confiteri peccata,
„licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit
„ſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperin-
„fundat vinum & oleum vulneribus ſauciati. Diligenter inquirens & peccatorum circunſtan-
„tias & peccata, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere conſilium, & cujuſmo-
„di remedium adhibere diverſis experimentis utendo ad ſanandum egrotum. Hæc omnia
Matthæus, quæ partem hiſtoriæ maximam faciunt.

Prædicatores Epiſcopis & Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Rectoribus exponunt ſua privilegia, nec ſatis modeſtè ſe gerunt, in Presbyterorum mores & captum inſultant, confeſſiones iis factas vituperant, ſibique ipſis faciendas eſſe contendunt: à quibuſcunque, à nobilibus præſertim & nobilium uxoribus extorquent. Antiſtites Anglicani Prædicatorum privilegia Syndicè rejiciunt, & iis opponunt Lateranenſe Concilium generale, quod nuper ſanxerat, nequis ſine proprii Sacerdotis aſſenſu Sacerdoti alieno peccata ſua confiteretur. Præterea notat Auctor, quomodo ex occaſione privilegiorum ſacra Pontificum dignitas vileſceret, quomodo peccatores ſibi licentiam vivendi majorem adpromitterent, nec ampliùs coram Sacerdote proprio erubeſcerent, & pœnitentiæ pars minima fieret, quæ ſolebat eſſe maxima & potiſſima.

Albertus Magnus & ipſe Prædicator, in quartum ſent. rem pluribus tractat diſt. XVII. & primùm Art. XL. *Secundò quæritur, utrum proprio Sacerdoti ſit confitendum, vel cuilibet Sacerdoti facta valeat confeſſio. Videtur autem, quòd proprio, quia ita dicit Urbanus II. Placuit, ut nulli deinceps Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam recipere, niſi ejus conſenſu, cui priùs commiſit, niſi per ignorantiam ejus, cui pœnitens priùs confeſſus eſt. Ex hoc accipitur, quòd non cuilibet, ſed proprio Sacerdoti eſt confitendum. Item extrà in Decretalibus lib.* v. *de pœnit. & remiſſ. dicit Innocentius III. in Concilio generali, Omnis utriuſque ſexus, Ex hoc accipitur idem, quod priùs, &c. pro hac parte.* Et poſt alia: *Solutio. Dicendum, quòd prima pars iſtius diſputationis continet veritatem, ſed ſecunda pars inductâ in contrarium falſitatem habet concluſionis. Non enim poteſt abſolvere, niſi Sacerdos proprius, & non poteſt aliquis confiteri niſi proprio Sacerdoti.*

Deinde Art. XLI. *Tertiò quæro, an plures poſſit eſſe proprii Sacerdotes, & videtur, quòd non, quia hoc eſt primum ex ratione proprii, quia proprium eſt, quod convenit uni ſoli, ergo non poſſunt eſſe plures proprii. Adhuc in nullâ multitudine ſit reductio in duo æquè immediata. Item in nullo genere graduum ſunt duo æquè alti, &c.* Hinc argumenta ſubdit contraria, inter quæ iſtud eſt potiſſimum: *Item hoc totâ die videmus, quòd unus audit confeſſionem jure parochiali, & alius auctoritate Epiſcopi, & tertius auctoritate Legati, & quartus fortè vice Papæ, & ita multi funguntur officio proprii Sacerdotis: ergo videtur, quòd multi poſſunt eſſe proprii Sacerdotes, vel vice proprii, &c. Solutio. Non poſſunt eſſe plures proprii, ſed unus ſolus eſt proprius. Poſſunt tamen alii cooperari uni proprio, ſicut jam patebit in ſolutione argumentorum. Dicendum ergo ad primum, quòd Epiſcopus non poteſt poteſtate juris conſtituere plures proprios, quia ſic una Eccleſia haberet multos, qui æquum jus haberent in illâ, & unus æqualiter adſtrictus eſſet duobus. Ex quo poſſet oriri perplexitas. Sed Epiſcopus adjutores poteſt dare Sacerdoti proprio. Et hoc tripliciter, ut mihi videtur, ſcilicet in tribus caſibus gravibus, in quibus ut magis abhorreantur, reſervat ſibi Epiſcopus poteſtatem abſolvendi, & eam poteſt committere uni vel pluribus, qui abſolvant ad ſe venientes, & in hoc portant onus Sacerdotis proprii, quia in illis caſibus tenetur obedire pœnitens habentibus vicem Epiſcopi pluſquam Sacerdoti proprio, ſi contrarii inveniantur. Alio etiam modo poteſt dare aliquos, qui prædicando, exemplum dando generaliter moneant populum, ut eos audiant, quos moverunt in prædicatione: Sed tamen ab obedientiâ Sacerdotis non excipiunt ſubditos ſuos. Et ideo in pœnitentiâ ab illis jam conſtitutâ debent innoteſcere Sacerdoti proprio, & per approbationem illius pœnitentiam peragere illam.*

Tertio modo quæritur, quando plebs multa eſt, & unus non poteſt totam audire, vel

etiam

„tiam Sacerdos debilis eſt & imporens audire. Tunc enim iterum aliqui poſſunt conſtitui à
„Supetiore, qui audiant & abſolvant, & non tenentur recurrere ad Sacerdotem alium: Om-
„nes tamen illi potiùs Coadjutores ſunt propriorum Prælatorum: Audiunt verò ut Coadjuto-
„res ſunt propriorum Prælatorum, quàm proprii Prælati, & ita ſi Prælati proprii rationabiliter
„aliquid præcipiunt, illi contradicere noo poſſunt, & ideo Prælati non ſunt: ſed ſicut dictum
„eſt, Coadjutores. Ad aliud dicendum, quòd illi, qui audiunt auctoritate ſuperiorum Præla-
„torum, audiunt ut Coadjutores, non ut Sacerdotes proprii.

Tum Art. XLII. „Quartò quæritur, ſi ſic eſt, quòd unus proprius Sacerdos habeat plures
„Coadjutores, factâ confeſſione uni teneatur confeſſus etiam alteri confiteri, ſi ille præcipiat.
„Videtur autem quòd ſic per illud, quod habetur extra. Qui non ab Innocentio III. in Con-
„cilio generali. Siquis autem alieno Sacerdoti juſtâ de cauſâ voluerit confiteri ſua peccata,
„licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipſum non poſſit ab-
„ſolvere vel ligare. Conſtat enim. quòd dando licentiam, ut confiteatur alteri, non excipit
„eum ab obedientiâ ſuâ, ergo adhuc tenetur obedire, ſicut priùs, ſed priùs tenebatur ſibi ſemel
„in anno confiteri, ergo & poſtea ſi præcipiat, ſibi tenetur facere confeſſionem.

„Item eſto quòd Epiſcopus mittat Coadjutorem, vel etiam Papa conveniat, quòd ſubdi-
„tos per hoc non intendant extrahere extra curam vel obedientiam proprii Sacerdotis. Cùm
„igitur ex obedientiâ teneatur ſe ei oſtendere in Confeſſione, videtur, quod ſi millies aliis
„confeſſus ſit, adhuc tenetur confiteri illi, ſi ille præceperit. *Deinde oppoſita partis argu-*
„*menta proponit, & his propoſitis ſubdit.* Reſponſio. Dicendum quòd ſine præjudicio videtur,
„quòd ſi aliquis de licentiâ Sacerdotis confitetur alicui, quod illo anno, niſi periculum infirmi-
„tatis incurrat, aliquod novum confiteri habeat Sacerdoti ſuo, non teneatur confiteri, ſi au-
„tem alii Coadjutori ordinato ipſi Sacerdoti à Superiore, & non de licentiâ Sacerdotis, quòd
„ipſe teneatur etiam proprio Sacerdoti confiteri, nec ille debet ei imponere pœnitentiam ni-
„ſi indicando ei, quòd quàm citiùs poterit, ſe proprio exhibeat Sacerdoti, niſi in caſibus ex-
„ceptis, qui ſunt, ut infrà dicetur.

„Ad primum ergo dicendum, quòd licèt non eximat eum à ſuâ poteſtate per hoc quod li-
„centiam dat, tamen licentiam dando privatus eſt ſuâ juriſdictione quoad illum annum: ſe-
„cus autem eſſet, ſi alius daret licentiam, ſcilicet Prælatus Sacerdotis, quia ille nec intende-
„ret impedire juriſdictionem Sacerdotis, nec etiam eximere ſubditum Sacerdoti à ſuâ poteſ-
„tate. Et per hoc patet ſolutio ad ſequens. *Et poſt alia*: Hæc autem quæ dicta ſunt, intelli-
„genda ſunt de eo tantùm qui habet auctoritatem imponendi pœnitentias à ſuperiori Epiſco-
„po ſcilicet, vel Legato vel Papa, quia ad alium eundi non poteſt dare Sacerdos proprius li-
„centiam. Et cauſa hujus eſt, quia licèt Sacerdos poſſet ſubditum relaxare, ut alii confiteatur.
„non tamen poteſt transferre juriſdictionem in eum, qui habet alas ligatas, ſed ſuperior
„tantùm, & ideo licèt ſubditus in tali caſu poſſet alii confiteri, non tamen quilibet alius po-
„teſt eum audire.

„Ad ea, quæ objiciuntur in contrarium ſalvâ meliori ſententia videtur mihi dicendum,
„quòd in quinque caſibus, ſecundùm quod Juriſperiti dicunt, debet quærere licentiam alii
„confitendi, quàm proprio Sacerdoti, ſcilicet, ſi Sacerdos ſit deficiens in ſcientiâ, vel etiam
„malitiâ impediente confeſſionem, ſicut ſi ſolicitet ad peccatum: ſecundò ſi peccet in Paro-
„chiâ alterius: tertiò ſi habitet in Parochiâ alterius: quartò ſi vagatur per longum iter:
„quintò in articulo mortis, & in hoc ultimo caſu unicuique habenti alas ligatas ſive ſolutas,
„ſive Clerico ſive Laico eſt confitendum dummodo ſit fidelis.

„Deinde Art. XLIII. Quintò quæritur utrum aliquis ex privilegio poteſt audire eos, qui
„ſunt ſubditi alterius. Videtur autem, quòd ſic, quia ex privilegio Principis aliquis, qui eſt
„ſubditus alicujus, poteſt eximi ab ipſo ſine præjudicio ejus, cujus eſt ſubditus. Ergo ex pri-
„vilegio etiam poteſt conferri juriſdictio, quantum ad confeſſionem, in ſubditum alterius. Ad-
„huc inferior Prælatus non habet juriſdictionem aliquam in ſubditum aliquem, niſi ex aucto-
„ritate ſuperioris. Ergo ſi ſuperior limitet vel minuat auctoritatem non facit præjudicium ali-
„quod: ergo ſi alium mittat, qui etiam audiat ſubditos, non eſt præjudicium. Adhuc Princi-
„pi licet quod vult facere, dummodo voluntas ſua Communitati ſit utilis. Conſtat autem
„quòd utile eſt multos conſtituere, qui audiant multitudinem, & dubia expediant & abſol-
„vant: ergo videtur quòd multis privilegium confeſſionis alios audiendi conferri poſſit ſine
„cujuſcunque præjudicio. Et quibuſdam interpoſitis argumenta partis oppoſitæ in medium
adducit, quibus adductis ſubjicit.

*Solutio. Videtur ſine præjudicio dicendum, quòd privilegium audiendi Confeſſiones religioſis
& honeſtis perſonis utile eſt concedere, & confirmatur veteris & novi Teſtamenti auctoritate. Et
veteris Teſtamenti plura inducta ſunt* (*Paralip.* XXIX. IV. *Regum* XVII. *Heſteris* VIII.) *De no-
vo autem Luca* XIV. *habetur, ubi paterfamilias miſit ſervos ſuos, qui exirent in vias &*

ſepes, ducere & compellere intrare, ut impleretur domus Dei. Et hoc præcipuè temporibus noviſſimis neceſſarium eſt, quando inſtant tempora periculoſa propter abundantiam malitiæ, & ſi conferatur privilegium, poſſunt audire privilegiati omnes, quos moverint verbo & exemplo ad pœnitentiam in prædicatione; unde concedo partem primam hujus diſputationis. Ad id quod objicitur in contrarium eſt dicendum, quòd nullum præjudicium in hoc ſit alicui, quia etiam Sacerdos vel alius Prælatus non habet aliquam juriſdictionem in ſuos ſubditos, niſi in quantum deſcendit à capite. & ideo ſi alii vocantur & privilegiantur in adjutorium ejus, non eſt præjudicium, ſed ſolatium, præcipuè cùm fructus proventuum ex hoc ſibi in nullo diminuuntur. Ad hoc quod ulterius quæritur dicendum, quòd ſi privilegium tale concederetur, meo judicio privilegiatus debet inducere ſubditos, ut ſibi confiteantur de conſcientiâ & licentiâ ſui Sacerdotis. Si autem Sacerdos hoc malitiosè impedire vellet, non poſſet, quia in hoc non tenentur ſubditi ſui ei obedire. Qui autem dat privilegia, per conſequens dare videtur ſubditis poteſtatem confitendi privilegiato, quia aliter gratia, quam facit, fruſtraretur. Ad aliud dicendum quod ſollicitudinem non habet Sacerdos, niſi ex voluntate ſuperioris, & ideo debet præſumere, quòd miſſi ab ipſo bene diſponant populum ad ſalutem, nec reddet rationem de illo.

Denique Art. XLIV. *Sextò quæritur utrum poſtquam confeſſi ſunt privilegiato, ſi aliquis talis eſt, teneatur etiam proprio Sacerdoti confiteri, & videtur quòd ſic: Præceptum eſt enim Sacerdoti proprio, Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, &c. In contrarium autem hujus ſic objicitur: ſi aliquis confiteatur privilegiato, conſtat, quòd eſt abſolutus, quia aliter nihil valeret privilegium, ſed abſolutus non tenetur confiteri, ergo illi nec Sacerdoti nec alii tenetur confiteri plus illo anno.* Et poſt alia: *Adhuc ſi aliquis confiteatur Pœnitentiario ſuperiori, non tenetur poſtea confiteri etiam inferiori: ſed privilegiatus eſt quaſi quidam Pœnitentiarius particularis Domini Papæ, ergo ſibi confeſſus non tenetur alicui ampliùs confiteri.* Et poſt alia: *Reſpondeo ſine præjudicio, quòd ſi privilegium audiendi confeſſiones per modum ſuprà dictum daretur alicui, ſicut dictum eſt privilegium audiendi eos, quos movent aliqui verbo ſuæ prædicationis, firmiſſimè credendum eſt propter nimiam Sacerdotum negligentiam hoc Summus Pontifex dedit, quia peccatis noſtris creſcentibus in hoc fine ſæculi etiam perpauci inveniuntur Sacerdotes, qui veri ſint Paſtores, ſed potiùs Vicarii conducti pretio vili, & quod admirabilius eſt, nec ſunt perpetuati in multis, terris, ſed conducti ad annum, vel etiam ad dimidium, vel ad menſem, & hæc omnia ſcio, quia vidi: Ita ut videatur impleri illud Ezechielis* XIII. *pro fragmento panis & pugillo hordei corrumpebant me & meum populum, & ideo ſatis neceſſariò ſunt qui vitâ & ſcientiâ populum abſolvant, tamen propter officium paſtorale & reverenciam Sacerdotum, & quia non eſt detrahendum eis coram ſubditis, videtur, quòd abſolvens privilegiatus deberet injungere confeſſo ſibi, quatenus ad minus in generali oſtendat ſe proprio Sacerdoti, ſi Paſtor eſt, vel etiam perpetuus Vicarius, ſi autem conductus eſt ad tempus, tunc videtur, quòd non oportet.*

„Ad id autem quod contrà objicitur, dicendum, quòd talis confeſſus abſolutus eſt, ta-
„men abſolutus debet innoteſcere ſuæ Eccleſiæ gubernatori, qui eſt Sacerdos proprius, &
„ideo debet ſe oſtendere Sacerdoti ad minus in genere peccatorum, in quibus fuit, & etiam
„propter conſcientiam Sacerdotis, & ut ſit ſecurus de ipſo, quia debet ei miniſtrare Sacramen-
„ta, & rationem reddere pro ipſo. *Et poſt alia*: Ad aliud dicendum, quòd etiamſi confitea-
„tur Pœnitentiario ſuperioris, ad huc utile, ne Pœnitentiarius diſſolvat ordinem Eccleſiæ &
„officii Sacerdotum ad populum, ut in aliquo remittat eum ad proprium Sacerdotem, & cre-
„derem graviter peccare Pœnintentiarium, qui non faceret: tamen ſi non remittit, tunc di-
„cendum. quòd ſecus eſt in illo, quia Pœnitentiarius ſuperioris vice ſuperioris imponit pœ-
„nitentias. & ita eſt ſufficiens præſumptio Sacerdotis, quòd bene omnia facit, nec habet de
„facto ſuperioris judicare. Sed alii ex privilegio audientis ſunt vocati, quaſi in ſublevamen
„negligentiæ Sacerdotum, & illorum magis eſt cavere, ne diſſipent officium Sacerdotum ad
„populum, & reverentiam populi ad Sacerdotes, & ideo non eſt ſimile, quod pro ſimili indu-
citur. Hæc ille, quibus conſtat, audiendarum confeſſionum privilegium iis duntaxat conceſſum eſſe Prædicatoribus, qui ſacras ad populum conciones haberent.

Annus agebatur Chriſti milleſimus ducenteſimus [b] quinquageſimus cùm Pariſienſes Theologi ſuper hac re conſulti ſic reſponderunt: *Omnibus præſentes literas inſpecturis Magiſter H. Cancellarius Pariſienſis, ceterique Sacræ Scripturæ Pariſienſes Doctores, quorum ſigilla præſentibus literis ſunt appenſa, ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ volumus eſſe notum, quòd conſulti fuimus à quibuſdam, utrum Sacerdote Parochiali contradicente vel invito Parochianus ejus Domino Papæ, ſeu Pœnitentiariis ſuis, vel ſuo Epiſcopo, aut Pœnitentiariis ipſius cùm voluerint, peccata ſua univerſaliter valeant confiteri, atque ab eiſdem pœnitentiam pro commiſſis*

[b] *Ducenteſimus quinquageſimus.*] Anno 1252. factum id narrat Bulæus Tom. 3. Hiſt. Univerſit. Pariſienſis.

miſſis recipere ſalutarem: Cui conſultationi reſpondentes diximus & dicimus, in hoc unanimiter conſentientes, prædicta licitè poſſe fieri & debere. Siqui autem dicant, aut dixerint contrarium, quantum in nobis eſt, reprobamus, erroneum reputantes. Actum [c] *anno Domini* M. CCL.

Reſponſum hoc ſeu Conſultum Magiſtrorum Pariſienſium, refertur in præfatione Operum Guillelmi de Sancto Amore, quæ ante aliquos annos Lutetiæ prodierunt. Atque ibi dicitur excerptum è vetere Sorbonici Collegii libro MS. qui Summa caſus conſcientiæ nuncupatur. Apparet ex reſponſo fuiſſe Lutetiæ, qui utrum contradicente vel invito Sacerdote proprio confiteri Papæ, Epiſcopo, vel eorum Pœnitentiariis liceret, ambigerent. Licere Faculras Theologiæ reſpondit. Dubitandi ratio opinor nulla fuit, niſi quæ ex Canone *Omnis utriuſque ſexûs* peteretut.

Capitis concluſio, et perioche.

QUICQUID in hac epochâ tractavimus, ad capita pauca revocari facilè poteſt. Hic primas tenent Gregorii & Innocentii Diplomata, in quibus privilegium audiendi confeſſiones non omnibus, ſed iis duntaxat indulgetur Prædicatoribus, qui Sacras ad populum conciones haberent. Quippe decere viſum eſt, ut Prædicatores in confeſſione eos audirent, quos concionando ad agendam pœnitentiam excitaverant.

Deinde Matthæus Pariſ. ſuccedit, apud quem Prædicatores, cùm privilegio tali munitos ſe ſentirent, Epiſcopos, Eccleſiarumque Rectores ceteros aſpernabantur, ſuperbiuſque appellabant. Laxatur pœnitentiæ fibula, pars illius maxima imminuitur erubeſcentia, populus multò flagitioſiùs vivit, quàm antea, & tandem Clerus in Synodis privilegium illud rejicit cùm ex aliis, tum præſertim ex oppoſitu Canonis, quem univerſale & numeroſiſſimum omnium Concilium ſtatuit.

Tum Alexander & Albertus confirmant, datum Prædicatoribus privilegium eos tantummodo ſpectare, qui ad Prædicatorum ſermones accederent, & Sacerdotem proprium aliter atque aliter pro arbitrio, ſine ſcripturâ & traditione interpretantur. Qui autem poſtea Sacerdotis proprii ſignificatus varios tradent, Alexandro & Alberto acceptos referant neceſſe eſt.

Denique Pariſienſis Thèologiæ Facultas decernit valere confeſſionem eorum, qui repugnante Presbytero apud Romanum & alios Antiſtites, eorumque Pœnitentiarios arcana conſcientiæ deponerent. Contrariam præterea opinionem errori tranſcribit. Cui Decreto Alexander & Albertus nonnihil præluxerunt. Quæſtionem eandem tractant, aſſeruntque fideles Papæ, Epiſcopis, illorumque Pœnitentiariis ritè confiteri, etiamſi Parœcus, aut Presbyter repugnaret. Theologiæ quidem Facultas Lateranenſem Canonem non attingit, ſed hic ſine dubio cauſam illius Decreto dedit. Non attingit quoque Prædicatorum privilegium, niſi Prædicatores pro Romani, ceterorumque Antiſtitum Pœnitentiariis habeantur.

CAPUT II.

Quid ab anno M. CCL. *ad annum* M. CCLXXX. *circa Lateranenſem Canonem, ejuſque Materiam acciderit, refertur.*

INNOCENTIUS IV. cùm Neapoli degeret, diebus quindecim quàm moreretur, Conſtitutionem edidit, in quâ Religioſos nonnullos [d] in ordinem cogit, & quis in Lateranenſi Concilio Sacerdos dicatur proptius, exponit. Verba ſunt.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis univerſis religioſis cujuſcunque profeſſionis vel Ordinis præſentes literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Et poſt alia: *Sanè gravis & clamoſa querela noſtris aſſiduè auribus inculcatur, quòd nonnulli veſtrûm ſuis juribus & finibus non contenti Parochianos alienos præſumant temerè ad due officia recipere contra Canonicas ſanctiones. Et licèt dictorum parochianorum Judices non exiſtant, nec ligandi nec ſolvendi eos acceperint poteſtatem, ſe tamen ipſorum Judices facientes ipſos in foro pœnitentiali periculoſe abſolvunt & ligant pro ſua libito voluntatis.* Et poſt alia: *Nos igitur, qui ex ſuſcepti Apoſtolatûs officio ſumus omnibus in juſtitiâ debitores, ut condecet attendentes, quòd ex uſurpatione hujuſmodi non tantùm indevotio & contemptus in populo prodeunt*

 contra

[c] *Anno Domini M. CCL.*] Lege, *anno* 1252. *Menſe Januario.*

[d] *In Ordinem cogit.*] Ob reſtitutam Eccleſiaſticam diſciplinam male audit Innocentius IV. apud Mendicantes. Si quidem Thomas Cantipratenſis mentitur, extinctum cæleſti ultione, ob Prædicatorum & Minorum reſciſſa Privilegia, repentinâque percuſſum: paralyſi, vocis officium amiſiſſe. & viſum fuiſſe mortuum, dari Sanctis Dei Francisco atque Dominico judicandum. Vide Odoricum Raynaldum anno 1254. num. 70. Bulæum Tomo jam memorato pag. 274. Hic merito invehitur *in hominem tam ſaunè & impudenter loquentem.* Inviſum Mendicantibus, Innocentium declarat Wadingus Tom. 2. ad annum 1254.

contra proprios Sacerdotes, verum etiam erubeſcentia, quæ eſt magna pars pœnitentiæ, tollitur, dum quis non proprio Sacerdoti, quem habet continuum & præſentem, ſed alieno & aliquando tranſeunti, ad quem difficilis & quandoque impoſſibilis eſt recurſus, ſua crimina confitetur. Ne tamen abuſivos exceſſus videamur per tolerantiam comprobare, volentes in poſterum fræno juris prædictarum tranſgreſſionum injurias cohibere, ac ſingulis Eccleſiis, & earum Miniſtris ſua jura illæſa omnimodè conſervari, nec non parochianorum ſaluti, & famæ veſtræ conſulere circa præmiſſa nihil novum in veſtrum inducendo gravamen, ſed antiqua & moderna jura in medium deducendo univerſitati veſtræ per Apoſtolica Scripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus parochianos alienos diebus Dominicis & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis, ſeu oratoriis temerè ad Divina, nec ipſos ſine Sacerdotis ſui licentiâ ad pœnitentiam ullatenus admittatis, cùm ſiquis alieno Sacerdoti juſtâ de causâ ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm Statuta generalis Concilii licentiam priùs poſtulare & obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel ſaltem ſibi primò confiteri & recipere beneficium abſolutionis ab eodem: aliter namque ab ipſo ſolvi non poterit, cùm duplex in judicando funiculus, ſcilicet poteſtatis & ſcientiæ, requiratur, quorum alterum conſtat in alieno deficere Sacerdote. Et poſt alia: *Datum Neapoli* XI. *Calend. Decembris Pontificatûs noſtri anno* XII. Lateranenſis Canonis executorem ſe præbet.

Hic Pontifex ſuperiori anno cùm eſſe Aſſiſii. Narbonenſi Archiepiſcopo non multùm diſſimilem miſit conſtitutionem, quæ nuper in Stephani Baluzii appendice ad Concilia Galliæ Narbonenſis in lucem ita prodiit.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Narbonenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lecta coram nobis gravis dilectorum filiorum, Abbatis & Capituli ſecularis Eccleſiæ ſancti Pauli Narbonenſis querimonia continebat, quòd licèt in ipſâ & aliis Eccleſiis ad eos immediatè ſpectantibus ad audiendas parochianorum ipſorum confeſſiones deputaverint Sacerdotes, qui ægras mortalium mentes, piâ moderatione pro ætate, ſexu, & viribus ad ſalutem perducere divinâ curatione noverunt: Nihilominus tamen ipſi parochiani irrequiſitis eiſdem Sacerdotibus, immo potiùs damnabiliter vilipenſis ad quoſdam Religioſos, velut apud ipſos reſinam duntaxat ſalutis inveniant, ſe temerè transferentes, opertos eis peccatorum nudant morbos, iniquitatis revelant ſecretum, & virus vitiorum in confeſſione depromunt. Et quanquam iidem Religioſi, cùm non ſint ſui judices, ipſos non poſſunt ſolvere, vel ligare, imaginariâ tamen quadam abſolutione ipſis illudere, ac noſtræ peregrinationis poſtmodum conferre Viaticum in ſuarum non verentur diſpendium animarum. Ex quo illud inconveniens evenit, quòd celerem ſibi parochianus talis damnationem inducit, qui non dijudicans corpus Chriſti, ipſum à labe ſic ſuſcipit criminum non mundatus, & Sacerdos illi apud quem pro tali Parochiano ægroto animam ſuam defixit, non poteſt vultum ipſius ignorans de illo dignam reddere rationem, nec ei ſuæ curæ commiſſo ſalubria remedia parare, cùm ægritudinem ſuam, ejuſque circumſtantias aliquatenus non agnoſcat. Porro tanquam parum ſit proprios taliter Sacerdotes deſpicere, niſi eorum Eccleſiæ pariter contemnantur, iidem Parochiani, ſicut prædictorum Abbatis & Capituli habebat aſſertio, cùm in præfatis Eccleſiis tam in officiis, quàm ſacræ prædicationis eloquiis, aure devotionis vocem ſui deberent ſuſcipere Sacerdotis, ipſis Eccleſiis contra Sacrorum Canonum Statuta contemptis, ad eorundem Religioſorum divertunt Eccleſias, prædicta officia inibi pro ſuæ voluntatis arbitrio audituri. Propter quod ipſis nihilominus Religioſis, qui tales deberent præſumptores abjicere, eos cum gravi aliorum jacturâ allicientibus, & ut fertur, inducentibus ad præmiſſa, contingit, prædictos Abbatem, Capitulum & Sacerdotes Eccleſiarum ipſarum ſolitis Parochianorum ſuorum oblationibus, aliiſque obventionibus multipliciter defraudari. Ceterùm adjecerunt iidem Abbas & Capitulum, quòd ſi Parochianorum ſuorum, nec non Eccleſiarum earundem contingat in ægritudinis lectum quemquam decidere, ſtatim confluunt Religioſi prædicti, & plerumque infirmum invitatione præventâ ſub pietatis ſpecie viſitantes, ipſius teſtamentum componunt, & ordinant, magno tandem adſcribentes muneri, ſi executores mereantur ipſius fieri teſtamenti. Quid plura, blandis ipſorum infirmus illectus ſermonibus, omiſſis avitis & paternis ſepulchris apud eos eligens ſepeliri, ampla ipſis, prædictis verò Eccleſiis, nulla vel modica legata largitur, & ut ex hujuſmodi legatis Abbas & Capitulum ac Sacerdotes prædicti non poſſint ab eis canonicam exigere portionem, interdum ipſa, ut creditur, non ſine fraudis commento, ad fabricam & perpetuum divinum cultum Eccleſiarum relinqui procurant. Verùm cùm per hæc & alias ab ipſis Religioſis memoratis, Abbati & Capitulo & præfatis Sacerdotibus multiplices irrogatas injurias; ipſi mutilationem in ſuis beneficiis non modicam patiantur, fuit nobis ex parte ipſorum humiliter ſupplicatum, ut moleſtiis & injuriis terminum dignaremur imponere ſupradictis. Nos itaque, qui cunctos Chriſti fideles, & præſertim regularis Ordinis Profeſſores eo Providentiæ ſtudio gubernari capimus, ut in eis curioſus etiam ſerutator nihil inveniat notâ dignum, ipſorum Religioſorum

fama,

ſama; Parochianorum ſaluti, & prædictorum Abbatis & Capituli & Sacerdotum prædictarum
Eccleſiarum profectibus ſalubriter providere volentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcrip-
ta mandamus, quatenus præfatos Parochianos, ne contemptis prædictis Eccleſiis pro divinis
audiendis Officiis, & recipiendis temporibus congruis Eccleſiaſticis Sacramentis ad alienas
accedant Eccleſias, nec non & ipſos Religioſos, cujuſcunque ſint Ordinis, ne in aliorum præ-
judicium Parochianos præfatos ad hujuſmodi Officia ſeu Sacramenta recipiant: ne confeſſiones au-
diant eorundem, niſi petitâ priùs & obtentâ licentiâ à Sacerdote proprio, juxta Statuta Conci-
lii generalis: nec etiam niſi apud eos ex devotione animi elegerint tumulari, ipſos ad ſepultu-
ram admittant, ita tamen, quòd tunc eadem Eccleſia portione Canonicâ non fraudentur, auc-
toritate noſtrâ per te, vel per alium attentiùs moneas, & inducas ipſos ad id, & ut de cetero
ab hujuſmodi prædictorum Abbatis & Capituli, & earundem Eccleſiarum Sacerdotum moleſtiis
& injuriis omnino abſtineant, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remotâ, præviâ ratio-
ne compellens: nonobſtante aliquâ indulgentiâ Religioſis ipſis, vel aliis ſub quâcunque verbo-
rum formâ ab Apoſtolicâ Sede conceſſâ, per quam non expreſſam præſentibus de verbo ad ver-
bum præmiſſa impediri valeant vel differri. Datum Aſſiſii VI. Idus Maii, Pontificatus
noſtri anno XI.

Innocentium excipit Alexander IV. duobus in Reſcriptis, quorum unum Archiepiſcopis,
Epiſcopis, & aliis dirigitur: & ſic ſe habet: „Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum. Ve-
„nerabilibus Fratribus, univerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis ac dilectis filiis Abbatibus, Prio-
„ribus & Decanis, Archidiaconis & Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis ac cete-
„ris perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quàm Regularibus cujuſcunque Ordinis vel pro-
„feſſionis exiſtant, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nec inſolitum nec novum, ut
„ea, quæ per occupationem vel feſtinantiam fiunt, pro eo quod congruæ deliberationis li-
„mam prætereunt, in propenſioris conſiderationis reducantur examen, ut certiora & eli-
„matiora per attentionem plenioris diſcuſſionis emanent. Sanè quædam ab Apoſtolicâ Sede
„tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri literæ proceſſerunt,
„In quibus ipſe univerſis Religioſis cujuſcunque profeſſionis vel Ordinis diſtrictè in virtute
„obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & feſtivis non reciperent
„de cetero in ſuis Eccleſiis ſeu Oratoriis temerè ad Divina, nec ipſos ullatenus ad pœniten-
„tiam admitterent, ſine ſuorum licentiâ Sacerdotum. Nec eis in ſuis prædicarent Eccleſiis
„ante Miſſarum ſolemnia, pro quibus audiendis primâ diei parte iidem Parochiani conſue-
„verunt, & debent in ſuis Eccleſiis convenire, nec ſolemnes etiam ſermones facerent illâ
„horâ, ſed nec ad prædicandum ſolemniter Parochias alienas accederent, niſi eſſent ab eo-
„rum Sacerdotibus invitati, vel ſaltem niſi ſe ad id humiliter peterent, & obtinerent admit-
„ti: nec eâ die, quâ diœceſanus Epiſcopus, vel alius loco ejus prædicaret ſolemniter maximè
„in Eccleſiâ Cathedrali, aliquis ipſorum in eâdem Civitate vel loco præſumeret prædicare. Si
„verò in caſu licito Parochianum alterius eos in ſuis Eccleſiis recipere ad ſepulturam contin-
„geret, omnium quæ obtentu conſequerentur ejuſmodi ſepulturæ, portionem canonicam etiam
„non requiſiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Epiſcopo vel Sacerdoti, de cujus
„parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent. Si autem aliqui Religioſorum ipſorum
„hujus præcepti tranſgreſſor contra prædicta vel aliquid prædictorum venire præſumeret, præ-
„ter inobedientiæ vitium, & excommunicationis ſententiam, quam eum incurrere voluit ipſo
„facto, gradus ſui periculo ſubjaceret, & nihilominus à diœceſano ad præmiſſa univerſa &
„ſingula obſervanda per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remotâ diſtrictiùs cogeretur,
„nullis ei contra hæc indulgentiis vel privilegiis Apoſtolicis valituris. Verùm quia ſuper præ-
„miſſis literis cogitare attentiùs, & ſtudioſiùs deliberare proponimus, pacis commodum &
„quietis ſolatium Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis potiſſimè cupientes, prælatas literas, & ſi
„quæ aliæ ſuper prædictis, vel eorum aliquo contra præfatos, vel aliquos ex ipſis generaliter
„vel ſpecialiter præter formam communem & ſolitam proceſſere, ac mandata ſeu præcepta
„facta in eis vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque Univerſitati veſtræ
„per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per hujuſmodi literas, vel occaſione mandato-
„rum, ſeu præceptorum; aut ſententiæ, quæ continent nihil prorſus agatis, cùm nullam
„deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Datum Neapoli XI. Calend. Jan. Pontificatus
noſtri anno I. Sic Alexander generatim & in averſione relatam Innocentii IV. Conſtitutio-
nem revocat. Sed ſingula quæque Conſtitutionis capita non attingit.

Alterum ad Epiſcopos per Franciam, Burgundiam &c. Conſtitutos anno ſequenti mitti-
tur: & ita ſe habet. *Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Fratribus uni-*
verſis Archiepiſcopis & Epiſcopis per Franciam, Burgundiam, &c. conſtitutis ſalutem & A-
poſtolicam benedictionem. Non ſine multâ cordis amaritudine, animique turbatione audivi-
mus, quòd nonnulli Magiſtri & Doctores, ac alii acuentes ut gladium linguas ſuas & venenum
aſpidum

aſpidum gerentes ſub labiis, ad infamiam, gravamen & diſpendium innocentium, illud in ſugillationem & læſionem dilectorum filiorum Fratrum Prædicatorum & Minorum nequiter vomuerunt. Infrà. *Fuderunt iniquum virus, & contra eos in ſcholis, prædicationibus & alibi aſſerere præſumpſerunt, quòd in viâ & ſtatu ſalvandorum non erant, nec meritoria, nec ſalutifera exiſtebat eorum mendicitas & paupertas, cùm deberent valetudine corporali, & aliis juſtis impedimentis ceſſantibus, propriis manibus operari, non torpendo ſub ſpe alieni ſubſidii, nec pro ſuſtentatione vel neceſſariis extranea mendicando ſuffragia. Quodque de licentiâ vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu diœceſanorum Epiſcoporum prædicationis exercere officium, & confeſſiones audire liberè non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus parochialibus præjudicium inferretur, ad alia etiam prava & iniqua in detractionem eorum & ſuorum Ordinum derogationem ora maliloqua relaxando. Cùm igitur iidem Ordines fuerint dudum à Sede Apoſtolicâ, ſicut ſacri, clari & conſpicui approbati. Ex quibus jam nonnulli Fratres ad ſupernam jam provecti patriam, in Sanctorum numero ſunt adſcripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Eccleſiâ Dei luceant, ac ab ipſorum Fratribus & cultoribus ſancta doctrina lumen diffundatur, nobis per Orbem Chriſtianum ardenter & efficaciter prædicetur, ac recta & ſana conſilia & exempla ſalutaria præbeantur. Cùm & dicti fratres Sacra Scriptura ac verbi Dei ſtudio, & animarum profectibus, nec non divinis Officiis, & Orationibus inſtanter & inceſſanter intendant, nequaquam marceſcentes otio, ſed opere optimo & potiſſimo exercentes, cùm ſapientia opus exiſtat maximum, nec ſint plures, qui operantur exteriùs, quàm qui ſtudio cognoſcendæ divinitatis exercent.* Et poſt alia: *Cùm ergo de licentiâ vel commiſſione aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licitè poſſint prædicare populis, & confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere ſalutares, venerabilibus fratribus noſtris. Turonenſi & Rotomagenſi Archiepiſcopis & Epiſcopo Pariſienſi in virtute obedientiæ per noſtras injungimus literas, ut omnes Magiſtros, Doctores & alios, ſive qui in Scholis, ſive in Prædicationibus, ſive alibi, præmiſſa dicere attentaverint, ex parte noſtrâ monere procurent, ut infra certum terminum ab ipſis præfigendum eiſdem, dictum ſuum in his publicè revocent, malè ſe dixiſſe fatentes, illaque deteſtentur penitus ac retractent, aſſeverando conſtanter contrarium, & illud etiam fideliter prædicando. Quod ſi non fecerint, &c. Datum Anagniæ* XII. *Calend. Novembr. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Huc ſpectant Cardinales multi, qui ad X. Calend. Novembris cùm Anagniæ verſarentur apud Pontificem, confecerunt indiculum certarum quarundam propoſitionum, quas Odo Duacenus Pariſienſis Theologus, & Chriſtianus Bellovacenſis Canonicus Lutetiæ palam pronunciare deberent. Pontifex anno inſequenti circa VI. Nonas Octobris ad Pariſienſem ſcripſit Epiſcopum, miſitque illum indiculum, qui ſic ſe habet.

„Quòd reprobent libellum in ipſis prædicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontifi„cem condemnatus, & errores in ipſo contentos, qui ſunt contra infrà ſcripta, quæ in „ipſis prædicationibus aſſerant & affirment, videlicet, de poteſtate Romani Pontificis, quòd „poſſit Prædicatores & Confeſſores mittere ubique per mundum juxta ſuæ beneplacitum „voluntatis, ſine conſenſu inferiorum Prælatorum quorumcunque, ſeu Sacerdotum parochia„lium. Item quòd Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus licentiam dare poſſint prædi„candi & confeſſiones audiendi ſine conſenſu inferiorum Sacerdotum vel Rectorum Eccleſia„rum cùm viderint expedire: quòdque Prædicatores & Confeſſores ſic miſſi poſſunt liberè „prædicare & licitè confeſſiones audire & abſolvere pœnitentes. Ut certum eſt, ea, quæ cùm in Alexandri literis, tum in inſtrumento Cardinalium à Magiſtris Pariſienſibus contra Prædicatores in cauſâ confeſſionis dicuntur, propter Lateranenſem Canonem dici: Ita quoque certum eſt ea, quæ ab Alexandro & Cardinalibus in eâdem cauſâ dicuntur, in Prædicatorum gratiam propter datum à Gregorio IX. & Innocentio IV. privilegium dici. Pontifex tamen & Cardinales id disertè non explicant: ſed perſpicuè colligitur ex iis, quæ ſanctus Bonaventura & ſanctus Thomas in materiam hanc tradunt: Prior ſua deſcribendo facit, quæ Alexander Alenſis ſuperiori capite docuit, & quæ hîc omitto repetere, ne actum agatur. Itaque eadem eſt Bonaventuræ in quartum diſt. XVII. quæſt. II. opinio, quæ Alexandri fuerat parte IV. quæſt. XIX. de Confeſſ. art. II.

Adjicio nonnulla è Bonaventuræ tractatu, qui inſcribitur, Quare Minores prædicent & confeſſiones audiant: „Quòd verò, *inquit*, ſemel in anno quilibet confiteatur proprio Sa„cerdoti omnia peccata ſua, his ſex de cauſis ſtatutum eſt: primò ſcilicet ut Paſtor cognoſ„cat, in quo ſtatu quilibet commiſſorum ſibi ſit, ut ſaltem ſciat ei medicinam competentem „exhibere inſtructionis, correptionis, conſolationis. Secundò, ut noſcat quibus poſſit cor„pus Chriſti indulgere, vel quos à Sacramentis arcere. Tertiò, ne per longam incuriam „multorum conſcientiæ in peccato deſperabiliter ſordeſcant, expedit, ut aliquando ſe ex„purgent; ipſe enim pudor confitendi pleroſque à peccato deterret, & confitendo diſcunt

„ſæpè

,, ſæpe hoc eſſe peccatum, quod ſe putabant innoxiè perpetrare. Quartò, ut diſcer-
,, nantur obedientes à negligentibus vel hæreticis per obſervantiam talis ſtatuti. Quintò,
,, ut purgent ſe ad Corpus Dominicum dignè percipiendum fideles per confeſſionis mede-
,, lam. Sextò, pro merito gloriæ, ut ex humilitate confeſſionis mereantur in cælo exal-
,, tari, & à peccatis citiùs expurgari. Proprius Sacerdos dicitur, cui quiſque ſpirituali-
,, ter gubernandus eſt commiſſus ab Eccleſiâ Vice-Dei. Prætermiſſis igitur diverſis diſ-
,, tinctionibus, quatuor ſunt cujuſque plebis parochialis proprii Sacerdotes. Primus &
,, præcipuus eſt Summus Pontifex, cui tota Eccleſiaſtici gregis cura ſingulariſſimè com-
,, miſſa eſt, ita quòd omnes inferiores Eccleſiæ Reſtores curam & poteſtatem, quam ha-
,, bent ſuper ſubditos, ab illo accipiunt mediatè vel immediatè. Secundus eſt diœce-
,, ſanus Epiſcopus, qui eſt ordinarius Paſtor omnium Eccleſiarum ſub ipſo conſtitutarum,
,, & ſui inferiores Prælati curam animarum & auctoritatem regendi habent ab ipſo. Ter-
,, tius eſt ſpecialis Paſtor cujuſque Eccleſiæ ibi canonicè inſtitutus. Quartus eſt, cui
,, quiſque prædictorum pro tempore vicem ſuam ſuper commiſſos ſibi ad ligandum vel
,, ſolvendum ex cauſâ rationabili committit, cui tamen committere poteſt. Superiores
,, autem liberiùs & largiùs poſſunt vices ſuas committere, ut vice ſui plebi ſuæ prædi-
,, cent, & eorum confeſſiones audiant & abſolvant, & pœnitentias injungant. Ita quòd
,, ſic abſolutos non oporteat illo anno plebanis ſuis iterum confiteri, niſi velint: multo
,, magis poteſt hoc Epiſcopus, & maximè Summus Pontifex, qui ubique habet poteſta-
,, tis plenitudinem, ita & commiſſam ſibi gerit omnium Eccleſiarum ſolicitudinem, ut
,, ea quæ ſingulis neceſſaria probantur, ipſius providentiâ ſuppleantur, alioqui vana eſſet
,, apud ipſum tanta poteſtas, quam executionis efficacia non comitaretur. *Et poſt alia:*

,, Quæritur autem ſi illi, qui nobis confeſſi ſunt, teneantur plebanis ſuis confiteri?
,, Ad hoc dicendum, quòd duplici ratione tenentur homines confiteri Sacerdotibus ha-
,, bentibus claves in foro pœnitentiæ abſolvendi & ligandi, ex præcepto Dei, & ſtatuto
,, Eccleſiæ. Præceptum Dei eſt pœnitentiam agere, cujus pars eſt confeſſio facta Sacerdoti,
,, unde Joannes dicit ſi confiteamur, &c. Cùm ergo pœnitens confitetur nobis, & ab-
,, ſolvimus eum auctoritate Domini Papæ vel Epiſcopi, non tenetur iterum à plebano ſuo
,, de eiſdem abſolvi cùm ſit abſolutus: ſed propter ſtatutum Eccleſiæ, quo quilibet ſemel
,, ad minus in anno jubetur confiteri omnia peccata ſua proprio Sacerdoti, quod plerique
,, referunt ad plebanos ſpecialiter, dicitur ei ſi velit iterum confiteri, ne ſcandalizetur;
,, & ut meliùs agnoſcat eum, cui corpus Domini debeat porrigere vel negare, niſi de li-
,, centiâ ejus alteri ſit confeſſus, vel ratum habeat, ſi eſt factum, & hoc de iis plebanis
,, intelligendum, qui boni & idonei videntur, &c. Ut autem planius liqueat, in qui-
,, bus caſibus, vel ſub quâ formâ Fratres poſſunt audire confeſſiones, quædam eorum, quæ
,, ſuperiùs poſita ſunt ſub compendio repetantur.,, Et quibuſdam interpoſitis: ,, Primus
,, caſus; cùm ex regulâ noſtrâ approbatâ & confirmatâ à Sede Apoſtolicâ etiam injunctum
,, habeamus prædicationis officium, ne fructus prædicationis inanis ſit, poſſumus ex pri-
,, vilegio Apoſtolico, ubi prædicamus etiam confeſſiones requirentium tunc audire & ab-
,, ſolvere, ac pœnitentias injungere auctoritate Domini Papæ, &c.

Sic beatus Bonaventura ſeſe expedit à Lateranenſi Canone, quem alii Fratribus oppo-
nebant.

Idem in 4. ſent. diſt. XVII. quæſt. II. ,, Credo, quòd Fratribus data ſit poteſtas au-
,, diendi confeſſiones non in præjudicium Sacerdotum bonorum, ſed potiùs in favorem
,, fidelium, & propter ignorantiam & negligentiam & malitiam quorundam Sacerdotum.
,, *Et poſt alia:* Dico quòd ſecundùm intentionem privilegii Sacerdotes Parochiales jure
,, ſuo non privantur, imo faciendum eſt ſemper, quod à ſuis parochianis debita eis reve-
,, rentia exhibeatur. *Et poſt alia:* Vel quia ſolicitat (Sacerdos proprius) ad malum,
,, vel quia timet revelationem confeſſionis, vel quia ſimplex eſt & Idiota. *Et poſt alia:*
,, Si Parochianus non habet excuſationem & ipſo exigente nolit confiteri vix crederem
,, talem perſonam eſſe verè pœnitentem, ideo omnibus ſanum conſilium eſt, quòd re-
,, mittant ad proprios Sacerdotes, ut ſi non ſint contenti illâ confeſſione, iterum audiatur.

Poſterior, id eſt, beatus Thomas argumentum hoc copioſiùs adhuc tractat & ſubtilius.
Et primò quidem in quartum, ſeu quod idem eſt in ſupplemento qu. VIII. art. V. ,, Utrum ali-
,, quis poſſit alteri quàm proprio Sacerdoti confiteri ex privilegio vel mandato Superioris.
,, Reſpondeo dicendum, quòd Sacerdos aliquis poteſt dupliciter impediri, ne alicujus con-
,, feſſionem audiat, uno modo propter defectum juriſdictionis, alio modo propter impedi-
,, mentum executionis ordinis, ſicut excommunicati & degradati & hujuſmodi. Quicun-
,, que autem juriſdictionem habet, poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis committere, & ideo
,, ſi aliquis impediatur, quòd alterius confeſſionem audire non poſſit, propter juriſdictionis

,, defectum, poteſt ſibi per quemcumque juriſdictionem habentem immediatam in illos com-
,,mitti quòd confeſſionem audiat & abſolvat, ſive per ipſum Sacerdotem; ſive per Epiſco-
,, pum, ſive per Papam. Si autem propter executionis ordinis impedimentum audire non
,, poſſit, poteſt ſibi concedi, quòd confeſſionem audiat per eum, qui impedimentum re-
,, movere poteſt.

,, Ad primum ergo dicendum, quòd præjudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur, quod
,, eſt in favorem ejus indultum. Juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui bomini
,, in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & bonorem Dei. Et ideo ſi ſuperioribus Præ-
,, latis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promovendum, quòd aliis,
,, quæ ſunt juriſdictionis committant in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis,
,, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui gregi præſunt non ut eum paſ-
,, cant, ſed ut ab eo paſcantur.

,, Ad tertium dicendum, quòd inconveniens eſſet, ſi duo æqualiter ſuper eandem plebem
,, conſtituerentur, ſed quòd duo, quorum unus alio principalior eſt, ſuper eandem plebem
,, conſtituantur, non eſt inconveniens, & ſecundùm hoc ſuper eandem plebem immediatè
,, ſunt & Sacerdos Parochialis & Epiſcopus & Papa, & quilibet eorum poteſt ea, quæ
,, ſunt juriſdictionis ad ipſum pertinentia alteri committere. Sed ſi Superior committat,
,, qui & principalior eſt, dupliciter poteſt committere, aut ita quòd eum vice ſui conſti-
,, tuat, ſicut Papa & Epiſcopus ſuos pœnitentiarios conſtituunt, & tunc talis eſt principalior,
,, quàm inferior Prælatus, ſicut Pœnitentiarius Papæ quàm Epiſcopus, & Pœnitentiarius
,, Epiſcopi, quàm Sacerdos Parochialis, & magis tenetur ei confitens obedire. Alio modo,
,, ut eum Coadjutorem illius Sacerdotis conſtituat, & quia Coadjutor ordinatur ad eum,
,, cui adjutor datur, ideo Coadjutor eſt minùs principalis, & ideo pœnitens non tantùm
,, obedire tenetur ei, quantùm proprio Sacerdoti.

,, Ad quartum dicendum quòd nullus tenetur confiteri peccata, quæ non habet, & ideo
,, ſi aliquis, pœnitentiario Epiſcopi vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti confeſſus
,, fuerit, cùm ſint ſibi dimiſſa peccata & quoad Deum & quoad Eccleſiam, non tenetur
,, ea confiteri proprio Sacerdoti quantumcunque petat, ſed propter ſtatutum Eccleſiæ de
,, confeſſione faciendâ proprio Sacerdoti, ſemel in anno, eodem modo ſe debet habere ſi-
,, cut ille, qui habet ſolùm venialia. Talis autem ſolùm venialia confiteri debet, ut qui-
,, dam dicunt, vel profiteri ſe à peccato mortali immunem eſſe, & Sacerdos ei in foro
,, conſcientiæ credere debet ac tenetur; Si tamen iterum confiteri teneretur, non fruſtrà
,, primò confeſſus fuiſſet, quia quanto pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tantò ei
,, plus de pœnâ remittitur ex erubeſcentiâ confeſſionis, quæ in pœnam ſatisfactoriam com-
,, putatur, tum ex vi clavium; Unde toties poſſet aliquis confiteri, quòd ab omni pœ-
,, nâ liberaretur. *Et poſt pauca:* Unde bonum eſt, quòd ille, qui auctoritate Epiſcopi
,, confeſſionem audit, inducat confitentem ad hoc, quòd confiteatur proprio Sacerdoti:
,, quòd ſi noluerit, nihilominus eum abſolvere debet.

Tum libro contra impugnantes religionem cap. IV. eadem docet his verbis: „Præterea
,, extrà, de pœnit. & remiſſ. dicit Innocentius in Concilio generali: Omnis utriuſque ſexus
,, fidelis poſtquam ad annos diſcretionis perveniet; omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel
,, in anno confiteatur proprio Sacerdoti, ſed ille qui abſolutus eſt à peccatis prædictis,
,, non tenetur ulteriùs peccata confiteri; ergo ſi aliquis alius, quàm proprius Sacerdos
,, poſſet confeſſiones audire & abſolvere aliquem, ille non teneretur ſemel in anno confi-
,, teri proprio Sacerdoti, quod eſt contra decretalem inductam. Cùm ergo religioſi non
,, ſint proprii Sacerdotes, quia non habent plebes ſibi commiſſas, videtur, quòd non
,, poſſunt confeſſiones audire & abſolvere. *Et poſt alia.* Ulterius autem nituntur oſten-
„dere, quòd nec privilegio Apoſtolicæ Sedis poſſint prædicare, aut confeſſiones audire,
,, quia contra ſtatuta Patrum aliquid condere vel mutare nec Romanæ Sedis auctoritas po-
,, teſt, ut dicitur XXV. quæſt. I. contra ſtatuta Patrum. *Et poſt alia:*

„Ad illud, quod poſtea objicitur, quòd quilibet tenetur in anno ſemel confiteri, di-
„cendum, quòd Sacerdos proprius non ſolùm eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus vel
„Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus, quàm ad Sacerdotem, ut multipliciter
„oſtenſum eſt. Proprium hic non accipitur, ſecundùm quod dividitur contra commune,
„ſed ſecundùm quod dividitur contra alienum. Unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo vel
„alicui habenti vicem ejus confeſſus eſt proprio Sacerdoti, & præterea per hoc non exclu-
„ditur qui ſemel in anno confitetur Sacerdoti proprio, ſcilicet Parochiali, dato quòd de
„eo tantùm intelligatur, quin poſſit aliis vicibus, aliis etiam confiteri, qui poteſtatem ha-
„beant abſolvendi. *Et poſt alia:*

„Ad ea verò quibus probare nituntur, quòd nec ex privilegio Papæ religioſi prædicare,
nec

„nec confeſſiones audire poſſunt, nunc reſpondendum eſt. Quod ergo primò objicitur,
„quòd Romanæ Sedis auctoritas non poteſt aliquid condere vel mutare contra ſtatuta
„ſanctorum Patrum: Dicendum, quòd verum eſt in illis, quæ ſtatuta ſanctorum Patrum
„determinaverunt eſſe de jure divino, ſicut articuli fidei, qui determinati ſunt per Conci-
„lia, ſed illa, quæ ſancti Patres determinaverunt eſſe de jure poſitivo, ſunt relata ſub
„diſpoſitione Papæ, ut poſſit ea mutare vel diſpenſare ſecundùm opportunitates temporum
„vel negotiorum. Sancti enim Patres in Conciliis congregati nihil ſtatuere poſſunt, niſi
„auctoritate Romani Pontificis interveniente, ſine quâ etiam nec Concilium congregari po-
„teſt. Nec tamen Papa quando aliquid aliter facit, quàm à ſanctis Patribus ſtatutum ſit,
„contra eorum ſtatuta facit, quia ſervatur intentio ſtatuentium, etiam ſi non ſerventur ver-
„ba ſtatutorum quæ non poſſunt in omnibus obſervari, ſervatâ intentione ſtatuentium,
„quæ eſt utilitas Eccleſiæ, ſicut in omni jure poſitivo accidit. Derogatur enim prioribus
„ſtatutis per ſtatuta ſequentia. Hæc ſanctus Thomas propter Canonem & ad Canonem
„Lateranenſem.

Annibaldus Cardinalis apud Joannem Brehallum, in libro, quem ipſe de libera
auctoritate audiendi confeſſiones exaravit cap. LV. „Item Dominus Annibaldus in ſuo
„quarto ſcripto valde clarè hanc veritatem de quâ agitur, exprimit dicens: Quòd
„irrequiſito Sacerdote proprio & immediato habitâ commiſſione Superioris, ut Epiſcopi,
„Legati, vel Papæ, poteſt Sacerdos abſolvere ſubditum illius. *Et poſt alia*: Sicut idem
„Dominus & Doctor refert ſemel requiſiti Magiſtri Pariſienſes tam in Theologiâ, quàm in
„Decretis in hoc conſenſerunt, & ſcripto editum fuit, cui omnes prædicti Magiſtri appo-
„ſuerunt ſigilla ſua, [e] uno excepto, qui tamen tenori literæ non contradixit, ſed ſigillum
„ſuum apponere noluit.„ Hæc ille quem Rupipoſæus anno M. CCLXXII. obiiſſe tradit
in Nomenclutara Cardinalium.

Clemens IV. anno Pontificatus ſui primo, qui in annum Chriſti M. CCLXV. incidit,
hac de re ſic ſcribit ad Generalem Miniſtrum & Fratres univerſos Ordinis Minorum:
„Quidam temerè ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes imprudenter præſu-
„munt aſſerere, quòd de licentia vel commiſſione, aut conceſſione Romani Pontifi-
„cis, ſeu Legatorum Apoſtolicæ Sedis, vel ordinariorum locorum vos ſine Sacerdo-
„tum parochialium licentiâ & aſſenſu non poteſtis liberè prædicare populis, audire con-
„feſſiones, abſolvere confitentes, & pœnitentias injungere ſalutares. Nos igitur volentes
„aſſertionem tam temerariam penitus confuſcare, ac elucidare in talibus veritatem, de-
„liberatione prævia declaramus, quòd ſi vobis detur licentia, committatur, ſeu conceda-
„tur à Legatis prædictæ Sedis, aut Ordinariis locorum (nedum à Romano Pontifice de
„quo proculdubio eſſet erroneum dubitare, an in omnes ſine alicujus conſenſu, immo in-
„vitis quibuſlibet hujuſmodi poſſit concedere poteſtatem) populis Legatis & Ordinariis
„ſubjectis eiſdem liberè prædicare poteſtis, audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes,
„ac pœnitenias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum &
„Rectorum Eccleſiarum ac Sacerdotum parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus
„exceptis, qui de jure conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter factâ Sedis & Le-
„gatis ordinariis prædictis ſpecialiter reliquuntur, ad quos non licet vos manus extendere
„niſi vobis ſpecialiter committatur. Ideoque auctoritate Apoſtolica diſtrictiùs inhibemus,
„ne quiſquam ſuper his vel eorum aliquo vos vel aliquem veſtrûm, aut etiam confiten-
„tes vobis, vel ad prædicationes veſtras forſitan accedentes contra præmiſſæ declaratio-
„nis formam aliquatenus moleſtare præſumant; decernentes nihilominus irritum & inane,
„quicquid & à quoquam contra declarationem & inhibitionem hujuſmodi contigerit atten-
„tari. Nulli ergo, &c. Datum Peruſii XII. Calend. Julii Pontificatus noſtri anno primo.
Clemens etiam ſi concedat Minoribus ut ſine parochialium Preſbyterorum aſſenſu confeſ-
ſiones audire poſſint & abſolvere, tamen caſus illos excipit, qui jure vel conſuetudine
excipiuntur. Quo juris nomine confeſſionem intelligit, quæ Lateranenſi Canone præci-
pitur.

Claromontana Synodus, quam Guido Epiſcopus habuit [f] anno M. CCLXIII. Sacer-
dotem proprium ſic interpretatur: „Proprium autem Sacerdotem dicimus duobus modis:
„ex officio utpote Papam, Epiſcopum, Curatos: vel ex commiſſione, ſicut Fratres Prædica-
„tores & Minores, & quibus Epiſcopus commiſerit vices ſuas.„ Hæc Synodus [g] nondum
edita eſt, eamque aliàs mecum communicavit eruditionis magnæ vir Jacobus Sirmondus.

[e] *Uno excepto*] Hic fuit Henricus de Gandavo ut in Cap. V. narrat Joannes de Annoſis.
[f] *Anno M. CC. LXIII.*] Habitam fuiſſe Synodum dicit Harduinus, anno 1268. Quæ epocha habetur in fine ſtatu-
torum Synodalium.
[g] *Nondum edita eſt*] Edidit Harduinus T. VII. Conciliorum p. 587.

Saltzburgenſe Concilium provinciale, quòd anno M. CCLXXIV. celebratum eſt, ut Eccleſiaſticæ paci provideat, audiendarum confeſſionum privilegium à majoribus ſuis conceſſum revocat ac reſcindit. „Adhæc, *inquit*, cùm Prædeceſſores noſtri bonæ memoriæ „Pontifices diverſarum Religionum Fratribus in confeſſionibus audiendis & indulgentiis „largiendis, & aliis pluribus faciendis, quæ ad Sacerdotale & Pontificale miniſterium „pertinent, poteſtatem ſuam duxerint commitendam, quarum Religionum nonnullæ in „proximo generali Concilio ſunt ſublatæ, quorum & Fratrum aliqui poteſtate traditâ ſunt „abuſi: nos auctoritate præſentis Concilii omnem auctoritatem, poteſtatem, ſive licentiam, „à nobis vel à noſtris Prædeceſſoribus cuicunque Religioni, vel Ordini, aut Fratribus Ordi„num quorumcunque traditam in præmiſſis aut aliquo præmiſſorum revocamus in totum. Cur autem Concilium univerſis Fratribus poteſtatem audiendarum confeſſionum abjudicaverit, eam reddit cauſam, quòd illâ abuterentur. Quòd verò cauſa ſit legitima ſanctus Thomas docet quæſt. citatæ art. IV. ad quintum: *Nec aliqua*, inquit, *injuria ſit Sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, qui conceſſâ ſibi abutitur poteſtate.*

Capitis conclusio, et perioche.

Quicquid in hac epochâ protulimus, ad momenta iſta reducuntur. Alexander IV. ſevere redarguit eos, qui affirmabant Romanum Pontificem & Epiſcopos Fratribus audiendarum confeſſionum copiam facere non poſſe, quin Presbyteri Parochiales aſſentirentur. Cardinales Alexandri veſtigia relegunt & conficiunt articulos qui ab Odone & Chriſtiano Lutetiæ prædicentur. Alexander tamen & Cardinales non meminerunt Lateranenſis Canonis, quo qui damnantur, muniti dicebant, ſine conſenſu Presbyterorum Fratribus dari non poſſe facultatem audiendarum confeſſionum. Bonaventura & Thomas oppoſitum ab adverſariis Lateranenſem Canonem non diſſimulant, eúmque ſibi conciliare nituntur, adductis variis proprii Sacerdotis interpretationibus, quas Alenſis & Albertus jam excogitaverant, ſed in omnem eventum, quibus Sacerdotis proprii nomen impertiri non poſſunt vel nolunt, eos à Pontifice vel Epiſcopis Presbyterorum Coadjutores renunciatos eſſe dicunt. Quomodo rationes adverſariorum diluunt, & tandem ut ſcopum cominus attingant, ad cauſæ ſuæ commodum flectunt auctoritatem Romani Pontificis, quem ſupra Canones & omne jus Eccleſiæ conſtituunt, uterque tamen. licèt aliter Thomas, aliter Bonaventura, pœnitenti ſuadet, ut Presbytero parochiali peccata ſua propter Lateranenſem Canonem confiteatur. Sed hac in re pax & utilitas prætexitur, non neceſſitas.

Annibaldus Cardinalis laudat & ſequitur Magiſtrorum Pariſienſium Decretum, quod capite primo retulimus, & præterea certas quaſdam Decreti illius conditiones ſcitu digniſſimas notat.

Clemens IV. exequitur duo, inprimis damnat eos, qui aſſerunt, neque Romanum, neque alios Antiſtites poſſe ſine Presbyterorum aſſenſu Fratribus audiendarum confeſſionum poteſtatem impertiri: deinde certos quoſdam caſus excipit, qui jure & conſuetudine caventur: ad quos ne Fratres manus extendant, acriter prohibet. Caſus autem præcipuus, qui jure cavetur, Lateranenſi Concilio adſcribendus eſt.

Claromontanus Epiſcopus in Thomæ & Bonaventuræ ſententiam diſcedit, & Sacerdotem proprium æquè ut illi, interpretatur.

Saliſburgenſis Provinciæ Antiſtites revocant confitendi facultatem, quam majores Fratribus conceſſerant.

CAPUT III.

Quid ab anno M. CCLXXX. *ad annum* M. CCXCV. *circa Lateranenſem Canonem, ejúſque materiam acciderit, refertur.*

Martinus IV. cùm primùm Romanam adeptus eſt Eccleſiam, decrevit perficere, quod Clemens IV. inceperat. Ad ſedandas enim controverſias, quæ inter Fratres & Presbyteros parochiales dudum exarſerant, & ad ſanciendam concordiam, quæ cùm inter alia Eccleſiæ membra, tum maximè inter illos vigere debet, [h] conſtitutionem edidit, quæ ſic ſe habet.

„Martinus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis generali Miniſtro & provincialibus Mi„niſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad fructus „uberes, quos in agro Dominico prædicando verbo pariter & exemplo, confeſſiones audien-

[h] *Conſtitutionem*] Quæ habetur non integra in Concilio Bituricenſi anni 1286. integram reperies in Annalibus Eberhardi, qui editi ſunt à Baſnagio in T. 4. Theſauri Monumentorum Eccleſiaſticorum Henrici Caniſii.

„audiendo, & alia virtutum exercitia ſatis ordo veſter & humiles ipſius Ordinis profeſ-
„ſores produxerint hactenus, & in futurum ſperantur, Deo auſpice producturi, atten-
„tæ conſiderationis aciem convertentes, ut Fratres ejuſdem Prædicationis Ordinis, &
„audiendi confeſſiones officia eò liberiùs & efficaciùs exequi valeant, quò certiùs de ip-
„ſorum circa eadem, auctoritate Apoſtolica conſtabit tibi, fili Miniſtro Generali per te:
„vobis verò Provincialibus Miniſtris cum Definitoribus in provincialibus veſtris Capitulis
„congregatis commitrendi auctoritate Apoſtolicâ Fratribus ejuſdem Ordinis in ſacrâ paginâ
„eruditis, examinatis, & approbatis à vobis prædicationis officium audiendi confeſſiones
„abſolvendi confitentes, & injungendi eiſdem pœnitentias ſalutares, etiam Fratribus alias
„idoneis concedendi eiſdem quoque ſæpè fati Ordinis Fratribus, quibus dicta officia per
„vos talirer commiſſa, ſive conceſſa fuerint, quòd eadem liberè valeant exercere, plenam
„damus & concedimus auctoritate præſentium facultatem; diſtrictiùs inhibentes, nequis
„Fratrum ipſius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur,
„ſive etiam committenda, in exercirio aur executione officiorum ipſorum audear quomo-
„dolibet impedire. Volumus autem quòd hi, qui Fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis
„Presbyteris parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno proot Concilium generale ſta-
„tuit, teneantur: Quòdque eidem Fratres eoſdem ad hæc diligenter & efficaciter ſecundum
„datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam
„noſtræ conceſſionis & inhibirionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis
„autem hoc attentare præſumpſerit, &c. Datum apud urbem veterem IV. Idus Januarii,
„Pontificatus noſtri anno primo." Hic annus Martini primus incidit in annum Chriſti
M. CCLXXXI. quo Pontifex Minoribus permittit, ut parochianorum confeſſiones audiant.
Sed ita tamen, ut parochiani ſuis Presbyteris parochialibus ſemel in anno prout Concilium
generale ſtatuit, confiteantur. Hinc igitur Fratribus confitendi datur licentia, inde ſer-
vandus Lateranenſis Canon proponitur.

Quinquennio pòſt Bituricenſe celebratut Concilium, in quo hæc inter cetera ſtatuun-
tur convenienrer ìis quæ Lateranenſe Concilium, Clemens IV. & Martinus IV. de-
creverant.

„Item, *inquit*, ſtatuimus, quòd Presbyteri parochiales admoneant ſuos parochiales pro-
„prios ur ſaltem ſemel in anno de omnibus peccatis ſuis confiteantur eiſdem, & quòd
„nomina ſic confitentium in ſcriptis redigant, quibus in ſeſto Paſchæ viaticum dent, aliis
„autem denegetur contemnentibus confiteri modo prædicto proprio Sacerdoti, aut alii de
„licentiâ ipſius vel Epiſcopi: & ſi anno, quo deceſſerint, confeſſi non fuerint, ut præmit-
„tur, eis ſepultura denegetur Eccleſiaſtica, niſi adeò morte præventi fuerint, quòd poſ-
„ſint legitimè excuſari, & ſigna pœnitentiæ in ipſis apparuerint evidenter. *Infrà*: Præcipi-
„mus eriam ſub pœnâ excommuni ationis univerſis Eccleſiarum Capitulis, quòd habeant in
„vulgari & Latino Conſtirutionem Innocentii III. editam in Concilio generali, quæ inci-
„pir Omnis utriuſque ſexûs, & Conſtitutionem Clementis Papæ, quæ dirigitur FF. Præ-
„dicatoribus, & incipit: Quidam temere ſentientes. Item illam Conſtitutionem Martini,
„quæ dirigitur Frarribus Minoribus, quæ incipit. Ad uberes fructus, & eas diligenter in-
„telligant, & frequenter populo exponant, quam ipſis Prædicatoribus diſtrictè præcipimus
„obſervare. Tenores autem dictarum Conſtitutionum hîc per ordinem inſeruntur: Om-
„nis utriuſque ſexûs fidelis poſt quam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus
„peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confitearur proprio Sacerdoti &c. *Ut ſuprà in*
„*cap.* II.

„Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Frarribus Ordinis
„Prædicatorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: Quidam temerè ſentientes, &c.
„*ut ſuprà.*

„Martinus Epiſcopus ſervus ſetvotum Dei, Dilectis filiis Generali Miniſtro & Provin-
„cialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.
„Ad uberes fructus, &c. *ut ſuprà.*

Hoc autem Concilium, quod ſancitam à Pontificibus inter Fratres & Presbyteros pa-
cem confirmare voluir, diſcordia gravis excepit, ut Eberhardus Ratiſponenſis Archidia-
conus in Annalibus teſtatur ad annum M. CC. LXXXVII. „Eodem, *inquit*, anno mota eſt
„diſcordia inter omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos & totum Clerum Regni
„Franciæ ex unâ parte, & Fratres Prædicatores & Minores ex alterâ, ſuper privilegio
„daro eis à Domino Papa Marrino, cujus tenor talis eſt: Martinus Epiſcopus ſervus ſer-
„vorum Dei, dilectis filiis Miniſtro Generali & Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum
„Minorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad uberes fructus. *Et poſt relatam*
„*Conſtitutionem iſtam, quæ modò relata eſt, ſubjicit:* Dicebant enim ipſi Prædicatores &

„Minores, quòd confeſſi ipſis non tenerentur ſuis Parochialibus Presbyteris eadem pec„cata in numero iterum confiteri: Cujus tamen contrarium Archiepiſcopi & Epiſcopi aſ„ſerebant per idem privilegium, & per Decretalem extra de pœnit. & remiſſ. Omnis „utriuſque ſexûs; Cujus in eodem privilegio mentio facta fuit; Quæ quæſtio per Docto„res, ſeu Magiſtros Theologiæ & Juris Canonici multipliciter fuit Pariſiis diſputata, & „validiſſimis oſtenſum fuit rationibus; præcipuè tamen per Magiſtrum Henricum de Gran„davo, quòd eadem peccata in numero, quæ aliquis confeſſus fuerit Prædicatori vel „Minori vel aliàs privilegiato, teneretur iteratò confiteri ſaltem ſemel in anno ſuo proprio „Sacerdoti; Cujus tamen contrarium cùm fratres multis rationibus niterentur oſtendere, tale „conſilium dederunt Magiſtri & Sapientes Pariſiis à ſcholaribus requiſiti, quòd quandiu „hæc quæſtio eſſet dubia Pariſiis, ubi magis, quàm alibi in mundo eſt copia peritorum, „tamdiu deberent confiteri ſuis Parochialibus Presbyteris, de quorum certâ auctoritate „nulli ſacræ Scripturæ, vel Canonum ſapientes dubitaverunt hactenus; qui in locum „LXXII. diſcipulorum, ſicut Epiſcopi in locum Apoſtolorum certiſſimè ſucceſſerunt. Tan„dem ſuper eâdem quæſtione omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & totus Clerus totius Re„gni Franciæ ſolemnes Nuntios cum aliis viris ſapientibus ad Sedem Apoſtolicam tranſ„miſerunt, & quilibet eorum centeſimam partem omnium redituum & proventuum Ec„cleſiaſticorum contribuit eiſdem Nuntiis pro expenſis: Sed Dominus Nicolaus Papa, „quamvis aſſumptus eſſet de Ordine Minorum Fratrum, eandem quæſtionem pro neutrâ „parte voluit terminare, unde remanet uſque hodie in ſuſpenſo;„ [1] hoc eſt annum MCCXII. qui ſic in Annalibus Eberhardi notatur.

Controverſiæ cujus ſumma eſt: Clemens IV. Bituricenſe Concilium, & Clerus Galliæ univerſus conſtituunt duo: Alterum, Prædicatores & Minores poſſe confeſſiones audire, pœnitentes abſolvere, & ſalutares injungere pœnitentias, ſiquando illis ab Romano aliiſque Epiſcopis permittatur: Altrum, eos, qui Fratribus iis confitentur, teneri adhuc ſemel in anno Presbyteris parochialibus confiteri, idque ut ſatisfiat Canoni, quem Lateranenſis Synodus œcumenica conſtituit. Fratres ſecundum hoc ira vehementer impugnant, ut propter illius deciſionem Clerus Galliæ ad Romanam Eccleſiam recurrere cogatur.

Nunc videndum eſt, quid memoratus ab Eberhardo Henricus Gandavenſis eâ ſuper reſcripſerit. Quæſtionem hanc latè proſequitur in quodlibeto VII. Ex quo quæ ad hiſtoriæ inſtitutum faciunt excerpimus. *Deinde*, inquit, *quærebantur quædam alia pertinentia ad pœnitentiæ Sacramentum.* Et poſt alia, quæſt. XXII.

„Et proponebantur, primò tria pertinentia ad confeſſionem faciendam principaliter: „Deinde alia tria pertinentia principaliter ad ipſa peccata confitenda. Et erant illa tria pri„ma de pluralitate iterationis ipſius actus confitendi. *Et quibuſdam interpoſitis:* Tertium „erat, utrum confeſſi Fratribus Prædicatoribus & Minoribus virtute privilegii ipſorum, te„neantur confiteri iteratò ſuo proprio Sacerdoti peccata, quæ illis fuerint confeſſi.

Deinde quæſt. XXIV. „Circa tertium multiplici genere rationum pro Fratribus argue„batur, quòd confeſſi eis virtute ſui privilegii, non tenentur eadem peccata, quæ fra„tribus ſunt confeſſi, iteratò confiteri proprio Sacerdoti. *Poſt argumenta negantis par„tis propoſita ſubdit:* Dicendum quòd quæſtio iſta juris eſt, & potiùs pertinet ad Juriſtas, „qui vim Papalium reſcriptorum & privilegiorum & clauſularum in ipſis poſitarum ex re„gulis ſuper hoc in jure conſcriptis cognoſci debent, quàm ad Theologos, qui propriè „non debent conſiderare in quæſtionibus juris, niſi quod pertinet ad jus divinum & na„turæ. Verùm quòd in me eſt, quia clauſula illa inſerta privilegio Fratrum, Volumus „autem, &c. tanquam dubia in propoſito eſt ſub forma quæſtionis, & à pluribus dubia „cenſetur. Licèt fortè inſpectâ virtute verborum ipſius privilegii non deberet dubia „cenſeri.

„Dico quòd duplici intentione poteſt reſponderi ad quæſtionem iſtam: Una videlicet „intendendo jus declarare, ſive interpretari: alia verò intendendo in dicto dubio opinio„nem, quæ magis videtur probabilis, ac conſona rationi atque verbis privilegii expone„re, & opinioni contrariæ ſine præjudicio cujuſcunque præferre. Quorum primum præ„ſumptuoſum eſſet, & os in cælum ponere, & ſibi poteſtatem jus interpretandi adſcri„bere, quod ejus ſolius eſt, cujus eſt condere, ut dicitur extrà de ſent. excommunica„tionis, Inter alia, quod nec alicui alii licitum eſt. Secundum verò eſt ſtudioſum ve„ritatem humiliter inveſtigare: quod licitum eſt ſcholaſticis tam Doctoribus, quàm au-

„dito-

[1] *Hoc eſt ad annum* M. CC. XCII.] Nihil ſimile indicatur in Editione Eberhardi jam memoratâ, nec in T. 1. Germanicarum rerum Scriptorum, Marquardi Freheri, ubi Annales Eberhardi vulgati ſunt ſub nomine Henrici Stetonis.

„ditoribus, etiam circa reſcripta Papalia, & etiam circa illa contraria opinari, donec
„ab eo, unde jus prodit, interpretatio quoque procedat, ut manifeſtè exprimitur in illâ
„Decretali; Inter alia, aut expreſſe fuerit eis inhibitum. Nunc ergo quia nondum no-
„bis inhibita ſunt hæc & talia circa dictum privilegium Fratribus conceſſum, licitum eſt
„nobis circa ipſum quoad propoſitam quæſtionem contraria opinari, quouſque in hoc
„quod fortè eſt dubium, certificata ſit Summi Pontificis intentio, quam extunc illiba-
„tam cuſtodiemus, totiſque viribus defendemus. Interim ergo quod nobis certius vi-
„detur, ac tutius tam ex ratione, quàm ex formâ verborum privilegii tenere curabi-
„mus, & hoc non tangendo principaliter quod juris eſt in dictâ quæſtione, ſed quod
„facti eſt circa eam. Non quid facti ad intentionem Domini Papæ, quid ſcilicet ipſe
„intendat per verba privilegii, ſed quid facti quoad meipſum: Quid ſcilicet ergo eſ-
„ſem facturus, ſi ſub prædictâ formâ verborum de audiendo confeſſiones, abſolvendo,
„& pœnitentias injungendo mihi eſſet facta commiſſio, ſive ſimplici verbo à meo Epiſco-
„po, ſive per ſimile privilegium à Summo Pontifice, & quid conſulerem alii, cui tale
„privilegium conceſſum eſt, ſi meum ſuper hoc conſilium affectaret; quem admodum
„nuper ſuper eâdem quæſtione à cœtu plurium Epiſcoporum utpote XIII. quorum
„duo erant Archiepiſcopi, peritum fuit à Collegiis Magiſtrorum Regentium Pariſius in
„Facultatibus Theologiæ & Decretorum, quid ipſi ſentirent. Dico igitur diligenter
„inſpectâ ſecundum mihi datam à Deo induſtriam formâ verborum, ſitu atque Ordi-
„ne clauſularum in dicto privilegio nec non & virtute earum, quòd ſi ptivilegium unum
„tale, quale eſt illud conceſſum Fratribus, mihi eſſet conceſſum à Summo Pontifice,
„non auderem eo uti audiendo confeſſiones, abſolvendo & pœnitentias injungendo, niſi
„exhortando eos, quos audirem ſecundùm gratiam mihi datam à Deo diligenter & ef-
„ficaciter adhoc, ut ſemel in anno ſaltem confiterentur ſuo proprio Sacerdoti omnia pec-
„cata ſua, & hoc tam mihi confeſſa, quàm non confeſſa per totum annum integrum
„perpetrata, cum hoc eos præmonendo, quòd mortaliter peccarent, ſi hoc agere con-
„temnerent, & quòd poteſtatem eos abſolvendi nullo modo haberem, non propter ali-
„quem defectum in me; ſed in ipſis, ſi in confitendo mihi non haberent propoſitum poſt-
„modum confitendi eadem iterato ſuo pioprio Sacerdoti. Unde ſi percipere poſſem
„aliquem non habentem tale propoſitum, nullo modo eum ad confeſſionem reciperem,
„Ad hoc autem ſentiendum me movet, quia quantum apparet mihi & quampluribus aliis,
„ex verbis ipſius privilegii, Summus Pontifex in omnem eventum vult ſtatutum illud,
„Omnis utriuſque ſexûs, conſervari per illam clauſulam, Volumus, inſertam in privile-
„gio nonobſtante licentiâ conceſſâ in priori parte ptivilegii, aliter Papa illam clauſulam
„fruſtra oppoſuiſſet, quod ſtultum eſt credere. Poſtquam autem clarum eſt, quòd ſtatu-
„tum illud in dictâ clauſulâ implicitum tenendum eſt quoquomodo, non poterit reſtare
„de dubio, niſi quomodo tenendum ſit, an ſcilicet ita ut in aliquo ei derogetur per con-
„ceſſionem factam Fratribus per præcedentem clauſulam, ut per hoc confeſſi Fratribus,
„& ſi teneantur confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, prout ſtatuit generale Con-
„cilium, non tamen illa, quæ quis Frattibus confeſſus eſt, ſed aliqua alia, quod inten-
„dunt Fratres, ut tactum eſt in objectis pro eis adductis. An verò ita ut ſtatuto illi in
„nullo derogetur per conceſſionem factam Fratribus, ut ſecundùm hoc confeſſi Fratribus
„teneantur confiteri ſuis Presbyteris ſaltem ſemel in anno omnia peccata ſua totius anni,
„quod intendunt tenere Domini Epiſcopi prædicti, niſi Summus Pontifex ſuper hoc aliud
„declaraverit faciendum: ſecundùm quod publicè erant proteſtati coram Magiſtris Theo-
„logiæ & Decretorum, uno loquente pro omnibus, & omnibus aliis conſentientibus,
„prout replicavit unus Archiepiſcoporum exiſtentium inter eos, nullo contradicente: In
„hoc dubio tali quali, illud proculdubio intelligo, teneo atque ſentio, & ſimiliter aliis
„conſulerem intelligendum, tenendum atque ſentiendum uſque ad declarationem ſaltem
„Summi Pontificis: Quod ex formâ verborum privilegii magis ac veriſimiliùs judicio rec-
„tæ rationis apparet, fuiſſe Summi Pontificis intentionem in condendo ipſum quódque
„regulæ juris Canonici judicant ampliùs fore tenendum, & ſpecialiter cùm aliquod dubi-
„um oritur in privilegio. Nec eſt dubitandum, quin hoc Summus Pontifex velit inte-
„rim teneri, & quin ipſe in ſua declaratione judicaret eſſe tenendum, niſi eſſet aliqua
„alia cauſa, quæ tationabiliter deberet movere animum ejus ad ſtatuendum de novo
„contrarium.

„Dico igitur abſque præjudicio, non videtur mihi eſſe tenendum aliud, quàm quod
„Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi, Duces noſtri & gregis Chriſtiani judicaverunt eſſe
„tenendum, in quo & totum Collegium Decretorum ipſis conſenſit. Intertogatum
„enim quid ipſum ſuper hoc ſentiret, an ſcilicet Epiſcopi non errarent in ſentiendo &

„dicen-

„ dicendo ſe velle tenere & eſſe tenendum, niſi Dominus Papa declararet aliud eſſe te-
„ nendum, quod unus illorum propoſuit pro omnibus, ut dictum eſt. Deliberato con-
„ ſilio reſpondit unus Magiſtrorum dicti Collegii Decretorum pro omnibus ipſos ſentire
„ quòd in hoc nullatenus erraſſent. Erat autem dictum illud Epiſcoporum, prout reco-
„ lo, quoad propoſitum articulum in ſumma tale; Quòd videlicet in prædicto dubio te-
„ nerent, niſi Dominus Papa in eo aliud eſſe tenendum declararet, quòd omnia peccata
„ per totum annum commiſſa quilibet ſubditus tenetur confiteri ſuo proprio Sacerdoti
„ Parochiali, licèt aliqui dicerent eos in hoc erraſſe. Super quo conſulebant Collegia
„ Magiſtrorum in Theologiâ & in Decretis; & reſponderunt Decretiſtæ conſulti concor-
„ diter dicentes eos in hoc nullatenus erraſſe, ut dictum eſt.

„ Quod etiam rationabile quantum intueor mihi viſum eſt, tam ratione acceptâ ex ju-
„ dicio rectæ intelligentiæ, ſecundùm formam verborum privilegii, quàm acceptâ ex re-
„ gulis Canonicis. Ratio accepta ex judicio rectæ intelligentiæ ſecundùm formam ver-
„ borum privilegii hæc eſt. Certum eſt enim ſecundùm jam dicta, quòd per illam clau-
„ ſulam, Volumus autem, &c. inſertam in privilegio Fratrum, Dominus Papa vult con-
„ ſervare Statutum generalis Concilii, Omnis utriuſque ſexûs, &c. & ab omnibus teneri
„ in omnem eventum. Quo ſuppoſito pono caſum & arguo: Si in omnem eventum
„ ſtatutum illud ab omnibus debet teneri nonobſtante privilegio Fratrum: ergo debet
„ obſervari ab illo, qui per totum annum integrum non eſt confeſſus aliquid ſuo proprio
„ Sacerdoti: Si in die Paſchæ ſtatim ante communionem percipiendam verè pœnitet &
„ confitetur integrè omnia peccata ſua Fratri & abſolvitur per ipſum ab omnibus perfec-
„ tè, ita quòd in rei veritate nullum manet peccatum in ipſo, ſed nullo modo poteſt
„ conſervari ab iſto Statutum illud, niſi proprio Sacerdoti Parochiali confiteatur peccata
„ ſua commiſſa infra annum illum, ſi qua commiſit, quia ad illa obligat ſpecialiter, eò
„ quòd ad ſemel confitendùm quolibet anno obligat: ſed per poſitionem iſte non poteſt
„ confiteri aliqua commiſſa infra annum, niſi iterum confiteatur jam confeſſa, quia om-
„ nia ſunt confeſſa: ergo in iſto caſu tenetur iterum confiteri confeſſa, aut ergo aliqua
„ tantum, aut omnia. Et in hoc caſu non ſufficit confiteri aliqua in ſpeciali ex jam
„ commiſſis, & alia in generali, dicendo, quod hæc alia Fratri confeſſus eſt, & ab eo
„ abſolutus, quia ipſum expreſſè Statutum obligat non ſolùm ad confitendum peccata ſua
„ aliqua, ſed omnia, nullum ſpecialiter determinando. Quare non plus, nec minùs
„ obligatur ſic confitens ad confitendum virtute illius Statuti ſuo Sacerdoti ſemel in anno
„ unum peccatorum commiſſorum infra illum annum, quàm aliud, aut alia. Qua ra-
„ tione ergo ille in propoſito caſu tenetur confiteri ſuo Sacerdoti unum ex jam confeſ-
„ ſis, & ſingula alia, aut ergo omnia, aut nullum: ſed non nullum, ut jam oſtenſum
„ eſt, ergo omnia jam confeſſa in hoc caſu tenetur ſuo proprio Sacerdoti iterum confi-
„ teri. *Et poſt alia:*

„ Sunt autem ad idem rationes ex tribus regulis Canonicis, quas in confirmatione
„ ſententiæ ſuæ induxerunt prædicti Domini Epiſcopi: quarum prima eſt, quòd in du-
„ biis maximè ubi verſatur periculum animæ, ſemper tutior via tenenda eſt & conſulen-
„ da. In propoſito autem verſatur periculum animæ, quia ſi intentio Domini Papæ eſt
„ ſecundùm quod videtur prætendere litera ſua in dicto privilegio, quòd confeſſus Fratri
„ iterum teneatur confiteri confeſſa Fratri, tunc periculum eſt illi tranſgreſſionis præcepti,
„ & ita mortalis peccati, ſi illa non confiteatur iterum ſuo proprio Sacerdoti: & ſimili-
„ ter ex parte illius confeſſoris, qui non hortatur ad hoc confeſſum ſibi ſecundùm ad-
„ monitionem à Domino Papa ſibi factam in dicto privilegio, maximè ſi dehortetur di-
„ cendo, quòd non tenetur reverti ad ſuum Sacerdotem ad iterum eadem confitendum.
„ Si verò intentio Domini Papæ fuerit, quòd non tenetur confeſſa Fratri iterum confiteri
„ ſuo Sacerdoti, nullum tamen eſt periculum, ſi eadem illi iterum confiteatur, imò pro-
„ fectus eſt ſecundùm cap. præallegatum; Quem pœnitet, & ſecundùm quod ſuprà ex-
„ poſuimus, & infrà exponemus. Secunda eſt, quia cùm aliquod dubium oritur in pri-
„ vilegio, quouſque fuerit declaratum, recurrendum eſt ad jus commune, & illud obſer-
„ vandum, & ſecundùm illud privilegium interpretandum. Jus autem commune, ad
„ quod in propoſito caſu eſt recurrendum, non eſt niſi illud, quod contentum eſt in illo
„ Satuto; Omnis utriuſque ſexûs: pro quanto ergo dubia eſt dicta clauſula dicti privilegii,
„ niſi aliud ſuper hoc fuerit declaratum, tenendum eſt jus commune illius Statuti, ac
„ ſi nunquam fuiſſet Fratribus conceſſum privilegium. Sic autem tenendo ipſum, omnia
„ confeſſa Fratribus tenetur iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti. Tertia eſt, quòd
„ quandoque dubia ſunt jura partium propter teſtes dubios, vel inſtrumenta dubia, quæ
„ in hoc æquiparantur, ſemper judicandum eſt contra petitorem, extrà de fide inſtrum.

„Inter

„Inter dilectos, quia poſſeſſor ſemper debet manere in ſuâ poſſeſſione, vel quaſi, do-„nec per ſuperiorem ſententiatum fuerit contra ipſum, XVI. quæſt. IV. Volumus. Sed „in propoſito partes ſunt Fratres, & Prælati, Curati ad minus, petitores autem ſunt Fra-„tres, poſſeſſores autem Curati; jura autem partium ſaltem ſunt dubia, quia petitores „non proferunt, niſi inſtrumentum dubium, ut dictum eſt: ergo in propoſito conſervan-„dus eſt, ut Curatus in ſuâ poſſeſſione audiendi in confeſſione peccata totius anni, ſive „confeſſa aliis; ſive non confeſſa omnium Parochianorum ſuorum, & ſententiandum eſt „contra Fratres petitores, quouſque contrarium per ſuperiorem fuerit ſententiatum. *Et „poſt alia:*

„Ad nonum, quòd ſi Statutum illud; Omnis utriuſque ſexûs, ſemper in ſuo robore „maneret, confeſſus ergo Epiſcopo vel Pœnitentiario ejus iteratò deberet confiteri eadem „peccata ſuo proprio Sacerdoti: Dicendum ad hoc quòd omnes habentes juriſdictionem „ordinariam per ordinem ſecundùm ſub & ſuprà, una perſona reputantur & unus Sacer-„dos, & quilibet illorum eſt immediatus Curatus. Papa omnium totius mundi, Epiſcopus „omnium ſuæ Diœceſis, & Sacerdos Parochialis omnium de ſua Parochia, & ideo confeſ-„ſus alicui talium implet Statutum, & confeſſus ſuperiori non tenetur eadem confiteri infe-„riori, nec è converſo. Habentes autem juriſdictionem delegatam, ſi abſolute eis fiat „delegatio, quia ſimpliciter gerunt quoad poteſtatem delegatam ſibi, vicem perſonæ dele-„gantis. confeſſi talibus ea, de quibus habent poteſtatem, ſervant Statutum, nec tenetur „illa alteri confiteri. Si autem aliquibus fuerit juriſdictio abſolvendi delegata cum tali „obligatione, cum quali delegata eſt Fratribus in ſuo privilegio: dico, quòd illi confeſ-„ſi propter hujuſmodi obligationem tenentur confiteri eadem ſuo parochiali Sacerdoti, „aut alicui Superiori, ſeu habenti poteſtatem illius ſibi ſimpliciter abſque aliquâ obligatio-„ne circa confitentem delegatum, ſecundum quod in diſſolutione ſequentis rationis am-„pliùs dicetur. Taliter enim confitentes eiſdem non ſervant Statutum, & ſic illud Statu-„tum generalis Concilii ſemper debet in ſuo robore manere, & manet atque obſervatur „ab omni ſalubriter confitente.

„Ad decimum, quòd confitentes illis, quibus Epiſcopi committunt poteſtatem audien-„di confeſſiones & abſolvendi, non tenentur eadem confiteri proprio Sacerdoti, cùm ta-„men Epiſcopi aut non poſſunt infringere Statutum generale ſuâ commiſſione, aut minùs; „quàm Papa. Confeſſi ergo quibus Papa committit adhuc minus tenentur eadem confi-„teri proprio Sacerdoti. Ad hoc dicendum primò quoad poteſtatem infringendi Statu-„tum per commiſſionem, in hoc ſcilicet, quòd confeſſi illis, quibus facta eſt commiſſio, „non teneantur proprio Sacerdoti parochiali iterum confiteri. Quin enim Papa quoad „hoc ipſum poſſit infringere, non eſt dubium, de quo ut dicit Clemens in privilegio Fra-„trum, proculdubio eſſet erroneum dubitare, an in omnes ſine alicujus conſenſu, imò „etiam invitis quibuſlibet hujuſmodi poſſit concedere poteſtatem, liberè ſcilicet prædican-„di populis, audiendi confeſſiones, abſolvendi pœnitentes, ac pœnitentias injungendi ſa-„lutares, prout præmittitur in illo privilegio. Quamvis enim aliquibus videatur, ſi talis „poteſtas univerſaliter concederetur Fratribus utriuſque Ordinis, quòd hoc eſſet Eccleſi-„aſticum ordinem pervertere, & indirectè uſum clavium à Prælatis ſubtrahere, & po-„pulum ab eorum obedientiâ & juriſdictione retrahere, & quod hoc eſſet variare illud, „quod ordinatum eſt generaliter ad perpetuam Eccleſiæ univerſalis utilitatem contra illud „XXV. quæſt. II. Quæ ad perpetuam, &c. Ubi dicitur, quòd Papa non poteſt contra „generale Eccleſiæ Statutum, nec contra articulos fidei, ſed contra Statutum Eccleſiæ, „quod non eſt ita generale, bene poteſt diſpenſare. Tamen non eſt dubium, quin dic-„tum Statutum, Omnis utriuſque ſexûs, Papa poſſet per ſuam conceſſionem verè & pro-„priè infringere, imò poſſet ipſum revocare, ſicut & ipſe ſtatuit. De Epiſcopis autem „non eſt ita clarum, quòd ſcilicet ſuâ commiſſione poſſint illud infringere de jure com-„muni. Quia tamen de jure communi poſſint aliquibus poteſtatem abſolvendi commit-„tere irrequiſitis Curatis inferioribus, ita, quòd confeſſi illis non teneantur iterum confi-„teri eadem ſuis Curatis, declarat Clemens Papa in dicto privilegio contra quoſdam, „ut dicit, qui temere ſentientes, &c. Cùm ergo Papa, Legati, aut Epiſcopi commit-„tunt ſimpliciter & abſolutè prædicta officia exerceri ſine licentiâ Sacerdotum parochiali-„um, ut propterea confeſſi illis, quibus committunt, non teneantur eadem confiteri pro-„prio Sacerdoti, non infringunt Statutum, ſed potiùs utuntur jure communi eis reſervato „ſecundùm illud Statutum.„ Hæc autem omnia ſatis manifeſta ſunt, nec ullo egent In-terprete.

Ricardus Mediavillanus in quartum diſt. XVII. quæſt. II. „Utrum illi, qui confiten-„tur alicui habenti poteſtatem Epiſcopi, tenentur codem anno confiteri ſuo Presbytero

„Parochiali. *Et poſt alia in Reſponſione:* Præterea Papa in privilegio conceſſo Minoribus „& Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis & Eremitanis ex privilegio ſpeciali no„viter emanato declarando videtur dicere, quòd in illo Statuto, Omnis utriuſque ſexûs, „intelligitur Parochialis Presbyter ille, qui in communi ſic vocatur in hoc quod dicit, „confeſſi Fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris parochialibus confiteri, prout „ſtatuit generale Concilium. Cùm enim dicendo, excludat non Presbyteros & per hoc „quod dicit, ſuis, excludat non habentes juriſdictionem ſuper eos, videtur, quòd per „hoc quod dicit Parochialibus, ibi poneretur pro nullo. Ubicunque enim Papa dicit „aliquid per modum declarationis juris, ſi bullatum eſt, ad omnes ſe extendit, etiam ſi „non ſit inſertum inter alias Decretales. Cùm ergo Epiſcopus non ſit ſuper Statutum, „confeſſi ſibi vel alicui auctoritate ejus, tenentur eodem anno ſuo Curato inferiori ſemel „confiteri. Non autem ſic dicendum de confitentibus Papæ, vel habentibus ejus aucto„ritatem abſolutè, quia Papa eſt ſuper Concilium generale: prima tamen opinio rationa„bilior videtur, ſcilicet confeſſos Fratribus ex auctoritate Epiſcopi non teneri Presbyteris „ſuis confiteri. „ Quæ fuerit Ricardi ſententia ſatis apparet. Ex Ordine Minorum erat, quibus ubi poteſt, ſuffragatur.

Capitis conclusio, et periochb

HUjus epochæ brevitatem magnitudo rerum abundè compenſat. Martinus IV. hinc datam Fratribus confitendi licentiam confirmat: inde Fratribus confeſſos teneri ſemel in anno Presbyteris parochialibus confiteri, prout Concilium generale ſtatuit, declarat.

Bituricenſe Concilium admittit in auctoritatem quicquid Pontifices duo Clemens & Martinus ſuper eadem re decreverant, & hæc eſt inita pacis via, quam Fratres inſiſtere noluerunt.

Inter Fratres & Epiſcopos Galliæ excitatæ ſunt diſceptationes magnæ, quarum momenta præcipua referunt Eberhardus & Henricus Gallicani Epiſcopi, & Pariſienſis Academiæ Facultates duæ Theologiæ & Decretorum eò ſpectabant, ut Lateranenſis Canon obſervaretur convenienter Clementis & Martini Conſtitutionibus, quibus andiendarum confeſſionum poteſtas ipſis Fratribus concedebatur. Fratres omnem movebant lapidem, & machinas adhibebant omnes, ut quæſitas è ſuis privilegiis rationes declinarent. Sed tandem Gallicanus Clerus eò devenit conſilii, ut Romanus adiretur Pontifex, qui concertationibus finem imponeret. Miſſi ſunt Oratores ad Nicolaum IV. qui quamquam eſſet aſſumptus ex Minorum Ordine, intactum opus illud reliquit, & neutram in partem pronunciavit. Hujus modeſtiæ fines tranſiliens Ricardus pronunciat, & niſi pares Romano Pontifici Epiſcopos faciat, pugnare ſecum videtur.

CAPUT IV.

Quid ab anno M. CCXCV. ad annum M. CCCXVII. circa Lateranenſem Canonem, ejuſque materiam acciderit, refertur.

QUAM quæſtionem Nicolaus IV. definire noluit, Bonifacius VIII. definire voluit. Sic autem lib. III. Extravagantium communium loquitur de ſepulturis cap. II. „Super Cathedram præeminentiæ Paſtoralis divinâ diſponente clementia conſtituti, etſi „multis & arduis, quæ in amplum Romanæ Curiæ alveum undique confluunt, quaſi „torrens, prægravemur negotiis, curis excitemur in numeris, cogitationibus plurimis „diſtrahamur, circa idem tamen ferventibus votis intendimus, vacamus inſtantiùs. *Et „quibuſdam interpoſitis:* Scimus enim & ex evidentiâ facti colligimus, quòd nonniſi in „pacis tempore bene colitur pacis auctor, nec ignoramus, quòd diſſenſiones & ſcandala „pravis actibus aditum præparant, rancores & odia ſuſcitant, & illicitis motibus auſum „præbent. Ab olim ſiquidem inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes ac Clericos „Parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi Provincias conſtitutos ex unâ parte, & „Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres ex alterâ (pacis æmulo ſatore zizaniæ „procurante) gravis & periculoſa diſcordia extirit ſuſcitata ſuper Prædicationibus fide„lium populis faciendis, eorum confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eiſ„dem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum ipſorum Eccleſias, ſi„ve loca noſcuntur eligere ſepulturam. Nos autem (pii Patris more laudabili) moleſ„tè ferentes incommoda filiorum, reducentes ad exactæ conſiderationis examen, ac „intra pectoris clauſtra ſollicitè revolventes, quàm ſit plena periculis, quàm onuſta diſpendiis,

„ pendiis; quámque in Divinæ Majeſtatis conſpectu reddatur exoſa diſcordia ſupradicta: „ Et propterea intendentes paternæ ſollicitudinis ſtudio illam prorſus evellere, ac omni- „ modè ſubmovere, nullis unquam futuris temporibus favente Domino ſuſcitandam: „ grandi quoque deſiderio cupientes, ut hujuſmodi negotium, quod potiſſimè inſidet „ cordi noſtro, finem ſalubrem & celerem per Apoſtolicæ ſolertiæ ſtudium conſequatur, „ diligenti cum Fratribus noſtris deliberatione præhabitâ ſuper eo, ad honorem Dei & „ exaltationem Catholicæ fidei, quietum ſtatum partium prædictarum, ac ſalutis anima- „ rum fidelium incrementum, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolicâ ſta- „ tuimus & ordinamus, &c.

„ Statuimus etiam & ordinamus auctoritate prædictâ, ut in ſingulis Civitatibus & „ Diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcuntur, vel in Civitati- „ bus & Diœceſibus locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non habentur, Magiſtri „ Priores, Provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii, & Generales & Provincia- „ les, Miniſtri & Cuſtodes Minorum Ordinum prædictorum ad præſentiam Prælatorum „ eorundem locorum ſe conferant per ſe vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore pu- „ taverint, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum Civitatibus „ & Diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire liberè va- „ leant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundùm Deum expedire cognoverint) pœ- „ nitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere, de li- „ centiâ, gratiâ, & beneplacito eorundem. Ac deinde præfati Magiſtri, Priores, Provin- „ ciales, & Miniſtri Ordinum prædictorum eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, ido- „ neas, vitâ probatas, diſcretas, modeſtas atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & „ officium exequendum, quas ſic ab ipſis electas repreſentent, vel faciant præſentari „ Prælatis, ut de eorum licentiâ, gratiâ & beneplacito in Civitatibus & Diœceſibus eo- „ rundem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones ſibi confiteri volentium audiant, im- „ ponant pœnitentias ſalutares, & beneficium abſolutionis impendant, prout ſuperiùs „ eſt expreſſum, extra Civitates & Diœceſes, in quibus fuerint deputatæ, per quas „ eas volumus, & non per Provincias deputari, confeſſiones nullatenus audituræ. Nu- „ merus autem aſſumendarum perſonarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, „ prout univerſitas Cleri & Populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et „ ſi iidem Prælati petitam licentiam confeſſionum hujuſmodi audiendarum conceſſerint; „ illam præfati Magiſtri, Miniſtri, & alii cum gratiarum recipiant actione, dictæque „ perſonæ ſic electæ commiſſum ſibi officium exequantur. Quod ſi fortè jam dicti Prælati „ quemquam ex dictis Fratribus præſentatis eiſdem ad hujuſmodi officium nollent habe- „ re, vel non ducerent admittendum, eo amoto vel ſubtracto loco ipſius ſimiliter eiſ- „ dem præſentandus Prælatis poſſit & debeat alius ſurrogari. Si verò iidem Prælati „ præfatis Fratribus ad confeſſiones, ut præmittitur, audiendas electis hujuſmodi exhi- „ bere licentiam recuſarint, nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium „ liberè, licitéque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſ- „ dem beneficium abſolutionis impartiri gratioſè concedimus de plenitudine Apoſto- „ licæ poteſtatis. Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſo- „ nis, ſeu Fratribus ipſis ad id taliter deputatis poteſtatem in hoc impendere amplio- „ rem, quàm in eo Curatis vel parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa, ni- „ ſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent „ faciendam.

Inprimis Bonifacius meminit controverſiæ, quæ Epiſcopis & Presbyteris cum Fratri- bus in audiendis confeſſionibus dudum fuerat, & quæ ſuprà ex Eberhardo propoſita eſt; ſed non meminit Lateranenſis Canonis, cujus gratiâ res ipſa in controverſiam & diſceptatio- nem venerat. In ſumma quæſtionem ſuis conceptam verbis non dirimit, quod obſerva- tione ſummâ dignum eſt. Agebatur de Martini IV. Conſtitutione, in qua Pontifex Late- ranenſis Canonis aſſertorem, vindicem, executorem ſe præbet. Hic rhodus, hic ſaltus.

Deinde Antiſtites & Presbyteros hortatur, ut Fratribus confitendi licentiam impertiant, tum niſi velint impertire, impertit ipſe de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Ita tamen ut Fratribus facultatem majorem non impertiat, quàm quæ Presbyteris parochialibus à jure impertitur. Ceterùm major impertiri poſſet, ſi Epiſcopis expedire videretur.

Si quod æqualis Bonifacio VIII. Guillelmus Nangius ad annum M. CCXCVIII. narrat in Chronographiâ, verum eſt, uti verum eſſe credi poteſt, Bonifacius tunc Martini IV. Conſtitutionem ſcripto, aut vivæ vocis oraculo, ut loquuntur, confirmare debuit, vel ſi non confirmavit, præcedens Bonifacii Conſtitutio in confirmationis hujuſmodi ſenſu accepta eſt in Galliâ: ſic enim ſcribit Nangius: *Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus*

*de confeſſionibus audiendis à Papa Bonifacio irritatur, & decernit idem Papa, ut confeſſus eiſdem Fratribus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti.** In MS. Cod. Monaſterii ſancti Germani Pratenſis. Decretum illud cujus meminit, ſi aliud quid ſit ab eo, quod antè obſervavimus nondum ad nos pervenit.

Quoniam verò Bonifacius Conſtitutione ſuâ id conſecutus non eſt, quod putabat conſequi, Benedictus XI. ex Ordine Prædicatorum aſſumptus Conſtitutionem aliam edidit, quæ lib. v. Extravagantium communium ſic ſe babet de privilegiis cap. 1. „Inter cunctas
„ ſollicitudines noſtra, quibus nos Paſtorale premit officium & debitum Apoſtolicæ ſer-
„ vitutis aſtringit, illa debet eſſe præcipua, ut gregi Dominico supernâ diſpoſitione com-
„ miſſo animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax, antiquus ſerpens humani gene-
„ ris inimicus invadat, ejúſque ſanguis de noſtris, quod abſit, clamante Propheta, mani-
„ bus requiratur. Debemus inſuper quantum ex Alto permittur, pacem inſerere, remo-
„ vere ſcandala, jurgiorum amputare materiam, & intelligere ſuper egenum & paupe-
„ rem, quia non in finem oblivio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in fi-
„ nem. Sanè dudum bonæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter quan-
„ dam ſpecialem inter Prælatos, Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos Parochialium Ec-
„ cleſiarum ex parte unâ, & Prædicatorum ac Minorum Ordinum Fratres ex alterâ ſu-
„ per faciendarum prædicationum, audiendarum confeſſionum per eoſdem Fratres, ac
„ de eis relictis, & de funeralibus canonicæ portionis articulis Conſtitutionem edidit,
„ certum his modum imponens, prout in eâdem Conſtitutione pleniùs continetur. Sed
„ pro eâ, quam intendebat, quiete turbatio nata eſt, pro concordiâ ſunt ſuborta
„ diſſidia, & pullulatæ inquietudines pro tranquillitate noſcuntur: Sicque dum anſam
„ ſolviſſe ſe credidit, nodum ligaſſe videtur, & ſeptem uno hydræ amputato capite
„ ſuſcitaſſe. Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates diſcordiam, præſertim dum
„ ab eo quod diu æquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur: nec quare re-
„ cedatur utilitas evidens vel alia cauſa ſubeſt. Ideóque cupientes ut ipſi gregi cura noſtra
„ eò plenior impendatur, quò amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, ſu-
„ per egenum intendentes & pauperem, ac novitatem removentes per eandem Conſtitutio
„ nem inductam, Statuimus de Fratrum noſtrorum concilio, &c. Sed quia multotiens
„ propoſitum verbum Dei audientem à peccato non retrahit, idcircò poſt prædicatio-
„ nem neceſſarium eſt pœnitentiæ Sacramentum, circa quod (niſi articulus neceſſitatis
„ occurrat) Sacerdoti facienda oris confeſſio (prout ſcriptum eſt corde ad juſtitiam cre-
„ ditur, ore autem confeſſio fit ad ſalutem) exigitur: Alias fruſtra eſſet in Sacramento
„ eodem Sacerdotis (qui inter lepram & lepram debet diſcernere (miniſterium inſti-
„ tutum. Electi igitur ab eiſdem Fratribus ad audiendas confeſſiones, & pœnitentias
„ injungendas liberè auctoritate Apoſtolicâ abſque licentia Diœceſanorum & aliorum
„ Prælatorum inferiorum exemptorum & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad
„ confitendum accedunt, audiant eis peccata ſua confiteri volentes, non Religioſos,
„ qui ſecundùm Statuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab
„ eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, abſolvant ipſiſque pœnitentias ſalutares in-
„ jungant intra ſibi deſignatos terminos ad hujuſmodi exercendum officium conſtitu-
„ tos: excommunicationis verò, vel alias ſententias per Prælatos latas contra hoc vel
„ in ejus fraudem, denunciamus irritas & inanes, nec confeſſi ipſis Fratribus pecca-
„ ta illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis Sacerdotibus
„ propriis teneantur (ſicut etiam non tenentur) iterum confiteri, nonobſtante Conſti-
„ tutione generalis Concilii, quæ ſano intellectu (ne ſequatur abſurdum, quòd per
„ pœnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor adhuc ad
„ ſolvendum remaneat obligatus) intelligenda eſt (ut ex ea patet) de illis, qui pecca-
„ ta ſua confiteri aliis neglexerunt. Sed Sacerdotes ipſis taliter confeſſis & abſolu-
„ tis aſtricti ſint miniſtrare Euchariſtiæ & extremæ Unctionis etiam Sacramentum.

„ Super confeſſione autem factâ Fratribus memoratis cùm de confitentis ſolius præjudi-
„ cio (ſi falſum dicat) agatur in judicio animæ, ſeu pœnitentiæ foro, ſtabitur ſimplici
„ verbo illius, qui Sacramenta petit prædicta, & dicit Fratribus ſe confeſſum. Duos ta-
„ men caſus excipimus, ſcilicet ſi Sacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notorie
„ peccatorem. Sed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum vel in fraudem,
„ quia ſi hoc egerit, à delicto tali niſi plenè ſatisfecerit (præterquam in morte) abſol-
„ vi nequeat, nec de illo ad pœnitentiam aliter admittatur.

„Ut autem Diœceſanis honor debitus reſervetur, præcipimus, ut Provinciales Priores Prædi-

* Edidit Dacherius Tomo XI. Spicilegii eodem anno 1672. quo Launoius hoc Opus vulgavit.

,,Prædicatorum, & Miniſtri Minorum Ordinum præfatorum per ſe vel alios verbo vel
,,ſcripto eis ſignificent ſe Fratres ad hujuſmodi confeſſionum audiendarum & pœnitentia-
,,rium injungendarum officium elegiſſe, & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos;
,,nec illorum numerum exprimendo petant humiliter à Diœceſanis eiſdem, quòd iidem
,,electi Fratres, de ipſorum beneplacito & licentiâ dictum poſſint in eorum Civitatibus
,,& Diœceſibus intra eis determioatos fines officium exercere. Quòd ſi denegent vel
,,intra triduum non concedant, extunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eâdem
,,hujuſmodi officium exequantur. Datam verò licentiam per Diœceſanorum mortem
,,nolumus terminari. Per hoc autem non intendimus, quòd ſæpedicti Fratres, qui ad
,,hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis confeſſionibus, & pœni-
,,tentiis injungendis, quàm Parochiales Sacerdotes noſcuntur habere. *Et poſt alia:* Ce-
,,terùm licet (ſicut prædicitut) de neceſſitate oon ſit iterum eadem confiteri peccata,
,,tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, ut eorundem pec-
,,catorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre, diſtrictè injungimus, ut Fratres ipſi
,,confitentes attentè moneant, & in ſuis Prædicationibus exhortentur, quòd ſuis Sacer-
,,dotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum pro-
,,culdubio pertinere. *Et poſt alia:* Hæc autem (dictâ Conſtitutione, quæ incipit ſu-
,,per Cathedram, quam penitus revocamus, aliiſque quibuſcunque Conſtitutionibus ſpe-
,,cialibus & generalibus Statutis, privilegiis, indulgentiis, ſub quacunque formâ verbo-
,,rum conceſſis, etiam ſi de ipſis de verbo ad verbum, vel aliquorum nominibus in
,,noſtris literis oporteret fieri mentionem, conventionibus, pactis, juramentis, ſententiis,
,,conſuetudinibus contrariis nequaquam obſtantibus) inviolabiliter obſervari ſancimus. „
Hæc ille [k] anno M. CCCIV. quo ut ſedendi, ita & vivendi finem fecit.

Privilegii capita ſunt hæc præcipua: Fratres ſine Antiſtitum & Presbyterorum licentiâ confeſſiones audire poſſunt, ſalutares pœnitentias injungere & pœnitentes abſolvere. Vanæ & irritæ declarantur excommunicationes, quibus conttariam ſecuti diſciplinam ab Epiſcopis percelluntur. Confeſſi Fratribus eadem peccata iterum confiteri Sacerdotibus propriis non tenentur. Neque ut iteretur confeſſio, Lateranenſis Canon poſtulat. Fratres tamen ſuadere debent, ut qui apud ſe confeſſi ſunt, Presbyteris Parochialibus iterum confiteantur. Neceſſitatis res non eſt, tantùm profectûs ad virtutem majoris.

Porro autem Benedictus in Conſtitutione ſuâ, mentionem nullam facit controverſiæ, quæ apud Gallos excitata fuerat, & ab Eberhardo Ratiſponenſi memoriæ prodita.

Benedictus Cooſtitutione ſuâ perницioſiorem, quàm Bonifacius diſcordiam excitavit, illam auxit, non ſuſtulit, quemadmodum præ ſe ferebat. Quod Benedicti ſucceſſor Clemens V. cùm in Vieonenſi Concilio videret, Benedicti Conſtiiutionem teſcidit, & reſciſſam à Benedicto Conſtitutionem Bonifacii inſtauravit. Verba ſunt è libri III. Clementinarum tit. VII. de *Sepulturis cap. II. Dudum à Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro infrà ſcripta edita Decretali, Benedictus Papa undecimus prædeceſſor noſter aliam ipſius revocatoriam promulgavit, quæ quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipſius ſperata fructum non attulit, quinimo diſcordiæ, pro quâ ſedanda proceſſerat, fomentum non modicum miniſtravit, nos eam omnino caſſantes, aliam à præfato Bonifacio editam ſacro inſtante & aprobante Concilio innovamus, ſubjicientes tenorem illius, qui dignoſcitur eſſe talis: Bonifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Super cathedram præeminentiæ Paſtoralis divinâ diſponente clementiâ conſtituti*, &c. quæ antè retulimus.

Capitis conclusio, et periochE.

HÆc ætas privilegia tria Romanorum totidem Pontificum, Bonifacii, Benedicti, Clementis repræſentat. In primo Bonifacius ſibi proponir ſedare diſſidium, quod inter Fratres & Epiſcopos, Presbyterôſque Parochiales dudum inteтceſſerat. Nimirum edicit, ut Fratres non priùs Chriſtianorum confeſſiones audiant, quàm audiendi licentiam ab Epiſcopis & Sacerdotibus propriis obtinuerint. Quam ſi tum demum non obtinuerint, hanc ex eo tempore Pontifex ipſe largitur. Hæc ſunt pacis conditiones, quas pax nulla excepit.

[k] *Anno M. CCCIV.*] Anno 1348. defunctum ait Labbeus, & evectum ad ſupremum Eccleſiæ Principatum anno 1334. Quod inauditum videtur, cùm Bernardus de Guidonis, Raynaldus, Papebrothius, Ecchardus & Franciſcus Pagius anno 1304. defunctum tradant; variè tantum opinantes circa mortis diem.

In ſecundo Benedictus id tenrat efficere, quod Bonifacius non effecerat. Hoc autem Benedictus ut aſſequatur, Bonifacii Conſtirutionem reſcindir, & aliam in illius locum ſubſtituit, quâ Frarres eximir ab onere petendæ ab Epiſcopis & Sacerdotibus propriis licentiæ, & declarar eos, qui confitentur Fratribus, Lateranenſis Concilii lege non teneri. Sed quoniam nata ex odio peccatorum verecundia, quam Theologi vocant erubeſcenriam, pœnitentiæ pars eſt maxima, Benedictus ſevere præcipit, ut Fratres eos, quorum confeſſiones audiunt, ad eas coram Sacerdotibus propriis iterandas, non quidem, ut opus neceſſarium, ſed ut valde proficuum exhortentur. Hæ ſunt pacis alterius conditiones, quæ inveteratam auxerunt diſcordiam, tantùm abeſt, ut eam extinxerinr. Conrinuò exacerbantur Epiſcopi & Sacerdotes proprii, ad recuperandæ libertatis cupidiratem exardeſcunt, & Benedicti Conſtiturionem, quâ oppreſſi erant conquerunrur in Viennenſi Concilio, quod ſeptennio pòſt celebratum eſt. Concilii præſes Clemens V. Benedicti Conſtitutionem refigit, & quam Benedictus Conſtirutionem Bonifacii refixerat, eam revocat ac reſumit inſtante & approbante Concilio.

In tertio igitur privilegio ponenda eſt Bonifacii Conſtitutio, quæ Clementi V. & Viennenſis Concilii Patribus tranſcribi merirò poteſt. Sed in his omnibus permirum videri poteſt, nec Clementem, nec Viennenſe Concilium diremiſſe controverſiam, quæ ex Martini IV. Decreto prognata Epiſcopos, Presbyteróſque & Fratres acerrimè inter ſe commiſſos tenuerat in Galliâ, & prælertim Lutetiæ Pariſiorum.

CAPUT V.

Quid ab anno M. CCCXVII. *ad annum* M. CCCL. *circa Lateranenſem Canonem ejuſque materiam acciderit, refertur.*

CIRCA hujus epochæ principium floruit Joannes à Poliaco Pariſienſis Theologus, qui arduam quamdam de Lateranenſi Canone diſputationem inſtituit. Rem totam narrat Joannes XXII. in Conſtitutione, quam anno M. CCCXXI. edidit, & quæ lib. v. Extravagantium Communium de hæreticis ſic refertur cap. II. *Vas electionis Doctor eximius & egregius prædicator, cujus prædicatio mundum docuit univerſum, præſumptuoſam illorum audaciam refrænare ſollicitus, qui prudentia propria innitentes in errores proprios prolabuntur, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ad ſobrietatam ſapere, ſalubri doctrinâ ſuggeſſit, & juxta ſapientis eloquium quiſque ſua prudentia modum ponat. Sanè dudum cùm dilectum filium Magiſtrum Joannem de Poliaco ſacræ Theologiæ Doctorem certis ex cauſis Fratrum noſtrorum conſilio ad noſtram præſentiam vocaviſſemus, fide digna relatio ad noſtrum perduxit auditum, quòd ipſe in quibuſdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum, non ſobriè ſed perperam ſapiebat, infrà ſcriptos articulos periculoſos continentes errores docens publicè in ſuis Prædicationibus & in Scholis. Primò ſiquidem aſtruens, quòd confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, quòd ſtante, Omnis utriuſque ſexus, edicto in Concilio generali Romanus Pontifex non poteſt facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit eſſe parochialem Curatum: Immo nec Deus poſſet hoc facere, quia ut dicebat, implicat contradictionem. Tertiò, quòd Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſiones, immo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut præmittitur, proprium Curatum.*

Nos igitur ſcire volentes ſi ſuggeſta nobis veritatem haberent, articulorum præmiſſorum copiam eidem Magiſtro Joanni fecimus aſſignari, & ad ſui defenſionem plenam audientiam ſibi præbuimus, tam in noſtrâ & Fratrum noſtrorum præſentiâ in Conſiſtorio, quàm aliàs coram aliquibus ex ipſis Fratribus per nos ad hujuſmodi officium deputatis. Verùm licèt præfatus Magiſter dictos articulos & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen ſe paratum credere, & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda eſſe Sedes Apoſtolica definiret. Nos igitur attendentes, quòd prædictorum articulorum aſſertio, prædicatio & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per Prælatos Magiſtros in Theologiâ examinari fecimus diligenter. Nos ipſi etiam cum dictis Fratribus noſtris poſt collationem ſolertem & examinationem ſuper his habitas comperimus præmiſſos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multùm & veritati contrariam continere: Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem Magiſter Joannes veris ſibi rationibus opinioni dudum ſuæ habitæ contrariis demonſtratis, in Conſiſtorio revocavit, aſſerens ſe credere eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe, & dicens ſe neſcire rationibus ſibi factis in-

con-

contrarium reſpondere. Ideóque ne per aſſertionem predicationem & doctrinam hujuſmodi in errorem (quod abſit) anima ſimplicium prolabantur, omnes articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos, & à doctrinâ ſacrâ devios auctoritate Apoſtolicâ condemnamus, & reprobamus de Fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium Catholicum eſſe aſſerentes, ſcilicet, quòd illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti juxta Concilium generale, optantéſque veritatis vias notas eſſe fidelibus cunctis & prædictis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent errores, felicis recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis innitendo, univerſis & ſingulis diſtrictiùs inhibemus, ne quiſque præmiſſos articulos per nos (ut præmittitur) damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum utpotè à Catholicis mentibus reſpuenda tenere audeat, ſeu defenſare quomodolibet, vel docere. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica Scripta præcipiendo mandamus, quatenus univerſis & ſingulis veſtrûm in Civitatibus & Diœceſibus veſtris convocato Clero & populo communiter omnia præmiſſa, & ſingula per vos ſeu alios ſolemniter publicetis. Nos etiam eidem Magiſtro Joanni mandamus, quòd in ſcholis & in ſermone Pariſius prædictos articulos, & contenta in eis tanquam veritati contraria propria vocis oraculo, aſſeveratione conſtanti publicè debeat revocare. Quod ſe facturum dictus Magiſter Joannes efficaciter repromiſit. Datum Avenione VIII. *Calend. Auguſti Pontificatus noſtri anno quinto.*

Hic igitur Joannis Poliaci aſſertiones ſunt tres. Prima, eos, qui confitentur Fratribus, teneri adhuc eadem peccata, quæ iis confeſſi ſunt, Sacerdoti proprio confiteri, etiamſi Fratres generalem audiendarum confeſſionum licentiam habeant. Hæc propoſitio eſt Martini IV. in Conſtitutione *Ad uberes fructus.* Altera, ſtante Lateranenſi Canone, nec Romanum Pontificem, immo nec Deum ipſum poſſe efficere, ut qui Fratribus ſunt confeſſi, non teneantur iterum Presbyteris parochialibus confiteri. Tertia, eundem ſcopum ferit, niſi quòd in eâ Lateranenſis Canonis nulla fiat mentio. Pontifex aſſertiones iſtas condemnat, & veritati contrarias declarat. Joannes verò Poliacus eas revocat, victus objectis rationibus, quas nec refellere nec diluere poteſt.

Æqualis utrique Durandus, ut erat Palatii ſacri Magiſter, aſſertionum diſcuſſioni & condemnationi interſuit, & eam ob cauſam quas rationes proponit, eæ ſunt, ni ſallor, quæ Joanni Poliaco fuerunt objectæ. Sic autem diſputat in quartum diſt. XVII. quæſt. XII. *Utrum neceſſarium ſit confiteri proprio Sacerdoti, & non alii etiam habenti privilegium vel mandatum?*

„Reſponſio. In hac quæſtione non eſt differentia inter audientes confeſſionem ex com„miſſione Epiſcopi, & privilegio Papæ, & in privilegio includitur commiſſio, & ſi qua „eſſet, minùs deberet eſſe dubium de habentibus privilegium Papæ, quàm de habenti„bus ſimplicem commiſſionem Epiſcopi, quia Papa poteſt diſpenſare in ſtatuto juris po„ſitivi, cùm ipſe ſit juris conditor, non ſic autem eſt Epiſcopus, propter quod ſi pro„batur, quòd ex ſolâ commiſſione Epiſcopi poſſit aliquis audire confeſſiones ſine licen„tiâ Curati parœcialis, fortiori ratione probatum erit, quòd ex privilegio Papæ hoc „poſſit fieri. Ad probandum autem primùm probabuntur tres concluſiones per ordinem.

„Prima eſt, quòd Epiſcopus poteſt audire confeſſiones omnium de ſuâ Diœceſi ſine „licentiâ propriorum Curatorum.

„Secunda eſt, hanc poteſtatem poteſt aliis committere. Tertia eſt, quòd non ſo„lùm poteſt eam committere Sacerdotibus ſæcularibus, ſed Monachis & Religioſis. „Propter primum accipiendum eſt, quòd Epiſcopus eſt Ordinarius totius ſuæ Diœceſis, „ut tenetur communiter, & hoc notat Greg. in ſumma ſua de Officio ordinario, & „de ſententia excommunicationis: unde licèt Archiepiſcopus non poſſit ſe intromittere „de ſubditis ſuffraganeorum, niſi in certis caſibus: tamen Epiſcopus de omnibus caſi„bus Diœceſis poteſt ſe intromittere. Ex hoc arguitur ſic; audire confeſſiones non re„quirit, niſi poteſtatem Ordinis & juriſdictionis, ſed Epiſcopus præter poteſtatem Or„dinis, quam recipit in ſuâ conſecratione habet poteſtatem juriſdictionis in toto Epiſco„patu ſuo & ſuper omnes ſubditos Sacerdotis parœcialis, ut ſtatim oſtenſum eſt. Er„go poteſt audire confeſſiones omnium ſubditorum in Epiſcopatu ſuo, imò plus pro „utilitate ſubditorum poteſt prohibere Sacerdotem parœcialem à confeſſionibus audien„dis. Nec mirum, quia etiam poteſt prohibere ipſum ne baptizet. Sicut habetur ex„preſſè XVI. quæſt. I. Can. Cunctis, & ſic patet primum.

„Secundum ſic patet; ſcilicet, quòd Epiſcopi tale officium poſſint committere aliis. „Primò, quia quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ, poſſunt committi aliis, ſicut ex-

„preſſè

„preſſè habetur, extra de officio Ordinarii cap. His quibus. Sed audire conſeſſiones
„competit Epiſcopo ratione juriſdictionis ordinariæ, ſuppoſito, quòd ſit Sacerdos, er-
„go iſtud poteſt committere alii Sacerdoti. Secundò, quia extra, de officio Ordina-
„riorum Cap. Inter cetera jura, datur Epiſcopis ut in cathedralibus Eccleſiis & ceteris
„Collegiis, aſſumant ſibi viros idoneos coadjutores in officio prædicationis, & audientiâ con-
„ſeſſionum. Hoc autem non eſſet, niſi per ſe Epiſcopi poſſunt conſeſſiones audire & aliis
„committere. Quare, &c. Minor patet, quia ex hoc quòd Epiſcopi poſſunt, imo de-
„bent aſſumere coadjutores ad audientiam confeſſionum, clarum eſt, quòd ipſi per ſeip-
„ſos poſſunt, quia qui aſſumit coadjutorem ad aliquid faciendum: ipſe eſt principalis in fa-
„ciendo, & qui aſſumitur, idem poteſt, alioqui fruſtrà aſſumeretur, & ſic patet ſecundum.

„Tertium patet, ſcilicet, quòd Epiſcopi poſſunt hoc committere non ſolùm Sacerdoti-
„bus ſæcularibus, imò Monachis & aliis Religioſis, quamvis hoc quidam negent, propter
„multa jura, quæ habentur XVII. quæſt. III. Cap. placuit & Cap. Interdicimus, in
„quibus expreſſè videtur prohiberi Monachis, ut non audiant conſeſſiones, ſed ſicut ex
„aliis Capitulis patet, illud intelligitur, niſi de licentiâ Epiſcoporum, quia de licentiâ eo-
„rum bene poſſunt, ut habetur eadem cauſa & quæſt. Cap. Ex auctoritate & Cap. Sic
„vive. Et hoc rationabiliter, quia cùm ad audientiam conſeſſionum non requira-
„tur niſi poteſtas Ordinis, & poteſtas Juriſdictionis, quæ dat executionem. Primam au-
„tem habent omnes Sacerdotes æqualiter ex ſuâ ordinatione, ſecundam autem poſſunt ha-
„bere ex Epiſcopi commiſſione, & ſortiori ratione ex commiſſione Papæ & ſic patet,
„quòd auctoritas audiendi confeſſiones poteſt committi Sacerdotibus Religioſis, ſicut ſæcula-
„ribus. Ex quibus concluditur, quòd ſicut Epiſcopus poteſt per ſe, vel per alium excom-
„municare ſubditos Sacerdotum parœcialium eis invitis, ſic poteſt audire conſeſſiones eo-
„rum per ſe vel per alium Curatis invitis, & hoc expreſſè declaratum eſt per Alexandrum
„Papam, quòd de licentiâ & commiſſione Epiſcoporum, Legatorum, Domini Papæ, &
„quorumcunque Ordinariorum licitum eſt Prædicatoribus & Minoribus audire confeſſio-
„nes, inſeriorum aſſenſu minimè requiſito. Ubi etiam mandat idem Papa, quòd qui con-
„trarium pertinaciter aſſeruerit, tanquam contumax & rebellis Eccleſiæ Romanæ ha-
„beatur.

„Et idem confirmatum eſt per Clementem Papam IV. noviſſimè verò Dominus Joan-
„nes Papa XXII. vocato Magiſtro Joanne de Poliaco ſacræ Theologiæ Doctore,
„qui aſſerebat, quòd confeſſi Fratribus Prædicatoribus & Minoribus tenentur eadem
„peccata propriis Curatis paræcialibus iterum confiteri, & datâ ſibi audientiâ in Conſiſto-
„rio, & aliàs coram aliquibus Cardinalibus ad hoc ſpecialiter deputatis cùm dictus Magiſ-
„ter Joannes neſciret reſpondere rationibus contra eum factis, compulit eum revocare
„prædictam opinionem, & damnavit eam ac reprobavit de conſilio Fratrum, determi-
„nans, quòd illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis tenentur eadem pecca-
„ta iterum confiteri, quàm ſi alias illa confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, & man-
„davit banc ſuam determinationem publicare ſolemniter per univerſum mundum, ut patet
„in declaratione per eum ſuper hoc editâ, quæ incipit, Vas electionis. Et confirmantur
„iſta per generalem conſuetudinem Eccleſiæ, quæ eſt maximæ auctoritatis circa Sa-
„cramenta & uſum eorum. Papa enim habet Pœnitentiarios, qui pro nunc ſunt omnes
„Religioſi. Epiſcopi verò babent Pœnitentiarios tam ſæculares, quàm religioſos qui abſol-
„vunt omnes ad ſe venientes ſine licentiâ Sacerdotum parœcialium, non ſolùm de ma-
„joribus retentis à Papa vel ab Epiſcopis, ſed de omnibus quæcunque voluerint confiteri.
„Dicere autem, quòd hæc generalis conſuetudo per univerſum mundum obtenta, &
„per Papam & Prælatos Eccleſiæ approbata ſit pernicioſa, & vergens in periculum anima-
„rum eſt quaſi ſacrilegium.

„Ad primum argumentum in oppoſitum, dicendum, quòd non fit præjudicium ali-
„cui, niſi ſubtrahatur ei, quod eſt in ſavorem ejus introductum. Poteſtas autem au-
„diendi confeſſionem non eſt introducta in ſavorem alicujus Prælati vel Curati, ſed
„in utilitatem plebis & honorem Dei, propter quod ſi Prælatis ſuperioribus videatur
„expedire ad ſalutem plebis, & honorem Dei providendum, quòd hæc auctoritas aliis
„committatur, quàm Sacerdotibus Curatis, non fit eis præjudicium, ſed confertur eis
„adjutorium, niſi illis, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui præ-
„ſunt gregi, non ut paſcant ſpiritualiter, ſed ut paſcantur temporaliter.

„Ad ſecundum dicendum, quòd abſoluti ab illis, qui habent privilegium, vel com-
„miſſionem, ſunt verè abſoluti, nec tenentur iteratò eadem confiteri proprio Sacerdoti non-
„obſtante Conſtitutione; Omnis utriuſque, cui præjudicari poteſt per ſpeciale privilegium,
„quod derogat juri communi, & per ſpecialem commiſſionem Epiſcopi, qui eſt magis
pro-

„proprius Sacerdos, quàm Curatus & ideò ſicut de licentiâ Curati poteſt abſolvi ſubdi-
„tus, ſic à fortiori ratione de licentiâ Epiſcopi ſine licentiâ Curati.

„Ad tertium, de gloſſâ Bernardi dicendum, quòd ejus eſt interpretari privilegium;
„cujus eſt condere. Cùm ergo Papa, qui dedit privilegium interpretatus ſit; quòd au-
„dientes Confeſſionem ex privilegio, vel ex commiſſione ipſorum, verè abſolvunt; nec
„requiritur licentia Sacerdotum. Pro lege enim debet haberi omnis interpretatio, quæ
„eſt in contrarium, & fortè Gloſſator ille non viderat interpretationes Summorum Ponti-
„ficum, & ſecutus eſt pro tunc opinionem ſuam. *Bernardi autem gloſſa ſic ſe habet apud*
„ *Duraudum:* Prædicatores & Minores per privilegium ſibi conceſſum non poſſunt abſolve-
„re ſine licentiâ parœcialium Sacerdotum.

Hîc autem minimè dubitandum eſt, quin auctor attulerit eas rationes omnes, quibus mo-
tus Joannes XXII. Poliacum damnavit & ad palinodiam coëgit.

Joannes Baco in quartum diſt. XVII. quæſt. I. Art. III. § II. „Item ſi iſta verba (*Joannis*
„*XX.*) poſt reſurrectionem dicta operarentur ad exercitium clavium, quando Epiſcopus
„dicit iſta verba Sacerdoti, aut operarentur præbendo materiam, quod non eſt, quia non
„dat ſibi populum, aut æquiparando eum ex parte ſui Sacerdotibus habentibus populum
„ſubjectum; ſicut facit Dominus Papa, cùm concedit religioſis tale privilegium per Cap.
„Super cathedram, cum admiſſione Epiſcopi ſubſequente. Hoc eſt falſum, quia tunc ſtatim
„cùm ſunt ordinati poſſent per diœceſim ordinantis audire confeſſiones & abſolvere ſine li-
„centiâ cujuſcunque Curati, ut poſſunt fratres generale privilegium habentes, nonobſtante
„Cap. Omnis utriuſque, prout definitum eſt per Cap. Vas electionis, ergo.

Jonnes de Annoſis Pariſienſis Theologus in certo quodam tractatu, quem anno M.
CCCXXVII. de hac materiâ lucubravit, Art. I. hæc habet, quæ ſcopum noſtrum maximè fe-
riunt]: „Proprius Sacerdos dicitur propriè, quando dicit convertentiam: Hoc modo Pa-
„pa eſt proprius Sacerdos omnium quantum ad caſus ſibi reſervatos, quia per ſe vel per
„alium tenetur illorum confeſſiones audire, & è contrario illi tenentur ei confiteri: Sed
„quantum ad alios caſus & alia Sacramenta non tenetur eis, nec è contrario. Sic dicendum
„de Epiſcopo, qui quia eſt proprius Sacerdos omnium ſuæ diœceſis, quantum ad caſus ſibi
„reſervatos, & quantum ad duo Sacramenta, quæ ſunt Confirmatio & Ordo: in aliis au-
„tem non eſt proprius Sacerdos. Curatus verò quantum ad omnia alia peccata & Sacra-
„menta eſt proprius Sacerdos, quia obligatus ad illa. Adventitii verò in nullo ſunt proprii
„Sacerdotes pœnitus, quia in nullo tenentur ſubditis, nec è contrario, & in nullo pro tali-
„bus ſunt onerati, nec de eis ſibi aliqua cura committitur. *Deinde ſub finem tractatûs:* Sed
„dicendum eſt ad iſtam rationem, quòd Curato magis incumbit vocare adjutorem ad au-
„diendum Confeſſiones, quàm Papæ vel Epiſcopo, quia Papa & Epiſcopus ſunt deonerati,
„quantum ad curam iſtorum ſingularium: niſi in quodam generali, & in caſibus eis reſerva-
„tis. Curatus verò eſt obligatus expreſſè pro omnibus & ſingulis ſubditis ſuis in ſpeciali, &
„ad reddendum pro ſingulis rationem, ſicut oſtenſum eſt priùs.

„Jam tertiò arguitis: ſic aliàs habuerunt tale vel conſimile reſcriptum: ergo poſſunt nunc
„habere. Dicendum, quòd aliàs habuerunt unum reſcriptum, quod incipiebat, Ad uberes,
„in quo dabatur auctoritas audiendi confeſſiones & à peccatis ſolvendi. Poſtea verò diceba-
„tur ſic: Volumus tamen, quòd Curatis ſuis faciant ſecundùm conſilium illud, Omnis
„utriuſque ſexûs. Tunc illi adventitii dicebant ſe habere intentum ſuum. Acquiſiverunt ſu-
„per hoc conſenſum XVII. Magiſtrorum in Theologiâ cum ſigillis ſuis. Magiſter verò Hen-
„ricus de Gandavo, qui tunc regebat Pariſius, noluit conſentire. Sed hoc ſemper reproba-
„vit, ſicut hæc omnia patent in ſuis quæſtionibus de quolibet. Tunc quidem Prælati majo-
„res, ſcilicet, Archiepiſcopus Remenſis & Epiſcopus Ambianenſis cum pluribus aliis congre-
„gaverunt ſe ſuper hoc Pariſius apud ſanctum Bernardum, & vocaverunt univerſitatem, &
„ego tunc ſcholaris fui cum pluribus aliis ſcholaribus, tunc ipſi cum dicto Magiſtro & plu-
„ribus aliis diffinierunt non valere, & pro ſe & ſibi adhærentibus ad Curiam Romanam pro-
„vocarunt. Videntes hoc illi adventitii ſuperſederunt. Item Papa Benedictus dedit tale vel
„conſimile reſcriptum, & citò poſtea fortè ultione divinâ mortuus, tunc citò poſtea Con-
„cilium Viennenſe totum hoc revocavit: ſicut patet in Conſtitut. Clementis de Sepultu-
„ris, cap. Dudum.

Tu demum auctor iſte tractatum ita concludit, vel eum ita concluſiſſe alius ſcribit:
Anno Domini M. CCCXXVII. *Circa nativitatem Domini tractatus iſte fuit compilatus à Ma-
giſtro Joanne de Annoſis Doctore Theologo, tunc Regente Pariſius in illâ, & ejuſdem anni pri-
mâ die Februarii determinatus ibidem in ſcholis ab eodem: in quâ determinatione plures fue-
runt de omni religione, de omni natione, de omni facultate & rogavit omnes audientes, quòd
ſi in iſto tractatu viderent aliquid erroneum, vel falſum, quod ſibi dicerent infra ſeptem dies,*

& hoc deleret, antequam de ipſo daret copiam. Sed benedictus Deus nec antè nec pòſt ſibi dictum eſt aliquid ſuper hoc reprehenſibile, ideo ipſum tractatum Magiſtris approbantibus omnibus habere volentibus eum publicavit. Hæc ille quibus & Sacerdotem proprium variè deformat, & quidunicuique conveniat, oſtendit. Deinde traditam ab Eberhardo Ratiſponenſi hiſtoriam confirmat, & in quibuſdam nonnihil adſert luminis. Ceterum Joannis Annoſii tractarus MS. aſſervatur in Bibliothecâ Collegii Choletæorum apud Pariſienſem Academiam.

Toletanum Concilium, quod anno Chriſti M. CCCXXXIX. celebratum eſt, Canonem, *Omnis utriuſque ſexûs*, ſic obſervari præcipit: *Cùm nonnulli Rectores Eccleſiarum & eorum Vicarii in obſervando Conſtitutionem generalis Concilii, qua incipit, Omnis utriuſque ſexûs, inveniantur hactenus negligentes plurimum, & remiſſi, ideoque univerſis & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & eorum Vicariis ſub pœnâ excommunicationis præcipiendo mandamus, quatenus dictam conſtitutionem diligenter obſervent, & nihilominus quilibet eorum in ſuâ Parochiâ nomina ſuorum Parochianorum, qui ad annos diſcretionis pervenerint, annuatim in ſcriptis redigant, & illos, qui ſibi vel alteri poteſtatem habenti, de quo conſtet ei, quòd confeſſi fuerint, conſignet, eoſque ad recipiendam Euchariſtiam excitet. Quòd ſi non receperint, niſi* [1] *de conſenſu proprii Sacerdotis abſtineant, nec non & reliqui non confeſſi poſt lapſum anni, ab Eccleſiâ, donec confeſſi fuerint, expellantur, & ſi ſic deceſſerit, Eccleſiaſticâ careant ſepulturâ.* Planum eſt Concilii decretum, niſi quòd in his verbis, *ſibi vel alteri poteſtatem habenti*, nonnullus ſcrupulus hæreat. Nam intelligi poteſt, quòd alter ille vel ab ipſo Eccleſiæ Rectore, de quo fit ſermo, vel à Papa aut Epiſcopo loci poteſtatem habeat. Duo ſunt, quæ videntur verba hæc ad primum duntaxat intelligendi modum flectere, & quòd ſenſus canonis Lateranenſis exponitur, ubi res ſic ſe habet: *Si quis alieno Sacerdoti voluerit juſtâ de cauſâ confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à Sacerdote proprio.* Tum quòd ut parochianus aliquis de conſenſu proprii Sacerdotis ab Euchariſtiâ percipiendâ abſtineat, Sacerdoti proprio vel alteri ab eo poteſtatem habenti debuit confiteri. Nam vix aliter de conſenſu proprii Sacerdotis abſtineret.

Capitis conclusio, et Perioche.

DAMNATUR Joannes Poliacus, qui Lateranenſis Concilii lege nixus & in ſcholis & ad populum dixerat, confeſſos fratribus eâ lege non ſolvi, nec ut ſolvantur, quamdiu ſtabit lex illa, Rom. Pontificem vel Deum ipſum efficere poſſe. Joannes igitur XXII. declarat confeſſos fratribus eâ lege non teneri. Durandus cumulat argumenta, quibus quod fecit Pontifex, rectè factum confirmetur. Eò redeunt pæne omnia, ut Eccleſiaſtici canones ad liberam Romani Pontificis adminiſtrationem pertineant, & diſciplina quælibet illius ſubſit imperio. Id non ſcribit Bacco, ſed diſputatione ſuâ ſupponit. Ad Joannem Annoſium quod attinet, hic novâ quâdam ratione Sacerdotem proprium deſcribit. Nam dicit Romanum Pont. Sacerdotem eſſe proprium quoad reſervatos ſibi caſus, Epiſcopum quoque Sacerdotem eſſe proprium quoad reſervata ſibi crimina duntaxat, ſed Curatum Sacerdotem eſſe proprium quoad cetera: Fratres verò quos adventitios nominat, nullo modo Sacerdotes proprios eſſe: Deinde meminit controverſiæ illius, quam Eberhardus Ratiſponenſis & Henricus Gandavenſis latè perſequuntur, notatque fuiſſe Theologos XVII. qui à Mendicantium partibus ſteterunt, ſed iis Henricum fortiter obſtitiſſe. Tum exponit, quomodo eâ ſuper re complures Epiſcopi & cum primis Remenſis & Ambianenſis, & viri Academici Lutetiæ conventum fecerint & ad Romanam curiam provocaverint, & quomodo datum à Benedicto fratribus privilegium Viennenſis Synodus revocaverit. Tum demum ſubjicitur, Joannis Annoſii tractatum publicè lectum eſſe, & à nemine reprehenſum. Toletana Synodus videtur Sacerdotem proprium ad unicum parochialem Presbyterum inclinare.

CAPUT VI.

Quid ab anno M. CCCL. *ad annum* M. CCCCIX. *Circa Lateranenſem Canonem, ejuſque materiam acciderit, refertur.*

AVENIONE ad annum M. CCCLVII. inter Ricardum Armacanum Archiepiſcopum, & Mendicantes gravis excitata eſt contentio, quam Ricardus ipſe & Rogerius Chonnoe Franciſcanus alternis ſcriptis ſuſtentarunt. Ricardus adverſus Mendicantes orationem habuit, quæ *Curatorum defenſio* nuncupatur. Rogerius adverſus Ricardi orationem tracta-tum

[1] *De Conſenſu*] Lege *de Conſilio.*

tum edidit, qui *defenſio Mendicantium* inſcribitur. Ex utroque Opere, quæ ad cauſam faciunt delibatum imus. Interponetur certa quædam Innocentii VI. Conſtitutio.

Ricardus Orationem coram Innocentio VI. Papa & Cardinalibus, ſic incipit: *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate Joann.* VIII. *Pater ſanctiſſime. In principio mei ſermonis proteſtor, quòd non intendo aliquid aſſerere, aut temerè affirmare, quod fidei obviet Chriſtianæ, aut Doctrinæ Catholicæ; quòd etiam non eſt intentionis deſtructionem, ſeu caſſationem Ordinum mendicantium approbatorum ab Eccleſia, aut à Summis Pontificibus confirmatorum expetere, aut etiam ſuadere. Sed potiùs ſuadebo ipſos Ordines debere reduci ad puritatem ſuæ inſtitutionis primariæ, ſemper Sanctitatis veſtræ correctioni obedire paratus. Et ut ad materiam meam ſtatim deſcendam: ecce Pater ſanctiſſime, accedens Londonis pro mea Eccleſia Armachina quibuſdam negotiis Doctores aliquos ſatis doctos ſuper mendicitate, & mendicatione Chriſti Salvatoris noſtri ex adverſo reperi diſceptantes. Et ſæpius invitatus, ut populo prædicarem, ſeptem aut octo ſermones ibi protuli in vulgari & ſub proteſtatione præſcriptâ in publico, novem concluſiones expreſſi, propter quas & quæ tunc dixi, Fratres ad iſtam ſanctam Sedem licèt frivolè appellarunt.* Et quibuſdam concluſionibus, quas prædicaverat, præmiſſis, quæ ſequuntur, notri ſunt inſtituti.

Octava Concluſio & prima de privilegiorum materia erat iſta, quòd pro confeſſione parochianorum alicujus Eccleſiæ faciendâ cum excluſione loci alterius eligibilior eſt parochialis Eccleſia, quàm Fratrum Oratorium, ſeu ipſorum Eccleſia.

Nona Concluſio erat & ſecunda in iſtâ materia, quòd ad confeſſionem Parochianorum cujuſvis Eccleſiæ uni perſonæ ſingulariter faciendam eligibilior eſt perſona ordinaria, ſeu ordinarii, quàm Fratrum perſona.

„Has Concluſiones, Pater ſanctiſſime, in publicis meis ſermonibus, Scripturis Sacris & rationibus tanquam probabiles ſuaſi ut potui, & in præſenti Deo duce ſuadebo. Et etiam declarabo aliqua graviora, quæ ibi tunc non dixi, ſicut Fratribus ipſis ibi promiſi, adjiciam in præſenti, Sanctitati veſtræ humiliter ſupplicans & devotè, quòd in Concluſionibus prætactis & rationibus, quas ad eas ſuadendas adduxi & adducam, & Fratrum rationibus ex adverſo juſtum judicium adhibeatur, ut ſi Fratrum rationes fuerint fortiores, ſim ego punitus, ſi verò è contrâ ipſi Fratres pro ſcandalis, detractionibus, & conviciis publicè & occultè mihi per eos illatis, ſuper quâ materiâ malo tolerare, quàm agere, legitimè puniantur. Obſervato quoad omnia, quod primò aſſumpſi: Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate.

„Sed quia ſecundùm legem Dei & naturæ commune negotium privato præferri debet, à privilegiorum materiâ, quæ totum Clerum & totum populum Chriſtianum concernit, volo incipere & dico, ut mihi videtur, quòd ſi quæratur quis locus eſt elegibilior pro Confeſſione à parochianis Eccleſiæ ſingulariter faciendâ, videtur mihi quòd ſua parochialis Eccleſia eſt locus eligibior Oratorio Fratrum, ſive ipſorum Eccleſia, quia eſt pro conſcientiâ Parochiani confeſſi hujuſmodi locus ſecurior, & plura vitans incommoda, quàm Fratrum Oratorium. Quòd Parochialis Eccleſia ſi locus ſecurior, ut ſingulatiter ſcilicet cum excluſione cujuſcunque loci alterius ibi fiat confeſſio, quàm Fratrum Eccleſia, patet, quia eſt locus à Deo & lege ejus præceptus. Dicitur enim Deuteronomii cap. XII. Hæc ſunt præcepta & judicia quæ facere debetis. Et citò pòſt, Ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis Tribubus veſtris, ut ponat ſuum nomen tibi & habitet in eo, venietis & offeretis in illo loco holocauſta & victimas veſtras, decimas & primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria primogenita boum & ovium. Et poſtea ſequitur ibidem prohibitivè hoc modo: Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in loco, quem elegit Dominus in unâ Tribuum tuarum offeres hoſtias & facies quæcunque præcipio tibi. Hæc ibi, ubi conſtat, quòd non tantum eſt præceptum, ut in loco electo à Deo (quem Eccleſiam Parochialem juxta verba prædicta debemus intelligere ſeu accipere, in quo debemus accipere cuncta, quæ præcepit Dominus ex Sacramentis) facere debet quiſque, de quibus eſt Confeſſio facienda. Sicut patet Levit. IV. cap. ubi dicitur, quòd quicunque per ignorantiam peccaverit, offeret Sacerdoti, & ipſe orabit pro eo, & dimittetur ei. Sed ecce etiam quòd alia loca quæcunque ſunt à lege prohibita. Certum autem videtur, quòd locus Fratrum non eſt à Deo per legem ſuam ad hæc facienda electus, ſed tantùm à Summis Pontificibus eſt conceſſus. Sed juxta verba præmiſſa eſt de lege prohibitus. Cùm ergo locus præceptus ſit certior loco de lege divinâ prohibito, ac ſolummodo permiſſo aut conceſſo, ſequi videtur, quòd Parochialis Eccleſia eſt locus certior ſive ſecurior ad Confeſſionem Parochianorum ſuorum pandendam, quàm Oratorium Fratrum, ſive eorum Eccleſia. *Et poſt alia*: Item in Parochiali Eccleſiâ Parochianus, ut debet, ritè confeſſus, duplicis obedientiæ meritum ſibi acquirit, ſcilicet meritum obedientiæ,

„quâ paret mandato Dei de Confeſſione pandendâ, & meritum obedientiæ, quâ obedit præ-
„cepto divino de loco ad hoc à Deo electo ſervando. Hoc ſecundo merito obedientiæ caret
„(ut videtur) quiſquis apud Fratres confeſſus, cùm nulla lex Parochiano præcipiat, aut etiam
„illi ſuadeat ut apud Fratres confiteatur, aut ſepulturam habeat. Ergo Parochialis Eccleſia eſt
„Parochianis pro iſtis exercendis locus utilior loco Fratrum. *Infrà*:

Dixi & dico tertiò, quòd Confeſſio facta in Parochiali Eccleſiâ modo prædicto vitat plura incommoda, quàm Confeſſio facta in Fratrum Eccleſiâ. Quoniam ex quo ibi ſunt utilitas amplior & major ſecuritas, è contra ſi omitteretur & fieret Confeſſio ſingulariter, ut ſuprà expreſſi in fratrum Eccleſiâ, tolleretur ſecuritas, ac etiam tollerentur utilitates præmiſſæ. Et hæc ſunt (nemo dubitat) gravia multùm incommoda, ſive diſpendia.

Dixi & dico ſecundò principaliter, ſi quæratur, quæ perſona eſt eligibilior pro Confeſſione Parochiani ſui ſingulariter faciendâ, ſcilicet an perſona Fratris vel Ordinarii ſui perſona? Quod Ordinari perſona eligibilior eſt cenſenda Fratrum perſonis, quia ſecurior & utilior, & quia confeſſio ſibi facta ſingulariter vitat plura incommoda & diſpendia. Dico primò quòd Ordinarii eſt perſona ſecurior, quia eſt (ut in articulo præcedenti ſuaſi) perſona à Deo accepta, & à ſuâ Eccleſiâ de lege communi, & Fratris perſona de lege prohibita. Unde conſequitur, quòd Ordinarii perſona eſt ſecurior. Item perſona Ordinarii eſt Parochianis ſuis perſonis fratrum ampliùs obligata. Unde rationobiliter poteſt de eâ confidere, quòd ſolicitior erit ad providendum eis, quàm Frater, qui eſt ſibi perſona extranea, ſicut perſona medici corporalis eſt ægroto magis carnaliter ſecura, quæ eſt ægroto magis obligata Et poſt alia:

Item quòd perſona Ordinarii ſit Parochiano ſuo ſecurior, aliter ſuadetur: Scilicet quia de ejus perſonâ rationabiliter Parochianus poterit judicare quòd quoad hoc ſcilicet per pœnitentiam congruam & utilem ſibi imponendam pro ſuis peccatis eſt judex ſibi minùs ſuſpectus, ſeu æquior, quoniam quæſtum ſubſidii temporalis per Confeſſionis ſuæ auditionem, in ſuo Ordinario non habet ſupponere aut aliqualiter ſuſpicari. cùm neceſſaria vitæ de lege Dei & ſuæ Eccleſiæ Ordinarii miniſterio ſint annexa, de perſonis verò Fratrum è contrà, quoniam, ut in appellatione, quam contra me fecerunt in Anglia, continetur, ex ſuâ fundatione ad mendicitatem & paupertatem arctiſſimam aſſerunt ſe conſtrictos, nonobſtante in eis facultate audiendi Confeſſiones omnium ſibi confiteri volentium: unde quæſtum relevationis mendicitatis in eis cauſam auditionis Confeſſionis hominis extranei probabiliter Parochianus poterit ſuſpicari, & rationabiliter in animo ſuo ita arguet. Cur iſte mendicus hic meam Confeſſionem audiendo, & à neceſſariis in victu ſibi acquirendis deſiſteret, niſi de me tale ſuffragium expectaret? Unde cùm egeſtas ad peccatum, cujus meditatione indigentia ſuccurratur, impellat, juxta illud Salomonis Proverbiorum XXX. *cap. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, ſed tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum te & dicam: quis eſt Dominus? & egeſtate compulſus furer & perjurem nomen Dei mei. Conſequitur, quòd pro omni genere peccatorum eleemoſynam applicando, quâ poterit ejus mendicitas relevari, velit mihi imponere, & ita non ero ſpiritualiter bene ſanatus. Salvator enim ſuis diſcipulis quærentibus, quare non potuimus ejicere dæmonium illud? Reſpondit. Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur niſi per orationem & jejunium Matth.* XVII. *cap. Ex quo dicto colligitur, quòd ſicut cuicunque morbo corporali diverſo diverſa congruit medicina, ſic ſpirituali morbo cuilibet eſt providenda propria medicina, qualem iſte mendicus circa ſua intentus, ut ſuſpicor, mihi nullatenus miniſtrabit. Confirmatur hæc ratio, quoniam ſatis apparet in facto; quòd iſti Fratres ubique per orbem poſt privilegium de Confeſſionibus audiendis obtentum, Monaſteria pulcherrima & regalia Palatia conſtruxerunt. Cujus rei evidentia ſive cauſa præcipua illa eſt, Confeſſiones audiendi facultas, quoniam antequam illam facultatem haberent, nullatenus talia conſtruere potuerunt.*

Item nunquam auditur, quòd Fratres ad refectionem defectuum Parochialis Eccleſiæ, aut ſtratæ communis, ſed ad pontium reformandos defectus, tales eleemoſynas largiendas confeſſis imponunt: Nec Minores, ut eas Prædicatoribus, aut Prædicatores, ſeu quicunque de aliis Mendicantium Ordinibus, Minoribus largiantur: ſed imponunt cuncta ſibi & ſuo Ordini applicantes. Unde veriſimiliter poterit judicari, quòd quæſtus proprius eſt in cauſâ, quare talis mendicus pro perſonâ extraneâ eſt ita ſolicitus, quòd tempus mendicationis negligit illi extraneo totus intentus.

Item feci adhoc & facio ſemper in præſenti quintam rationem, cujus concluſionem nolebam aſſerere. Dixi tamen in publico & in præſenti dico, quòd rationem illam neſciebam diſſolvere. Concluſio illius rationis eſt iſta, quia quiſquis Parochianus confeſſus Fratribus, Curatis ſuis Ordinariis neglectis, juxta poteſtatem, quam habent, poſt Confeſſionem hujuſmodi remanet in peccato mortali, & à nullo peccato mortali abſolvitur.

„Ad hanc Concluſionem aliqualiter ſuadendam, nitebar unum principium ſuadere: quod etiam

„etiam principium propter Conſtitutionem Joanninam, Vas electionis, volebam adſtruere
„quoniam ibi damnantur de dictis Magiſtri Joannis de Poliaco tres ſubſequentes articuli.

„Primus eſt, quòd conſeſſi Fratribus habentibus licenriam generalem audiendi Confeſſio-
„nes tenentur eadem peccata, quæ Confeſſi fuerunt, irerùm confireri proprio Sacerdoti.

„Secundus articulus eſt, quòſt Stante ſtatuto, Omnis utriuſque ſexûs, ediro in Con-
„cilio generali, Romanus Pontifex non poteſt ſacere, quòd Parochiani non reneantur
„confiteri omnia peccata ſua ſemel in anno ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit parochia-
„lem Curatum, imò nec Deus poteſt hoc facere, quia, ut dicebat, hoc implicat con-
„tradictionem.

„Tertius articulus eſt, quòd Papa non poteſt dare generalem poteſtatem audiendi Con-
„feſſiones, quin teneantur eadem peccata iterum confiteti ſuo proprio Sacerdori, quem di-
„cit, ut præmittitur, parochialem Curatum. Et erat principium ad hoc probandum, quòd
„ſimul poſſint ſtare, & nullatenus repugnat, quòd quiſque Parochianus Fratribus ſit confeſ-
„ſus, & quòd idem Parochianus teneatur ſub præcepto Eccleſiæ omnia ſua ſemel in anno
„ſuo Sacerdori proprio ſive otdinario confiteri.

„Primò iſtud ſuaſi, quia non amplius repugnare videretur confiteri Fratribus, & nihilomi-
„nus obligari ſive teneti ſemel in anno omnia ſua peccata mortalia ſuo ordinario ſive ſuo Sa-
„cerdoti proprio confiteri; intelligendo de Confeſſione quantùm ad id, quod eſt iterabile
„in eadem, cùm ſibi repugnent ſemel aut ſæpiùs apud Fratres offerre, & teneri ſive obliga-
„ri, ut ſemel aut bis ſive ter teneatur in ſuâ Eccleſia Parochiali in anno offerre, eùm unus
„actus ſit iterabilis meritoriè, ſicut alter. Iſta verò duo ultima in nullo ſibi repugnant: Igi-
„tur nec duo prima mutuò ſe impugnant.

„Item nullus ambigir, quin quæcunque duæ propoſitiones affirmativæ ſuper ſimili
„actu iterabili à diverſis perſonis, aut ab eâdem perſonâ pro diverſis locis, ac diver-
„ſis temporibus prolatæ valeant ſimul ſtare: Sicut, quòd iſte Parochianus audiet unam
„Miſſam vel plures apud parochialem Eccleſiam, ſaltem ſemel in menſe, & maximè
„ſi uterque actus ſit meritorius & à Deo acceptus: qualis actus, non dubium, extat Con-
„feſſio. Omnes autem Doctores in illo concordant, quòd actus Confeſſionis eſt itera-
„bilis meritoriè, quantum ad expreſſionem peccarorum & pœnitentiam. Et nos omnes ſæpè
„ſic agimus Deo ut credimus ſic præſtantes obſequium. Nec mirum eſt, quoniam actus ta-
„les iterabiles meritoriè poſſunt cadere ſub præcepto, ut ſuprà expreſſi in principio articuli
„præcedentis: poſſunt igitur Confeſſio facienda Fratri & Confeſſio eorundem peccatorum
„ordinario facienda cadere ſub præcepto. Ihitur multò fortiùs poteſt una Confeſſio ſub præ-
„cepto venite, alterâ liberâ remanente.

*Item Dominus Martinus Papa IV. qui Fratribus Minoribus facultatem audiendi Confeſſio-
nes conceſſit, in ipſius privilegii fine ſic dicit: Volumus autem, quòd hi qui Fratribus confite-
buntur eidem ſuis parochialibus Presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno; prout generale Con-
cilium ſtatuit, nihilominus teneantur, quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaci-
ter ſecundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo, &c. Hæc ibi. Unde iſte
Dominus Papa mandat apertè, quòd nonobſtante Confeſſione facta Fratri, confitens teneatur
juxta Concilii generalis Statutum, eadem peccata ſuo Presbytero Parochiali confiteri. Sed huic
Decreto videtur hæc Conſtitutio Joannina, Vas electionis, juxta ſenſum, quem Fratres de eâ
concipiunt obviare, & populum eo modo informant in publico ſeipſos, ut videtur, & illos dam-
nandos, ſi præmiſſum mandatum Domini Martini ſit fixum, ſicut firmum videtur eſſe jux-
ta rationes. Ideo, Pater ſanctiſſime, ne tantum diſpendium continuetur in populo Chriſtiano,
amore Crucifixi, illa Conſtitutio cum celeritate poſſibili declaretur. Mihi enim videtur, quòd
ita poteſt intelligi, & ſic intelligo. Quòd nullus confeſſus Fratribus tenetur propter defectum
poteſtatis abſolvendi in Fratribus, eadem peccata confiteri ſuo proprio Sacerdi. Cujus contra-
rium Magiſter Joannes de Poliaco intellexiſſe videtur.*

„Item videtur valde mirabile, quâ fronte Fratres audent aſtruere quòd ſimul ſtare
„non poſſunt, ut quis ſit confeſſus Fratribus de ſuis criminibus. & quòd eadem tenea-
„tur ſuo ordinario, ſive ſuo Sacerdoti proprio confiteri: cùm è contrà in ſua Regulâ (ut
„communiter affirmatur) habeant, quòd quicunque in Ordine ipſorum profeſſus ſeu ha-
„bitum ipſorum aſſumens in ſuâ profeſſione, aut in ſuo ingreſſu nonobſtante quacunque
„Confeſſione priori, facta tenetut uni ipſorum omnia ſua crimina confiteri. Cur ei ab-
„negant de nobis poſſe ſervari, quod de ſeipſis obſervatur, videtur mirabile? Item Do-
„minus Benedictus XI. in Conſtitutione ſuâ revocatoriâ Conſtitutionis Bonifacii ſuper Ca-
„thedram, quæ incipit, ſi bene recotdor, Ad perpetuum, Fratribus mandat, quòd
„ipſi hortentur eis confeſſos, quòd eadem ſua peccata confiteantur ſuo proprio Sacer-
„doti. Ipſe ergo ſenſit, ut videtur, quòd una confeſſio obligationem ad alteram omnino

„non tollat. Quoniam ſi inſimul ſtare poſſunt, poteſt alterum præcipi, altero libero rema-
„nente, ut mihi videtur juxta adducta ſuperiùs.

„Item ſanctus Auguſtinus in lib. de verâ & falſâ pœnitentiâ cap. IX. & ſanctus Tho-
„mas, & Bonaventura & alii Doctores & Gloſſatores Catholici ſæpè affirmant, quòd ex-
„pedit eadem peccata ſæpiùs confiteri. Cur igitur illud ſub peccato venire non poſſit
„propter meritum in populo, non video cumulandum. Nam ſicut poſſet ſanctè præcipi
„à Prælato, quòd quilibet Parochianus audiret ſingulis diebus Dominicis duas Miſſas.
„Hoc igirur principio probabiliter ſic ſuaſo nimis dura viditur poſſe inſerri concluſio,
„quòd quiſque Parochianus confeſſus Fratribus, ordinariis ſuis Curatis omiſſis, per to-
„tum annum neglectis, ſpretis, ſive contemptis, eſt contemptor, ſive tranſgreſſor man-
„dati Eccleſiæ contenti in illa Decretali, Omnis utriuſque ſexûs, & per conſequens rela-
„xet: Inſertur ulteriùs, quòd taliter à Fratre confeſſus revertitur cum omnibus pecca-
„tis mortalibus, cum quibus oneratus acceſſit ad fratrem. Et quid iſto intolerabilius
„aut damnoſius poſſit in Eccleſiâ Chriſti accidere? Verè, ſanctiſſime Pater, iſtam ra-
„tionem neſcivi ſolvere, nec ſcio in præſenti diſſolvere. Unde rogavi Londonis iſtos
„Fratres in publico, ut me informarent verbo ſcripto, qualiter poſſem præmiſſam ra-
„tionem diſolvere, ſed illud huc uſque non valui obtinere ab eis. Igitur mihi videtur,
„quòd ex præmiſſis poſſum inferre, quòd perſona Curati ordinarii eſt Parochiano ſecu-
„rior pro Confeſſione pandenda ſingulariter, ſcilicet uni perſonæ, quàm fratris perſona.
„Super quo Pater ſanctiſſime, nolite judicare ſecundùm faciem, ſed rectum judicium
„judicate.

Dico ſecundò & dixi, quòd perſona Ordinarii eſt Parochiano ſuo utilior pro ſuâ Confeſſione pandendâ, quàm Fratris perſona quia eſt perſona à lege Dei & ſua Eccleſia ordinata, atque de mandato Dei ad illud miniſterium explendum exhibita: Frater verò ex ſolâ conceſſione ſive licentiâ Summi Pontificis ad id obtinet facultatem. Nec videtur ambiguum, quin quiſque obſervando, ſive ſequendo præceptum utilius ibi agit, quàm præcepto neglecto ſequendo, ſive obſervando licentiam, cùm ſequendo ſolam licentiam, nullus ob hoc præmium mereatur, & quiſque obſervando præceptum mereatur. Unde conſequitur, quòd utiliùs confiteri poteſt quiſque Parochianus (de curſu communi intelligo) Ordinario ſuo, quàm cuique Fratri. Non tamen nego, quin raro in caſu contrarium poſſit contingere, ſicut cùm Ordinarius ex aliquâ cauſâ certâ redditur ſuo Parochiano ſuſpectus.

Item hoc ſequi videtur, ſicut in priori articulo, quia ſuo Ordinario confitendo habet duplicis obedientiæ meritum, ſcilicet obedientiæ quoad legem Confeſſionis, & etiam quoad legem perſonæ: & confitendo Fratri caret horum meritorum præmio. Secundò cùm non ſit Parochianis præceptum ſive conſultum, quòd Fratribus ſint confeſſi, unde confiteri Ordinario videtur ſibi utilius.

Item perſona Ordinarii eſt ampliùs ſuo Parochiano obligata, quàm Fratris perſona, & amore ſancto, ut quiſque de curſu communi debet ſupponere ampliùs, ut tenetur ex curâ Parochiano magis affecta. Unde videtur, quòd ſollicitior erit ad utilem medicinam ſpiritualem ſibi exhibendam. quàm Frater, cùm ſit ſibi extraneus. Igitur ex illo capite videtur Confeſſio utilior.

Item quia juxta concluſionem immediatè præmiſſam, perſona Ordinarii eſt ad hoc perſona ſecurior. Unde conſequitur, quòd eſt utilior. Item Innocentius in cap. illo Etſi animarum, unam cauſam ad iſtam concluſionem aſſignat. Scilicet quia facilior ad Curatum, quàm ad extraneum habetur acceſſus: Concludens, quòd utiliùs pandenda eſt illi Parochiani Confeſſio, & hæc cauſa ſpecialiter habet locum in cauſâ infirmitatis de nocte, quando non poteſt haberi acceſſus ad Fratrem, nec Fratri ad infirmum, cùm tamen de nocte pateat acceſſus ad Curatum. Ita quòd tunc non obſtante Confeſſione antea factâ Fratri Parochianum oportebit Ordinario confiteri, ubi illi confeſſo multum eſſet expediens, quòd Ordinarius ſuam vitam priorem agnoſceret: Quoniam ſit poſſet ſibi pœnitentiam magis aptam imponere, cùm ſit notum, quòd quantò quiſque ſæpiùs remiſſionem acceperit de peccatis, & quantò peccata antè remiſſa graviora exiſtunt, tantò redditur gravius ſequens delictum. Qualiter ergo eo ſenſu poterit ordinarius Parochiano aptam & congruam pœnitentiam ignorans ſua propria peccata imponere, aut ſaltem tam congruam, ſicuti ſi ejus priorem vitam agnoſceret? Omnino igitur, ut cerno, utilius eſſet confeſſo propter caſus hujuſmodi Ordinario confiteri, quàm fratri.

Item Innocentius ſecundam cauſam adduxit, ſcilicet, quòd in Confeſſione Ordinario facta eſt erubeſcentia amplior, quàm cùm Confeſſio eſt Fratri facta. Quoniam quiſquis ampliùs erubeſcit pandere ſua peccata illi, quem quotidie cernit præſentem, quàm uni extraneo, quem fortaſſis non videt, niſi ſemel in anno. Et poſt alia:

Dico tertiò, ut tunc dixi, quòd Confeſſio facta Ordinario ſingulariter, ut præſcripſi, vitat plura incommoda, ſive diſpendia, quàm facta Fratris perſona. Ubi incipi dilatare materiam,

ſuaden-

ſuadendo, quòd privilegia ea, quæ in Capitulo dudum exprimuntur, fratribus eſſe conceſſa; & etiam alia multiplicia afferunt & inducunt diſpendia: Et per conſequens obſervantia juris communis in illorum privilegiorum materiâ multa vitat incommoda. Dico ergo quòd privilegiorum horum obſervantia, non ſolùm abuſus eorum à fratribus afferunt multa incommoda confeſſis, Curatis, Clero, populo Chriſtiano & fratribus. Dico primò, quòd horum privilegiorum à fratribus plurima incommoda afferunt confeſſis eiſdem, quorum auferunt ſecuritatem prætactam in primâ concluſione hujus articuli. Item utilitates præſcriptas in ſecundâ concluſione hujus articuli, quarum oblatio infert confeſſis fratribus contraria eis incommoda, quæ debent quaſi intolerabilia judicari. Item juxta verba Domini Innocentii IV. ubi ſuprà, alia plurima diſpendia inde provenerunt: Dixit enim hoc modo, Attendentes quòd ex uſurpatione hujuſmodi non tantùm contemptum & indevotionem populi producunt contra proprios Sacerdotes, verùm erubeſcentia, quæ eſt maxima pars pœnitentiæ, tollitur, cùm qui non proprio Sacerdoti, quem habet continuum & præſentem, ſed alieno & aliquando tranſeunti, ad quem difficilis & aliquando impoſſibilis eſt recurſus, ſua crimina confitetur. Ecce incommoda confeſſis tria: Scilicet contemptus proprii Sacerdotis, & indevotio, & ſublatio erubeſcentiæ, quæ maximam pœnitentiæ partem affirmat: Quæ ex Confeſſione factâ fratribus proveniunt & ſequuntur immediatè: quoniam damnabilis etiam eſt oblationum detentio, & periculoſa detractio decimarum. Quæ non (ut quidam mendaciter aſſerunt) velut cerimonialia tranſeunt, ſed ei, à quo recepimus in ſignum dominii reſervari Parochialibus Eccleſiis, indixerunt. Hæc ibi, ubi duo alia damna adjungit: Scilicet detentionem oblationum, quæ ſolent à confitentibus ſæpe ſolvi eis, qui eorum Confeſſionem auſcultant, & fratres eas ſibi appropriant, cùm parochialibus Eccleſiis debeantur, & eſt in fratribus damnabile, ut affirmat. Quæ etiam duo ſunt Curatis damnoſa, quia ea, quæ pro victu eis de lege Dei & ſua Eccleſia providentur, per fratres ratione hujus privilegii ſubtrahuntur. Dicetur enim Num 18. cap. omnia quæ ſanctificantur à filiis Iſrael, tibi tradidi, & filiis tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna. Et ibidem, omnis oblatio & ſacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, aut accedet in Sancta Sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum. Item per uſum horum privilegiorum à fratribus provenit ipſis Curatis unum aliud mirabile diſpendium, ſcilicet, quòd vultus pecorum ſuorum, quorum curam ab Epiſcopo ſuo recipiunt, non cognoſcunt. Hæc & alia Ricardus Armachanus *coram Summo Pontifice Innocentio VI. & dominis Cardinalibus,* [m] *anno Domini* MCCCLVII. *die verò* XIV. *menſis Novembris, Pontificatûs dicti Innocentii VI. anno quinto*, quæ ad inſtitutum noſtrum ſufficiunt. Nunc videndum eſt quid Innocentius VI. auditâ Armachani oratione & querelâ conſtituerit. Non enim tacuit, ſed ita locutus eſt:

„Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus univerſis Archie-
„piſcopis & Epiſcopis in regno Angliæ conſiſtentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedic-
„tionem. Gravem dilectorum filiorum Prædicatorum, Minorum, Heremitarum ſancti
„Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum fratrum querelam accepimus, continentem quòd
„ipſi, tam prætextu quarundam prædicationum in Regno Angliæ per nonnullos contra ſta-
„tum dictorum fratrum, illum de facto depravantium & condemnantium, & non eſſe in
„ſtatu ſalutis falsò aſſerentium, olim factarum, quàm quæſtionis, quæ inter venerabilem
„fratrem noſtrum Richardum Archiepiſcopum Armachanum ex parte unâ, & fratres præ-
„dictos ex alterâ, ſuper nonnullis articulis per partes ipſas hinc inde propoſitis, coram qui-
„buſdam ex venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ex com-
„miſſione noſtrâ apud Sedem Apoſtolicam pendere dinoſcitur in confeſſionibus Chriſti-fi-
„delium audiendis, prædicationibus verbi Dei, & liberâ ſepultura, necnon & eleemoſynis
„eis fieri ab eiſdem fidelibus conſuetis, quas eis facere aſſerunt mendaciter eſſe peccatum,
„contra juſtitiam impediuntur & etiam perturbantur, in ipſorum fratrum præjudicium &
„maximam læſionem. Quare pro ipſorum parte fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut pro-
„videre ipſis ſuper hoc paternâ ſolicitudine curaremus. Nos igitur æquum & congruum
„reputantes, quòd hujuſmodi lite pendente nihil per alterutram partium in ipſarum par-
„tium & litis præjudicium debeat innovari, univerſitatem veſtram monemus & hortamur
„attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus fratres ipſos in prædictis con-
„feſſionibus, prædicationibus & ſepulturis, ac eleemoſynis non impediatis, nec per veſ-
„tros ſubditos impediri etiam permittatis. Per prædicta autem non intendimus liti prædictæ
aliquod

[m] *Anno Domini M. CCCLVII.*] Bulæus Tom. IV. pag. 337. orationis hujus titulum exſcribit quæ extat in MS. San-Victorino. Habita dicitur die 8°. Menſis Novembris anni 1358. Quæ epocha firmatur Innocentii VI. vitâ, à quodam Canonico Eccleſiæ Bunnenſis in Diæceſi Colonienſi, ſcriptâ, quam vitam tranſtulit Baluzius in Tom. 1. Vitarum Paparum Avenionenſium.

„aliquod præjudicium generari ; nec eâ pendente quicquam, ut præmittitur, volumus innovari. Datum Avinione Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno ſexto, qui reſpondet anno Chriſti M. CCCLVIII. Bullam hanc ex originali Regeſto Innocentii VI. deſcripſit [a] Stephanus Baluzius, & mecum humaniſſimè communicavit. Pontifex, ut ex illius verbis conſtat, juris quæſtiones & illam maximè quæ circa Paſchalem ſeu annuam confeſſionem Lateranenſi Canone decretam, & Martini IV. conſtitutione firmatam & Parochiali Presbytero aſſertam verſabatur, diſtulit ac ſuſpendit : judicatu difficilem invenit, non inventurus ſine dubio, ſi à Joanne XXII. illam ad plenum & perfectum deciſam fuiſſe crediđiſſet. Integra reſtabat controverſia ſuis decidenda momentis, quæ ſuo loco exhibuimus. Quæ verò Armachanus coram Pontifice & Cardinalibus, diſſeruit, viſa ſunt illis æquæ & honeſtæ poſtulationis rationem habere contra certa quædam capita conſtitutionis Joannis XXII. aut certè dicatur, cur ſuper juris quæſtionibus Innocentius VI. poſt Joannem XXII. non pronunciaverit, an autem poſtea pronunciaverit me latet.

Succeſſit Rogerius de Chonnoe, qui Armachano reſpondit. Videndum eſt quid reſponderit. Ex præfatione.

„Sanè quando quidem venerabilis Patris & Domini, Sacræque Theologiæ Doctoris famoſi, domini ſcilicet Ricardi Armachani Archiepiſcopi quendam tractatum contra fratres quatuor Ordinum mendicantium ſuper conſtitutione extravagante felicis recordationis Joannis PP. XXII. Vas electionis, liberas Confeſſiones liberè impugnantem, reverendiſſimis Patribus & Dominis meis Dominis Cardinalibus repræſentatum nuper recepi. Ad quem dignatus eſt me rogare quidam venerabilis Pater ac Magiſter, qui me potuit obligare mandato, quod ejuſdem Domini dictis & calumniis pro viribus obviarem.

Ex capite I. „Radicem itaque & principium proceſſûs ponam in diſtinctione multiplici, ne in æquivoco procedatur. Dico igitur inprimis quòd poteſtas ligandi & ſolvendi in ſoro pœnitentiæ duplex eſt, quia quædam eſt poteſtas, quæ confertur ex vi Ordinis Sacerdotalis, vel ordinationis in Sacerdotem. Et hæc poteſtas in omnibus Sacerdotibus eſt æqualis. *Et poſt alia*:

„Alia eſt poteſtas executionis & hæc eſt duplex : quædam enim eſt executionis ſimplicis, ſine qua habens poteſtatem primam neminem ligat vel abſolvit. Et hæc aliquando cum ordine non accipitur, ut puta cùm quis ordinatur ab Epiſcopo, qui renunciavit officio. *Et poſt pauca*: Alia eſt poteſtas juriſdictionis, quæ requirit relationem ſuper plebem aliquam vel perſonam tanquam ſuper materiam, in qua tam prima quàm ſecunda debeat exerceri. Unde ſicut faber vel artifex quicunque non poteſt operari niſi habeat materiam in quâ operetur : Sicut nec Sacerdos poteſt quemquam abſolvere vel ligare niſi ſibi miniſtretur materia ſuprà dicta. Quam materiam ſolus Papa mediatè vel immediatè tribuit Sacerdotibus vel aufert, ſicut ſuæ placuit voluntati, tanquam ille, in quo ſolo eſt hujuſmodi plenitudo poteſtatis. Extra de uſu pallii. Ad honorem.

„Rurſus poteſtas juriſdictionis quædam eſt ordinaria, quæ ſcilicet alicui in officio vel beneficio vel dignitate conſtituto competit ipſo jure. *Et poſt quadam* : Alia eſt extraordinaria ſeu commiſſa. Et hæc duplex : Quia quædam eſt commiſſa, & hæc eſt limitata ſolùm ad arbitrium committentis, & per ſe nullo jure ſuffulta, ſed per accidens, quia fortè jura declarant talium poteſtatem. Et hæc eſt ſimpliciter commiſſa. Et hæc eſt poteſtas alieni Sacerdoti ſuper alterius Parochianum obtentiâ licentiâ proprii Sacerdotis. Extra. de pœnit. & remiſſ. Omnis utriuſque. Alia eſt poteſtas media, quæ ſervatâ formâ in jure ſtatutâ arbitrio committentis ampliùs poterit non reſtringi. Et hæc eſt poteſtas fratrum mendicantium, abſolvendi & ligandi. Extra. de ſepulturis. Dudum.

„Ampliùs confeſſio peccatorum in foro pœnitentiæ duplex eſt : quædam enim eſt extrajudicialis, quæ ſcilicet propter impedimentum concurrens ex parte confitentis, vel Confeſſionem audientis, ſeu ipſius Confeſſionis ſententiam virtute clavium Eccleſiæ abſolutoriam non attingit, & hæc non eſt Sacramentalis, & de iſtâ loquitur beatus Auguſtinus de vera & falſa pœnit. & ponitur quarto ſent. diſt. XVIII. & in can. de pænit. diſt. I. Quem pœnitet, ubi dicitur : Quòd ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo, qui quamvis poteſtatem ſolvendi non habeat, tamen dignus eſt veniâ ex deſiderio Sacerdotis. Et de iſtâ loquitur Capitulum extra. de pœnit. & remiſſ. Quòd quidam. Ubi dicitur, quòd quidam ad Confeſſionem de criminibus veniunt, ſe tamen aſſerunt abſtinere

non

[a] *Stephanus Baluzius.*] De hac Bullâ omninò ſilet in notis ad vitas Paparum Avenionenſium.

„non poſſe: Quorum tamen Confeſſionem Sacerdos debet recipere & conſilium de crimi-
„nibus exhibere, quia licèt non ſit vera eorum pœnitentia, admittenda eſt tamen eorum con-
„feſſio, & crebris & ſalutaribus monitis eſt pœnitentia inducenda. *Et poſt pauca.*

„Alia eſt Confeſſio judicialis, quæ ſcilicet omni remoto impedimento attingit ſenten-
„tiam abſolutionis prædictam, ſicut, & quantum exigit debitum Sacramenti pœnitentiæ,
„diſtincta contra contritionem & ſatisfactionem actu vel affectu ad ſalutem peccatoris poſt-
„quam peccaverit, neceſſariò requiſita, ad abſolutionem & ſuſceptionem ſatisfactionis
„debitæ ordinata. Sicut enim contritio eſt dolor voluntariè aſſumptus pro peccatis cum
„propoſito confitendi & ſatisfaciendi, ſicut patet in Can. diſt. I. per totum. Sic Sacra-
„mentalis Confeſſio eſt peccatorum nuda expreſſio cum propoſito abſolutionem & ſatis-
„factionem ſuſcipiendi, & ideò pœnitens confitens debet iſta petere in Confeſſione, ſi-
„cut illa, ad quæ ordinatur confeſſio. Unde peccator debet ſemper confeſſionem acqui-
„rere quouſque fuerit abſolutus: dum tamen poterit habere copiam idonei Sacerdotis. Et
„de iſtâ Confeſſione loquitur Statutum Concilii generalis, Omnis utriuſque, cùm dicit,
„quòd ſiquis vult confiteri alieno Sacerdoti, petat & obtineat licentiam proprii Sacerdo-
„tis, alioquin alienus illum abſolvere non poteſt, nec ligare. Ex quâ literâ conſtat, quòd
„hæc licentia fruſtra peteretur, ſi confeſſio eſſet valida ſine abſolutione, vel ſi confeſſio Sa-
„cramentalis non includeret in ſe abſolutionem actualem ſi poteſt haberi. *Et poſt alia.*

„Ampliùs licentia generalis audiendi confeſſiones duplex eſt. Quædam eſt generaliſſi-
„ma, quæ non eſt aliud, quàm commiſſio executionis ſimplicis, quam is, cui committi-
„tur, recipit, quando ordinatur in Sacerdotem, vel poſtea à ſuo Prælato recipit illam,
„quam ex aliquo impedimento priùs non habuit. *Et poſt pauca:* Alia eſt generalis, quæ
„ſcilicet eſt commiſſio juriſdictionis ſuper plebem aliquam indiſtinctè, ſicut ſuper mate-
„riam, in quâ ſua poteſtas exerceatur. Et eſt differentia magna inter illam licentiam gene-
„raliſſimam, & hanc generalem, quia virtute ſolius licentiæ generaliſſimæ nullus poterit
„quemquam abſolvere vel ligare propter defectum materiæ: Virtute autem ſecundæ quili-
„bet, qui habet eam, poterit materiam ſibi ſubjectam, prout ſibi ſubjicitur, ſolvere vel liga-
„re. Similiter hæc delaratio ſecunda includit primam. non è converſo.

„Rurſus abſolutio in foro pœnitentiæ duplex eſt, ſcilicet quædam, quam ſolus Deus
„impendit, & Sacerdos à Deo factam oſtendit. Et hæc abſolutio eſt à reatu vel maculâ
„culpæ mortalis, & debito pœnæ vel mortis æternæ, ſicut patet quarto ſent. diſt. XVIII.
„Alia eſt, quam Sacerdos realiter & verè impendit, & non ſolùm impenſam oſtendit,
„de quâ abſolutione qualis ſit, & quid ſolvit in ſequenti Capitulo oſtendetur. *Et poſt alia*:
„Licentia generalis audiendi confeſſiones, de quâ loquitur Conſtitutio, Vas electionis. non
„eſt illa licentia, virtute cujus nullus poteſt quemquam ſibi confeſſum ſolvere vel li-
„gare. Sed de licentiâ generali virtute, cujus abſolutionis beneficium poteſt impendi,
„ſicut prædictum eſt.

Ex Cap. II. „Rurſum ad propoſitum ſpecialiùs deſcendendo pono unam ſuppoſitionem
„tripartitam, videlicet quòd prima pars Statuti, Omnis utriuſque, quæ eſt quòd omnis
„utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſaltem ſemel in anno omnia
„peccata ſua confiteatur ſuo proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat
„propriis viribus adimplere, & ſic ad minus in Paſchâ ſuſcipiat reverenter Euchariſtiæ Sacra-
„mentum. Hæc pars obtinet vim præcepti, quia materia eſt neceſſaria & ſalubris, quòd
„ſine Statuto quilibet confiteri teneretur ex lege, quæ obtinet vim præcepti, & per Statu-
„tum ſolùm limitatur tempus, intra quod quilibet debet confiteri. Supponitur etiam quòd
„ſecunda pars, ſcilicet qui voluerit ex juſtâ cauſâ alieno confiteri Sacerdoti, petat & ob-
„tineat licentiam proprii Sacerdotis, ſit diſpenſatoria ſuper prima parte, quæ aliàs obti-
„net vim præcepti: etiam illud concedit adverſarius in ſui tractatus articulo III. juxta fi-
„nem & in art. V. in reſpon. II. ad Cap. Vas electionis. Supponitur etiam, quòd finis ſe-
„cundæ partis, ſcilicet quòd ſine licentiâ proprii Sacerdotis non poterit ſibi confeſſum
„ſolvere vel ligare, ſit deffinitoria, quòd licentia proprii Sacerdotis ſit ſufficiens, & requi-
„ſita ad hoc, quòd alienus poſſit alterius Parochianum ſolvere vel ligare.

„Amplius iſte terminus, proprius, in Statuto nec Papam, nec Epiſcopos excludit, quo-
„minus ſint proprii Sacerdotes ad mentem Statuti, imò eoſdem æquivalenter verè inclu-
„dit: patet per Joannem Andreæ, in Novellâ eodem titulo, ſemper verbo, nullatenus au-
„diatur, qui dicit, quòd Papa, Epiſcopus proprius, Legatus in Provinciâ, Archipreſ-
„byter Sedis, Presbyter parochialis ſunt proprii Sacerdotes. Hujus etiam oppoſitum eſt
„nimis erroneum, ut patebit.

Ex cap. III. „Ex prædictis igitur ſequi videtur, quòd quamvis in Statuto Concilii ge-
„neralis caveatur ſub præcepto, quòd quilibet Parochianus confiteatur proprio Sacerdoti:

„Tamen quòd quilibet confiteatur proprio Sacerdoti in perſonâ ſuâ, nullatenus eſt præ-
„ceptum: quod ſic probatur. Secunda pars Statuti præſati eſt diſpenſatoria ſuper primâ par-
„te ejuſdem Domini, ſicut patet ex ſecundâ parte quartæ ſuppoſitionis, igitur implens ſe-
„cundam partem ad primam ulteriùs non tenetur, & per conſequens non tenetur confite-
„ri perſonaliter proprio Sacerdoti. Igitur per Statutum nullatenus eſt præceptum. Ex quâ
„concluſione ſequitur, quòd præceptum Statuti ſuper confeſſione Parochianorum ſemel in
„anno facienda eſt disjunctivum, ſcilicet quòd fiat proprio Sacerdoti, vel alteri de licen-
„tiâ proprii Sacerdotis. Sed hic diceret Dominus Armachanus Archiepiſcopus, quòd eſt
„diſtinguendum de licentiâ proprii Sacerdotis, quia ſicut Statutum præſatum, Omnis u-
„triuſque, habet duas partes, quarum prima præcipit confeſſionem ſemel in anno fieri
„proprio Sacerdoti; & alteram, quæ concedit, quòd Parochianus poterit alieno confite-
„ri de licentiâ proprii Sacerdotis quia aliàs non poſſet ab alieno ſolvi vel ligari. *Et poſt*
„*alia*: Contra hanc reſponſionem autem probando hanc concluſionem pro ſecundâ parte,
„ſcilicet, quòd quilibet Sacerdos alienus audiens Confeſſionem Parochiani alieni de quâ-
„cunque licentiâ, virtute cujus licentiæ poteſt illius ſubditum ſolvere vel ligare, fungitur
„in hac parte vice illius, qui ſibi licentiam hanc præconceſſit. *Et poſt alia*: Ultimum
„quod in hoc articulo deducitur, eſt quòd quantum ad materiam confeſſionis per iſtud
„Capitulum, Omnis utriuſque ſexûs, nihil novi juris vel antiqui proprio vel alieno Sacer-
„doti deperditur, vel acquiritur pluſquam antè, ſolo hoc excepto, quòd tempus confeſ-
„ſionis noviter limitatur, probatur ſic: ſolâ hac dictione ſemel in anno poſitâ vel remotâ
„ponitur vel removetur tota differentia.

Ex Cap. IV. „Alii autem qui fuerunt hujus opinionis, exiſtimabant ſicut ab omnibus
„æſtimatur, ſcilicet, quòd ſoli parochiales Sacerdotes ſunt proprii Sacerdotes, de qui-
„bus loquitur Statutum. Et ex hoc concludebant, quòd ſine iſtorum licentiâ nullus ſub-
„ditus eorum à Fratribus abſolvi poterit, vel ligari. Et ideò licentia generalis Papæ fuit
„inſufficiens Fratribus ad hoc, quòd ſolverent vel ligarent. Illud autem motivum in ſuo
„fundamento ſcilicet, quòd ſoli parochiales Presbyteri, vel Curati ſunt Parochianorum
„proprii Sacerdotes, ad mentem Statuti fuit fundamentum Magiſtri Joannis de Poliaco,
„quantum ad errores ſuos ſicut expreſſè patet in Capit. Vas electionis. 2. & 3. cap. ejuſ-
„dem. Et eſt hodie opinio Domini Reverendi contra quem agitur in præſenti, ſicut pa-
„tet in multis locis ſui Tractatûs prædicti, & ſpecialiter in quarto & quinto articulis ejuſ-
„dem, quæ periculoſa eſt nimis, & multorum radix errorum, ſicut probabitur inconti-
„nenti. Ad quod arguitur ſic, quia primò ſequitur, quòd Parochiani committentes tam
„gravia, quòd non poſſunt abſolvi niſi à Papa vel Epiſcopis, vel Pœnitentiariis eorun-
„dem non tenentur ex vi Statuti ejus confiteri Papæ peccata illa, vel Epiſcopis, ſuppoſi-
„to illo, quòd habeant copiam eorundem, quia nullus Parochianus ex vi hujus Statuti
„prædicti tenetur confiteri, niſi proprio Sacerdoti, ſcilicet parochiali Presbytero ſeu
„Curato. Sed ex hypotheſi Papa & Epiſcopi non ſunt hujuſmodi. Igitur nullus Paro-
„chianus, ex vi Statuti tenetur eiſdem confiteri. Quod autem iſtud ſit erroneum patet,
„quia quilibet Parochianus tenetur in Paſchate recipere Euchariſtiæ Sacramentum ſaltem
„ſi non obſter conſilium parochialis Presbyteri vel Curati. Igitur ſi non tenetur confiteri,
„licet ſibi ſine confeſſione & abſolutione graviſſimorum criminum, habitâ tamen copiâ illo-
„rum, qui poſſunt eum abſolvere, recipere Euchariſtiæ Sacramentum, quod non dubitatur
„eſſe erroneum ab aliquo ſanæ mentis.

„Ampliùs ponitur, quòd aliquis Parochianus ſit irretitus peccatis Deo, Papæ & Epiſco-
„pis reſervatis, & nullis aliis mortalibus. Et ſequitur quòd Parochianus irretitus graviſſimis
„criminibus tenetur ex vi Statuti confiteri parochiali Presbytero; qui non poteſt eum abſol-
„vere, & non tenetur ex vi Statuti ea confiteri alicui, qui poteſt eum abſolvere à peccatis.
„Iſtud patet, quoniam quilibet Parochianus tenetur ſemel in anno omnia peccata ſua con-
„fiteri ſuo parochiali Presbytero vel Curato, & nulli alteri tenetur aliquis Parochianus ex
„vi Statuti confiteri. Igitur, &c.

„Ampliùs retento caſu priori ſequitur, quòd Parochianus confeſſus Papæ vel Epiſco-
„po ſuo & abſolutus ab eiſdem tenetur eadem peccata, quæ confeſſus eſt, vel ſuo
„parochiali Presbytero vel Curato iterum confiteri, & hoc ex vi Statuti, & per conſe-
„quens cùm Papa non poteſt aliquem plus privilegiare, quàm ipſemet ſit privilegiatus,
„ſequitur, quòd ſtante illo Statuto non poteſt facere, quòd Parochiani non teneantur con-
„fiteri omnia peccata ſua ſemel in anno ſuo Presbytero parochiali, vel Curato. Et iſte eſt
„error ſuus in ſuâ formâ damnatus in Cap. Vas electionis. Rurſus ſequitur, quòd Papa &
„Epiſcopi non poſſunt ſtante Statuto dare alienis poteſtatem abſolvendi quoſcunque Paro-
„chianos ſibi confeſſos, non obtentâ licentiâ proprii Sacerdotis, id eſt, parochialis Presby-
„teri

„teri vel Curati, quia ſecundùm diffinitionem Concilii generalis nullus habet poteſtatem
„abſolvendi vel ligandi ſibi confeſſum, ſine licentiâ parochialis Presbyteri ſeu Curati. Igi-
„tur ſi Papa vel Epiſcopi darent alienis poteſtatem ut prædicitur, abſolvendi, ipſi deſtrue-
„rent diffinitionem Concilii generalis. Quare ſequitur, quòd non poſſunt ſtante Statuto da-
„re talem poteſtatem Sacerdotibus alienis. Et iſte error fuit in æquivalenti damnatus per
„Alexandrum quartum. Ampliùs ſequitur quòd Papa & Epiſcopi non poſſunt ſtante Sta-
„tuto prædicto quemquam ſolvere vel ligare ſibi confeſſum, ſine licentiâ parochialis
„Presbyteri vel Curati, quia ex hoc quòd non poſſunt hanc poteſtatem dare alienis Sa-
„cerdotibus. *Et poſt alia*:

„Ampliùs ſequitur, quòd Papæ & Epiſcoporum juriſdictio minuitur vel reſtringitur
„per ſubſtitutionem parochialis Presbyteri ſeu Curati, quod non permittit prima ſuppo-
„ſitio cap. 2. & ſpecialiter cùm etiam Concilium generale non poſſit legem præfigere Papæ,
„extra de elect. & electi poteſt. ſignificaſti. Et ſequitur etiam, quòd per hujuſmodi ſubſ-
„titutionem poteſt ejus poteſtas tantùm minui, quòd aliquando ſimpliciter eſſet nulla,
„quod eſt piarum aurium meritò offenſivum. *Et poſt pauca.*

„Tertii fuerunt, qui tenuerunt eundem errorem, ſcilicet, quòd Fratres habentes li-
„centiam generalem audiendi confeſſiones, &c. non poterant ſibi confeſſos ſolvere vel
„ligare, ſine licentiâ proprii Sacerdotis, ex hoc motivo, quòd quamvis Fratres hujuſmo-
„di poſſunt parochianorum audire confeſſiones, & eoſdem abſolvere, quantùm eſt ex
„parte poteſtatis]Fratribus collatæ, ipſi tamen Parochiani non poſſunt eiſdem confiteri ſi-
„ne licentiâ proprii Sacerdotis. Et ideo Fratres non poſſunt eos abſolvere, obſtante impedi-
„mento ex parte confitentium, quamvis nullum ſit impedimentum ex parte poteſtatis Fra-
„trum. Et hujus opinionis eſt iſte Dominus Reverendus in v. Cap. ſui Tractatus in ſecun-
„dâ reſp. ad Cap. Vas elect. ſeu in ſecundâ expoſit. ſeu gloſſ. Cap. ſupradicti. Unde
„in propoſitione, quam coram veſtrâ Reverentiâ fecit, dixit, quòd confeſſi ſic Fratribus
„ſine licentiâ proprii Sacerdotis, & omiſſo per totum annum proprio Sacerdote, à nul-
„lo peccato mortali abſolvuntur, ſed redeunt onerati omnibus peccatis cum quibus ac-
„ceſſerant ad eoſdem: Sed contra iſtud arguitur ſic, quia ſicut fuit dictum in principio,
„poteſtas ligandi & ſolvendi ſibi confeſſos, quam habent Fratres ex generali licentiâ au-
„diendi confeſſiones eis conceſſâ, non eſt ſolùm poteſtas ordinis & executionis nudæ ſed po-
„teſtas juriſdictionis, per quam tribuitur materia, in quo poteſtas ordinis executionis exer-
„ceatur. Ergo conceſſio hujuſmodi poteſtatis eſt conceſſio materiæ. Cùm igitur per ſe ma-
„teria audiendi confeſſiones & abſolvendi ſit peccatum, ſeu peccator ſub ratione quâ pec-
„catum ſuum confitetur, ſequitur, quòd concedens hujuſmodi poteſtatem concedit, quòd
„Parochiani poſſunt eis confiteri.

Et Cap. v. *Amplius Capitulum dudum in Concilio generali Lugdunenſi fuit eodem ſa-
cro inſtante & approbante Concilio innovatum, ſicut patet ex ejuſdem decretalis principio,
in quo hæc licentia audiendi confeſſiones & confeſſos abſolvendi, quam Fratres modò habent,
ſecundùm formam in eâdem expreſſam fuit providè ordinata. Sed ne videar fugere argumen-
ta, reſpondeo ad ſingula. Et primò ad primum, cùm dicitur, quòd hæc negativa, nulli con-
feſſi Fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confeſſiones tenentur eadem peccata,
quæ confeſſi ſunt, iterum confiteri proprio Sacerdoti, non potuit diffiniri tanquam Catholi-
ca, & fidem concernens, eo quòd eſt contingens ut patet. Dico quòd hæc propoſitio, quam
aſſumit, non eſt diffinita in Conſtitutione, Vas electionis. Sed iſta, nulli confeſſi Fratribus ha-
bentibus generalem licentiam magis tenentur eadem peccata eis confeſſa iterum confiteri,
quàm ſi fuiſſent ea confeſſa proprio Sacerdoti, quæ propoſitio non eſt contingens & falſa.
Quare argumentum non prohibet iſtam non poſſe diffiniri, ſicut de facto diffinita eſt. Sed
iſte Dominus ſalva ſuâ reverentiâ accipit propoſitiones literales & impertinentes, ut magis
appareat & decipiat, quàm concludat. Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum Pro-
verb. primo. Et conſimiliter dico quòd affirmativa damnata ad ſenſum iſti negativa oppoſi-
tum in affirmativâ, in illo ſenſu non eſt contingens & vera, ſed in caſibus, quos ponit iſte Do-
minus, eſt falſa. Quare nihil prohibet ipſam damnari, & quando dicit quòd fides Catholica eſt
neceſſaria in omni ſuo articulo; Si intelligatur de neceſſario, prout diſtinguit contra contin-
gens & impoſſibile, ut videtur in propoſito, quia alioquin argumentum æquè eſſet contra eum,
ſicut contra Fratres: Tunc non dubium, quin illud aſſumptum ſit hæreticum. Generale enim
judicium vivorum & mortuorum, & generalis reſurrectio mortuorum nec eſt ſic neceſſaria ne-
ceſſitate abſolutâ: Similiter incarnatio, paſſio, reſurrectio, quas ſancti Patres antiqui Teſtamen-
ti credebant eſſe futuras, non fuerunt neceſſaria, ſed contingentes.* Et poſt alia.

*Ad ſecundum cùm arguitur. Confeſſus Fratri poteſt legitimè obligari ad iterum confiten-
dum eadem peccata proprio Sacerdoti; igitur non eſt contra fidem credere, quòd confeſſi Fratribus*

*teneantur iterum confiteri. Dico quòd accipiendo ſemper propoſitionem in ſenſu prædicto, ſcili-
cet, quòd confeſſus Fratri, &c. plus poteſt legitimè obligari; vel poteſt obligari in caſibus,
in quibus vel eorùm ſimilibus confeſſus proprio Sacerdoti non poteſt ad hoc legitimè obligari.
Aſſumptum eſt falſum, ſicut ſupradictum eſt. Et ſimiliter argumentum non valet, quia con-
cluſio non plus ſequitur ex præmiſſis, quàm ſi diceretur ſic: Virgo non obligata caſtitati po-
teſt legitimè obligari perpetua caſtitati; igitur non eſt contra fidem credere, quòd Virgo non
obligata caſtitati tenetur ad perpetuam caſtitatem, quia antecedens eſt verum & conſequens
falſum, dicente Apoſtolo, quòd ſi Virgo nupſerit, non peccavit,* I *ad Corinth.* VI. *ſimiliter ad
aliud exemplum dicendum eſt. Non enim ſequitur, poteſt eſſe, quòd Sacerdos dicens verba
conſecrationis cum intentione debitâ conſecrandi non conſecrat; ergo non eſt contra fidem
credere, quòd hujuſmodi Sacerdos non conſecrat, quia dubium, quòd antecedens ſit verum ſal-
tem de potentiâ Dei, quæ non eſt obligata Sacramentis, & per conſequens eſt falſum. Similiter
aliud exemplum eſt. Non enim ſequitur, mulier obligata viro poteſt eſſe ſoluta legitimè à viri
poteſtate, ergo non eſt contra fidem credere, quòd mulier obligata viro ſit ſoluta à viri poteſta-
te, quia antecedens eſt verum, & conſequens contra Apoſtolum, ubi ſuprà. Nec argumentum
prædictum poteſt tenere, niſi per hoc medium, non eſt contra fidem aliquid credere, quod poteſt
eſſe verum, quod ſicut notum eſt, ſatis eſt erroneum.*

Ex Cap. VII. „Secundò arguit ſic. Dominus Martinus Papa quartus in fine privilegii
„Fratribus conceſſi adjecit ſic: Volumus autem, quòd hi qui Fratribus confitebuntur eiſ-
„dem, ſuis parochialibus Presbyteris confiteri ſemel in anno, prout generale Concilium
„ſtatuit, nihilominus teneantur, &c. Unde ſequitur, quòd hujus Domini voluntas ſic
„expreſſa tenuit vim præcepti. Igitur confeſſi pro tunc tenebantur eadem peccata,
„quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri. Ad iſtud reſpondeo concedendo, quòd Do-
„minus Papa illa verba adjecit in fine privilegii: Ex quibus verbis nec in formâ ſuâ,
„nec ad intellectum Domini Papæ ſequitur, quòd ipſe voluit confeſſos Fratribus eadem
„peccata parochialibus Presbyteris iterum confiteri: nec ſequitur, quòd ipſi teneban-
„tur iterum confiteri. Tum quia Dominus Papa non dixit, Volumus, quòd hi, qui
„Fratribus confitebuntur eiſdem ſemel eodem anno, & de eiſdem peccatis, quæ con-
„feſſi fuerant, teneantur ſuis Parochialibus Presbyteris iterum confiteri. Tum etiam
„quia adjecit, prout generale Concilium ſtatuit, & conſtat, quòd Concilium generale
„nunquam ſtatuit confeſſionem factam Fratribus vel alienis de licentiâ proprii Sacerdo-
„tis, vel aliunde legitimè factam, quoad eadem peccata, ſeu crimina iterandam; alio-
„qui ſequeretur, quòd confeſſi alienis de quâcunque licentiâ proprii Sacerdotis, & con-
„feſſi Papæ vel Epiſcopis, ſeu Pœnitentiariis eorundem tenerentur eadem peccata iterum
„confiteri. Tum quia illud Statutum non obligat ad confitendum peccata, plenè dimiſ-
„ſa, quia tunc quilibet teneretur ſemel in anno confiteri omnia, quæ fecit à juventute,
„quod eſt falſum. Igitur ex quo Papa verba præmiſſa limitat ad Statutum, ſequitur,
„quòd non intendebat quòd confeſſi Fratribus tenerentur iterum eadem peccata confite-
„ri. Quare non ſequitur concluſio, quam deducit: & ſi dicatur, quòd ſecundùm hanc
„reſponſionem nihil operatur illa adjectio Domini Papæ prædicta, reſpondetur, quòd
„non ſequitur, quia objectio removet errorem, qui poteſt contingere, & qui fortè contin-
„gebat, illis verbis, privilegiis aliis non adjectis. *Et poſt alia.*

„Aliter reſpondetur, quia dato hoc falſo, ſcilicet, quòd tunc confeſſi habentibus li-
„centiam generalem audiendi confeſſiones, tenebantur confeſſa peccata eiſdem iterum
„confiteri tamen non ex hoc ſequitur, quòd modò conſimiliter teneantur, & hoc ideo, quia
„alia eſt licentia generalis, quam nunc habent Fratres, alia, quam tunc habuerunt. Nam
„licentia audiendi confeſſiones, quam nunc habent Fratres, eſt generalis quoad omnes
„Fratres præſentatos & admiſſos. *Et poſt alia.* Item arguit per Dominum Innoc. IV. qui
„fecit quandam Conſtitutionem ſeu Reſcriptum, quod incipit, Etſi animarum, ubi ſic ſcribit
„Fratribus: Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut Parochianos alienos
„diebus dominicis, & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis, ſeu Oratoriis ad
„divina, nec ipſos ſine ſui Sacerdotis licentiâ ad pœnitentiam ullatenus admittatis: Tamen
„ſi quis alieno Sacerdoti juſtâ de cauſâ voluerit confiteri peccata ſua, juxta Statutum Con-
„cilii generalis licentiam primùm poſtulare ac obtinere debeat proprii Sacerdotis, vel ſaltem
„ſibi primò confiteri & accipere beneficium abſolutionis ab eodem. Aliter namque ab ipſo
„abſolvi non poteſt nec ligari & è contra, *& cetera, quæ alibi relata ſunt.*

„Ad iſtud reſpondetur, & dico, quòd hæc omnia per ſucceſſorem ejus Alexandrum
„quartum fuerunt plenariè revocata, tanquam talia, quæ per occupationem, vel feſtinan-
„tiam congruæ deliberationis lineam præteribant, ſicut patet in Bullâ ejuſdem. Nec inſoli-
„tum eſt, nec novum, quòd etiam ſalvâ reverentiâ debitâ & devotâ ſic poterit errare, quia
„cùm

„cùm ibidem dicatur, quòd ſiquis alieno Sacerdoti juſtâ de cauſâ voluerit confiteri, juxta „Statutum Concilii generalis, licentiam obtinere debeat proprii Sacerdotis, vel ſaltem ſibi „primò confiteri & abſolutionis beneficium recipere ab eodem. Hoc ſecundum deſtitui „videtur ratione. Cùm enim Parochianus habeat juſtam cauſam ſe ſubtrahendi à ſuo Sa„cerdote parochiali, quomodo poteſt ſibi confiteri, ſi non poteſt ſuam licentiam, ut confi„teatur alteri, obtinere: quare ſequitur, quòd hoc argumentum ad ſuum propoſitum nihil „facit, & dato quòd Reſcriptum in ſuo robore permaneret, poſſet dici, ſicut in reſponſione ſe„cundâ ad Reſcriptum Domini Martini fuit reſponſum. *Et poſt alia.*

Verumtamen (quod ego ſciam) Fratres nunquam habuerunt de more hoc, quod dicit: habent tamen de more, quòd conſulant eiſdem, quòd confiteantur purè & maximè ſi incurrerint aliquas pœnas & ſententias Juris, à quibus Fratres poſſunt abſolvere omnes volentes ſuo conſortio aggregari. Sic Rogerius Armachano reſpondet. Sic uterque mutuis ſe pugnis affligit, & cauſam quiſque ſuam in apertum campum educit.

Controverſiæ hujus meminit anonymus ſcriptor, qui vitam Innoc. VI. literis mandavit: *Per idem tempus venit Avinionem Dominus Richardus Archiepiſcopus Armachanus in Hiberniâ ſecularis habitûs, magnus & profundus Magiſter in Theologiâ, movitque quæſtionem & litem generaliter contra omnes Ordines mendicantium & eorum ſtatum, tendens finaliter ad ipſorum extirpationem, aut eorum in multis damnationem, pro eo quia ſecundùm eum in multis extendebant falcem ſuam in meſſem alienam, hoc eſt, pluſquam à jure eis permittitur ſeu conceditur de pertinentibus ad Eccleſias parochiales, earumque Rectores ſibi uſurpando, duravitque quæſtio hujuſmodi per aliquod tempus, ſed tamen* ° *indeciſa remanſit propter obitum ſuum qui ſupervenit, de quo dicti Fratres potiùs* P *de gaudeamus, quàm de requiem cantaverunt.*

Marſilius Inguen Pariſ. Theologus in quartum ſent. quæſt. XII. Art. 1. *Reſpondetur ad primum, quòd proprius Sacerdos poſſet dici dupliciter, uno modo, prout proprium diſtinguitur contra commune, & ſic ſumitur in concluſione, quia non eſt neceſſe. ſic habere proprium Sacerdotem, cùm omnis Curatus Sacerdos ſit communis omnibus de ſuâ Curâ: Secundo modo proprius Sacerdos dicitur. quòd non eſt alienus, & tales proprii Sacerdotes reſpectu omnium hominum ſunt duplices: quidam ordinario jure Eccleſiæ, qui ſunt triplices, vel ut in quibuſdam quadruplices. ſcilicet Curatus, Epiſcopus, & Papa, vel etiam in quibuſdam poſt Epiſcopum, Archiepiſcopus, quorum nullus eſt alienus reſpectu ſibi commiſſorum: alii dicuntur proprii Sacerdotes jure delegato, ut ſi aliquis iſtorum ſimpliciter, vel ad tempus alteri Sacerdotum reſpectu ſui ſubditi ſuas vices committat. Ille jure ſubdelegationis vel ſimpliciter vel ad tempus ſubdito ſit proprius Sacerdos, eo quòd ei non ſit tunc alienus, poſtquam ſic illi vices per eum, qui poteſt, commiſſa fuerint.*

Illo præmiſſo reſpondetur ad primum, quòd Religioſi ſuper hoc privilegiati, juxta formam traditam in dicto Cap. Dudum, ſunt proprii Sacerdotes, eo quòd Papa, qui eſt omnibus proprius Sacerdos eos vice ſuâ inſtituit, & eam, quam habent Curati, eis dedit facultatem abſolvendi. & ideo non eſt contra concluſionem, quòd tales efficiantur proprii Sacerdotes privilegio eis per Dominum Apoſtolicum aſſignato. Sed ſurgunt dubia, nunquid poſſunt Curati prohibere ſuis ſubditis, ne confiteantur Religioſis ſic privilegiatis: & videtur, quòd ſic, quia aliàs non eſſent eis ſubditi. Secundò nunquid confitentes Religioſis iterum eadem peccata ſua tenentur confiteri ſuo Curato, & videtur quòd ſic, quia cuilibet Curato dictum eſt, agnoſce vultum, id eſt, conſcientiam pecoris tui, id eſt, tui ſubditi, Proverb. XXVII. *Quomodo ſubditus ei oſtendat ſaltem ſemel totum ſtatum vitæ ſuæ. Sed oppoſitum videtur. Quomodo enim valeret prima abſolutio, ſi iteranda eſſet confeſſio. Reſpondetur probabiliter ad primum ſub correctione meliùs intelligentium, quòd non poſſint Sacerdotes prohibere ſuis ſubditis, ne talibus confiteantur. Et ratio eſt, quia quod ſuperior concedit, inferior non habet impedire, modò Papa Religioſos in hoc privilegiaverit, ergo Sacerdotes hoc impedire non poſſunt. Unde ſicut Sacerdos non debet nec valet impedire, ne confiteantur Epiſcopo vel Papæ, ſeu alicujus ipſorum pœnitentiario deputato; ita non poteſt impedire, quin iſti, quibus Papa ſic conceſſit poteſtatem, ſervatis formulis Capitis Dudum, & Conſtitutionis*

 Super

° *Indeciſa remanſit*] Rectè obſervavit Cicero, *inquit Baluzius pag.* 951. *Tom.* 1. *Vit. Pap. Avenionenſ.* nervos belli eſſe pecuniam. Primò Armachanus habuit ſubſidium à Clero Anglicano, ut docet Henricus de Knyghton pag. 2615. ſed poſtea *Clero Anglicano ſibi ſubtrahente promiſſa*, ut ait Vualſinghamus, *& exuberante in Curiâ, Fratrum ſacie magnâ pecuniâ.* cedere coactus eſt. Quam narrationem refutat Odo. Raynaldus ann. 1321. num. 37.

P *De Gaudeamus quàm de requiem.*] Locus eſt, *inquit ibidem Baluzius* elegantiæ non vulgaris. Alludit auctor ad duas Miſſas quarom frequens eſt uſus in Eccleſiâ. Prima earum dicitur in feſtis Sanctorum ſolemnibus & ſic incipit. *Gaudeamus omnes in Domino Diem feſtum celebrantes.* Altera pro mortuis celebratur & incipit. *Requiem æternam dona eis Domine.* ait ergo Fratres id eſt religioſos mendicantes cum pro Richardo mortuo cantare debuiſſent miſſam de *Requiem*, quo illi requiem ſempiternam precarentur, cantaſſe *de Gaudeamus* quia gaudebant de morte ejus.

Super Cathedram, poſſint confitentes audire & abſolvere, & ideo non habet ſubditos ſuos de hoc prohibere: nec ſequitur, quòd ergo non ſint ei ſubditi, quamvis etiam ſint ſubditi aliorum, ſed non quia ei ſubditi ſint, per eum cohiberi poſſunt de his, qui ſuper eum ſunt, & diſponere volunt. Ad ſecundum dico, quòd non plus tenentur iterum confiteri peccata, qui talibus confeſſi ſunt, quàm ſi ſuo vero Curato eſſent confeſſi, vel quàm ſi Papa vel Epiſcopo. Cùm dicitur, quòd non poſſunt cognoſcere conſcientias ſibi ſubditorum. Reſpondetur, quòd ex aquo Papa alteri commiſit, ſufficit, eo quòd alius, cui Papa commiſit, vultum pecoris illius tunc agnoverit. Nam ubi ſuperior diſponit, vel exigit, non tenetur inferior ſibi facere conſcientiam, quia non habet facta ſui Superioris infringere. Hæc ille ad annum M. CCCLXX. quibus quæ jam ab aliis dicta fuerant, repetit, & ſua facit.

Hoc Caput concludet propoſitionum Joannis Gorelli Antirrhetici, qui anno Chriſti M. CCCCVIII. Joanne Gerſone auctore confectus eſt. Sic autem ſe habet: „In nomine Domini A-
„men. Univerſis præſens publicum Inſtrumentum inſpecturis pateat evidenter. Ex anno ejuſ-
„dem Domini M. CCCCVIII. more Gallicano Indictione II. menſis Januarii die II. In
„congregatione venerabilium & circumſpectorum Virorum Dominorum & Magiſtorum Sa-
„cræ Facultatis Theologiæ Studii Pariſienſis in aulâ Collegii Theologorum de Navarrâ
„multum ſolemniter congregatorum, & more ſolito dictæ Facultatis Theologiæ congre-
„gationem ibidem celebrantium de mandato Reverendi Patris Domini Cancellarii Pa-
„riſienſis, tam Regentium, quàm non Regentium, & Religioſorum ac ſæcularium ad
„inſcripta ibidem vocatorum ſpecialiter, propter hoc perſonaliter conſtitutus præfatus Do-
„minus Cancellarius Pariſienſis dicens & proponens, quòd Frater Joannes de Gorello
„Ordinis Fratrum Minorum Licentiatus in Theologiâ poſt Veſperias ſuas fuerat delatus a-
„pud ipſum, & conſequenter apud dictam Facultatem Theologiæ, tanquam dixiſſet ea, quæ
„ſequuntur, ſicut etiam ſcripta ſua exhibita de propriâ manu ſonare videbantur, formam quæ
„ſequitur, continentia.

„Primò, quòd Sacramentum pœnitentiæ nihil agit in habente gratiam virtute Sacramenti:
„Fundatur, quia Sacramentum pœnitentiæ non reſpicit principaliter niſi expulſionem culpæ.

„Secundò, quòd debitè confeſſus non poſſit obligari, ut iterum confiteatur eadem pec-
„cata, & hoc ex radice præcedentis dicti.

„Tertiò, Curatis non competit (ut tales ſunt) prædicare, confeſſare, extremam Unc-
„tionem dare, ſepulturas dare, decimas recipere: Fundatur in hoc, quòd Curati
„non ſint de inſtitutione Chriſti & Eccleſiæ primariâ, ſed per Dionyſium Papam fuerunt
„ordinati. Item, quia ſtat, Curatos eſſe, qui non erunt Sacerdotes. Item quia locus pa-
„rochialis non eſt ille, quem elegit Dominus, & ceteri ſecundùm figuram antiquæ legis, de-
„beret illic comedi & cetera.

„Quartò, Fratribus competit principaliùs vel eſſentialiùs prædicare & confeſſiones audire,
„quàm Curatis: Fundatur, quia Fratribus competit ex regulâ, & hoc eſt principalius, vel
„eſſentialius quàm ex Statuto Dionyſii. Item quia ſtat, quòd non ſint Sacerdotes. Item quia
„hæc auctoritas, agnoſce vultum pecoris tui, non intelligitur de confeſſione.

„Quintò, Curatis habentibus ſufficienter aliunde, non licet recipere decimas ad uſum
„proprium, imò ſacrilegium committerent. Quæ propoſitiones ſeu dicta pluries per
„deputatos ejuſdem Facultatis diligenter examinata, judicabantur eſſe reparanda, præ-
„ſertim cùm Dominus Rector, & multi de Univerſitate talem reparationem requiſiſ-
„ſent in præſentiâ dictæ Facultatis. Tandem præfatus Dominus Cancellarius ex matu-
„râ, diligenti ac concordi deliberatione Magiſtrorum dictæ Facultatis tam Regentium,
„quàm non Regentium, & tam ſæcularium, quàm Religioſorum præhabitâ concluſit,
„quòd prædictus Frater Joannes de Gorello Ordinis Minorum qui tunc & aliàs audi-
„tus fuit ad longum, & cujus intentio ſcita fuerat, qui etiam ſubmiſerat ſe dictæ
„Facultati Theologiæ, diceret in die aulæ ſuæ ante receptionem birreti ſub hac for-
„mâ. Ex veſperiis meis, quidam fuerunt ſcandalizati, ſicut mihi ſignificatum eſt per
„matrem meam Facultatem Theologiæ, tanquam intellexerint, quòd voluerim inter alia
„detrahere ſtatui dominorum Curatorum & quorundam aliorum Eccleſiaſticorum: propte-
„tea volens, quantum in me eſt, tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ & pa-
„cis, & aſſertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ & ultroneâ volun-
„tate veritates, quæ ſequuntur.

„Prima, Domini Curati ſunt in Eccleſiâ minores Prælati & Hierarchæ ex prima-
„riâ inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus prædicandi, jus confeſſiones au-
„diendi, jus Sacramenta Eccleſiaſtica ſecundùm exigentiam ſui ſtatus Parochianorum
„miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas, & alia jura parochialia re-
„cipiendi.

„Item

„Item quòd jus prædicandi & confeſſandi competit Prælatis & Curatis pricipaliter & eſ„ſentialiter, & mendicantibus per accidens; ex privilegio, quoniam ſunt introducti vel „admiſſi ex commiſſione & beneplacito Dominorum Prælatorum.

Tertia item, quòd eadem peccata poſſunt licitè & meritoriè pluries confiteri in multis ca„ſibus, & quòd virtute ſancti Sacramenti poterit eis prodeſſe quælibet reiterata confeſſio.

„Quarta, quòd iſta auctoritas, agnoſce vultum pecoris tui, bene & aptè intelligitur de „cognitione in foro pœnitentiæ.

„Quinta, quòd locus parochialis eſt congruus & ordinarius, ut Sacramenta Eccleſiaſtica „recipiantur in eo.

„Sexta, dum poſui, quòd Curatis habentibus ſufficienter unde viverent aliunde, quàm „de Decimis, non licet recipere Decimas ad uſum proprium, imò ſacrilegium commit„terent, nolui per hoc dare occaſionem Laicis vel aliis, quominus decimas ſolverent: „ſed volui condemnari abuſus, & non juri Dominorum Curatorum detrahere ſuper re„ceptione & uſu licito Decimarum, ſicut arbitror ſanctos Doctores, quos allegavi, in„telligere voluiſſe. Denique, ſi aliqua protulerim vel ſcripſerim quæ videantur prædic„tis contraria, vel quæ aliter accepta ſint, nolo in eis ſtare, ſed volo & ſupplico „haberi pro non dictis vel ſcriptis, & alia quæcunque, quæ viderentur præbere occa„ſionem ſcandali vel erroris, &c. Et verò quamvis hæ veritates ſex eundem pænè ſcopum feriant, tamen illa, quæ numero tertia eſt, ſcopum propiùs attingit. Nam ſupponit Martini Papæ IV. Conſtitutionem, qua decernitur, *Ut hi, qui Fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis parochialibus Presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur.*

Capitis concluſio, et perioche.

HÆc epocha complectitur Ricardum Armachanum Epiſcopum & Rogerium Chorinoem Franciſcanum, qui propoſitam de Fratrum privilegiis quæſtionem in utramque partem copioſiſſimè agitarunt. Ricardus quicquid ad tollenda vel certè ad reſtringenda Fratrum privilegia diſputari potuit, acriter diſputavit: Rogerius nihil omiſit eorum, quæ pro retinendis amplificandiſque Fratrum privilegiis excogitari dicique potuerunt. Ricardus conatur Joannis XXII. Conſtitutionem cum Innocentii IV. & Martini IV. Conſtitutionibus conciliare, & perficere tandem, ut velint nolint Fratres, Parochiani ſemel in anno ſaltem peccata ſua parochialibus Presbyteris confiteantur, eoque modo Canon Lateranenſis obſervetur. Rogerius omnia pertentat, omnia experitur, πάντα denique λίθον κινεῖ, ut confeſſionis hujus neceſſitatem amoveat, confirmetque confeſſionem ſufficere, quam apud Fratres factam eſſe conſtiterit, quinetiam eò venit ſtudii partium ut Innocentium IV. nimiæ feſtinationis accuſet, & Martinum IV. inſidioſæ contradictionis laqueo involvat. Inter Ricardum & Rogerium interpoſui Innocentii VI. Conſtitutionem, quæ, ni fallor, priùs edita eſt, quàm Rogerius Armacano reſponderet. Pontifex in eâ Conſtitutione Rogerio potiùs quàm Ricardo ſuffragatur. Nam quamvis decretorio ſtylo non tollat controverſiam, eamque indeciſam relinquat, fiduciariam tamen Rogerio dat poſſeſſionem rerum, quas expoſtulat, ſed alieno jure per litis actionem. Marſilius ut plerique alii, Sacerdotem proprium variè deſcribit. Facultas Theologiæ in veritatibus, quas ex illius præſcripto Joannes Gorellus ſuiſmet opponit aſſertionibus, Martini Papæ IV. Decreto adhæret, & unà ſignificat quid habeant juris parochiales Presbyteri, & Fratres in audiendis fidelium confeſſionibus.

CAPUT VII.

Quid ab anno M. CCCCIX. *ad annum* M. CCCCXXX. *circa Lateranenſem Canonem, ejuſque materiam acciderit, refertur.*

ANNUS Chriſti agebatur milleſimus quadringenteſimus nonus, cùm Alexander V. Mendicantibus conceſſit privilegium, quod Lucas Wadingus ita refert in Annalibus Minorum: *Venerabilibus Fratribus, univerſis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis, &c. Regnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui Paſtor Pater eſt æternus, cuique ſanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicarium conſtituit. Eccleſiam militantem unigenito filio Dei vivi Domino noſtro Jeſu Chriſto ineffabili commercio copulatam, in qua quidem, ipſe Chriſtus à Patre progrediens per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei firmamentum, ut ab eâ velut à primitivo fonte, ad ſingulas orthodoxas nationes ejuſdem fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi*

autem

autem Eccleſiæ regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem deputare miniſtrum, cujus inſtructionem ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti renati fonte babptiſmatis teneant & obſervent. Qui enim ſub hac doctrinâ curſus vitæ non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis ſententiâ ferientur. Sanè dudum felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter in Conſtitutione ſuâ, quæ incipit, Super cathedram, quam piæ memoriæ Clemens V. etiam prædeceſſor noſter poſtea in Viennenſi Concilio innovavit, ſuper prædicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum confeſſionibus pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratrum Eccleſias, ſive loca ſuam eligerent ſepulturam. Quæ quidem Conſtitutio etiam ſucceſſivè ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, auctoritate Apoſtolicâ ſtatuit, & etiam ordinavit, ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, & locis eorum & in plateis communibus libere valeant Clero & populo prædicare, & proponere verbum Dei, horâ illa duntaxat exceptâ, in quâ vellent Prælati Eccleſiarum coram ſe facere ſolemniter prædicare, in quâ Fratres ipſi prædicare ceſſarent, præterquam ſi aliud de ipſorum Prælatorum conſenſu procederet ex licentiâ ſpeciali. In ſtudiis autem generalibus, ubi ſermones ex more fieri ſolent, diebus illis, quibus prædicari ſolemniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum & in feſtis ſpecialibus, ſeu etiam peculiaribus eorundem Fratrum poſſent iidem Fratres & liceret eis prædicare liberè, niſi forſan in illâ horâ, quâ ſolet ad Clerum in prædictis locis ſeu ſtudiis proponi verbum Dei, Epiſcopus vel Prælatus ſuperior, Clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex aliquâ ratione vel cauſâ urgente Clerum ipſum duceret congregandum: In Eccleſiis autem parochialibus, Fratres illi nullatenus auderent nec deberent prædicare, vel proponere verbum Dei, niſi Fratres ipſi à parochialibus Sacerdotibus invitati vel vocati fortaſſis exiſterent, vel de ipſorum placito vel aſſenſu petita licentia vel obtenta foret, niſi Epiſcopus vel Prælatus per eoſdem Fratres prædicari mandaret. Statuit etiam & ordinavit idem Bonifacius prædeceſſor auctoritate prædictâ, ut in ſingulis Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere noſcerentur, ac in Civitatibus & Diœceſibus & locis ipſis vicinis, in quibus locis hujuſmodi non habentur Magiſtri, Priores. Provinciales Prædicatorum & eorum Vicarii ac Generales & Provinciales, Miniſtri ac Cuſtodes Minorum, & Prædicatorum Ordinum præfatorum ad præſentiam Prælatorum eorundem locorum ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, ut Fratres, qui ad hoc electi forent in eorum Civitatibus & Diœceſibus, confeſſiones ſubditorum ſibi confiteri volentium audire valerent, & hujuſmodi confitentibus prout ſecundùm Deum cognoſcerent, imponerent pœnitentias ſalutares & eiſdem beneficium abſolutionis impenderent gratiâ & beneplacito eorumdem. Ac deinde præfati Magiſtri, Priores, & Provinciales & Miniſtri Ordinum Prædicatorum eligere ſtuderent perſonas ſufficientes, idoneas, vitâ probatas, diſcretas atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum, quas ſic ab ipſis electas præſentarent, vel facerent præſentari Prælatis antedictis, ut de eorum licentiâ & beneplacito in civitatibus & Diœceſibus eorundem hujuſmodi perſonæ ſic electæ confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent, prout ſuperiùs eſt expreſſum, & alia rationabilia & utilia dictus Bonifacius prædeceſſor ordinavit & ſtatuit, prout in eâdem Conſtitutione pleniùs exprimitur. Poſtea verò ad piæ memoriæ Joannis XXII. Papæ etiam prædeceſſoris notitiam deducto, quòd quondam Joannes de Poliaco in Sacrâ Theologiâ Magiſter in quibuſdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum non ſobriè ſed perperam ſapiebat, infra ſcriptos articulos, periculoſos continentes errores docens publicè in ſuis prædicationibus & in ſcholis. Primùm ſiquidem aſtruens, quòd confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, teneantur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, quòd ſtante Statuto, Omnis utriuſque ſexûs, in Concilio generali Romanus Pontifex non poteſt facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat eſſe parochialem Curatum, nec Deus poſſit hoc facere, quin ut dicit, implicet contradictionem. Tertiò, quòd Papa non poſſit dare generalem poteſtatem audiendi confeſſiones, imò nec Deus, quin confeſſus habenti generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut præmittitur, parochialem Curatum. Prædictus Joannes prædeceſſor volens ſcire ſi ſuggeſta ſibi in eâ parte veritatem haberent, præfatum Joannem de Poliaco de Fratrum ſuorum conſilio evocari atque articulorum ſuorum copiam eidem Magiſtro Joanni tradi fecit, & ad defenſionem ſuam audientiam plenam ſibi præbuit, tam in ſuâ dictorumque Fratrum præſentiâ & in Conſiſtorio, quàm alibi coram aliquibus Fratribus ipſis per eum ad hoc deputatis, ſi præfatus Magiſter dictos articulos & contenta in ipſis defendere niteretur. Qui quidem Magiſter Joannes aſſerebat ſe paratum

credere

credere & tenere in præmiſſis & aliis, quæ tenenda & credenda Sedes Apoſtolica definiret, præfatúſque Joannes prædeceſſor attendens, quòd dictorum articulorum aſſertio, prædicatio & doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologiâ examinari fecit diligenter, & ipſe etiam cum dictis Fratribus ſuis collationem ſolemnem habuit ſuper præmiſſis, per quas quidem collationem & examinationem ſuper hoc præhabitas comperit, prædictos articulos doctrinam non ſacram, ſed periculoſam multùm, & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem Magiſter Joannes veris ſibi rationibus opinioni ſuæ dudum habitæ contrariis demonſtratis, in eodem conſiſtorio revocavit, aſſerens eos non veros, ſed contiarium verum eſſe, cùm diceret ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere. Ideóque ne per aſſertionem, prædicationem & doctrinam hujuſmodi in errorem, quod abſit, animæ ſimplicium prolaberentur, omnes prædictos articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos, & erroneos, & à doctrinâ ſanâ devios, idem Joannes prædeceſſor auctoritate Apoſtolicâ damnavit, & reprobavit de Fratrum ſuorum conſilio prædictorum, doctrinam ipſis contrariam veram eſſe & Catholicam aſſerens, quòd illi, qui prædictis Fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri, quàm ſi aliàs illa confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti juxta dictum Concilium generale, optans veritatis vias notas etiam fidelibus, & cunctis erroribus aditum præcludere, felicis recordationis Alexandri Papæ IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum veſtigia imitando, univerſis & ſingulis diſtrictiùs inhibuit, ne quiſquam dictos articulos per eundem Joannem prædeceſſorem damnatos, & reprobatos, & contenta in eis vel aliquo ipſorum, utpote à Catholicis mentibus reſpuenda tenere auderet, ac defenſaret. Ac univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Electis per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandavit, ut in civitatibus & diœceſibus eorum convocato Clero communiter præmiſſa omnia & ſingula per ſe vel alios publicarent ſolemniter, necnon eidem Joanni mandavit, ut ipſe in ſcholis vel ſermone Pariſiis prædictos articulos, & contenta in eiſdem tanquam veritati contraria, propria vocis oraculo & aſſertione conſtanti publicè deberet revocare, & etiam ſe facturum illud dictus Joannes de Poliaco efficaciter repromiſit. Cùm autem, ſicut nuper Fratrum Prædicatorum & Minorum prædictorum, ac etiam Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum lamentabilis querela ad noſtrum perduxit auditum, nonnulli Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ, ac utriuſque ſexûs homines, nedum prædictos damnatos articulos, prorſus erroneos & ſacris canonibus contrarios, per eundem Joannem prædeceſſorem, ut præfertur, ſed etiam quoſdam alios articulos prorſus erroneos & ſacris canonibus contrarios, etiam publicè non verentur aſtruere, & per illos proprias & multorum ſimplicium animas inficere, illóſque à devotione eorundem Fratrum Ordinum prædictorum, & ne Chriſti fideles ſua peccata Fratribus ipſis confiteantur, damnabiliter detrahere ſatagant, etiam contra eandem conſtitutionem Bonifacii prædeceſſoris ſuper hoc editam, ut præfertur. Qui quidem adjecti articuli erronei ſequuntur per ordinem in hac verba: Primus videlicet articulus talis eſt: Confeſſus Fratri admiſſo in formâ Dudum, tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri, damnatur per Joannem Papam XXII. in ſtatuto, quod incipit, Vas electionis. Secundus, concluſiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. ſunt ſatis vera & à quocunque literato ſufficienter poſſent teneri: ſtatutum Joannis XXII. editum, Vas electionis, eſt irritum & inane, quia cùm illud fecit, erat hæreticus, & per conſequens quidquid fecit prædictus Joannes, ſive Mendicantibus, ſive aliis ante revocationem, inane fuit. Stante ſtatuto, Omnis utriuſque ſexûs, nec Deus, nec Papa de potentiâ ſuâ poteſt facere, quin confeſſus Fratri Mendicanti admiſſo iterum teneatur confiteri ſuo Curato. Confeſſio Fratribus admiſſis facta eſt dubitabilis & incerta, quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis. Quamvis Fratres admiſſi habeant auctoritatem abſolvendi & audiendi confeſſiones; tamen populus ſubjectus non habet poteſtatem accedendi ad Mendicantes admiſſos ſine licentiâ proprii Sacerdotis, & Fratres petentes privilegia pro confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis ſunt in peccato mortali & excommunicati, & Romani Pontificès talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut eiſdem confirmantes ſunt in peccato mortali, & excommunicati. Fratres non ſunt aut fuerunt Paſtores, ſed fures, latrones & lupi. Sacerdos Curatus dans licentiam Mendicantibus audiendi confeſſiones magis diſpenſat cum ſtatuto, Omnibus utriuſque ſexûs, quàm Papa Fratribus dans licentiam juxta formam Decretalis Dudum. Nos verò attendentes, quòd nimis perniciosum eſſet antiquos dudum, ut præmittitur, per eundem Joannem prædeceſſorem cum tantâ ſolemnitate & maturitate damnatos & reprobatos, & etiam hujuſmodi novos articulos per nos, veluti erroneos, & etiam eiſdem canonibus contrarios tenere, aſtruere vel docere, nec non in hac parte ſalubriter providere volentes, eoſdem novos arti-

articulos, & quos nos etiam unà cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus maturè prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus & examinavimus, necnon etiam per pleroſque in ſacrâ Theologiâ Magiſtros, ac quoſdam Doctores in jure Canonico recenſeri fecimus diligenter, per quam quidem examinationem reperimus etiam ipſos novos fuiſſe & eſſe falſos, confictos & erroneos, ac eiſdem canonibus contrarios & propterea ipſos ut tales, de eorundem Fratrum conſilio damnamus & reprobamus. Volentes quòd ſiquis deinceps prædictos articulos aſſerere, aut in ſcholis vel alibi gloſſare, defendere, ſeu tenere aut prædicare præſumpſerit, tanquam hæreticus ſit cenſendus, & excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, à quâ niſi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non poſſit abſolvi. Quocirca univerſitati veſtræ, &c. mandamus, quatenus univerſi & ſinguli veſtrûm convocato Clero civitatum & diœceſum veſtrarum, eis præmiſſa omnia, & ſingula per vos vel alios, ubi & quando ſuper hoc per eoſdem Fratres ſeu ipſorum aliquem aut aliquos requiſiti fuerint, auctoritate noſtrâ ſolemniter publicetis, ac etiam per Rectores ipſarum parochialium Eccleſiarum, civitatum & diœceſum præfatarum in hujuſmodi parochialibus Eccleſiis publicari faciatis. Et ſi quos forſan hujuſmodi damnatos articulos novos & veteres, aut eorum aliquem ſeu aliquos aſtruere vel tenere, ſive prædicare repereritis, contra illos communiter vel diviſim tanquam hæreticos, ſeu de fide Catholicâ ſuſpectos procedere, necnon ipſos & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prædictâ compeſcere, necnon ad obſervandam dictam Conſtitutionem præfati Bonifacii prædeceſſoris juxta ejus tenorem compellere rationè prævia ſtudeatis. Contradictores, &c. nonobſtante prædictâ conſtitutione, quæ incipit, Omnis utriuſque ſexûs, ac aliis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque. Datum Piſis quarto Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

Hæc Alexandri V. Conſtitutio, ut perlata eſt Lutetiam, ingentes turbas excitavit. Academia Pariſienſis convenit, & Joannem Gerſonem Cancellarium rogavit, ut de illâ Conſtitutione in Eccleſiâ beatæ Mariæ ad populum diceret. Sermo, quem habuit, contra Bullam Mendicantium inſcribitur, & ſic incipit „Quomodo ſtabit regnum ejus
„Lucæ 11. Quoniam Dominus noſter Jeſus Chriſtus in hodierno Evangelio concludit
„benedictos eſſe illos, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Congregati eſtis ô
„devota plebs Chriſtiana, tum auctoritate Domini Pariſienſis, aut ſuorum Vicariorum,
„tum ad inſtantiam Regis Studio & matris luminis ſanctæ Eccleſiæ Pariſienſis Univerſita-
„tis. *Et poſt alia:* Conſiderando ſanctæ Eccleſiæ & totius Chriſtianitatis ſtatum, mihi
„apparet in impatientiam ſucclamare, ac dicere magnâ cum admiratione: Bone Deus,
„Cælorum Rex, Quid hoc erit? Quid hoc ſibi vult? An ne unquam ſine perturbatione
„erimus, ſine ſchiſmate, abſque diviſione? Quo pacto Chriſtianitatis regnum ſtabilitatem
„nanciſcetur? Et neceſſe eſt, (ſicut dicis Domine in Evangelio) ut ſcandala veniant,
„aufer à nobis neceſſitates noſtras, de neceſſitatibus noſtris erue nos. Liberaſti nos de
„maledicto hoc ſchiſmate, quod totam tuam vaſtabat Eccleſiam, quod fuerat jam diu-
„turnum. Dediſti nobis unum & verum in ſanctâ Eccleſiâ Paſtorem, quem recipimus
„magno cum gaudio, reverentiâ & exultatione. Et ecce malignum ſpiritum prælii & di-
„viſionis, qui niſus eſt ſuſcitare turbationem novam, molam nimis, nimis coopertam &
„fraudulentam ſub umbra boni & religionis. *Et poſt alia:* Patet quòd de ordinatione
„& ſanctæ Eccleſiæ gubernamine referendum ſit principaliùs ad ſanctam Scripturam,
„quàm ad Leges civiles, patet regimen ſanctæ Eccleſiæ aliorum non debere ſequi regi-
„mina, ſed oppoſito modo eſſe debet, ſicut corpus gubernari debet per animam. Ap-
„paret quòd ad Univerſitatem Pariſienſem filiam Regis ſpectat, ſecundùm doctrinam de
„ſanctæ Eccleſiæ judicare gubernamine, ſpecialiter: quoad Facultatem Theologicam &
„diverſimodè quoad alios. Ad artes ſecundùm philoſophiam moralem, quæ conformis
„eſt Theologiæ: Ad decreta ſecundùm quòd principaliter fundamentum eorum in ſanctâ
„eſt ſcripturâ, & in quantum nimis uti vellent legibus, excederent eorum terminos. *Et*
„*poſt pauca:* Apparet per has duas conſiderationes in ſanctâ Eccleſiâ ordinem eſſe hierar-
„chicum & eſſentialem, hoc eſt ordinatum, ſtabilem & permanentem, ad Epheſ. 4. & 5.
„Exemplum in homine, qui regnum eſt perſonale, videmus membrum unum alteri jun-
„gi certo ordine, & hic ordo eſt in ſanctâ Eccleſiâ, ut ſit unus Papa Jeſu Chriſti Vi-
„carius, ſint Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Apoſtolorum ſucceſſores, ſicut Cu-
„rati ſucceſſores LXXII. diſcipulorum quos dicemus in ſequentibus. Patet, ſi aliquis ho-
„mo aut ſtatus ſine causâ vel neceſſitate perturbare velit hunc ordinem, illi reſiſtendum
„eſſe. *Et poſt alia:* Chriſtianitatis regnum fundatum eſt, & inſtitutum in ordine & diſ-
„poſitione hierarchicæ prælationis; hoc eſt, Deus ſic ſuam ordinavit Eccleſiam, ut in
„ſanctâ Eccleſiâ ordo eſſet prælaturæ ad gubernandos alios, & ad Deum dirigendos ſe-
„cun-

„cundùm tres, quæ ad Prælaturam ſpectant, ordinationes: purgare, illuminare & per-
„ficere. Et hunc ſervando ordinem ſtare debet regnum Eccleſiæ ſanctæ hîc inferius, ſic
„enim eſt in ſuperiori regno cælorum. Et quoniam videt & viſum eſt compluribus ſanc-
„tæ Eccleſiæ Prælatis. præcipuè Domino Pariſienſi viſum eſt filiæ Regis Univerſitati,
„hunc hierarchicum ordinem Prælationis aliquo modo in perturbationem, aut impedi-
„mentum caſurum. Voluit & vult (ut poteſt) obviare & reſiſtere. Hæc turbatio acci-
„dit propter ſcripturam quandam in formâ Bullæ, quam aliqui Ordinum, quatuor Men-
„dicantium impetrarunt, aut (ut veriùs dicam) extorſerunt, vel per cautelam, vel per
„inadvertentiam ſancti Patris noſtri. Sanctus enim Pater noſter, qui magnus eſt Theo-
„logus, nunquam rem talem admiſiſſet, ſi eam examinaſſet. Sed (ut per ſolemnes
„in Univerſitate relatum eſt Magiſtros) omnia facta fuerunt ipſo ignorante & ipſo invito,
„ſaltem ſine judicio aut deliberatione. Sicut homines occupati concedunt per importuni-
„tatem, aut per cautelas aut aliquam largam conſcientiam plures res aliis. Hæc eſt er-
„go prima proteſtatio, quòd Dominus Pariſienſis nec ſui, nec Univerſitas, nec ego ip-
„ſe intendimus aliquid dicere in præjudicium, aut ſancti Patris noſtri inhonorationem.
„Tenemus enim quòd poſteaquam bene fuerit inſtructus, ipſe caſſabit omne hoc, aut
„deſtruet de quo conquerimur. Pro honore ſuo laboramus, pro ſtatu ſuo, pro officio,
„&.poteſtate ſuâ, nihil poteſt contra veritatem. Et data eſt poteſtas in ædificationem,
„non in deſtructionem, quemadmodum laboravimus. Bene, inquam, laboravimus pro
„Petro de Luna, ſi bene uti voluiſſet, ſed non voluit. Sed propter importunitatem
„quatuor Ordinum Mendicantium, aut ſaltem aliquorum principalium impetrata eſt, aut
„malè obtenta ſcriptura quædam, quam Univerſitas cenſet intolerabilem, & non feren-
„dam pro ſanctè Eccleſiæ ſtabilitate. Ideo vult hanc ſcripturam eorum procuratione
„caſſari, priuſquam permittantur uti privilegiis aut libertatibus dictæ Univerſitatis, non
„quòd ſemper priventur, (abſit ut hoc facere oporteat) ſed rationabile eſt, quòd in
„laqueo, quem abſconderunt, comprehendatur pes eorum. *Et poſt pauca.*

„Novit Deus qualem diſplicentiam habui, habeo & habebo de hac turbatione.
„Diu oſtendi, me non odio habere Mendicantes, aut eorum voluiſſe deſtructionem, ut
„apparet in reconciliatione Fratrum Prædicatorum. Et ſi quærat aliquis quid hæc con-
„tineat Bulla? Reſpondeo me nondum habere commiſſionem ad longum declarandi ma-
„lum ibi contentum in punctis particularibus. Tum quia adhuc examinatur, & quia
„etiam (ut verum fatear) malum radicitus cognoſci non poteſt niſi per Theologos. Benè
„in generali dicere poſſumus, ſi ſcriptura hæc admitteretur, ipſa pertubaret Hierarchi-
„cum ordinem Prælatorum ſanctæ Eccleſiæ, magnos, mediocres & parvos, qui ſunt
„Curati: Et quia nondum extremam habemus hujus ſcripturæ examinationem, ut tanga-
„tur aliqualiter malum ibidem incluſum, legetur vobis inſtrumentum quoddam de jure
„Curatorum, quod deinde ego in Gallico exponam.

„Quia admiratæ ſunt turbæ in Evangelio & nemo vos ſeducat inanibus verbis, ut
„Apoſtolus hortatur: Domini Curati ſunt in Eccleſiâ minores Prælati, ut ſuprà in inſ-
„trumento revocationis Fratris Joannis de Gortello. Hæc determinatio Facultatis Theo-
„logicæ facta fuit valde ſolemniter ex præcepto expreſſo Magiſtrorum in Theologiâ,
„quatuor Ordinum Mendicantium, & pronunciata per Magiſtrum Joannem Gorrel, pro-
„priâ ſuâ voluntate in aulâ Epiſcopi Pariſienſis, & hîc complures extricantur veritates,
„ex quibus aliæ ſequuntur veritates, ut per modum corollariorum. Domini Curati in
„Eccleſiâ minores Prælati ſunt Hierarchici, hoc eſt, Principales, aut Dominantes, per
„primam inſtitutionem Jeſu Chriſti. Hoc fundatur in Evangelio Lucæ 10. cum gloſſis
„& in jure Canonico 21. diſt. & diſt. 68. & 13. quæſt. 1. Evangelium eſt Bulla Cu-
„ratorum. Sequitur quòd de ordinatione eſſentiali & ſtabili ſanctæ Eccleſiæ æquè benè
„eſt ſtatus Curatorum, ſicut ille Prælatorum Cardinalium, Archiepiſcoporum: imò ſi-
„cut ſtatus ipſius Papæ, quamvis non ſit adeò perfectus. Sequitur Papam hunc ſtatum
„deſtruere aut annihilare non poſſe, cùm ſtatus ille non ex ſuâ proveniat poſitivâ or-
„dinatione, ſed ſine medio ex Dei auctoritate. Sequitur ſtatum Curatorum perfectio-
„rem eſſe ſtatu ſimplicium Religioſorum: ſimplicium dico: Sunt enim in Religionibus
„veluti Curati, Priores, Abbates, Præpoſiti aut tales. *Et poſt alia.*

„Ad Curatos ſpectat ex ſtatu eorum jure aut facultate concionari. In Clementinis de
„ſepulturis. Cap. Dudum. §. Verùm ne parœciales Eccleſiæ. *Et quibuſdam interpoſitis*: Se-
„quitur Papam, aut alium quemvis jus hoc Curatis auferre, aut impedire non debere.
„Et ideò nullus in Eccleſiâ eorum concionari debet abſque eorum facultate, quem ad-
„modum dicit Decretalis ſuper Cathedram. *Et poſt alia:*

„Ad Curatos pertinet jus audiendi confeſſiones, aut providendi ut audiantur, &

,, committendi, ſi Presbyter non eſt, aut ſi minùs ſufficiens. Sequitur Papam aut alte-
,, rum non debere auferre iſtam poteſtatem aut jus ipſis Curatis abſque eorum placito
,, & voluntate, ſaltem expediens non eſt. Sequitur nullum privilegiatum confeſſionem
,, audire debere in loco Parochialis Eccleſiæ abſque conſenſu & facultate Curati. Si-
,, cut etiam dicit Decretalis: Sequitur Curatos obligari ad audiendas confeſſiones ſuo-
,, rum parochianorum, aut procurare ut audiantur. Et hanc obligationem non habent
,, mendici & privilegiati. Et Papa audire debet aut committere ut audiantur caſus ipſi
,, reſervati, & Epiſcopus caſus, qui illi reſervantur. Sequitur, quòd ceteris paribus
,, perfectior res eſt, confiteri ſuo Curato, quàm alteri privilegiato, tum propter obedi-
,, entiæ virtutem, tum propter majorem ſecuritatem, & alias complures rationes. No-
,, ta quòd Decretalis, Omnis utriuſque ſexûs, in Concilio generali edita, vult unum-
,, quemque confiteri peccata ſua ſaltem ſemel in anno proprio ſuo Presbytero, aut de
,, ſuâ facultate, alioquin enim parochianus abſolvi non poſſet. Et fuit opinio antiquo-
,, rum & gloſſatorum & Doctorum, per proprium Presbyterum Curatum intelligi eum,
,, qui adminiſtrare debet Sacramenta. Nota, quòd ſi non eo modo intelligatur, una
,, propoſitionum Bullæ noviſſimè condemnatæ tanquam hæreticæ eſſet vera. Nota de
,, caſibus reſervatis, ad quos ſe non extendit Mendicantium poteſtas. *Et poſt alia*:

,, Ponatur in forma, jus prædicandi & confeſſiones audiendi eſſentialiter & principaliter
,, ſpectat ad Prælatos & Curatos, ſequitur expediens non eſſe ut jus hoc illis auferatur,
,, aut turbetur directè ſive indirectè, ſicut Papa, aut alius nollet ſibi turbationem fieri
,, in illo, quod ad eum ſpectat. Videte hoc de omnibus Mendicantibus, qui auferun-
,, tur Prælatis ſæcularibus per exemptiones, & quomodo nunquam confitentur alicui,
,, niſi ſit ſui Ordinis, & tamen cupiunt audire omnium confeſſiones. Apparet, quòd
,, ipſi judicant & exiſtimant non eſſe bonum, neque expediens, ut alii ſuas audiant con-
,, feſſiones, nec volunt alios facultatem hujus habere. Volunt ergo jus unum pro ſe ip-
,, ſis habere, & aliud pro vicino eorum. *Et poſt alia*. Et ſi dicat aliquis Papam eos
,, mittere, videndum eſt, an ſit neceſſitas. Non enim dandus eſt Curator aut Coadju-
,, tor Prælato, aut alteri ipſo invito ſine defectu ejus, aut impotentiâ, alioquin grava-
,, tur, quod non vult, aut velle non debet facere Papa Fratribus ſuis Prælatis. Poteſt
,, licitè quis confiteri eadem peccata multis in caſibus, & unaquæque talis confeſſio rei-
,, terata prodeſſe poterit virtute ſacramenti.

,, Sequitur non eſſe repugnans, perſonam aliquam obligari ad confitendum aliquid,
,, quod jam confeſſa eſt, ſive ſit ex propriâ obligatione ſui ipſius, ſive per modum pœ-
,, nitentiæ, aut obedientiæ vel ordinationis, ut in compluribus religionibus, ſive per de-
,, fectum aliquem aut incertitudinem primæ confeſſionis, aut per ſuperioris reſervationem,
,, ut in caſibus reſervatis. Sequitur, quòd confeſſus Fratribus manere poſſet obligatus
,, denuo proprio confiteri Curato, ſive virtute Concilii hujus generalis, Omnis utriuſque
,, ſexus, ſive aliquovis modo. Nota multos doctores & gloſſam ordinariam tenuiſſe,
,, quòd obligaremur denuo confiteri, poſtquam Fratribus fuiſſemus confeſſi. Sanctus
,, Thomas, Bonaventura, Henricus Gandavenſis & Prælati diverſorum regnorum. Præ-
,, terea hanc conſiderationem advertens Armachanus poſtremò coram Urbano (*coram In-*
,, *nocentio VI. dicere voluit*) tenuit poſt revocationem de Poliaco, & ſe fundat in hoc
,, quòd duæ afirmativæ ſunt ſimul poſſibiles. Sequitur majorem eſſe fructum ei, qui
,, confitetur Fratribus, ſi denuo proprio confiteretur Curato. Ideo præcipit Papa Mar-
,, tinus IV. quòd Fratres hortentur & mittant eos, qui confitentur ſibi, ad proprios
,, Curatos. Et videtur, quòd ſit de peccatis, quæ jam confeſſi fuerunt. Quoad enim
,, ſequentia peccata, ut videtur, jam omnino facta eſt admonitio. Sequitur utilem eſ-
,, ſe ordinationem dare privilegia Fratribus prædicandi & confeſſiones audiendi, dummodo
,, certis quibuſdam & bonis conſervaretur terminis, rectâque ordinatione, ſine alterius
,, præjudicio & ſine abuſu, quemadmodum ſupponendum eſt, Papam velle & velle
,, debere ſecundùm naturale jus divinum & ſcriptum.,, Hæc ſunt in Sermone, quæ
Alexandri V. Bullam propriùs tangere videntur. Fuere qui Gerſonis ſermonem hunc ſub-
dititium eſſe dixerint, ſed gratis & ſine ratione dixerunt. Reperitur cùm in primis ope-
rum Gerſonis editionibus, tum in manuſcripto codice Bibliothecæ ſancti Victoris. Sed
in cauſâ fortè fuit Doctoris tanti concio, cur Alexandri Bulla nec in tomis Conciliorum,
nec in ipſo Romano Bullario locum ullum habeat. Quod eſt certum quoddam impro-
batæ ſeu rejectæ Bullæ indicium.

Idem auctor de eâdem materiâ in opuſculis aliis ſic ſcribit, & primò quidem conſi-
deratione III. de poteſtate Eccleſiæ: *Addamus*, inquit, *quòd etſi primus hierarcha Sum-
mus Pontifex vel alii conſequenter ſuo modo poſſint pro rationabili cauſâ, vel neceſſitate*
dare

dare ſuis inferioribus adjutores ad exercendum actus Hierarchicos, qui ſunt purgare, illuminare & perficere plebes ſibi ſubditas, ſicut invenitur de pœnitentiariis, vel privilegiatis, hoc tamen ſine manifeſtâ ratione vel neceſſitate facere non debent, vel cum eorundem dejectione, irreverentiâ & vilipenſione apud illos, quibus honori eſſe debent, & à quibus debitam ſuſtentationem recipere pro ſuo ſtatu & miniſterio poſſunt. Quis enim dederit tutorem adulto, prudenti, providenti & potenti ſe nolente?

Deinde conſideratione x. de Statibus Eccleſiaſticis: *Status Curatorum ſecuriùs & juſtiùs eligitur, quantùm eſt de ſe & ceteris paribus confeſſione ſacramentali facienda à parochianis, quàm alius ſtatus.* & quibuſdam interpoſitis: *Poteſt nihilominus apud privilegiatos quandoque ratio potior inveniri.* & conſideratione xv.

Status Curatorum debet cum bonâ gratiâ ſuſcipere ſtatum privilegiatorum tanquam coadjutores miſſos habentes à Superioribus licentiam prædicandi & confeſſiones audiendi, ſi non appareat rationabilis cauſa aliquem talem repellendi, utpote ſi detractor, ſi colluſor, ſi corruptor, ſi quæſtuoſus, ſi ſeductor appareat, aut multi parochianorum inde veniant in contemptum Curatorum.

Tum conſideratione primâ de ſtatu privilegiatotum: *Status privilegiatorum ad prædicandum & confeſſiones audiendum ſtatutus eſt poſt primariam Eccleſia inſtitutionem rationabiliter ordinatus ad ſublevamen eorum, qui hierarchicos in Eccleſiâ ſtatus habent.* Item conſideratione vi. *Status privilegiatorum hoc habet, ut quamvis ſacramentum pœnitentia poſſit pluries ſuper eadem peccata ſuum effectum ſortire, ſaltem quoad augmentum gratiæ, &c. Nihilominus confeſſi privilegiatis non tenentur inviti eadem peccata ampliùs confiteri plus, quàm ſi ſuis Curatis eadem confeſſi fuiſſent, quantùm eſt ex parte efficaciæ ſacramenti. Hoc enim per Joannem XXII. fuit declaratum, & uſus communis hoc obtinuit.* Rurſus conſideratione vii. *Status privilegiatorum hoc habet, ut à confeſſis ſibi non debeant Curati novam extorquere confeſſionem de iiſdem peccatis, præſertim ſi ſecreta fuit, nec debent prohibere parochianos cùm talia voluerint eis confiteri.*

Deinde lectione ſuper Marcum literâ v. *Fatendum eſt igitur quòd Papa non poteſt dare licentiam privilegiatis, ut confeſſiones audiant, & ita ad Curatos eundum erit. Sed ex quo licentiam præſtiti, ex conſequenti relaxationem præſuppoſito jure divino, ne peccata eadem rurſus confiteri ſacramentaliter invitus aliquis teneantur. Denique oppoſitum aſſerere de Papâ & Eccleſiâ, eſſet dicere populos innumerabiles per eorum confeſſiones hactenus fuiſſe ſeductos, involutos & deceptos, quia vel noluerunt confeſſionem factam privilegiatis eſſe ſacramentalem, quod hactenus creditum eſt eſſe falſum, vel ſi ſacramentales fuit, indubitanter non habeat ab hujuſmodi confeſſo rurſus exigere, ut præcepto divino ſemel de confitendo, cui obedivit, iterum nolens obtemperet, nolens dico quia volens ultro poteſt.*

Poſtremò inter regulas morales cap. de pœnitentiâ: *Epiſcopus non minùs habet auctoritatem conſtituendi coadjutores & confeſſores in ſuâ Diœceſi, quàm Curatus in ſuâ parochiâ. Caveat tamen Epiſcopus perturbare Eccleſiaſticam hierarchiam, tollendo directè vel indirectè poteſtatem Curatorum abſque culpâ eorum, vel cauſâ manifeſtâ.*

Sic moderatiſſimus Doctor variis propoſitionibus oſtendit, quid de privilegiis Fratrum, & factâ iis confeſſione cenſeat.

Ægidius Carlerius Pariſienſis Theologus, & poſtea Cameracenſis Decanus, in quartum ſent. diſt. xvii. rem ita tractat ad annum M. CCCCXV. *Quæritur utrum quis poſſit confiteri privilegiato ſine licentiâ proprii Sacerdotis, ſcilicet Parochialis, & ſi ſine licentiâ fiat, utrum valeat confeſſio. Hic dubitationem adfert controverſia, quæ videtur eſſe inter Decretalem illam in ſacro Concilio factam, Omnis utriuſque, & quaſdam alias per Alexandrum nomine quintum qui fuit noviſſimè, & Clementem quartum.* Relatis Capite, *Omnis utriuſque ſexûs*, & Decretalibus aliis ſubjungit:

Breviter in hac materiâ nihil determinando dicam probabiliter quod ſentio, nihil de jure alicujus ſubtrahendo, neque Curatis, quorum eſt ordinaria poteſtas, nec Mendicantibus, quorum ſunt pulcra privilegia.

Pono ergo duas propoſitiones. I. Privilegiati & à Papa & ab Epiſcopo diœceſano commiſſi poſſunt ſine licentiâ Curati parochialis audire confeſſiones. II. Hujuſmodi privilegiati debent toto poſſe inducere parochianos ad amorem, reverentiam & honorem Curati, & quod ſe oſtendant Curato ſuo tanquam abſolutos à culpâ, & idoneos ad perceptionem hoſtiæ ſalutaris. Probatur prima, quia privilegiati & commiſſi poſſunt audire confeſſiones, ad audiendas illas non requiritur, niſi poteſtas ordinis & juriſdictionis, ſed poteſtas ordinis communis eſt omnibus Sacerdotibus: poteſtas autem juriſdictionis eſt eis data

 per

per privilegium, aut commiſſa. Hoc autem fieri poteſt, quia omnis habens juriſdictionem ordinariam poteſt aliis committere, ergo tales habent omnia requiſita ad confeſſiones licitè audiendas. Sed quòd ſine licentiâ proprii Sacerdotis ſcilicet parochialis poteſt, probatur. Aut enim parochianus licentiam petet, ut ſervet ordinem hierarchicum inter populum & Curatum parochialem, & hoc ſufficienter faciet per hoc, quòd poſtquam confeſſus fuit, veniet reverenter ad eum oſtendendo ſe illi confeſſum, qui habuit privilegium vel commiſſionem, aut hoc faciet, ut ſic vultum pecorum Paſtor agnoſcat, & ſciat nominatim oves ſingulas vocare, & hoc fieri non poteſt per petitionem licentiæ. Non enim poteſt Paſtor agnoſcere conſcientias per hujuſmodi petitionem. Præterea ſi neceſſaria eſt petitio & obtentio licentiæ multis præcluditur via ſalutis, puta ſi Sacerdos parochialis invidus eſſet contra Mendicantes & nemini parochianorum vellet dare licentiam. Et poſt alia ſic reſpondet ad Decretalem *Omnis utriuſque ſexus.*

Et primò, inquit, *ad Decretalem, Omnis utriuſque ſexûs, quia ibi proprius Sacerdos dicitur vel Ordinarius, qui eſt triplex, ſcilicet Papa, Epiſcopus diœceſanus, & Sacerdos parochialis vel commiſſus ab aliquo horum, aut privilegiatus, manifeſtum enim eſt, quòd commiſſus per Curatum parochialem poteſt audire confeſſiones. Cur ergo non poterit commiſſus per Papam vel Epiſcopum, & qui habent à Papa privilegium?* Deinde ita concludit: *In hac materiâ nec favore perſonæ, nec odio, nec timore hoc dixi, ſed profectò veritatis amore.* Hæc ille in MS. Codice, qui aſſervatur Lutetiæ in Bibliothecâ Navarrici Collegii. Quidquid autem Carlerius de hoc argumento diſputat, id totum ex Alberto, Thoma Bonaventura & Durando collegit, & ſuos in uſus derivavit.

Capitis conclusio, et perioche.

HÆc epocha complectitur res quatuor, conceſſum Fratribus ab Alexandro V. privilegium, Pariſienſis Epiſcopi & Academiæ interceſſionem, Joannis Gerſonis & Ægidii Carlerii de Fratrum in audiendis confeſſionibus poteſtate judicium Alexander revocatas à nonnullis & vindicatas Joannis Poliaci aſſertiones iterum proſcribit cum aliis quæ recèns adjectæ fuerant, tum eos, qui contrà ſentiunt in contumacibus & hæreticis ducendos, & hoc nomine plectendos eſſe decernit. Huic Conſtitutioni Pariſienſis Epiſcopus & Academia intercedunt, Gerſonem eligunt qui aſcendat in concionem, & interceſſionis iſtius cauſas palam proponat. Interim ſtatuitur, ut Mendicantes Fratres, qui diploma fraudulenter obtinuerant, ſegregentur ab Academiâ, donec Pontifex illud reſcindat, quod & Fratres ſi vellent, reſcindi cum primis curarent. Joannes Gerſo cùm mentem propriam aperit, rem ita temperare ſibi videtur, ut & paci Eccleſiaſticæ ſtudeat, & Presbyteros parochiales ac Fratres inter ſe conciliet. Ægidius Carlerius viam eandem inſiſtit rationibus, quas ſpectata per ſeipſa Papæ Epiſcoporum & Presbyterorum poteſtas ſuggerit, adhibétque aliorum diſtinctionem, quâ Lateranenſem interpretatur Canonem, ne ille placitis ſuis officere videatur.

CAPUT VIII.

Quid ab anno M. CCCCXXX. ad annum M. CCCCLX. circa Lateranenſem Canonem ejúſque materiam acciderit, refertur.

QUI ſuperiorem terminavit epocham, hanc inchoavit Ægidius Carlerius. Cur autem id ita fiat, rationem expono, & Carlerii verba deſcribo. Annus Chriſti agebatur milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus octavus, cùm Franciſcanus aliquis inſtituta ad populum concione articulos quinque propoſuit. Quibus qui Vicariam Tornacenſis Epiſcopi præfecturam gerebant, cùm offenderentur, rogarunt Carlerium, ut eos confutaret: confutavit utique. Sed omiſſis, quæ inſtituti non ſunt hujus, refero tantùm, quæ ad tertium & quartum articulum ſpectant. Articulus igitur tertius ſic ſe habet: *Quòd Cordigeri & omnes Mendicantes meliùs poſſent audire confeſſiones hominum, quàm Curati, nam poteſtatem, quam Curati habent, tantùm habent ab Epiſcopo, & ipſi habent poteſtatem à Papa. Dixit & in fine ſe habere poteſtatem Epiſcopalem.*

Quartus verò ſic: *Quòd Curati non debent alicui contradicere adminiſtrationem Euchariſtiæ, licèt parochiani ipſorum nunquam confiterentur eis in Eccleſiis ſuis parochialibus.* Et poſt alia.

Tertius articulus eſt erroneus, malè ſapiens in fide, puta contra divinam Scripturam Lucæ X. contra ordinem hierarchicum Eccleſiæ. Quia ſicut Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, ſic LXXII. diſcipulis Sacerdotes Curati. Unde ſicut ſtatus Epiſcoporum à Chriſto eſt inſti-

inſtitutus in Apoſtolis; ſic & Curatorum in LXXII. *diſcipulis. Hic ſcilicet* LXXII. *diſcipulos Dominus miſit binos & binos in omnem civitatem & locum, quò erat ipſe venturus: dat eis poteſtatem prædicandi, & cetera, quæ ad ſalutem animarum pertinent, exercendi; quia dat eis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones & ſuper virtutem omnem inimici, quæ eſt peccatum: dat poteſtatem curandi infirmos, non modò in corpore, ſed & in animâ, quæ omnia fiunt per remiſſionem peccati miniſterialiter in Sacramento pœnitentiæ: dat poteſtatem eis accipere cibos, & alia corpori neceſſaria, eo quòd habent poteſtatem ab eo ſpiritualia miniſtrandi. Huic teſtimonio Evangelico repugnat iſte articulus, quia dicit Curatos habere poteſtatem tantùm ab Epiſcopo. Hic error procedit ex ignorantia. Nam tria ſunt in unoquoque, ſubſtantia, virtus, operatio. Tria etiam in Sacerdote, poteſtas ordinis, juriſdictionis & executio ejus. Poteſtas ordinis eſt eſſentialis Sacerdotio, ſicut ſubſtantia in unaquaque re, poteſtas juriſdictionis eſt conſequens poteſtatem ordinis, ſicut virtus ſequitur ſubſtantiam, executio operationi correſpondet à Chriſto: ergo qui* LXXII. *diſcipulos miſit & in illis ſtatum inſtituit, ab eo eſt poteſtas ordinis & poteſtas juriſdictionis Curatorum, non ab Epiſcopis, ſed executio ab Epiſcopis derivata eſſe creditur, qui diviſerunt parochiales Eccleſias, & cuilibet ſuum rectorem inſtituiſſe non ambiguntur, ſicut à Summo Pontifice diœceſes, & cuilibet earum ſuum ordinaſſe Prælatum. Cuilibet ergo Presbytero competit poteſtas ordinis & juriſdictionis in foro poli, ſed non executio, donec ei data eſt materia. Scilicet ſubditi, in quos poſſet eam exercere, & hoc fit per Epiſcopum, & quoad hoc eſt verus articulus, non quoad poteſtates ordinis & juriſdictionis, in quo patet error dicentis indiſtinctè & excluſivè, quòd Curati tantùm habent poteſtatem ab Epiſcopo, & eſt contra ordinem hierarchicum Eccleſiæ, in quo ex ordinatione Chriſti primariâ, fuit Petrus Apoſtolorum Princeps inſtitutus, quanquam etiam ex conſenſu aliorum Apoſtolorum habuit uſum præſidentiæ; conſequenter Apoſtoli, deinde* LXXII. *diſcipuli, & nunc conformiter eſt unus ſupremus Rector Papa, poſtea Epiſcopi, conſequenter Curati in Hierarchiâ, ut divinus Dionyſius ait, infima reducuntur ad ſuprema per media. Hinc eſt, quòd Curati, qui tenent locum infimum prælationis ad Summum Pontificem redeunt per Epiſcopos. Non ergo à ſolis Epiſcopis Curati habent executionem juriſdictionis, ſed à Papa per medium Epiſcoporum, qui vocati ſunt ab eo in partem ſollicitudinis. Item quia cauſa prima magis influit, quàm ſecunda. Et eſt propinquior effectui quàm ſecunda quoad virtutem agendi, licèt non quoad ſuppoſita, Curati recipiunt magis à Summo Pontifice, & immediatiùs à plenitudine poteſtatis ejus executionem juriſdictionis in foro conſcientiæ, quàm ab Epiſcopis, & adhuc immediatiùs à gratiâ Dei, quàm ab aliquo illorum.*

In quarto articulo ſe miſit Frater iſte in labyrinthum. in contentionem antiquam; ſi parochiani confeſſati alicui habenti poteſtatem à Papâ audiendi confeſſiones & abſolvendi, teneantur confiteri ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſcilicet parochiali, eadem peccata, ut dicebat Magiſter Joannes de Poliaco, vel alia ſaltem venialia, ſi nulla mortalia expoſt commiſerint, vel omiſerint, præſertim propter canonem, Omnis utriuſque ſexûs. Debuit ſcire pro parte unâ, gloſſam illius, quæ per proprium Sacerdotem intelligit Curatum parochialem. Item debuit recordari ejus, quod dicit Doctor Seraphicus Bonaventura ſui Ordinis: ait enim, quòd confeſſi habentibus privilegium ſpeciale audiendi confeſſiones & abſolvendi caſus, qui requererentur à proprio Curato, tenentur confiteri ei, niſi aliqua cauſa rationabilis eos excuſaret: & ſi non habeat ſic confeſſus voluntatem confitendi ſemel in anno, vix crederem talem eſſe verè pœnitentem. Debuit etiam ſcire Decretales Alexandri & Clementis IV. & dicta Doctorum Alberti Magni, & ſancti Thomæ, ac ſuorum ſequacium dicentium pro parte alterâ, quòd confeſſi, &c. Fratri præſentato, &c. in formâ Decretalis Dudum, non tenentur eadem confiteri Sacerdoti parochiali, nec tenentur confiteri venialia etiam ſemel in anno, ut quidam dicunt: Alii, qui tenentur propter Decretalem, Omnis utriuſque ſexûs, & tamen ſive ſic ſive non, debent ſe præſentare eidem, & dicere ſe fuiſſe confeſſos & abſolutos ab illo, qui potuit, & expòſt non ſunt conſcii mortalis. & petere ſibi miniſtrari Euchariſtiæ Sacramentum, quibus debet Curatus credere in foro conſcientiæ, niſi appareret manifeſtè de fraude. Et ſic agnoſcit Curatus vultum pecoris ſui, & confeſſus ſatisfacit conſtitutioni, Omnis utriuſque ſexûs. Dicit etiam dominus Albertus in formâ propter officium Paſtorale & reverentiam Sacerdotum, & quia non eſt detrahendum eis coram ſubditis, videtur quòd privilegiatus debet injungere confeſſo, quatenus ad minus in generali oſtendat ſe Sacerdoti, ſi Paſtor eſt, aut etiam perpetuus Vicarius. Si autem conductus ad tempus, videtur quòd non oporteat. Ex quibus patet quòd iſte Frater graviter peccavit detrahendo honori & reverentiæ Curatorum, & maximè in præſentiâ ſuorum parochianorum. Ex quo ſequitur

quòd

quòd iſte articulus quantum ad iſta eſt injurioſus. Item ſicut dicit Petrus de Alverniâ & accipit ex dictis beati Auguſtini in Enchiridio, vel in 11. de libero arbitrio quatuor modis contingit aliquem errare in generali. Primo modo putando verum, quod falſum eſt. Secundo, putando falſum, quod verum eſt. Tertio, habendo certum pro incerto. Quarto, habendo incertum pro certo. Sic iſte Frater videtur errare, qui ea aſſertivè dogmatizat, quæ apud Doctores graviſſimos incerta ſunt. Unde hoc modo dicit memoratus de Alvernia, errare eos, qui dicunt Antichriſtum noſtro tempore determinato venturum, cùm ſcriptura etſi pro certo habeat, quòd eſt venturus, non tamen tali anno, menſe, aut die. Ceterùm illud exemplum dedi vobis, &c. de Chriſto, qui tradidit Judæ Euchariſtiam, quem ſciebat eſſe in mortali, non eſt ad propoſitum ſuum, quia hoc dictum fuit ad animandum diſcipulos ad humilitatem & correctionem Fraternam, quam oſtendit, in lotione pedum, & patet ex textu immediatè præcedente, ubi dicitur, Vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis. Si ergo lavi pedes vobis non tantùm corporeos, ſed etiam affectionum per mutuam ſcilicet correptionem caritativam & fraternam, ſequitur exemplum dedi vobis, &c. Scio quòd Curatus non debet denegare petenti publicè Euchariſtiam ei, quem ſcit duntaxat in foro conſcientiæ eſſe in mortali, tamen ſi ſine ſcandalo poteſt fieri, & per hoc non prodat peccatorem, poteſt eum movere ad partem, ut abſtineat. Hæc ille, quibus immoderatam Franciſcani orationem, & illatam Preſbyteris parochialibus injuriam coërcuit. Quæ Franciſcanus apud Carlerium de origine & inſtitutione Curatorum docet, Dominicanus antè docuerat Joannes Sarracenus, ut ex illius conſtat revocatione, quæ juxta Facultatis Theologiæ Pariſienſis decretum, facta eſt anno M. CCCCXXIX. III. Calend. Aprilis.

Dominicani propoſitiones ſunt iſtæ.

Primò, omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ alia à Papali poteſtate ſunt ab ipſo Papa, quantum ad inſtitutionem & collationem.

Secundò, hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediatè inſtituta à Deo.

Tertiò, non invenitur Chriſtum tales poteſtates ſcilicet alias à Papali expreſſiſſe tantùm, ſed ſupremam, cui commiſit Eccleſiæ fundationem.

Quintò, ex textu Evangelii non habetur expreſſè alicui Apoſtolorum niſi Petro auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sextò, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediatè a Deo, ſicut poteſtatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.

Dominicanus aſſertiones iſtas revocat & ait: *Volens propterea quantùm in me eſt, tollere omne ſcandalum, & eſſe filius obedientiæ & pacis, & aſſertor veritatis, dico nunc ex ordinatione ejuſdem matris meæ Facultatis Theologiæ, cujus ordinationi, diſpoſitioni & omnimodæ determinationi me ſubmiſi & ſubmitto, ac etiam ultroneâ voluntate profiteor veritates quæ ſequuntur.*

Prima, omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, alia à Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto quantùm ad juriſdictionem & collationem primariam, à Papa autem & ab Eccleſiâ quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem.

Secunda, hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino & immediatè inſtituta à Deo.

Tertia, invenitur in ſacrâ Scripturâ Chriſtum Eccleſiam fundaſſe, & poteſtates alias à Papali expreſſe ordinaſſe.

Quinta, ex textu Evangelii & doctrinâ Apoſtolorum habetur expreſſè. Apoſtolis & diſcipulis à Chriſto miſſis, auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.

Sexta, dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive ſint Curati, eſſe immediatè à Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Carlerius Falcutatis determinationem ſequitur in opere, quo Franciſcanum refellit. Carlerii opus nondum eſt editum, ſed manuſcriptum aſſervatur in Bibliothecâ Navarrici Collegii Pariſienſis.

Hoc in loco referenda eſt Eugenii IV. conſtitutio, quam Odoricus Raynaldus ad annum M. CCCCXLVII. ita refert: „Univerſis & ſingulis veneralibus Fratribus Patriar„chis, Archiepiſcopis, Epiſcopis ac dilectis filiis electis ac Abbatibus ubilibet conſtitutis, „ad quos præſentes pervenerint, *&c.* Dudum felicis recordationis Boniſacius Papa VIII. „prædeceſſor noſter in ſuâ, quæ incipit Super cathedram, conſtitutione, ſive Decreta„li, poſtea piæ memoriæ Clemens Papa V. etiam prædeceſſor noſter in Viennenſi Con„cilio innovavit, & quæ ſubſequenter ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & B. Mariæ „de Monte Carmelo. Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter „cetera ſtatuit & ordinavit, quòd in ſingulis civitatibus & diœceſibus in quibus Præ„dicatorum & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, „in quibus loca hujuſmodi non haberentur, Magiſtri & Priores, principales Prædica„torum, aut eorum Vicarii & Generales ac Provinciales Miniſtri, necnon Cuſtodes

„Mi-

„Minorum Ordinum prædictorum ad præſentiam Prælatorum ibidem ſe conferrent per ſe
„vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad
„hoc electi forent, in eorum Civitatibus & Diœceſibus confeſſiones ſuorum ſubditorum con-
„fiteri ſibi volentium audire liberè valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundùm
„Deum expedire cognoſcerent, pœnitentias imponere ſalutares, ac beneficium abſolutio-
„nis impendere de licentiâ, gratiâ & beneplacito eorum, præfatique Magiſtri, Priores ac
„Miniſtri ſtuderent eligere perſonas idoneas, ſufficientes, vitæ probatæ, diſcretas, modeſ-
„tas atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exequendum, quas ſic electas
„Prælatis ipſi præſentarent, vel facerent præſentari, ut de eorum licentiâ, gratiâ & bene-
„placito in Civitatibus & Diœceſibus eorundem perſonæ ſic electæ hujuſmodi confeſſio-
„nes ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac be-
„neficium abſolutionis impenderent, prout in ipſâ Conſtitutione ſive Decretali pleniùs
„continetur.

„Et licèt poſtmodum ad piæ recordationis Joannis Papæ XXII. etiam prædeceſſoris
„noſtri notitiam deducto, quòd quondam Joannes de Poliaco, Magiſter in Theologiâ ſe-
„ſequentes articulos tenuerat, publiceque docuerat, videlicet, quòd confeſſi Fratribus
„licentiam generalem audiendi confeſſiones habentibus eadem peccata, quæ confeſſi fue-
„rant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur, ac ſtante Decreto, Omnis utriuſque
„ſexûs, in Concilio generali, nec Deus vel Romanus Pontifex facere poſſet, quòd Pa-
„rochiani non tenerentur omnia peccata ſua, ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſcilicet pa-
„rochiali Curato confiteri, quodque non poſſet Papa generalem dare poteſtatem audiendi
„confeſſiones, immo nec Deus, quia confeſſus generalem habens licentiam teneretur eadem
„iterum ſuo proprio Sacerdoti veluti parochiali Curato confiteri dictus Joannes prædeceſſor,
„à verbis, Vas electionis, exordium ſumens, habitâ inde per plures ſacræ paginæ Profeſſores
„examinatione diligenti, necnon de venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium con-
„ſilio & aſſenſu præfatos articulos tanquam falſos ac erroneos & à ſanâ doctrinâ devios aucto-
„ritate Apoſtolicâ damnaverit & reprobaverit, ipſeque Joannes de Poliaco veris rationibus
„opinioni, quam dudum habuerat, contrariis, & quibus reſpondere non poterat demonſtratis,
„& eoſdem articulos non eſſe veros affirmans, illos in Conſiſtorio publico, necnon ipſorum
„Joannis Papæ, & Cardinalium præſentiâ revocaverit. Tamen ſicuti nuper Fratrum Ordinum
„eorundem lamentabili querelâ ad noſtrum ſine diſplicentiâ gravi pervenit auditum, plures
„Eccleſiaſticæ, necnon aliæ ſexûs utriuſque perſonæ reprobos ſuperſtitioſoſque hujuſmodi
„articulos amplexantes, fideliumque animos inficere, ac eos ut Fratribus Ordinum hujuſ-
„modi non confiteantur, & ab illorum devotione retrahere molientes nedum prædictos,
„ſed & alios etiam ſacris Canonibus omnino contrarios articulos adſtruere publicè non ve-
„rentur: videlicet quòd confeſſio Fratribus ſic electis admiſſis facta dubitabilis & incerta
„ſit, unde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus cu-
„ram animarum habentibus ſub pœnâ peccati mortalis: & quamvis ipſi Fratres admiſſi
„auctoritatem habeant confeſſiones audiendi & abſolvendi, tamen ad eos accedendi po-
„pulus ſubjectus ſine licentiâ proprii Sacerdotis non habet poteſtatem. Fratres quoque pri-
„vilegia pro confeſſionibus audiendis & ſepulturis habendis petentes in peccato mortali,
„& Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, ſive confirmantes etiam in ſimili
„peccato, & excommunicati eſſent, ac dicti Fratres Mendicantes non Paſtores, ſed fures,
„latrones & lupi cenſentur. Sacerdos autem Curatus Mendicantibus confeſſiones audiendi
„licentiam dans magis ſuper ipſo Statuto, Omnis utriuſque ſexûs, diſpenſat, quàm Papa Fra-
„tribus licentiam tribuens juxta formam Decretalis antedictæ.

„Nos igitur animarum, & alia, quæ præmiſſorum articulorum occaſione, niſi prodeuntes
„inde confutarentur errores, ſuccedere poſſent pericula trepidantes, ac illis quantùm in nobis
„fuerit, obviare cupientes, omnes articulos prædictos unà cum venerabilibus Fratribus noſtris
„S. R. E. Cardinalibus maturè inſpeximus, & per diverſos in Jure Canonico Doctores, ac
„ſacræ paginæ Profeſſores diligenter examinari fecimus: & quia protinus illos falſos & erro-
„neos ac eiſdem adverſos fore reperimus, illos de dictorum Fratrum noſtrorum S. R. E.
„Cardinalium conſilio & aſſenſu auctoritate Apoſtolicâ pro falſis, erroneis & adverſantibus
„ſacris Canonibus damnatos reprobatoſque declaramus atque decernimus. Quocirca Univer-
„ſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrûm quando ſuper iis à
„quoquam prædictorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium ſuper
„præmiſſis privilegiatorum Miniſtro Generali aut Provinciali, miniſtro Vicario, vel aliud
„gerente officium, fueritis requiſiti ad confutandos & reprimendos, ac penitus tollendos hu-
„juſmodi errores, prout in præfatis ſive Conſtitutione, Super Cathedram, extravagante, Vas
„electionis, continetur, diligenti ſtudio atque curâ provideatis ac intendatis, præfataſque

„conſtitutiones integrè ſervantes, faciatis ab omnibus inviolabiliter obſervari. Et ſi aliquos
„forſan hujuſmodi damnatos, ut præfertur, articulos, aut aliquem, ſeu aliquos pertinaciter
„aſſerere, vel tenere, ſeu prædicare invenietis, contra illos communiter vel diviſim tam-
„quam contra hæreticos & de fide Catholicâ ſuſpectos procedere, necnon ipſos & eorum que-
„libet juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris oppor-
„tuna remedia auctoritate prædictâ compeſcere ſtudeatis, in contrarium facientibus non obſ-
„tantibus quibuſcunque. Nulli ergo, &c. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno Incar-
„nationis Dominicæ M. CCCCXLVI. XVII. Cal. Februarii, Pontificatus noſtri anno XVI.

Eugenius inſtaurat conſtitutiones duas Bonifacii VIII. & Joannis XXII. quibus quæ Pontifices illi duo condemnarunt, iterum condemnat, & condemnando Martinum IV. deceſſorem ſuum condemnat. Martinus enim id ipſum docuerat. & decreverat quod Joannem de Poliaco docuiſſe ſcribit. Eugenius ſcribit: *Joannes de Poliaco Magiſter in Theologiâ publicè docuerat, videlicet quòd confeſſi Fratribus licentiam generalem audiendi confeſſiones habentibus, eadem peccata quæ confeſſi fuerant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur.* At Martinus IV. ante Joannis Poliaci tempus Statuerat in conſtitutione, quæ incipit, *Ad uberes fructus. Volumus, quòd ii qui Fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout Concilium generale Statuit, nihilominus teneantur, quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter ſecundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur.*

Deinde Eugenius decrevit, quæ Boniſacius VIII. & Joannes XXII. non decreverant, etiamſi dicat ſe illorum conſtitutiones duntaxat innovare: Quæ enim in Eugenii conſtitutione ſequuntur: *Et ſi aliquos forſan hujuſmodi damnatos, ut præfertur, articulos, aut aliquem, ſeu aliquos pertinaciter aſſerere vel tenere ſeu prædicare invenietis, contra illos communiter vel diviſim tanquam contra hæreticos & de fide Catholicâ ſuſpectos procedere Studeatis*, in Boniſacii VIII. & Joannis XXII. conſtitutionibus non habentur.

Guillelmus Caſtrofortius Pariſienſis Theologus, qui ad annum M. CCCCL. floruit, & Navarræ Collegium q adminiſtrare cœpit, in quartum ſent. diſt. XVII. Carlerii doctrinam èxequitur. Sic enim ſcribit: *Sed adhuc non minùs gravis difficultas emergit: Utrum ſcilicet privilegiato poſſit fieri confeſſio ſine licentiâ proprii Sacerdotis. In hac autem materiâ aliquid eſt certum, & aliquid dubium. Certum eſt enim quòd Sacerdoti juriſdictionem non habenti ſive ordinariam, ſicut Papa, Epiſcopus & Sacerdos parochialis, ſive ex commiſſione, ut pœnitentiarii Papæ & Epiſcopi, & privilegiati non licet audire confeſſiones & pœnitentias imponere.*

Et hæc ſit prima concluſio: In hac enim Doctores conveniunt. Probatur: Quia actus noſtri ab aliquo diſpenſari non poſſunt, niſi per imperium, ſed ad Sacramentum pœnitentiæ, cujus partes ſunt contritio, confeſſio & ſatisfactio, requiritur proprius actus pœnitentis. Qui enim creavit te, non ſalvabit te ſine te, & regeneravit ſine te, non juſtificabit te ſine te. Imperium autem in actuum noſtrorum diſpenſatione non fit, niſi à Superiori juriſdictionem habente ad eum, cui imperat. Ergo non habenti juriſdictionem non licet beneficium abſolutionis diſpenſare, imò nec poteſt. Duobus ergo impediri poteſt, ne confeſſio ſacramentalis facta alicui valeat. Primò, quia ille non eſt Sacerdos, cui fit. Secundò, quia ſi ſit Sacerdos non habet juriſdictionem. Ex quo ſequitur, quòd Monachus clauſtralis, aut alius, cui cura animarum commiſſa non eſt, nec habet privilegium, nec eſt ſpecialiter commiſſus à Papa, Epiſcopo, vel Sacerdote parochiali, talis non poteſt pœnitentias injungere & abſolvere. Patet ex dictis.

Difficultas tamen eſt, utrum quis poſſit confiteri habenti privilegium ſine licentiâ proprii Sacerdotis. Triplex autem dicitur eſſe proprius Sacerdos, ſcilicet Papa, Epiſcopus diœceſanus & Sacerdos parochialis, & quia privilegium datur à Papa vel Epiſcopo, non à Curato, qui habet privilegium, habet & licentiam à duobus propriis Sacerdotibus, Papa & Epiſcopo, ſed non à ſuo Curato.

Quæritur ergo utrum quis poſſit confiteri privilegiato, ſine licentiâ proprii Sacerdotis ſcilicet parochialis, & ſi fiat ſine licentiâ utrum valeat confeſſio. Hîc autem dubitationem adfert controverſia, quæ videtur eſſe inter decretalem illam in ſacro Concilio factam, Omnis utriuſque ſexûs, & quaſdam alias per Alexandrum Papam non eum, qui noviſſimè fuit & Clementem IV. dicitur enim ſic in decretali, Omnis utriuſque ſexûs, Omnia peccata ſua confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti vel alieno. priùs tamen à proprio Sacerdote impetratâ veniâ, quoniam aliter ille ipſum non poteſt abſolvere vel ligare, & ſuſcipiat reveren-

q *Adminiſtrare cœpit.*] Id contigiſſe circa annum 1454. narrat ipſemet Launoius in Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis Hiſtoriâ Cap. VII. Partis 3. Lib. 2.

reverenter ad minus in Paſchâ Euchariſtia Sacramentum. Et paulo pòſt ſequitur : *In eâ-*
dem Decretali ad propoſitum. Siquis autem alieno Sacerdoti voluerit juſtâ de causâ confiteri
peccata, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe eum non
poſſit abſolvere vel ligare, & ibi expreſſe gloſſa loquitur de Prædicatoribus & Minoribus,
qui etſi populum ſibi ſubjectum non habeant, tamen habeant privilegium. Quærit ergo gloſſa,
utrum privilegium ſtatuit, ut parochianum aliquem poſſint ibi recipere ad pœnitentiam ſine li-
centiâ proprii Sacerdotis. Et reſpondendo ſic dicas, quòd ſufficit privilegium ſine licentiâ pro-
prii Sacerdotis. Privilegium enim æquiparat eis qui à populo ſunt electi, vel illis, qui ab
Epiſcopo vel aliis populo præficiuntur, &c. In Decretali autem Alexandri dicitur, quòd de
licentiâ & commiſſione Epiſcoporum & Legatorum Domini Papæ, & quorumcumque Ordina-
riorum licitum eſt Prædicatoribus & Minoribus audire confeſſiones inferiorum aſſenſu minimè
requiſito, & qui contrarium pertinaciter aſſerit, tanquam contumax & rebellis Eccleſiæ Ro-
mana habeatur. Et poſt alia :

Breviter in hac materiâ nihil determinando dicta aliquorum recitabo, qui nihil de jure ali-
cujus ſubtrahere videntur, neque Curatorum, quorum eſt ordinaria poteſtas, neque Mendican-
tium, quorum pulchra ſunt privilegia. Pono ergo duas concluſiones, quarum prima eſt iſta :

„Privilegiati à Papa, vel Epiſcopo diœceſano commiſſi poſſunt ſine licentiâ Curati paro-
„chialis audire confeſſiones.

„Secunda propoſitio. Hujuſmodi privilegiati debent toto poſſe inducere parochianos
„ad amorem, reverentiam & honorem Curati, & quòd ſe oſtendant Curato ſuo tanquam
„abſolutos à culpâ, & idoneos ad perceptionem hoſtiæ ſalutaris. Probatur. Prima ſcilicet,
„quòd privilegiati poſſunt audire confeſſiones quia ad illas audiendas non requiritur, niſi po-
„teſtas ordinis & juriſdictionis. Sed poteſtas ordinis communis eſt omnibus Sacerdotibus. Po-
„teſtas autem juriſdictionis eſt eis data per privilegium, aut commiſſa. Hoc autem fieri po-
„teſt. Omnis enim habens juriſdictionem ordinariam poteſt illam aliis committere. Ergo tales
„habent omnia requiſita ad confeſſiones licitè audiendas. Sed quòd ſine licentiâ proprii Sa-
„cerdotis ſcilicet parochialis, probatur, quia aut parochianus licentiam petet, ut ſervet
„ordinem hierarchicum, qui eſt inter populum & Curatum parochialem, & hoc ſufficien-
„ter faciet per hoc quòd poſtquam confeſſus fuerit, veniet reverenter ad eum oſtendendo
„ſe illi fuiſſe confeſſum, qui habuit privilegium, vel commiſſionem, aut hoc faciet, ut ſic
„vultum pecoris paſtor agnoſcat, & ſciat nominatim ſingulas oves vocare, & hoc fieri non
„poteſt per petitionem licentiæ. Non enim poteſt Paſtor conſcientias cognoſcere per hujuſ-
„modi petitionem. Præterea, ſi neceſſaria eſſet hujuſmodi petitio & obtentio licentiæ, mul-
„tis præcluderetur via ſalutis, puta, ſi Sacerdos parochialis inviduus eſſet contra mendican-
„tes, & nemini parochianorum vellet dare licentiam.

„Secunda propoſitio patet ex dictis Alberti. *Et paulo pòſt.* Et per iſta, quæ poſita ſunt,
„patet ad rationes ponentium, quòd ſolus proprius Sacerdos poſſit abſolvere & pœnitentias
„injungere. Et primò ad Decretalem, Omnis utriuſque ſexûs, dicitur, quòd ibi proprius
„Sacerdos vocatur vel ordinarius, qui eſt triplex, ſcilicet, Papa, Epiſcopus diœceſanus, &
„parochialis Sacerdos, vel commiſſus ab aliquo horum, vel privilegiatus : manifeſtum enim
„eſt quòd commiſſus per parochialem Curatum poteſt audire confeſſiones, cur ergo non
„poterit commiſſus per Papam vel Epiſcopum, & qui habet à Papa privilegium ? Unde &
„gloſſam allegatam non concedunt iſti, qui hanc viam tenent, cùm multis ſolemnibus Doc-
„toribus contradicat. *Et poſt pauca :* In hac materiâ nec favore perſonæ, nec odio, nec
„timore ſe aſſerunt dixiſſe, qui ſupradictas propoſitiones poſuerunt, ſed tantùm ut eis vide-
„tur veritatis amore. Hæc ex MS. Codice, qui in Bibliothecâ Navarrici Collegii aſſervatur.
Idem omnino ſentit quod Carlerius cap. ſuperiori, & veteres quidam alii. Quippe qui ex Car-
lerii & veterum ſcriptis & membra & integrum corpus ſuos in Commentarios tranſtulit.

Nicolaus V. ad annum M. CCCCXLVIII. Minoribus de Obſervantia privilegium tale con-
ceſſit : „Nicolaus Papa V. dilectis filiis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scimus popu-
„los Civitatum, Terrarum & Locorum, apud quæ loca habitatis, exemplo allectos & inductos
„religioſæ vitæ, quam Domino concedente ducitis, libenter ad confitendum vobis, & ſacratiſſi-
„mam communionem de manibus veſtris accipiendum confluere. Unde illis ſatisfacere va-
„leatis devotioni veſtræ audiendi in confeſſionibus omnes quarumcumque Diœceſium, & in
„illis extremos ac forenſes abſolvendi quoque etiam in caſibus, quos Diœceſani locorum,
„in quibus ad audiendum deputati eſtis, duxerint concedendos, & in omni præterquam in
„die Reſurrectionis prædictam ſacratiſſimi corporis Dominici communionem dandi auctorita-
„te Apoſtolicâ concedimus per præſentes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo
„Piſcatoris, die XV. Aprilis M. CCCCXLVIII. Pontificatus noſtri anno II.

Ad annum M. CCCCLI. Joannes Bartholomæus Minor Rotomagi concionem habuit,

& de confeſſione dixit multa, quæ Pariſienſis improbavit Academia. Res ſic ſe habet in illius Commentariis. *Anno Domini* M. CCCCLI. *die quartâ menſis Decembris fuit Alma Pariſienſis Univerſitas apud ſanctum Maturinum horâ octavâ de mane ſolemniter congregata ad audiendum quaſdam informationes factas ex parte Promotoris domini Archiepiſcopi Rotomagenſis contra & adverſus quemdam Fratrem Joannem Bartholomæi Ordinis Fratrum Minorum. Expoſuit Dominus Rector, qualiter prædictus Frater quamplurimos ſermones in villa Rotomagenſi, & partibus circumvicinis fecerat, & in illis palam & publicè quaſdam propoſitiones fecerat, ſeu dixerat in præjudicium Curatorum, & virorum Eccleſiaſticorum, ac eorum jurium, puta, quòd parochiani poſſunt liberè ſe Mendicantibus per Ordinarios admiſſis confiteri, abſque Curatorum licentia, & illis eos abſolvere, nec prima peccata Mendicantibus confeſſa ipſis Curatis iterum confiteri, prout tunc latiùs extitit lectum in congregatione, & contentum in informatione. Quare ex conſilio deputatorum Domino Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis, ac Decano Facultatis Theologiæ inhibitiones fecerat dictus Dominus Rector, ne eum ad gradum licentiæ in prædictâ Theologiæ Facultate admitterent, donec & quouſque peramplius Univerſitas deliberaſſet, & ordinaſſet, & prædictum Fratrem audiviſſet, qui perſonaliter comparens dixit, nunquam velle & voluiſſe quicquam in præjudicium Curatorum dixiſſe & dicere. Sed cùm quærebatur an ſemel in anno, obſtante quocunque privilegio, parochiani ſuis Curatis teneantur confiteri juſtâ cauſâ ceſſante, generaliter ut priùs, & non aliter voluit reſpondere. Et quantum ad iſtum articulum non eſt habita concordia, ſed ejus licentia ſeu præſentatio facienda ad gradum quouſque impedita, & hanc materiam remiſit natio mater ad Facultates Theologiæ & Decretorum.*

Hæc de illa controverſiâ, quæ quinquennio pòſt recruduit.

Philippus Lingonenſis Epiſcopus in Synodo, quam anno M. CCCCLII. habuit de rebus ad Canonem, *Omnis utriuſque ſexûs*, pertinentibus ſic decernit: „Mandamus ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, quòd ſingulis diebus quadrageſimæ Dominicis habeant illud Statutum ſalutare ſuis parochianis, Omnis utriuſque ſexûs, de pœnit. & remiſſ. in Concilio generali „editum, publicare & exponere, ſobriè tamen loquendo quod vult in effectu, quòd omnis „utriuſque ſexûs fidelis ſemel in anno à ſuo proprio Curato Sacerdote pœnitentiam debet „recipere, & ſacramentum Euchariſtiæ ad minus in Paſcha. *Deinde iſtud:* Et ne detur materia Fratribus Mendicantibus querelandi, volumus, quòd in fine publicationis Conſtitutionis „prædictæ, Omnis utriuſque ſexûs, &c. ſubinferatur & publicè, quòd per hoc non intendimus præjudicare privilegiis ſuper audiendis confeſſionibus eiſdem Fratribus conceſſis, ſubjungendo, quòd Fratres nobis præſentati poſſunt audire confeſſiones liberè & confitentibus eiſdem pœnitentias ſalutares impertiri de commiſſis *.

„Item ne remaneat aliqua hæſitatio, quis proprius dicatur Sacerdos, declaramus, prout „Doctores & jura declarant, quòd proprius Sacerdos eſt Papa, ejus Legatus, Epiſcopus & „Pœnitentiarius diœceſanus, & ejus Vicarius Generalis, & ille, cui cura parochialis ſuæ Eccleſiæ eſt commiſſa, ſive Rector, ſive Vicarius. Hæc licèt per ſeipſa ſplendeant, nec luce alienâ indigeant, tamen non explicant, utrum qui confeſſus eſt fratribus, iterum Sacerdoti proprio confiteri ſemel in anno teneatur. Id priora verba ſatis indicant, ſed ne apertè concludatur, poſteriora impediunt.

Anno M. CCCCLV. Argentorati excitata eſt inter hujus urbis Presbyteros & Mendicantes controverſia, quam Calixtus III. peculiari Conſtitutione ſic tractat apud Lucam Wadingum in Annalibus Minorum: *Ad futuram rei memoriam.*

„Ad ea libenter intendimus, &c. Sanè pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Alberti Ducis Auſtriæ, & Alberti Ducis Bavariæ, ac Communitatis & hominum Argentinenſium, nec non Prædicatorum, Minorum & aliorum Mendicantium „Ordinum, Priorum, Guardianorum & Fratrum domorum in Civitate Argentinâ conſiſtentium nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd nonnulli parochialium Eccleſiarum Rectores dictæ Civitatis, homines & Fratres Mendicantes prædictos moleſtare „& inquietare præſumunt, aſſerentes quòd quilibet hominum Argentinenſium ſemel in anno eiſdem Rectoribus ſub pœnâ peccati mortalis, confiteri teneatur: propter quod ſiquis „alicui Fratrum Mendicantium, & non Rectori ſuæ parochialis Eccleſiæ confeſſus eſt, „Euchariſtiæ ſacramento privatur, in maximum dictorum hominum ſcandalum pariter „& detrimentum. Quare pro parte Ducum, Communitatis & hominum, necnon Priorum, Guardianorum ac Fratrum prædictorum aſſerentium, quòd niſi per Sedem Apoſtolicam de remedio provideatur opportuno, in partibus illis plura ſcandala veriſimiliter ſubſequentur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ad omne dubium tollendum ſuper privilegiis eiſdem Fratribus Mendicantibus conceſſis, pro ipſorum homi-

„num

* Quædam hic interjacent.

„num devotione ipſi Fratres Mendicantes, omnium utriuſques ſexûs perſonarum in Civitate
„& Diœceſi Argentinenſi conſiſtentium confeſſionem, eiſdem Rectoribus minimè requiſitis,
„audire liberè & licitè poſſint, indulgere & decernere ac declarare, & aliàs ſuper his op-
„portunè providere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur, qui quantum cum
„Deo poſſumus, libenter diſſenſionibus & ſcandalis obviamus, prædeceſſorum noſtrorum
„Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, qui ſuper iis per Clementinam, quæ inci-
„pit, Dudum, de ſepulturis, ſalubriter providerunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclina-
„ti, ut prædicti Fratres Mendicantes omnium & ſingularum utriuſque ſexûs perſonarum
„in Civitate & Diœceſi Argentinenſi conſiſtentium confeſſiones, dictis Rectoribus minimè
„requiſitis, audire, prædictos Mendicantes adire, & ipſis confiteri, & pœnitentiam hu-
„juſmodi ſalutarem ab eiſdem ſuſcipere liberè & licitè poſſint & valeant auctoritate Apoſ-
„tolicâ tenore præſentium juxta tenorem dictæ Clementinæ indulgemus, quodque ob
„hoc prædicti parochialium Eccleſiarum Rectores eiſdem perſonis Euchariſtiam & alia ſa-
„cramenta Eccleſiaſtica denegare nequeant, harum ſerie decernimus; necnon ſi prædictæ
„perſonæ ſemel in anno eiſdem Fratribus Mendicantibus confeſſæ fuerint, peccata dic-
„tis Fratribus confeſſa non ampliùs prædictis parochialium Eccleſiarum Rectoribus con-
„fiteri teneantur. eâdem auctoritate juxta eandem Clementinam declaramus; mandantes
„prædictis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus ne ſub pœnâ excommunicationis Conceſſioni,
„decreto & declatationi hujuſmodi contradicere, ſeu contra præmiſſa quomodolibet atten-
„tare præſumant. In contrarium quomodolibet facientes, &c. nonobſtantibus Conſtitutio-
„nibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli, *&c.* Siquis,
„*&c.* Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCLV. ſe-
„cundo Idus Martii, Pontificatus noſtri anno primo. In hac Conſtitutione parochialium Ec-
cleſiarum Rectores causâ cadunt. Pontifex enim declarat, neceſſe non eſſe, ut qui peccata
ſua confeſſi ſunt Fratribus, eadem Presbyteris parochialibus iterum confiteantur.

Anno Chriſti M. CCCCLVI. ineunte, certa quædam Bulla delata eſt Lutetiam, atque Officiali Pariſienſi ut admitteretur, à Carmelitis nonnullis exhibita. Lucas Wadingus tom. VI. Annalium ſcribit Nicolai V. fuiſſe Bullam, quâ alteram Eugenii IV. Bullam circa liberam peccatorum confeſſionem à quibuſcunque fidelibus apud Mendicantes faciendam Pontifex ille confirmavit.

Hoc autem ubi reſcivit Pariſienſis Academia interceſſit Bullæ, & Mendicantes à ſuo conſortio ſummovit uſque dum illam à Pontifice revocari curaſſent. Id ita teſtantur [a] Academiæ Commentarii, quo tempore Guillelmus Rivetus Academiam regebat.

„Noverint univerſi, quòd anno Domini M. CCCCLVI. die Sabbati XXII. menſis
„Maii, Almâ Univerſitate Studii Pariſienſis apud ſanctum Maturinum ſolemniter congre-
„gatâ, & ſpecialiter convocatâ ad audiendum lecturam copiæ cujuſdam Bullæ per quoſ-
„dam Fratres de Ordine Carmelitarum, Officiali Pariſienſi præſentatæ, inter cetera con-
„cluſum extitit unanimiter, ipſis auditis, quòd diſplicebat impetratio hujuſmodi Bul-
„læ, & videtur quòd ſit ſcandaloſa, turbativa pacis & concordiæ, ſubverſiva ordi-
„nis hierarchici Eccleſiæ ac ſubreptitia. Placet formare appellationem præſertim in
„quantum derogat hujuſmodi Bulla juri communi, Decretali, Omnis utriuſque ſexus,
„& Clementinæ Dudum, de ſepulturis. Dicta appellatio Generali Carmelitarum, & ce-
„teris Mendicantibus, domino Epiſcopo Pariſienſi, & aliis dominis Prælatis Eccleſiæ
„reſcribatur, Univerſitatibus Regni, & etiam extra Regnum, Summo Pontifici, ceteris
„Prælatis Eccleſiæ, ac etiam dominis temporalibus. Convocentur Mendicantes ad Uni-
„verſitatem die Lunæ proximâ congregandam, viſuri ſuas privationes, ſi dictæ impe-
„trationi renunciare noluerint, & impetrare revocatoriam ipſius inquantùm præjudicat
„vel derogat Decretali, Omnis utriuſque ſexûs, & Clementinæ Dudum de ſepulturis,
„& habeant ponere ipſam Bullam penes Univerſitatem. Requirantur Prælati, quòd non
„admittant Fratres Mendicantes ad prædicandum in ſuis Diœceſibus, donec renunciave-
„rint & obtinuerint revocatoriam. Exnunc privat omnes Mendicantes juratos à gremio
„ſuo, ſed executionem privationis ſuſpendit uſque ad diem Lunæ proximam. Alios au-
„tem non juratos reſecat à ſuſceptione graduum quorumcunque, & acquiſitione tempo-
„ris in quacunque Facultate Pariſienſi, donec renunciaverint dictæ impetrationi, in quan-
„tum præjudicat ut ſuprà. Datum in noſtrâ Congregatione generali ſolemniter celebratâ,
„loco, anno, die, & menſe, quibus ſuprà.

Conſequenter die Lunæ proximè ſubſequente, quæ fuit XXIV. *Maii anno Domini* M. CCCCLVI. *Almâ ipſâ Univerſitate ſpecialiter convocatâ & ſolemniter congregatâ apud ſanctum*

[a] *Academiæ Commentarii*] De hacce controverſiâ fuſiùs tractat Bulæus Tom. 6. Hiſt. Univerſitatis Paris.

Maturinum ad audiendum ea, quæ vellent dicere Dominus Generalis Carmelitarum, & ceteri de Ordinibus Mendicantium ſuper facto dictâ Bullâ, qui ad hoc erant ſpecialiter vocati & citati. Quibus citatis per Rectorem, & eorum reſponſis in plena Univerſitate auditis inter cetera concluſum extitit, quòd in fine Congregationis ſummarentur & requirerentur renunciare dictæ Bullæ, & ejus revocatoriam pro quanto derogat juri communi, Decretali, Omnis utriuſque ſexûs, & Clementinæ Dudum, promitterent impetrare infra certum tempus ſub pœnis dictis, quod facere renuerunt & diſtulerunt. Idcirco ipſa Univerſitas extunc omnes juratos de dictis Mendicantium Ordinibus reputavit, & declaravit perjuros, & privatos à gremio & conſortio ipſius. Non juratos autem reſecavit à ſuſceptione graduum quorumcunque, & acquiſitione temporis Pariſius in quâcunque Facultate. Et voluit, quòd de hujuſmodi privationibus affigerentur illico ſchedulæ in valvis Eccleſiarum, & quadriviis vicorum Pariſienſium & alibi. Datum in Congregatione, ut ſuprà, anno, die, menſe prædictis.

Segregati ab Academiâ Pariſienſi Mendicantes quomodo poſtea in illius gratiam redierint, ſic in memoratis Commentariis declaratur: *Multiplicibus convocationibus & congregationibus habitis inter ſolemnes deputatos Almæ Univerſitatis Pariſienſis, & nonnullos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium ſuper quâdam Bullâ ſcandaloſâ, pacis & concordiæ ſubverſivâ, & ordinis Hierarchici Eccleſiæ, ac ſubreptitiâ, propter quam prædicti Fratres à gremio Univerſitatis antedictæ reſecati fuerunt. Tandem interpellationibus ac interlocutionibus illuſtris Principis Conneſtabularii Franciæ, necnon Reverendiſſimorum & Reverendorum in Chriſto Patrum ac Dominorum Archiepiſcopi Remenſis, & Epiſcopi Pariſienſis, habita eſt concordia in modum, qui ſequitur.*

„In nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat
„evidenter, & ſit notum, quòd anno ab Incarnatione ejuſdem M. CCCCLVI. Indictio-
„ne V. die verò XVIII. menſis Februarii, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Do-
„mini noſtri Domini Calliſti divinâ providentiâ Papæ III. anno II. Almâ Univerſitate
„ſtudii Pariſienſis, apud ſanctum Bernardum ſolemniter congregatâ adſtantibus ibidem
„quampluribus ſacræ Theologiæ & Decretorum Doctoribus, in Medicinâ & in Arti-
„bus Magiſtris, ſingularumque Facultatum & Nationum Decanis & Procuratoribus, ve-
„nerabili & ſcientifico viro Magiſtro Ludovico Scanulieghe dictæ Univerſitatis & Rec-
„tore præſidente, & exponente, quòd præfatam Univerſitatem congregari fecerat ſu-
„per duobus articulis. Quorum articulorum primus erat ad audiendum aliqua proponen-
„da per illuſtrem Principem Dominum Arturum de Britanniâ Comitem Richemundiæ,
„& Franciæ Conneſtabularium, necnon Archiepiſcopum Remenſem, primum Franciæ
„Parem, & Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Guillelmum Quadrigarii Epiſco-
„pum Pariſienſem, ſuper certâ controverſiâ ortâ inter præfatam Univerſitatem, & Do-
„minos religioſos quatuor Ordinum Mendicantium occaſione cujuſdam Bullæ per dictos
„Religioſos impetratæ, ſubverſivæ, ut ferebatur, Status ordinis hierarchici, pacis &
„unionis inter Religioſos & ſæculares quondam factæ & juratæ enervativæ in manibus
„præfati Reverendi Patris Epiſcopi Pariſienſis, ad requiſitionem ipſius Univerſitatis. Secun-
„dus articulus erat ſuper ſupplicationibus & injuriis. Quibus articulis per dictum Dominum
„Rectorem in medium poſitis.

„Veniendo ergo ad primi articuli declarationem expoſuit tunc Rector, quòd præ-
„fati Domini Conneſtabularius, Archiepiſcopus Remenſis, & Epiſcopus Pariſienſis
„erant in Eccleſiâ dicti loci ſancti Bernardi, & quòd ob reverentiam ipſorum bo-
„num eſſet & honeſtum, quòd aliqui ex dominis Doctoribus irent eis obviam quo
„dicto deliberato ita factum eſt. Tunc illico & incontinenti præfati Dominus Con-
„neſtabularius & alii aſſociati pluribus Baronibus, militibus, ſcutiferis, nobilibus &
„aliis perſonis intraverunt locum Capitularem, in quo præfata Congregatio habeba-
„tur: & ipſis ſedentibus in conſpectu Domini Rectoris, præfatus Dominus Conneſta-
„bularius dirigendo ſermonem ſuum, primò ad ipſum Dominum Rectorem, & deinde ad
„totam Univerſitatem honorificè, & reverenter, præſentibus ibidem etiam Dominis Reli-
„gioſis Mendicantibus quatuor Ordinum prædictorum in copioſo numero, verbis Gallicis
„expoſuit, quòd præfati Religioſi ad ſuam præſentiam pluribus & iteratis vicibus acceſ-
„ſerant, eidem ſupplicando, quatenus vices ſuas impendere vellet ad media pacis trac-
„tanda inter ipſos Religioſos & Univerſitatem Pariſienſem præfatam; dicens ulteriùs,
„quòd quia boni Principis eſt laborare ad ea, quæ pacis ſunt, ipſe, & præfati Domi-
„ni ſibi aſſiſtentes, modos & vias, per quas concordiæ, & pacis fœdera & unio ad ca-
„put, ſcilicet Religioſorum Mendicantium ad Univerſitatem eorum matrem, quæ dulciſſimo
„ſcientiæ lacte eos nutrivit, & melle virtutum eos pavit, juribus Univerſitatis inconcuſſè
„manentibus, deliberaverunt. Qui modi dictarum pacis & concordiæ de mandato præfati

Prin-

„Principis, per organum viri literati Magiſtri Guillelmi Papyri Domini noſtri Regis Con-„ſiliari, prudenter & eleganter & bono ordine, in conſpectu dictæ Univerſitatis propa-„gati fuerunt & publicati, præſentibus dictorum Ordinum Fratribus expreſſè conſentientibus „in hunc modum.

„Ad ſopiendas lites jamdiu motas & moveri ſperatas, Reverendi Patres quatuor Ordinum „Mendicantium ceſſabunt ab uſu bullæ præfatæ, quæ incipit Nicolaus, &c. Et conſerva-„bitur dicta bulla in manibus Epiſcopi Pariſienſis de communi conſenſu patrium, ceſſanti-„buſque proceſſibus quibuſcunque cum humilitate redibunt & manebunt dicti Fratres in „gratiâ Univerſitatis, ſicut erant ante iſtam controverſiam, & habitâ bullâ Domini Cal-„liſti Papæ moderni revocatoriâ dictæ bullæ, cujus copia aliàs coram Univerſitate publica-„cata extitit, quæ incipit, Ad perpetuam rei memoriam Nicolaus, &c. promittent extunc, „ut prout extunc dicti Mendicantes ſtare illi bullæ, & obtemperare ſecundùm amplitu li-„nem ſuæ continentiæ. Quo dicto ex parte dominorum Religioſorum ſupplicavit venerabilis „& religioſus vir Magiſter Joannes Brehal, Prior Conventus Pariſienſis de Ordine Prædica-„torum, ſub idiomate materno, loquendo in hunc modum:

Preſuppoſé premierement les concluſions priſes & propoſées par Monſeigneur le Connetable, chy preſent: Nous vous requerons & ſupplions tres-humblement tant que faire poons, que à celles requeſtes & concluſions, vous plaiſe obtemperer à nous recevoir comme Suppoſts & Membres. *Id autem dicimus Latinè.* Sumptis primùm quæ ſupremus Regii Stabuli præfectus hîc præſens conſtituit, humili prece, & pro eo quantùm poſſumus, ſupplicamus vobis, ut poſtulata & conſtituta perficere velitis, noſque ut membra veſtra recipiatis. *Quibus ſic deductis & peractis, prælibatus Dominus Rector omnia & ſingula præmiſſa in omnium & ſingulorum Decanorum, Doctorum, Procuratorum & Magiſtrorum ibidem exiſtentium deliberatione retractanda poſuit, & Facultatibus ad loca, ubi in arduiſſimis negotiis deliberare conſueverunt, retractis, poſt maturam diuturnamque deliberationem, dictis Facultatibus pro concludendo in unum, ut moris eſt, convenientibus, & deliberationibus dictarum Facultatum per quarumlibet Facultatum & Nationum Decanum & Procuratorem repetitis, per præfatum Rectorem adunatis & concluſis, ipſe Dominus Rector eloquentem & eximium Doctorem Magiſtrumque Joannem de Oliva in ſacrâ paginâ Profeſſorem requiſivit, quatenus vellet pro & nomine Univerſitatis præfato Domino Conneſtabulario, & aliis Dominis ſecum adſtantibus concluſa per almam Univerſitatem referre in idiomate materno & congruo, eo quòd ipſe Dominus Rector de patriâ Flandria oriundus extitit. Qui de Oliva juſſibus & mandatis præfati Domini Rectoris, velut obedientiæ filius obtemperans, onus hujuſmodi delationis in ſe aſſumpſit. Et illic illuſtris Dominus Conneſtabularius cum Dominis prælatis, ſecum adductis præfatis dominis Religioſis præfatam congregationem iteratò adiit, qui prorupit in hæc verba.* Meſſieurs, je vous rameine ces bons Religieux vos ſuppoſts, qui n'étoient pas bien aviſez quand ils ont fait leur ſupplication: Et pourtant je vous les ramêine mieux aviſez. *Id autem dicimus Latinè:* Domini, ad vos reduco hos Religioſos optimos membra veſtra, qui minùs prudentes erant, cùm vobis ſupplicarunt, & idcirco eos prudentiores redditos ad vos reduco. *Eo quòd præfatus Brehal in ſuâ ſupplicatione pro parte dictorum Religioſorum factâ ſatis elatè, ut videbatur, primâ facie locutus fuerat, nec eidem Univerſitati ſua grata fuerat ſuplicatio. Quibus ſic per præfatum illuſtrem Principem dictis & expoſitis, venerabilis & circumſpectus vir Magiſter Nicolaus, Prior Conventus Pariſienſis Auguſtinenſium, in Theologia Magiſter, pro parte prælibatorum Religioſorum ſupplicuit ſic inquiens, dirigendo ſermonem ſuum præfato Domino Rectori & Univerſitati: Nos humiles & devoti filii, venimus ad vos, tanquam ad matrem pueri humillimè ſupplicaturi, quatenus dignemini nos tanquam filios in ſinu veſtræ pietatis recipere, & in veſtro cœtu digniſſimo & charitativè, & cum benevolentiâ reunire, & parati ſumus omnia juſſa per vos concluſa prompto & parato animo pro viribus adimplere. Quâ ſupplicatione factâ præfatus illuſtris Dominus multum reverenter, & cum magno cordis affectu dixit:* Je vous prie, mes bons Seigneurs, qu'en faveur de moi & ces Seigneurs chy preſens, & pour le bien du païs, que vous plaiſe de les recevoir comme vos ſuppoſts, & les traiter amiablement comme devant. *Id autem dicimus Latinè.* Rogo vos Domini mei optimi, ut propter me, hos Dominos præſentes, & propter bonum patriæ illos ut membra veſtra velitis admittere, & ut antea amicè tractare. „Quo facto Reverendus Magiſter præmiſſâ plurimum „eloquenter ſolemni gratulatione ad ipſos excelſum Principem & Reverendos Prælatos & No-„biles ſuper zelo & affectione, benevolis laboribuſque ſuis ad pacem & unionem inſtantem „cum almâ matre Univerſitate zelatrice pacis, concordiæ & unionis ſuper materiâ præ-„ſenti concluſâ per matrem Univerſitatem cum decenti & politâ verborum affluentiâ, ni-„hil de neceſſariis pœnitus omittendo præfatis Dominis aperuit, & reſeravit prout ſequitur.

„Illuſ-

„Illuſtris Princeps, alma mater Univerſitas deliberavit & concluſit, vultque & ſibi placet
„ob reverentiam præſentiæ veſtræ excelſæ nobilitatis, ac Dominorum Reverendiſſimorum
„aſſiſtentium, ut Mendicantes renuncient appellationi interjectæ, & omnibus inde ſecutis:
„placet inſuper, quòd non ampliùs utantur Bullâ exiſtente in manibus Reverendi Domini
„Epiſcopi Pariſienſis, neque ſimilibus, & maneat dicta Bulla in manibus præſati Epiſcopi
„ſicut eſt: Et quòd unus pro omnibus juratus de Ordine Mendicantium pro ſuâ reinte-
„gratione habeat ſupplicare, & habeant Mendicantes antedicti obedire Bullæ revocatoriæ,
„& ratificari per ſuos Generales infra annum. Item jurabunt, quòd nunquam impetrabunt
„ſimiles Bullas, alioquin extunc prout exnunc reincident in ſimiles privationes & pœnas.
„Quam Concluſionem ſic publicatam in præſentiâ dictorum illuſtris Principis, & Reverend.
„Prælatorum & nobilium perſonarum, aſſiſtentiumque Religioſorum pro partibus ſingulo-
„rum Ordinum, ipſi Religioſi videlicet Magiſter Joannes de Vernon Carmelita, & aliorum
„unuſquiſque pro ſuo Ordine, ſcilicet Magiſter Stephanus Moreau pro Auguſtinenſibus,
„Magiſter Thomas Veret pro Prædicatoribus, Magiſter Petrus de Groſſis pro Minoribus,
„omnes in Theologiâ Magiſtri, multique alii Licentiati, Baccalarii formati, & alii de dic-
„tis Ordinibus acceptaverunt, ſic tenere inviolabiliter, ac ſervare & adimplere promiſe-
„runt, & ſolemniter manu ad pectus impoſitâ juraverunt in dictam Concluſionem Univerſi-
„tatis quoad ſingula puncta, & humiliter admitti ſupplicarunt. Quibus juramentis emiſſis
„ob reverentiam tantorum Principis & Prælatorum, dicti Fratres humiliter ſupplicantes de
„pro quolibet Ordine ſigillatim inſtantibus multùm honeſtè dictis Principi & Prælatis, ad
„gremium Univerſitatis matris recepti ſunt. Acta fuerunt hæc Pariſiis ſub anno, indictio-
„ne, die, menſe, loco, Pontificatu ſupradictis.„ Hæ ſunt pacis conditiones, de quibus
Academia & Mendicantes inter ſe convenerunt.

Nunc ſequitur Calliſti Papæ III. Conſtitutio, quæ eodem anno ad x. Calendas Aprilis
edita eſt, ut Pariſienſis Rectoris Acta reſcinderentur.

„Ad futuram rei memoriam.

„Inter cetera, quæ noſtræ Paſtorali curæ competunt, ea ipſa proculdubio eſſe potiſſima
„decernimus, quibus Chriſti fideles cunctis propulſis erroribus, in unitate fidei & pacis
„quiete gloriam conſequi beatam conſpicimus. Sed & acceptabile Deo multùm etiam
„eſſe non abigimus, quòd religioſæ perſonæ Chriſto famulantes noſtræ vigilantiæ miniſte-
„rio, & juſtitiæ favore privilegiis eiſdem à Sede Apoſtolicâ, maturâ cum deliberatione
„conceſſis nullo colore impediri, ſed liberè frui intuemur. Nuper ſiquidem non ſine
„quâdam animi diſplicentiâ ex relatibus plurimorum fide dignorum percepimus, quòd
„quondam felicis record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri in ſuâ, quæ incipit
„Super Cathedram, Conſtitutione, ſive Decretali, quam poſtmodum piæ memoriæ Cle-
„mens Papa V. etiam prædeceſſor noſter in Concilio Viennenſi innovavit, & quæ ſubſe-
„quenter ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum
„Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera ſtatuerit, & ordinaverit, quòd
„in ſingulis Civitatibus & Diœceſibus, in quibus Prædicatorum & Minorum Ordinum Fra-
„trum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non haberen-
„tur, Magiſtri & Priores provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii generales, ac pro-
„vinciales Miniſtri, necnon Cuſtodes Minorum Ordinum prædictorum ad præſentiam
„Prælatorum ibidem ſe conferrent, per ſe vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent,
„humiliter parituri, ut Fratres qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus & Diœceſi-
„bus confeſſiones ſuorum ſubditorum confiteri ſibi volentium audire liberè valerent, &
„hujuſmodi confitentibus prout ſecundùm Deum expedire cognoſcerent, pœnitentias impo-
„nere ſalutares ac beneficium abſolutionis impendere de licentiâ, gratiâ, & beneplacito
„eorumdem, prædictique Magiſtri Priores & Miniſtri, ſtuderent eligere perſonas idoneas
„& ſufficientes, vitæ probatæ, diſcretas, modeſtas atque peritas ad tam ſalubre miniſte-
„rium & officium exercendum: quas ſic electas Prælatis ipſis præſentarent vel facerent
„præſentari, ut de illorum licentiâ, gratiâ, & beneplacito, in Civitatibus & Diœceſibus
„eorundem perſonæ ſic electæ hujuſmodi confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, &
„eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent. Ac etiam
„bonæ memoriæ Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter certos errores damnaverit, &
„reprobaverit de aſſenſu Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, necnon celebris record.
„Eugenius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter errores ipſos pro falſis, erroneis, & ad-
„verſantibus ſacris Canonibus damnatos, reprobatoſque declaraverit cum quibuſdam aliis,
„atque decreverit, & ſubſequenter piæ memoriæ Nicolaus Papa V. ſimiliter prædeceſſor
„noſter de Fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, dicti Eugenii præ-
„deceſſoris literas in omnibus, & per omnia approbaverit & confirmaverit, prout in ſin-
„gulis

„ gulis Eugenii & Nicolai prædeceſſorum literis hujuſmodi, quarum quidem tenor ſe-
„ quitur, & eſt talis, pleniùs continetur. Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei,
„ univerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &
„ dilectis filiis electis & Abbatibus ubilibet conſiſtentibus, ad quos præſentes literæ per-
„ venerint ſalutem, &c. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ea quæ à bo-
„ næ memoriæ prædeceſſoribus noſtris in religionis augmentum utilirer geſta ſunt, illæſâ
„ permaneant, & ab omnibus inviolabiliter obſerventur. Hinc eſt, quòd nos tenores
„ quarundam literarum felicis recordationis Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri in ip-
„ ſius regiſtro repertarum, de regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & præſen-
„ tibus annotari ſecimus, qui tales ſunt: Eugenius Epiſcopus, &c. Univerſis & ſingu-
„ lis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, &c. Gregis nobis crediti curam
„ gerentes pervigilem, ſtudiis efficere conamur aſſiduis, ut quorum ſalute languores hu-
„ manos Altiſſimi filius perpeti voluit, fideles execrandis non involvantur erroribus, ſed
„ noſtri directione miniſterii prout ſuperna gratia contulerit, à noxiis ac diſpendiis ju-
„ giter præſerventur. Et ut etiam vos in partem ſollicitudinis vocari pro dictis extir-
„ pandis erroribus opem & operam ſerventiùs impendatis, vos pro injuncto nobis offi-
„ cio excitamus. Dudum ſiquidem felicis recordarionisBoniſacius Papa VIII. præde-
„ ceſſor in ſuâ, quæ incipit, ſuper Carhedram, Conſtitutione, ſive Decretali, quam
„ poſtea piæ memoriæ Clemens Papa V. eriam prædeceſſor noſter in Viennenſi Concilio
„ innovavit, & quæ ſubſequenter ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de
„ Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera
„ ſtatuit & ordinavit, quòd in ſingulis civitatibus, diœceſibus, in quibus Prædicatorum
„ & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, & cetera uti ſuperiùs uſque ad benefi-
„ cium abſolutionis impenderent, prout in ipſâ conſtitutione ſive Decretali pleniùs,
„ continetur. Et licèt poſtmodum ad piæ recordarionis Joannis Papæ XXII. etiam
„ prædeceſſoris noſtri notitiam deducto, quòd quondam Joannes de Poliaco Magiſter
„ in Theologiâ ſequentes articulos tenuerat, propter quod decreverat videlicet quòd
„ confeſſi Fratribus, licentiam generalem confeſſiones audiendis habentibus, eadem pec-
„ cata, quæ confeſſi fuerant, iterum proprio Sacerdoti confiteri tenerentur, ac ſtante
„ ſtatuto, Omnis utriuſque ſexûs, in Concilio generali, nec Deus nec Romanus Ponti-
„ fex ſacere poſſet, quòd parochiani non tenerentur omnia peccata ſua ſemel in anno
„ proprio Sacerdoti, videlicet parochiali Curato confiteri, quódque non poſſet Papa ge-
„ neralem dare poteſtatem audiendi confeſſiones, imò nec Deus, quin confeſſus genera-
„ lem habenti licentiam teneretur eadem iterum proprio Sacerdoti veluti parochiali Cu-
„ rato confiteri, dictus Joannes prædeceſſor à verbis, Vas electionis protulit, exordium
„ ſumens, habitâ inde per plures ſacræ paginæ Profeſſores examinarione diligenti, necnon
„ de venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, conſilio & aſſenſu prædictos
„ articulos tanquam falſos & erroneos, & à ſancta doctrina devios auctoritate Apoſ-
„ tolicâ damnaverit, & reprobaverit, ipſéque Joannes de Paliaco veris rationibus opi-
„ nioni, quam dudum habuerat, contrariis, & quibus reſpondere non poterat, demonſ-
„ tratis, coſdem articulos non eſſe veros affirmans, illos in Conſiſtorio publico, necnon in
„ ipſorum Joannis Papæ & Cardinalium præſentiâ revocaverit. Tamen ſicut nuper Fra-
„ trum Ordinum corundem lamentabili querelâ, ad noſtrum non ſine diſplicentiâ gravi
„ pervenit auditum, plures Eccleſiaſticæ, necnon aliæ utriuſque ſexus perſonæ improbos,
„ ſuperſtitioſóſque articulos hujuſmodi amplexantes, fideliúmque animos inficere, ac eos
„ ut Fratribus Ordinum hujuſmodi non confiteantur, & ab illorum devotione rettahere
„ molientes, nedum prædictos ſed alios etiam ſacris canonibus omnino contrarios arti-
„ culos aſtruere publicè non verentur, videlicet quòd confeſſio Fratribus ſic electis ac
„ admiſſis facta, dubitabilis ſit & incerta, unde tenentur omnes dimittere incertum,
„ & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœnâ pec-
„ cati mortalis. At quamvis ipſi Fratres admiſſis auctoritatem habeant confeſſiones au-
„ diendi, & abſolvendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentiâ proprii
„ Sacerdotis non habet poteſtatem. Fratres quoque privilegia pro confeſſionibus audien-
„ dis & ſepulturis habendis petentes, in peccato mortali, & Romani Pontifices illa Men-
„ dicantibus concedentes, ſive confirmantes etiam inſimili peccato, excommunicati ſunt,
„ & dicti Fratres Mendicantes non Paſtores, ſed ſures, latrones & lupi cenſentur. Sa-
„ cerdos autem Curatus Mendicantibus confeſſiones audiendi licentiam dans magis ſuper
„ iſto ſtatuto, Omnis utriuſque ſexûs diſpenſat quàm Papa Fratribus licentiam tri-
„ buens juxta formam Decretalis antedictæ. Nos igitur animarum, & alia, quæ præ-
„ miſſorum articulorum occaſione, niſi prodeuntes inde confutarentur errores, ſuc-

„cedere poſſent, pericula trepidantes, ac illis, quantùm in nobis ſuerit, obviare cu-
„pientes, omnes articulos prædictos unà cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E.
„Cardinalibus maturè inſpeximus, & per diverſos in jure canonico Doctores & ſacræ
„paginæ Profeſſores diligenter examinari fecimus, & quia protinus illos falſos & erro-
„neos, ac eiſdem canonibus adverſos ſore reperimus, illos de dictorum noſtrorum Fra-
„trum S. R. E. Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu, auctoritate Apoſtolicâ pro falſis
„& erroneis ac adverſantibus ſacris canonibus damnatos reprobatóſque declaramus atque
„decernimus. Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus
„ſinguli veſtrum, quando ſuper iis à quoquam prædictorum Ordinum Prædicatorum,
„Minorum, & aliorum Mendicantium ſuper præmiſſis privilegiatorum Magiſtro Generali,
„ac Provinciali Miniſtro, Vicario, vel alio gerente officium, fueritis requiſiti, ad confu-
„tandos, ac reprimendos ac penitus tollendos hujuſmodi errores, prout in prædictis
„Decretali ſive Conſtitutione Super cathedram, ac Extravagante, Vas electionis contine-
„tur, diligenti ſtudio atque curâ provideatis, ac intendatis, prædictas conſtitutiones in-
„tegrè reſervantes faciatis ab omnibus inviolabiliter obſervari. Et ſi quis forſan hu-
„juſmodi damnatos, ut præſertur, articulos, aut aliquem ſeu aliqnos eorum pertinaci-
„ter aſſerere, vel tenere, ſeu prædicare invenietis, contra illos communiter vel divi-
„ſim tanquam contra hæreticos & de Catholicâ fide ſuſpectos procedere, necnon
„ipſos, & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram Eccle-
„ſiaſticam, & alia opportuna juris remedia auctoritate prædicta compeſcere ſtudeatis, in
„contrarium facientibus nonobſtantibus quibuſcunqne. Nulli ergo, &c. Noſtræ de-
„clarationis & conſtitutionis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ
„apud ſanctum Petrum, anno M. CCCCXLVI. XVII. Calend. Februarias, Pontifica-
„tûs noſtri anno XVI.

„Ceterùm ut earundem literarum tenores majoris roboris & efficaciæ cenſeantur, nos
„de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio aſſenſu eaſdem præ-
„deceſſoris noſtri literas in omnibus & per omnia innovantes approbamus, confirma-
„mus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. noſtræ innovatio-
„nis, approbationis, confirmationis & communitionis infringere &c. Siquis, &c. Da-
„tum Romæ apud ſanctum Petrum anno, &c. M. CCCCLVIII. III. Calendas Julii,
„Pontificatus nuſtri anno ſecundo.

„Verùm dum pridem in vigiliâ Pentecoſtes proximè præteritâ præſatæ literæ Ni-
„colai prædeceſſoris noſtri venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Pariſienſi, ſeu in ejus
„Epiſcopali Curiâ præſentatæ ſorent, dilectus filius Guillelmus Riveti pro tunc Rector
„Univerſitatis Pariſienſis eaſdem impediri fecit, aſſerens dicti Nicolai prædeceſſoris literas
„de falſo plurimum ſuſpectas, pacis in eâdem Univerſitate ſolemniter juratæ, & ſtatus
„hierarchici in Eccleſiâ ſanctâ Dei plurimum turbativas, ſcandaloſas & adverſas juri
„communi, ſanctionibus ſacris, & pragmaticæ ſanctioni, & quòd ſuper illis renunciando,
„& illarum revocatoriam impetrando Religioſi quatuor Ordinum Mendicantium fuerunt
„attentiùs intimati: quod quia facere renuerunt & diſtulerunt, per ſuas patentes li-
„teras univerſis notum fecit, quòd ex cauſis præmiſſis & aliis rationabilibus de man-
„dato ac ſpeciali & maturâ deliberatione & concluſione dictæ Univerſitatis, omnes &
„ſinguli illius jurati de dictis quatuor Mendicantium Ordinibus à gremio prædictæ U-
„niverſitatis erant perperuò privati. Jurati autem ab ejuſdem Univerſitatis conſortio &
„graduum in eâdem ſuſceprione ſimiliter reſervantur. Si tamen dictis ſuis obtempera-
„rent concluſionibus cum effectu, eadem Univerſitas cum eiſdem miſericorditer agere
„intendebat, & eriam eùm in ſtatutis & privilegiis dictæ Univerſitatis & præcipuè fe-
„licis record. Alexandri IV. inter cetera contineri dicatur, quòd ſi fortè Magiſtris
„ſcholaribus dictæ Univerſitatis Hoſpitiorum ſubtrahatur taxatio, aut eis, vel alicui
„ipſorum injuria, vel exceſſus inſerrentur enormes, utpotè mortis, vel membri mu-
„tilatio, niſi congruâ monitione præmiſſâ infra quindecim dies ſoret ſatisfactum, li-
„ceret eiſdem Magiſtris & ſcholaribus uſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpende-
„re lectiones: & ſi aliquem eorum indebitè incarcerari contingeret, fas eſſet ipſis ni-
„ſi monitione præhabitâ ceſſarer injuriâ, ſtatim à lectione ceſſare. Quódque ſi aliqua
„ex cauſis in inſtitutione piæ memoriæ Gregorii Papæ IX. contentis eadem Univerſi-
„tas lectiones duceret ſuſpendendas, omnes Magiſtri tam regulares, quàm ſæculares
„ipſas ſuſpendere tenerentur, eas niſi cum Univerſitate minimè reſumpturi. Evenit-
„que interdum, ut ex cauſis præmiſſis ab hujuſmodi lectionibus ceſſatio fierer, Rec-
„tor & Univerſitas religioſos prædictos (ut de aliis taceamus) non ſolùm à lectioni-
„bus hujuſmodi, verumetiam à prædicationibus verbi Dei ceſſare compellant, in Sedis
Apoſto-

,, Apoſtolicæ irreverentiam, fidei Chriſtianæ diſpendium, ac perturbationem dictorum
,, Religioſorum, necnon malum & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte dictorum
,, Religioſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere
,, paternâ diligentiâ curaremus. Nos igitur ad quos ex officio nobis commiſſo perti-
,, net in præmiſſis vigilantiæ noſtræ curas diſſolvere, ſcientes quòd prædictæ Nicolai
,, prædeceſſoris literæ maturâ cum deliberatione proceſſerunt, & quòd nullo capite re-
,, putandæ ſunt de falſitate, aut ſubreptione vel obreptione ſuſpectæ, nec ſtatus hierar-
,, chici in Eccleſia Dei turbativæ vel ſcandaloſæ, neque ſacris Canonibus adverſantes
,, ſed potiùs conſonæ, & ſaluti animarum Chriſti fidelium plurimùm profuturæ, eáſque
,, de venerabilium Fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio & aſſenſu innovamus, confir-
,, mamus, & approbamus, ſerie cum præſenti mandantes illas, ac omnia & ſingula in
,, eis, necnon Eugenii prædeceſſoris hujuſmodi literis contenta ſub excommunicationis,
,, & aliis diverſis ſententiis, cenſuris & pœnis firmiter obſervari. Quódque idem Rec-
,, tor prædictos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres pro eo quòd determinationibus
,, S. R. E. in materiâ fidei renunciare noluerunt, reſecatos atque privatos ut præter-
,, tur, notificavit, Statutum quoque & Privilegium Alexandri IV. hujuſmodi ſolùm de
,, ceſſatione à lectionibus & non à prædicationibus mentionem facit, hujuſmodi ſuppli-
,, cationibus inclinati, ne tam celebres Ordines, quorum præclara ſuppoſita illam Uni-
,, verſitatem Franciæque Regnum ac univerſalem Eccleſiam ſuis doctrinis & exemplis de-
,, coraverunt, atque decorant, tam ſubitò, támque repente ſuerint ab eâdem Univerſi-
,, tate remaneant, & ſine illâ cenſeantur quoquomodo reſecati, quinimo ibidem per-
,, petuò vigeant, & notabilia Facultatis ſacræ Theologiæ membra fuerint, & exiſtant,
,, privationem, reſecationem & literas Rectoris hujuſmodi, necnon in eis contenta, &
,, inde ſecuta quæcunque, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, auctori-
,, tate Apoſtolicâ & ex certâ ſcientiâ tenore præſentium revocamus, caſſamus, & irri-
,, tamus, ac annullamus, nulliúſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus, ip-
,, ſóſque quatuor Ordinum Mendicantium Fratres in priſtinum & in eum ſtatum, in quo
,, ante notificationem, privationem & reſecationem prædictas exiſtebant, reſtituimus &
,, reponimus, eóſque in aliquo caſuum, niſi hoc in ipſis literis Alexandri, & Statutis
,, antedictis caveatur expreſsè ad ceſſandum à prædicationibus verbi Dei, necnon ad id
,, per Rectorem pro tempore dictæ Univerſitatis, ſeu quemcumque alium aut alios com-
,, pelli poſſe declaramus, ſed ipſos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres tam jura-
,, tos, quàm non juratos, & alios Prælatos, ſeu Doctores & Rectores Eccleſiarum, ad
,, quos ſpectat verbum Dei in ſuis Eccleſiis & aliis locis, ubi fuerint requiſiti, prædi-
,, care liberè & licitè poſſe & debere in omnibus, & per omnia perinde ac ſi hujuſ-
,, modi ceſſatio non foret, in caſibus antedictis, & ita literas Alexandri & Statuta hu-
,, juſmodi, ut juri conſona debere intelligi declaramus. Nihilominus omnibus & ſingu-
,, lis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium prædictorum, qui in dictâ Univerſitate
,, debitos, & conſuetos curſus in Theologiâ inceperint, continuaverint & perfecerint,
,, & in futurum incipient, continuabunt & perficient, durante hujuſmodi, aut ſimili re-
,, ſecatione, ut licentiæ gradus & Doctoratûs inſignia Cancellarius dictæ Univerſitatis
,, pro tempore, ut moris eſt, ſibi impendat, & ſi forſitan inde Cancellarius ad id re-
,, quiſitus gradus licentiæ & Magiſterii inſignia eis impendere contradiceret, extunc li-
,, ceat antiquiori Magiſtro in Theologiâ prædictorum quatuor Ordinum, vel uni ad hoc
,, deputato ab eorundem quatuor Ordinum Magiſtris illis, qui dictos curſus perfecerint,
,, gradus & inſignia hujuſmodi, prout ſervatis illis ſolemnitatibus & examine conſue-
,, tis metuerint abſque alicujus ſpiritualis, vel temporalis pœnæ incurſu liberè impende-
,, re, quódque Fratres ſic per eoſdem Magiſtros promoti omnibus, & ſingulis privi-
,, legiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, indultis, & immunitatibus gaudeant &
,, utantur, ac uti & gaudere poſſint, ſicuti illi, quibus idem Cancellarius hujuſmodi gra-
,, dus & inſignia juxta Statuta & Conſuetudines dictæ Univerſitatis impendit in omnibus,
,, & per omnia perinde ac ſi gradus & inſignia prædicta ab eodem Cancellario cepiſſent,
,, eâdem auctoritate concedimus pariter & indulgemus. Præterea, quia prætextu Privile-
,, giorum dictæ Univerſitatis, occaſione ſeu ex cauſâ prædictis quidam Fratres prædicto-
,, rum Ordinum citati fuerunt atque moleſtati durante hujuſmodi reſecatione, prædicto &
,, pro tempore exiſtenti Rectori, Conſervatoribus, necnon Magiſtris & ſcholaribus dictæ
,, Univerſitatis in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœnâ latæ ſen-
,, tentiæ, à quâ niſi in articulo mortis per alium, quàm per Romanum Pontificem abſolvi
,, non poſſunt, ſi ſecus egerint, promulgamus, ne prætextu ſupradictorum Privilegio-
,, rum, occaſione ſeu ex cauſâ prædictis ipſos Fratres, vel aliquem ipſorum, niſi apud

,, Sedem Apoſtolicam duntaxat, directè vel indirectè ſub alio quovis quæſito colore per
,, ſe, vel alium, ſeu alios tam ſuper reſecatione, ceſſatione à prædicatione, quàm gra-
,, dus impenſione, quàm alia occaſione, ſeu ex causâ prædictis moleſtare, vexare ſeu
,, perturbare præſumant, eâdem auctoritate diſtinctè inhibemus: Decernentes extunc ir-
,, ritum & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoran-
,, ter contigerit, attentari. Nulli ergo, &c. noſtrarum innovationis, confirmationis,
,, approbationis, mandati, revocatiunis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſti-
,, tutionis, reſtitutionis, repoſitionis, declarationis, conceſſionis, indulti, promulgatio-
,, nis, inhibitionis, & decreti infringere, &c. Siquis. &c. Datum Romæ, apud ſanc-
,, tum Petrum, anno, &c. M. CCCCLVI. X. Calend. Aprilis, &c. anno ſecundo.

In hac Conſtitutione traduntur multa, quæ breviter perſtringo.

I. Eugenius IV. in gratiam Mendicantium Bullam edidit, ſed non publicavit. II. Nicolaus V. Eugenii ſucceſſor Bullam illam publicavit & auctoritate ſuâ confirmavit. III. Academia Pariſienſis publicatæ Bullæ interceſſit, & interceſſionis cauſas ſcripto expoſuit: Mendicantes ſi Bulla uti velint, à ſinu ſuo removet, decernítque ut eam à Pontifice revocari curent. IV. Caliſtus III. caſſum & irritum efficit, quicquid Academia Pariſienſis egerat. Mendicantes in priſtinam libertatem aſſerit, & niſi Cancellarius Academiæ velit illis Magiſterii inſignia conferre, conferendi ab alio modum præſcribit.

Hoc loco quid poſtea Univerſitas Pariſienſis fecerit, antequam exponam, referendæ mihi videntur aliæ Calliſti literæ, quas eodem anno ad XII. Calend. Septembr. eâ ſuper re Spirenſium & ſancti Petri Præpoſitis, & Theſaurario majori Baſilienſis Eccleſiæ dedit: Sic autem ſe habent.

,, Dilectis filiis Spiren. & ſancti Petri Præpoſitis ac Theſanrario majori. Baſilien. Ec-
,, cleſiarum, &c. Nuper pro terminandis quæſtionibus & diſcordiis, quæ inter ſæculares
,, Clerum & Mendicantium Ordinum Profeſſores, pro eo quòd per ipſos hinc inde De-
,, cretales per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum
,, editæ, & à bonæ memoriæ Clemenre Papa V. etiam prædeceſſore noſtro in Concilio
,, Viennenſi innovatæ non ſervantur, ut plurima ſubſtituantur, literæ noſtræ emana-
,, runt tenoris ſubſequentis. Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei
,, memoriam. Illius licèt immeriti Vices gerimus in terris, &c. Sanè licèt olim ſuper
,, quæſtionibus & periculoſis diſcordiis, quæ inter Prælatos & Rectores, ſeu Sacerdotes &
,, Clericos parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi partes, & provincias conſtitutos
,, ex unâ parte, & Fratres Ordinum Mendicantium ſuper prædicarionibus fidelibus po-
,, pulis faciendis, audiendis eorum confeſſionibus, pœnitentiis injungendis eiſdem, &
,, tumulandis corporibus defunctorum, qui ſuam apud Fratrum ipſorum Eccleſias ſive
,, loca eligerent ſepulturam, ac plurimum ſuſcitabantur diſſenſiones per Decretalem, Du-
,, dum, à felicis record. Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro editam, quæ inci-
,, pit ſuper Cathedram, ac per piæ memoriæ Clementem V. qui in Concilio Viennenſi
,, Decretalem innovavit eandem, necnon Joannem XXII. etiam Romanos Pontifices
,, prædeceſſores noſtros, qui illam duntaxat de Prædicatorum, & Minorum Ordinum
,, Fratribus mentionem facientem ad Eremitarum & Carmelitarum Ordinum Fratres per
,, omnia voluit integraliter & inconcuſſe obſervari, ſalubriter proviſum extitiſſet: nihi-
,, lominus innumeroſæ quodammodo de diverſis mundi partibus venerabilium Fratrum
,, Epiſcoporum, aliorúmque ſuperiorum Prælatorum, nec non dilectorum filiorum Cura-
,, torum & parochialium Sacerdotum quærelæ contra dilectos filios prædictorum Ordinum
,, profeſſores clamoroſis inſinuationibus noſtrum excitare & fatigare non ceſſant auditum,
,, quòd iidem Fratres Decretalem prædictam tenere & obſervare non curant, & illam
,, in Apoſtolicæ Sedis contemptum & in animarum ſuarum periculum tranſgredi non veren-
,, tur, plerique etiam ex illis ſpecialium, quæ ab ipſa Sede in eorum favorem adverſus
,, ipſam Decretalem emanaſſe aſſerunt privilegiorum, conceſſionum & indultorum prætextu,
,, ne ad hujuſmodi Decretalis obſervationem compelli poſſint, ſe tuentur, in eorum con-
,, querentium & Eccleſiarum parochialium præjudicium & gravamen. Intelleximus quo-
,, que quòd à nonnullis ex Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis & Sacerdotibus dictis
,, Fratribus contra tenorem prædictæ Decretalis graves injuriæ, moleſtiæque inſeruntur,
,, quódque ex eo, quòd dicti Fratres in ipſorum prædicationibus parochianos à viſitatio-
,, ne ſuurum parochialium Eccleſiarum retrahentes, eóſque parochianos ad viſitandum
,, parochiales Eccleſias diehus Dominicis & feſtivis non teneri, ſed divina in Eccleſiis ip-
,, ſorum Fratrum liberè freqnentare poſſe, ac eoſdem Fratres fore quorumlibet parochia-
,, norum proprios Sacerdotes, quibus in anno per ipſos parochianos omnia ipſorum pec-
,, cata confitenda ſunt, & veri proprii Sacerdotes quòd confeſſio de peccatis ſemel con-
feſſis

,, feſſis dictis Fratribus ad confeſſiones audiendas juxta prædictam Decretalem deputatis,
,, ipſis propriis Sacerdotibus iteranda ſit, aſſerere præſumunt; inter tales prædicantes, &
,, aſſerentes, ac veros dictorum parochianorum Sacerdotes proprios ſcandala non abſque
,, rancoris & odii livore ſuſcitantur. Nos igitur quorum eſt hujuſmodi quæſtionibus, &
,, diſcordiis ac ſcandalis, rancoris & odii fomentis ubilibet obviare, & eorum diligentiùs
,, inter conquerentes & Fratres prædictos, quo illa deteriora prætenduntur innoxiùs, &
,, fidelium corda ſcrupuloſis rumoribus circa Eccleſiaſtica ſacramenta ipſis impendenda diſ-
,, cindunt & conturbant, cupientes quæſtionibus & diſcordiis eiſdem finem imponere, &
,, ut ſinguli, ad quos id ſpectaverit, juris ſui terminis contenti, alteri debitum non inva-
,, dant & fimbrias ſuas non dilatent, præſentis Conſtitutionis irrefragabili ſanximus Edicto,
,, prædictam Decretalem ſive Clementinam, Dudum, ut præfertur, innovatam, ab om-
,, nibus, etiam per eos, ad quos juxta præmiſſa extenſa extitit, in omnibus & per omnia
,, juxta illius ac renovationis & extenſionis hujuſmodi ſeriem & tenorem integraliter, ac
,, firmiter & inſtanter ſic ubilibet etiam in Urbe Romanâ obſervandum fore, & obſervari
,, debere, quæcunque privilegia, conceſſiones & indulta, ſi quæ à quibuſvis Romanis
,, Pontificibus prædeceſſoribus noſtris adverſus Decretalem, & ejus innovationem & ex-
,, tenſionem prædictas ſub quâcunque verborum formâ, & cum quibuſvis irritantis Decre-
,, ti ac talibus, quòd illis per quaſvis alias literas Apoſtolicas, etiam facientes plenam
,, & expreſſam de verbo ad verbum de illorum tali tenore mentionem, aut aliis ſimilis
,, effectûs, vel majoris cautelæ derogatoriis clauſulis, qualitercunque derogari nequeat,
,, ſive motu proprio, ſive quovis reſpectu pro quibuſvis ex dictis Ordinibus, ſeu eorum
,, domibus & locis in genere, vel in ſpecie emanaverint: Quorum quidem privilegiorum,
,, conceſſionum & indultorum tenores perinde ac ſi de verbo ad verbum, etiam cum
,, Ordinum, domorum & locorum, quibus conceſſa fuerint, ſpecificâ & individuali ex-
,, preſſione, præſertim inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis haberi volumus,
,, quolibet uſu eorundem privilegiorum, conceſſionum & indultorum, ac hujuſmodi uſus
,, etiam quarumcunque continuatâ poſſeſſione nullatenus obſiſtente, prædictâ auctorita-
,, te caſſantes, revocantes & irritantes, nulliúſque decernentes cenſenda fore roboris
,, vel momenti. Propterea aſſertiones, quibus dicti Fratres Eccleſiarum parochianos ad
,, viſitandum Eccleſias diebus Dominicis & feſtivis non teneri, ſed divina in Eccleſiis ip-
,, ſorum Fratrum liberè frequentare poſſe, ſeque proprios Sacerdotes fore quorumlibet
,, parochianorum, quibus per ipſos parochianos ad minus ſemel in anno confitendum ſit,
,, cùm non ipſi, ſed parochialium Eccleſiarum ipſarum Rectores, ſeu Vices gerentes eo-
,, rundem, aut alii quibus cura animarum parochianorum hujuſmodi imminere dignoſci-
,, tur, proprii Sacerdotes confeſſionem de prædictis Fratribus ipſis juxta Decretalem præ-
,, dictam ad audiendas confeſſiones deputatis ſemel confeſſis factam, iiſdem propriis Sa-
,, cerdotibus iterandam fore aſſerant, ut præfertur, reprobantes Fratribus Sacerdotibus
,, eiſdem, ne talia aſſerere præſumant, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictiùs inhibemus,
,, volentes & decernentes, quòd quicunque ex dictis Fratribus & Sacerdotibus talia de
,, cetero aſſerere præſumpſerit publicè, vel occultè, niſi per locorum diœceſanos ſeu eo-
,, rum auctoritate moniti ab illis deſtiterint, excommunicationis ſententiam incurrant eo
,, ipſo, & per diœceſanos ipſos, quibus ſuper hoc plenam & liberam præſentium ſerie
,, poteſtatem concedimus, excommunicationis ſententiam hujuſmodi incurriſſe declarari,
,, & ut tales denunciari poſſint, nonobſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apo-
,, ſtolicis, ac exemptionibus ſpecialibus vel generalibus, tam Fratribus & Ordinibus,
,, quàm prædictis Sacerdotibus communiter vel diviſim ſub quâcunque formâ vel expreſ-
,, ſione verborum à Sede prædictâ conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſque. Nulli er-
,, go, &c. Siquis, &c. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem, anno Incarnat.
,, Dom. M. CCCCLVI. XII. Calend. Sept. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Summa diſcordiarum, quas ſedare Pontifex contendit, hæc eſt: Mendicantes parochianos à frequentandis Eccleſiis ſuis avocant & abducunt. Rectores Eccleſiarum aſſerunt eos, qui Mendicantibus peccata ſua confeſſi ſunt, eadem ſibi aut hominibus à ſe commiſſis confiteri debere Calliſtus momenta pacificationis, in quam ſe interponit, ex Clementinâ *Dudum* mutuatur. Utriſque præcipit, ùt Conſtitutionem illam diligenter obſervent.

Nunc repetendum eſt filum controverſiæ illius, quam nonnihil intermiſimus. Pariſienſis Academia ægrè tulit Conſtitutionem, quam à Pontifice contra pacta & conventa obtinuerant. Id omnino probatur ex illius Commentariis, quæ ſic ſe habent.

Anno Domini M. CCCCLVI. *tertia die Auguſti fuit Alma Pariſienſis Univerſitas ſtudiorum antiqua parens in ſancto Maturino convocata, ad audiendas deligentias factas*

in materiâ Mendicantium, & potiſſimum ad audiendam relationem propoſitionis factæ per Magiſtrum noſtrum Magiſtrum Joannem Panetchar, coram Dominis de Parlamento, necnon ad audiendam eorum relationem. Declaravit dominus Rector quomodo Magiſter noſter Magiſter Joannes Panetchar eleganter propoſuerat ſecundùm concluſionem noviſſimè captam, & aſſumpſerat hoc verbum pro themate, Diligite lumen ſapientiæ, qui præeſtis populis, quia ſecundùm Concluſionem ultimò captam dondus erat per Facultatem Theologiæ proponens ad eundum ad illam Curiam. Et ideo exequendo iſtam Concluſionem dominus Rector congregavit die Dominicâ deputatos ad dandum instructiones domino proponenti, & ad eundum quæſitum & petitum audientiam, & habuimus audientiam die Lunæ, & ibi fuimus auditi coram Dominis de Parlamento, & fuerunt præſentes etiam domini Mendicantes, & tandem poſt multas altercationes, Curia dedit Deputatos ad providendum pacem & adviſandum media pacis, & ordinavit ita non per modum ſententiæ, ſed ad inveniendum medium pacis, quòd Dominus Patriarcha, Dominus Archiepiſcopus Remenſis, & Dominus Epiſcopus Pariſienſis, una cum quatuor Dominis de Parlamento, ſcilicet Cotin cum tribus aliis, & etiam Univerſitas dabit quatuor Deputatos, & etiam Mendicantes ut iſti haberent deliberare, & invenire media pacis, & iſti ſolùm habebant poteſtatem referendi in Univerſitate. Et etiam placuit Univerſitati dare ſuos deputatos in primo gratulando domino Rectori, domino Proponenti, ceteriſque deputatis, & etiam Dominis de Parlamento, de gratâ eorum ſuſceptione, & audientiâ & reſponſione. Et dedit Magiſtrum noſtrum Magiſtrum Petrum de Vaucello, Magiſtrum Joannem Panethier, Maugier & de Fraxinis.

Anno Domini M. CCCCLVI. *die verò Auguſti* VII. *fuit mater Alma Pariſienſis Univerſitas ſtudiorum antiqua parens ſolemniter congregata, in ſancto Maturino horâ* VII. *de mane ad audiendum ea, quæ facta erant per dominos Deputatos in materiâ Mendicantium. Declaravit dominus Rector, quomodo exequendo concluſionem noviſſimè captam congregaverat dominos Deputatos datos per Univerſitatem ad conferendum, & inveniendum media pacis unà cum aliis dominis Prælatis, & ibi fuerunt tribus diebus, ſcilicet diebus. Mercurii, Jovis & Veneris & ibi diſputaverunt materiam. Tandem poſt multas altercationes, ut dicebant, venerunt ad inveniendum medium pacis, & fecerunt unam ſchedulam, in quâ continebatur, quòd per prædictam Bullam prædicti non intendebant acquirere novum jus, & fuit lecta in Univerſitate. Quæ quidem ſchedula non placuit Univerſitati propter multas clauſulas, & ſpecialiter propter ultimam, & etiam quòd in eâ ponebatur, in quantum præjudicat iſti Decretali, Omnis utriuſque ſexûs, & Clementinæ Dudum, & imò videbatur captioſa, quia ſemper ipſi dixiſſent, quicquid dixiſſent, non præjudicat.*

Anno Domini M. CCCCLVI. *in craſtino ſancti Laurentii, fuit Alma mater Univerſitas ſolemniſſimè congregata per juramentum in ſancto Maturino, horâ* VII. *de mane ad audiendum lecturam cujuſdam literæ confectæ per prædictos dominos Prælatos in materiâ prætactâ & currente contra Mendicantes.* Et poſt alia: *Declaravit dominus Rector, quomodo exequendo Concluſionem noviſſimè captam congregaverat deputatos in magno numero in ſancto Eligio unà cum Conſiliariis noſtris de Parlamento & Caſtelleto, lectâ illâ literâ, quæ primò fuerat data per dominos Prælatos prænominatos, & ibi fuerat concluſum, quòd particulæ, pro quibus non fuerat recepta per Univerſitatem meritò erant revocandæ, quia viſum, quòd in iſtis particulis erant involutiones diſcordiæ, proceſſuum & litium. Fuit etiam ibi concluſum, quòd domini Deputati dati per Univerſitatem, irent intimatum Reverendiſſimo Domino Patriarchæ Concluſionem Univerſitatis. Quo facto Dominus Patriarcha, & etiam alii dixerunt, quòd quia mater Univerſitas non erat contenta, quòd adhuc libenter congregarentur in die ſequenti: quod & factum, & ibi fuerunt prænominati Deputati, & etiam dominus Rector, & quatuor Procuratores, cum pluribus aliis. Et ibi fuerunt multa verba hinc & inde habita. Tandem Domini Prælati dederunt unam aliam ſchedulam quæ hodie fuit lecta, quæ quidem litera non placuit Univerſitati, quia ibi erant, ſicut in primâ multæ dictiones reduplicativæ, & quia ſicut etiam dicta ſchedula erat multùm captioſa, & fuiſſet cauſa multarum diſcordiarum, & quia mater Univerſitas quærit, quæ ad pacem faciunt, ideo nullo modo placuit ſibi iſta ſchedula, ſed pro pace & concordiâ habendâ placuit Univerſitati, quòd caſu, quo domini Mendicantes vellent remittere Bullam ad futurum Concilium primò congregandum, ſcilicet ad Concilium generale, vel Eccleſiæ Gallicanæ, placeret eos recipere, ſub certis tamen conditionibus: primò, quòd domini Mendicantes jurabunt & promittent pro ſe & ſuis Ordinibus non uti, non publicare, neque prædicare, neque dogmatizare, nec in aperto, nec in occulto Bullam, niſi primò fuerit deliberatum per Concilium, & quòd ipſi tenebunt deciſionem Concilii generalis, vel Eccleſiæ Gallicanæ in hac materiâ: & caſu quo non vellent, quòd remanerent privati ſicut nunc ſunt, & de iſtâ concordiâ facient fidem ſub ſigillis quatuor Ordinum, & quòd dicta Bulla remane-*

bit

bit retenta ſicut nunc eſt. Secundò, quòd ſi contigerit, quod abſit, quòd aliquis quatuor Ordinum iſto tempore pendente dogmatizaret, aut prædicaret ad contentum in dictâ Bullâ, ipſi quatuor Ordines hoc facto eſſent privati ſicut nunc, quouſque ille foret debitè punitus, ſufficienti tamen monitione præhabita, quòd infra menſem corrigerent delinquentem. Voluit inſuper, quòd Rector non ampliùs congregaret Univerſitatem, niſi eſſent illi contenti, & quòd remaneant, ſicut ſunt.

Anno Domini M. CCCCLVI. die XXV. menſis Octobris, fuit Alma Pariſienſis Univerſitas congregata apud ſanctum Maturinum, ad audiendum diligentias factas ſeptimanâ proximè lapſâ per dominos Deputatos Univerſitatis ſuper materiâ Mendicantium, ad celſitudinem Regiam, necnon ad Summum Pontificem tranſmittendas. Aperuit Dominus Rector, quatenus Martis & Jovis diebus ſeptimana ultimò lapſa ad inſtantiam, & ſupplicationem dominorum Mendicantium convocaverat ſolemnes Deputatos in ſancto Maturino ad providendum aliquod medium pacis inter Univerſitatem, & dominos Mendicantes. Retulit etiam Dominus Rector, qualiter oblata fuerant Mendicantibus quamplurima media pacis, ex parte Univerſitatis per dominos Deputatos, quódque nullum acceptare voluerunt. Imò potiùs in ſuo extremo pertinacia manere maluerunt, placuit Univerſitati, quòd inſtructiones tunc lecta per Magiſtrum Petrum Maugerii, videlicet quoad hoc ipſa Univerſitas quamplurimum gratulata eſt prædicto Doctori Magiſtro Petro Maugerii, de laboribus aſſumptis. Placuit tamen Univerſitati quòd prædicta inſtructiones iteratò legerentur per Deputatos, ut ſi qua ſint addenda addantur, & ſi qua inſtruenda inſtruantur, & quoad iſtum articulum placuit Univerſitati tranſmittere ſuos Oratores ad Regem & ad Summum Pontificem, ad unum duos, unum ex ſuperioribus Facultatibus, & unum ex Facultate Artium; quos placuit ſtipendiare more ſolito.

Anno Domini M. CCCCLVI. III. die menſis Novembris, fuit congregata Univerſitas in ſancto Maturino ad audiendum diligentias factas in materiâ Mendicantium, & ad providendum de Ambaſiatoribus tranſmittendis ad Dominum noſtrum Regem; dominus Rector narravit diligentias, quomodo in Deputatis inſtructiones pro Ambaſiatoribus fuerant correcta. Narravit etiam, quòd duo notabiles Magiſtri venerant ad eum ad intimandum ei, quòd omnes Prælati de Ducatu Normania fuerant congregati in civitate Rotomagenſi ſuper materiâ Mendicantium, qui concorditer concluſerant inter ſe, quòd placebat eis ſe adjungere Univerſitati Pariſienſi contra Mendicantes, & procedere cum Univerſitate, mittere ad Regem & ad Summum Pontificem Ambaſiatores ex parte ſui. Et quoad hoc dabant tempore & loco auxilium pecuniale. Explicuit etiam dominus Rector, quòd ſecundùm quod inventum erat à Deputatis, expediebat, quod dominus Rector cum notabili comitiva adiret Dominum Epiſcopum Pariſienſem, & quòd haberet eum requirere, ut vellet, & dignaretur convocare Clerum ſuum ſuper iſtâ materiâ Mendicantium, & dare operam poſſibilem unà cum Univerſitate contra eoſdem Mendicantes, viſo quòd res directiùs tangebat eum, quàm cæteros Prælatos, quàm Univerſitatem. Requiſivit etiam dominus Rector in eâdem congregatione, quòd darentur ei Deputati de ſingulis Facultatibus, qui haberent poteſtatem plenariam ad providendum, & diſponendum de Ambaſiatoribus, & pecunias habendum pro eis, & ad multa alia, ut Univerſitas non tantùm vexaretur, & etiam ut negotium ſecretiùs tractaretur. Deliberavit Natio, quòd gratulabatur domino Rectori & dominis Deputatis, de diligentiis & laboribus aſſumptis per eos in correctione inſtructionum & articulorum requiſitorum ab Ambaſiatoribus. Quoad electionem Ambaſiatorum placuit Nationi nominare, & eligere unum de ſuppoſitis ſuis Magiſtro Joanne Formelli in Ambaſiatorem. Et caſu quo alia Nationes & Facultates non deſcenderent in eum, placebat ei aſſociare Magiſtrum Gaufridum Normani de veneranda Natione Picardia, vel illum, in quem major pars deſcenderet, & id pro Theologo. Gratulabatur ei natio Dominis Prælatis de Ducatu Normania & placebat ei, quòd ſcriberentur eis litera commendatoria, & etiam gratulatoria. Placuit ipſi nationi, quòd dominus Rector, cum bonâ comitivâ adiret Dominum Epiſcopum Pariſienſem, & requireret, quòd vellet congregare Clerum, & exponeret ei, quòd multa media pacis oblata fuerant Mendicantibus ex parte Univerſitatis, & nunquam voluerunt deſcendere ad media pacis. Quoad requiſita domini Rectoris, in habendo Deputatos cum poteſtate prætactâ voluit Natio dare Deputatos ut petivit.

Anno Domini M. CCCCLVI. menſis Decembris die XIIII. fuit Alma Univerſitas Pariſienſis congregata horâ VIII. in ſancto Maturino ad audiendum diligentias factas per Dominum Pariſienſem, & Dominos Deputatos Univerſitatis, & etiam Cleri in materiâ Mendicantium. Narravit dominus Rector, quatenus poſt congregationem ultimâ vice loco ſuprà dicto factam, Dominus Epiſcopus Pariſienſis mandaverat unâ die religioſos Mendicantes ad audiendum ab eis, ſi ad aliqua media pacis deſcendere vellent, qui in illâ convo-

catione

ratione ceperunt dilationem ad aliam diem. Quo die cùm ad Dominum Pariſienſem acceſſiſſent, nullum finale reſponſum adhuc dare voluerunt, tum propter Nuncium, quem exſpectabant venturum intra triduum, allaturum literas Univerſitati directas à Domino Legato, tum etiam propter certas res novas, quas expectabant de die in diem à Generalibus Fratrum Prædicatorum & Carmelitarum, propter quas excuſationes, datum eſt eis ſpatium prædicta expectandi octo dies. Et quoad iſtum articulum Univerſitas gratias egit Domino Pariſienſi de ſuis laboribus in iſtâ materiâ inſumptis, necnon de communicatione ſuarum literarum tranſmiſſarum à Domino Legato, & placuit Univerſitati capere inſtrumentum publicum ſub iſto Rectore de adjunctione Cleri & Domini Pariſienſis in materiâ Mendicantium.

Anno Domini M. CCCCLVII. *die* XVIII. *menſis Januarii, fuit Alma Pariſienſis Univerſitas in ſancto Maturino ſolemniter congregata ſuper facto materia Mendicantium, placuit natione, quòd ſummè videretur ſchedula confecta & correcta per dominos Deputatos Univerſitatis, Cleri Pariſienſis, & etiam Deputatos quatuor Conventuum Pariſienſium, & quòd ſingula contenta in eâdem diligentiſſimè inſpicerentur ob honorem matris Univerſitatis. Inſuper quòd nedum quatuor Conventus Pariſienſes obligarentur, ſed etiam Generales & Provinciales omnium Ordinum Mendicantium, potiſſimè in Chriſtianiſſimo Regno Franciæ.*

Anno Domini M. CCCCLVII. *die* III. *Februarii, fuit Alma Pariſienſis Univerſitas convocata apud ſanctum Maturinum per dominum Rectorem ad audiendum lecturam copiæ Bullæ cujuſdam emanatæ de novo à Summo Pontifice Domino noſtro Papâ concernentis materiam Fratrum Mendicantium: quæ copia miſſa fuit Univerſitati per reverendum in Chriſto Patrem Dominum Epiſcopum Atrebatenſem, & quantùm ad iſtum articulum auditâ lecturâ prædictæ copiæ deliberavit natio Franciæ veneranda mater mea, quòd quia prædicta Bulla pacem dabit, prout ſperatur inter ſæculares & religioſos, per revocationem & caſſationem privilegiorum Fratrum Mendicantium, quæ impetrata ſunt in præjudicium ſæcularium Sacerdotum, & contra Decretalem Dudum, ſicut latiùs videri poteſt in prædictâ copiâ: Gratulatur humiliter Domino noſtro Summo Pontifici beato Calixto, dignatus eſt hanc Bullam multarum diſcordiarum & litium deſtructivam concedere. Vult ſolemnes proceſſiones Univerſitatis fieri ad exorandum Altiſſimum ſingulariter pro unione & pace ſanctæ matris Eccleſiæ, & proſperitate & felici ſucceſſu Domini noſtri Summi Pontificis. Gratulatur etiam quamplurimum reverendo in Chriſto Patri & Domino Epiſcopo Atrebatenſi de tranſmiſſione copiæ prædictæ, & vult literas gratulatorias ei tranſmitti ex parte Univerſitatis. Deliberavit inſuper, quòd vult Bullam unam conſimilem habere ſub plumbo, quæ reponatur in arcâ Nationis, & quòd eſſet expediens quamlibet Facultatem & Nationem, unam habere ad perpetuam memoriam & ſecuriorem cuſtodiam, mittendo proprium Nuncium ad ſanctam Sedem Apoſtolicam, ſi non poſſit aliter haberi.*

Anno Domini M. CCCCLVII. *die* XI. *menſis Julii, fuit Alma mater Univerſitas per dominum Rectorem ſolemniter ſuper tribus articulis convocata. Primus fuit concernens factum Mendicantium. Secundus fuit ad audiendam relationem Magiſtri Nicolai Fraterni, qui tranſmiſſus fuerat ad Magnum Conſilium Domini noſtri Regis, & ad Legatum in Francia Regno & Ducatu Britanniæ etiam propter factum Mendicantium.* Et poſt pauca: *Circa primum articulum declaravit Dominus Rector, qualiter die Veneris præcedente, die videlicet octavâ menſis ejuſdem, hoc eſt feriâ quartâ poſt prandium meridianum ad Cameram ſuam venit advena quidam & Frater de Ordine Prædicatorum, dicens, ſe miſſum eſſe à Generali Ordinis ad præſentandum dicto Rectori nomine ejuſdem quaſdam literas miſſivas. Quod cùm audiviſſet Dominus Rector nolens propria prudentia inniti, miſſis diverſis ſuperiorum Facultatum ſuppoſitis, ut maturè in hac re procedere poſſet, cum quibus convenit, ut dictam literam miſſivam pro tunc nullatenus haberet recipere, ſed die ſequenti haberet convocare notabiles Deputatos in magno numero per juramentum in ſancto Maturino de diverſis Facultatibus & Nationibus. Quorum opinionem audiendo, ulteriùs in negotio poſſet procedere, dimiſſuſque eſt illâ horâ advena, aſſignatáque eſt ſibi hora comparendi die craſtinâ ſequenti, videlicet Sabbati poſt prandium meridianum, horâ tertiâ in ſancto Maturino allaturus literas ſuas miſſivas ſui Generalis, quæ omnia die ſequenti facta ſunt. Cúmque dictus advena in præſentiâ Deputatorum compareret, fuit aſſociatus duobus Doctoribus in Theologiâ Univerſitatis Pariſienſis, quia tamen à Deputatis præceptum eſt, quòd dictus advena nomine ſui Generalis, dictique Doctores nomine ſui Ordinis Pariſienſis prout verba oſtendebat, niſi ſunt deſtruere quandam pacem factam in ſancto Bernardo, in præſentiâ Domini Coneſtabularii, reverendorum in Chriſto Patrum Archiepiſcopi Remenſis, & Epiſcopi Pariſienſis, ad quam deſtruendam nullam habuerant poteſtatem ex parte Univerſitatis.*

Idcirco

Idircò tam Rector, quàm Deputati in hoc convenerunt, ut hoc die Lunæ hac horâ præſcriptâ Univerſitatem haberent convocare, quodque iidem tam advena, quàm etiam dicti Doctores illo die, & illâ horâ comparerent narraturi illa, quæ habuerant in propoſito ibidem narrare. Quibus ſic, ut præfertur, peractis, prædictus advena nomine ſui Generalis dicto Rectori in præſentia Univerſitatis literas miſſivas præſentavit, continentes in effectu revocationem, annullationem & quaſſationem pacis factæ & concluſæ in ſancto Bernardo inter prædictam Univerſitatem, & dictos ſuos Fratres, quantum eos concernebat, quòdque prætextu talis pacis non volebat ſuos Fratres in futurum ingredi ſocietatem prædictæ Univerſitatis, illudque idem nomine Generalis prædicti factum eſt per prædictum advenam dicti Ordinis, qui in præſentiâ Univerſitatis oſtendit ſe poteſtatem habere ad hujuſmodi faciendum, illudque idem fecerunt duo Doctores in Theologiâ prædicti Ordinis, qui ſe aſſerebant authoriſatos ex parte Ordinis Pariſienſis. Circa ſecundum articulum declaravit Magiſter Nicolaus Fraterni, ſe præſentaſſe literas in magno Conſilio Regis, ex parte dictæ Univerſitatis, inprimis Domino noſtro Regi, Domino Cancellario, Domino Epiſcopo Narbonenſi, Magiſtro Euſtachio Fabri, & pluribus aliis, qui gratè literas Univerſitatis ſuſceperant, ac ſe præſentaverant paratos, operari pro dictâ Univerſitate in omnibus ipſis poſſibilibus. Inſuper de facto Prædicatorum Mendicantium Univerſitati retulit, qualiter nonnulli de ipſorum Ordine fuerant proſecuti Conſilium magnum Regis, à quo obtinere voluerunt curſum in Regno Franciæ ejuſdem Bullæ emanatæ à ſanctâ Sede Apoſtolicâ. A quo Conſilio tale obtinuerant finale reſponſum, quòd nihil daret Conſilium de concernentibus curſum prædictæ Bullæ, inauditis Prælatis hujus Regni, quòdque ipſis imponebatur ſilentium, ſi hoc fieret de proſecutione curſûs prædictæ Bullæ. Inſuper nomine ejuſdem Conſilii, & reſpondendo ſuper contentis in miſſivis dictæ Univerſitatis ex parte Conſilii, quòd ipſi de Ordine Mendicantium aliud non obtinerent à dicto Conſilio. Idcircò conſulebant illi de Magno Conſilio, quòd pro hujus materiæ proſecutione Ambaſiatores non tranſmitteret. Dicebat inſuper Magiſter Nicolaus Fraterni, quòd nomine ejuſdem Univerſitatis præſentaverat literas miſſivas Legato, de quo ſuprà, à quo perceperat, quòd jam in favorem ipſorum Mendicantium erant expedita bene quadraginta vidimus tangentia veritatem Bullæ de quâ ſuprà, à quo Legato nullam penitus reſponſionem habere potuerat pro dictâ Univerſitate, quia dictus Legatus irritatus fuerat ratione cujuſdam appellationis interjectæ à prædictâ Univerſitate in cauſâ decimæ levandæ in Regno Franciæ ſuper Beneficiis. Et poſt pauca: *Quoad primum articulum dixit mater noſtra Univerſitas, quòd prædictos Fratres de Ordine Prædicatorum non privavit, ſed ſeipſos privaverunt per amicabilem compoſitionem factam in ſancto Bernardo inter prædictam Univerſitatem & quatuor Ordines Mendicantium: quia tamen mater noſtra Univerſitas de repentinâ declaratione privationis aliàs notata fuerat à Fratribus prædictis, ne nunc, ut priùs, notaretur, remiſit declarationem ad Deputatos, quibus dabat etiam in mandatis providere unà cum Conſiliariis Curiæ Parlamenti & Caſtelleti, quid ulteriùs agendum in hac re. Circa ſecundum mater noſtra Univerſitas habuit Magiſtrum Nicolaum Fraterni ratum & gratum, acta per eum rata & grata.*

Anno Domini M. CCCCLVII. *die* XXX. *horâ* VI. *de mane, fuit Univerſitas Pariſienſis per Dominum Rectorem in ſancto Bernardo per juramentum convocata ſolemniter ſuper facto Mendicantium. Oſtendit Dominus Rector, qualiter ſecundùm concluſionem captam in congregatione ultimò celebratâ in hoc loco, adhuc unâ vice haberet vocare per juramentum Fratres de Ordine Prædicatorum, & ipſos fraternaliter monere pro tertiâ vice, ut pacem, de quâ ſuprâ, tenere & ratificare vellent, quòdque in obedientiâ, paupertate & caſtitate, in quibus eorum votum conſiſtebat, vitam perducerent, ac Univerſitatem præfatam immoleſtam permitterent, ſuntque prædicti Fratres, qui numero competenti exiſtebant, ſucceſſivè interrogati, an vitam & limites Patrum inſequendo hujuſmodi facere cupiebant, & à cœptis retrahere pedem? Qui viciſſim dixerunt, quòd ſi Rectori & Univerſitati ligati fuerunt juramento, magis tamen eorum Generali, qui eis mandaverat, ut Univerſitati notificaverant, ut prædictam pacem, de quâ ſuprà, tam nomine ſui, quàm eorum haberent irritare, & quaſſare ſicuti fecerant, de quo ſuprà: Et hoc ſub magnis, & timendis cenſuris Eccleſiaſticis, quibus eoſdem ligavit, ſi in oppoſitum venire præſumerent, quodque aliud facere non poterant. Quâ reſponſione auditâ per Rectorem in præſentiâ Univerſitatis, viſâ trinâ monitione fraternali, quæ præceſſerat, eorum privationem in medium poſuit. Circa quem articulum, Univerſitas decrevit prædictos Fratres privatos eſſe, & privationem incurriſſe à gremio & conſortio prædictæ Univerſitatis. Non fuit tamen concordia in Univerſitate, quòd ſchedula affigeretur in locis conſuetis, per quas hujuſmodi privatio omnibus conſtaret ſub ſigillo Rectoris.*

Anno Domini M. CCCCLVII. *die* VIII. *Octobris fuit Alma Pariſienſis Univerſitas ſolemniter convocata. Supplicaverunt domini Mendicantes, videlicet unus Auguſtinenſis, ut mater*

Univerſitas vellet reintegrare, & ad ſuum gremium revocare Fratres Prædicatores, qui pro illo tunc erant privati, etiam ſupplicavit ut darentur Deputati ad videndum conventionem pacis inter Fratres Mendicantes. & Almam matrem Univerſitatem, ut ſi quid eſſet ibi conventum, quod contradiceret, aut quod ſtare non poſſet cum ſuis privilegiis, hoc amoveretur, & ſi nihil erat contrarium, erant contenti tenere conventionem factam. Et quoad hoc placuit, ut ſi ipſi conventionem factam & initam in ſancto Bernardo coram Domino Conneſtabulario, Domino Remenſi, & Domino Pariſienſi tenere vellent, ipſi Fratres Prædicatores reintegrarentur, & non aliàs. Nec placuit pro tunc eis Deputatos concedere.

Atque iſta hactenus, quæ ad ingentes illas inter Pariſienſem Academiam & Mendicantes diſcordias, ex occaſione Bullæ Eugenii & Nicolai Pontificum excitatas pertinent.

Capitis concluſio, et perioche.

DESCRIPTA capite hoc epocha, quæ annorum triginta tantùm eſt, multa complectitur. Ægidius Carlerius refellit certum quendam Franciſcanum, qui dum apud Tornacenſes concionaretur, auſus fuerat dicere, Mendicantes jure potiori, quàm parochiales Presbyteros confeſſionem fidelium excipere, & præterea nihil eſſe, cur Presbyteri parochianis denegent Euchariſtiam, tametſi nunquam confiteantur in Eccleſiis ſuis.

Guillelmus Caſtroſortius quæſtionem tribus propoſitionibus expedire ſibi videtur. In primâ dicit, confeſſionem audire, & pœnitentias injungere non eſſe licitum Sacerdoti, qui juriſdictionem nullam ordinariam vel delegatam habet. In ſecundâ docet, ſine parochialis Presbyteri licentiâ fidelium confeſſionem audire eos poſſe, qui audiendi privilegium habent vel à Papa, vel ab Antiſtite diœceſano, ut ſibi à Lateranenſi Statuto caveat, tum ut parochialem Presbyterum ita & Papam atque Epiſcopum proprii Sacerdotis nomine comprehendit. In tertiâ decernit, ut qui privilegium habent, fideles quantùm in ipſis erit, ad deferendum parochialibus Presbyteris honorem, reverentiam & amorem inducant.

Pariſienſis Academia Joannem Bartholomæum Minorem graviter redarguit, & ne ad Theologiæ gradus ultimos promoveretur, impediit, quòd Rotomagi habitis ad populum concionibus docuerat, non eſſe neceſſe, ut qui peccata ſua Fratribus confeſſus fuerat, eadem parochialibus Presbyteris iterum confiteretur.

Philippus Lingonenſis Epiſcopus in Synodo præſtat res quatuor. Et primùm quidem præcipit, ut Lateranenſis Canon annuncietur populo, & diligenter obſervetur. Deinde ne Mendicantibus conquerendi cauſa ulla detur, privilegiis illorum præjudicare nolle ſe declarat. Tum ſubjicit eos Fratres, qui ſibi ſteterunt ſe, confeſſiones audire poſſe liberè, & ſalutares pœnitentias injungere. Poſtremò docet proprii Sacerdotis nomine Romanum Pontificem, illius Legatum, Epiſcopum, Pœnitentiarium, Curionem, vel ejus Vicarium deſignari.

Nicolaus V. ſtrictioris obſervantiæ Minoribus concedit, ut à peccatis cuicumque alii Epiſcopo reſervatis abſolvant, & fidelibus Euchariſtiam diebus omnibus, præterquam in Reſurrectione Domini adminiſtrent.

Adhæc promulgat editam ab Eugenio IV. Conſtitutionem, quâ decernitur, eos qui confeſſi ſunt Fratribus, non teneri parochialibus Presbyteris iterum confiteri. Conſtitutio hæc ſtatim atque à Mendicantibus delata eſt Lutetiam, ab Academiâ rejicitur. Mendicantibus Academici juris totius privatio indicitur, niſi efficiant, ut revocetur à Pontifice, vel non utantur. Cujus rei ratio fuit, quòd Eugenii Conſtitutione Lateranenſi Canoni, *Omnis utriuſque ſexûs*, & Clementinæ *Dudum* derogaretur. Eam ob cauſam Eugenii Conſtitutio ſcandaloſa, pacis & concordiæ turbativa, ordinis hierarchici ſubverſiva & ſubreptitia nuncupatur. Ab Academiâ ſegregantur: Segregati Comitem Stabuli, Remenſem & Pariſienſem Antiſtites conveniunt, machinas omnes adhibent, ut reconcilientur. Academia non flectitur, niſi Mendicantes Eugenii Bullæ à Nicolao V. promulgatæ renuntient, & in Bullâ Callixti Eugenianam revocantis acquieſcant. Mendicantes oblatas conditiones accipiunt. Verùm Callixtus vel non revocavit Bullam Eugenii, vel falſæ cujuſdam revocationis ſpecie decepta eſt Academia. Quam enim Callixti Conſtitutionem retulimus, ea Eugenii Bullam confirmat, tantùm abeſt, ut eam infirmet & reſcindat. Mendicantes Callixti Conſtitutione muniti magnum Regis Conſilium adeunt, & conantur efficere, ut in auctoritatem admittatur. Academia ad conſuetum præſidium confugit. Mendicantes iterum à ſinu ſuo diſtrahit, & tandem poſt altercationes multas eos in integrum reſtituit pollicitos, ſe privilegiis, quæ ab Eugenio, Nicolao, & Callixto conceduntur, non uſuros. Porro controverſia hæc annum unum & menſes quatuor duravit, anno enim M. CCCCLVI. ad XI. Calend. Junias incepit, & anno M. CCCCLVII. terminata eſt ad VIII. Idus Octobris.

Hæc

Hæc dum aguntur Pariſiis, Spiræ & in quibuſdam aliis Germaniæ locis contentio par exarſit. Fuerunt Eccleſiarum Rectores, qui aſſererent, ad iterandam confeſſionem obligari eos, qui apud Fratres peccata ſua depoſuerant: Quod ut probarent, Lateranenſem Canonem urgebant. Fuerunt & Fratres, qui non modò prædicarent contrarium, ſed etiam parochianos à frequentandis Eccleſiis ſuis avocarent. Callixtus editâ Conſtitutione utroſque compeſcuit, & ne talia dicerent, prohibuit.

CAPUT IX.

Quid ab anno M. CCCCLX. *ad annum* M. D. *circa Lateranenſem Canonem, ejuſque materiam acciderit, refertur.*

HÆc epocha ſuperiori longior eſt annorum numero, ſed rerum geſtarum expoſitione brevior erit. Auſpicamur à Sixti IV. Conſtitutione, quæ quòd ampliſſima Franciſcanorum Conventualium privilegia contineat, Mare magnum nuncupari ſolet. Quæ in eâ ad inſtitutum noſtrum faciunt, hæc ſunt: *Præterea quia parochialium Eccleſiarum Rectores præfati erga illos, qui dictis Fratribus Ordinis Minorum eorum peccata confitentur, perſæpe ſe reddunt in exhibitione Euchariſtiæ & extremæ Unctionis difficiles, concedimus ipſis Fratribus Ordinis Minorum, ut eiſdem perſonis eis confeſſis, quibus Rectores præfati ſine rationabili causâ denegaverint, ſeu malitioſè diſtulerint Euchariſtiæ ſeu extremæ Unctionis ſacramenta miniſtrare, ſuper quo eorundem confeſſorum aſſertioni ſtari debeat, illa petentibus poſſint impunè exhibere.* Et poſt alia: *Rurſus intelleximus, quòd etſi bonæ memoriæ Joannes XXII. prædeceſſor noſter illorum opinionem qui aſſerebant, quòd confeſſi Fratribus prædictis Ordinis & aliorum Ordinum Mendicantium ad audiendas confeſſiones juxta juris diſpoſitionem deputatorum pro tempore, tenebantur eadem peccata Rectori eorum parochialis Eccleſiæ iterum confiteri, reprobaverit, & deinde præfatus Eugenius prædeceſſor reprobationem hujuſmodi approbaverit, contra talia aſſerentes tanquam de hæreſi ſuſpectos per locorum Ordinarios inquiri, & procedi mandaverit, ac ſucceſſivè piæ memoriæ Nicolaus Papa V. ſimiliter prædeceſſor noſter geſta in præmiſſis ab eiſdem Joanne & Eugenio prædeceſſoribus robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreverit: nihilominus adhuc nonnulli eorum inhærentes protervia, opinionem prædictam & deſuper factos damnatos & malè ſonantes ac reprobos articulos veros eſſe affirmare non verentur, ut talium præſumptuoſa temeritas tantò minùs invaleſcat, quanto plurium erit Superiorum correctioni ſubjecta, conceſſam contra tales per ejuſdem Eugenii prædeceſſoris literas locorum Ordinariis facultatem, ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis extendimus, ac volumus, quòd Inquiſitores ipſi quicunque fuerint, eâdem quâ Ordinarii contra tales auctoritate fungantur.* Et poſt alia: *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* M. CCCCLXXIII. *pridie Calend Sept. Pontificatus noſtri anno* IV.

Hic Pontifex quæ Joannes XXII. Eugenius & Nicolaus V. de non iterandâ confeſſione facta Mendicantibus decreverant, confirmat, & contradictores ab Epiſcopis caſtigari jubet.

Quadriennio pòſt res eadem apud Germanos in controverſiam & diſceptationem venit: Quæ ut dirimeretur, Sixtus ipſe Conſtitutionem proximam ſibi edendam eſſe cenſuit lib. 1. Extravagantium communium de treugâ & pace cap. unico: „Vices illius, qui ſupra petram
„ædificavit Eccleſiam ſuam, meritis licèt inſufficientibus gerentes in terris, & per ejus imma-
„culata veſtigia, quantò nobis ex alto conceditur, incedere ſatagentes, inter Chriſti fideles
„quoſlibet, & præſertim ſub uno atque eodem Sacerdotii vexillo nobiſcum Deo militantes
„pacem & charitatem inducere, & inductam confovere vigilanti ſollicitudine meditamur aſ-
„ſiduè, & quæ iis contraria ſunt, falce vigilantiæ Paſtoralis ad radicem poſita ſubmovere, prout
„rerum & temporum circunſtantiæ id non immeritò expoſcere dignoſcuntur.

„Nuper ſiquidem pro parte tam venerabilium Fratrum noſtrorum Moguntinenſium, &
„Treverenſium Archiepiſcoporum, ac Herbipolenſium & Wormacienſium & Spirenſium
„Epiſcoporum, quàm dilecti filii nobilis viri Philippi Comitis Palatini Rheni, & Ducis Ba-
„variæ, qui unus ex Electoribus Romani Imperii exiſtit, ad noſtrum pervenit auditum,
„quòd inter filios dilectos Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum Ordinum Profeſſo-
„res, & nonnullos parochiarum Rectores, & alios etiam Eccleſiarum Prælatos, inſtigante
„illo, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret in partibus Germaniæ, &
„præſertim in oppido Eſlingenſi, Conſtantienſis Diœceſis ſuſcitata ſunt nulla diſſenſio-
„num, & ſcandalorum fomenta, ex certis cauſis tunc nobis expreſſis, quæ niſi per vigi-
„lantiam Paſtoralis officii celeriter ſuccidantur, poſſent ad ſcandalum non modicum Chriſti
„fidelium illarum partium faciliter pervenire.

„Nos igitur attendentes, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia ab ejus fundatione primævâ in

„ordine Sacerdotali, quem Petrus Apoſtolus, & ejus ſucceſſores obſervarunt inſtituta
„& per viros providos, & Sacerdotes virtuoſos adaucta & longiſſimis temporibus feli-
„citer conſervata extitit, rurſuſque animadvertentes, quòd hodiernis temporibus homi-
„num creſcente malitiâ, niſi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiri-
„tus ſancti, & præconibus verbi Dei (qui præter ceteros in Ordinibus Fratrum Men-
„dicantium gratiâ aſſiſtente divinâ in copioſo numero reperiuntur) aſſiduè coleretur, ve-
„pribus malorum, & ſentibus vitiorum omnium celeriter obrueretur, non potuimus
„nonniſi ab intimis cordis noſtri dolere, quòd inter tales viros, qui ſe mutuâ carita-
„te diligere, & alter alterius juxta Apoſtolum onera portare deberent diſcordiæ, ſe-
„minarium excitaretur. Unde cùm vellemus ſuper his, eâ quâ decet, maturitate conſu-
„lere venerabilibus Fratribus noſtris, Guillelmo Oſtienſi & Angelo Præneſtinenſi Epiſ-
„copis, & dilectis filiis noſtris Juliano tituli S. Petri ad vincula, ac Petro tituli ſancti
„Sixti, Presbyteris Cardinalibus vivæ vocis oraculo committimus & mandavimus, ut
„à ſingulis partibus prædictis, vel eorum Procuratoribus legitimis, auditis hinc inde
„propoſitis, inter eas concordiam tractarent. Qui quidem Epiſcopi & Cardinales Sta-
„tutis loco & tempore convocatis, auditis & intellectis partibus prædictis (ut præfer-
„tur) & in præmiſſis graviter & conſultè procedentes, partes ipſas de communi earun-
„dem conſenſu ad concordiam infrà ſcriptam perduxerunt: Videlicet, quòd ipſi Paro-
„chiani Sacerdotes de cetero non dicant, à Mendicantibus hæreſes proceſſiſſe, cùm in
„veritate fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per
„Ordines Prædicatorum & Minorum, ut jura teſtantur. Quodque Fratres Mendican-
„tes non prædicent, populos parochianos non teneri audire miſſam in eorum Paro-
„chiis diebus feſtivis & Dominicis, cùm jure ſit cautum, illis diebus parochianos tene-
„ri audirè miſſam in eorum Parochiali Eccleſiâ; niſi forſan ex honeſtâ cauſâ ab ipſâ Ec-
„cleſiâ ſe abſentarent: quodque etiam nec Fratres nec Curati inducant aliquomodo lai-
„cos ad eligendum ſepulturam apud eos, & bene caveant propter pœnas, quas impo-
„nunt canones, cùm ſit libera. Quòd etiâm ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd
„parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure
„tenetur parochianus ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti: per hoc tamen ipſi
„Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominus ſecundùm juris communis & pri-
„vilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire, & pœnitentias injun-
„gere valeant. Quòd etiam de cetero inter ipſos Fratres Mendicantes & Curatos quoad
„effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulſandi ſervetur conſuetudo anti-
„qua, quæ temporibus antiquis ſervata fuit in ipſo oppido Eſlingenſi; & caſu, quo ve-
„niat aliqua occaſio ſive neceſſitas, non fiat commutatio temporis, vel horæ, in ipſis præ-
„dicationibus fiendis niſi de conſenſu partium. Quodque etiam ipſi Fratres in ſermonibus
„eorum non detrahant Prælatis & Rectotibus Parochialium Eccleſiarum: Nec etiam po-
„pulos à ſuarum Eccleſiarum Parochialium frequentia & acceſſu abſtrahant, ſive retra-
„hant quoquomdo: Et vice verſâ ipſi Rectores & Prælati aliquomodo non detrahant Men-
„dicantibus, ſed illum favorem, quem poſſunt, eis impendant, & in omnibus & per omnia
„præſtent, ita ut vera unitas & perfecta charitas inter eos oſtendatur.

„Nos itaque illius vices gerentes in terris, qui Apoſtolis ſuis dixit (Pacem do vo-
„bis, pacem meam relinquo vobis) cupientes ſuper his opportunè provideri, motu
„proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtrâ
„certâ ſcientiâ & merâ voluntate concordiam prædictam, ac omnia & ſingula per præfa-
„tos Epiſcopos & Cardinales ordinata ad hoc ut perpetuò inconcuſſa perſiſtant, auctorita-
„te Apoſtolicâ, & ex certâ ſcientiâ approbamus & confirmamus, ac viribus perpetuò
„ſubſiſtere debere decernimus. Supplentes omnes & ſingulos defectus tam juris, quàm
„facti, qui forſan intervenerunt in eiſdem: Injungentes nihilominus Archiepiſcopis, Epiſ-
„copis, Plebanis, Rectoribus, Curatis, necnon Priotibus, Guardianis & ſingulis Fratri-
„bus Ordinum Mendicantium ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ, quam con-
„trà facientes & quemlibet eorum contrà facientem incurrere volumus eo ipſo, à quo
„abſolvi nequeant, niſi de expreſſo conſenſu partis læſæ, & debitâ ſatisfactione præviâ,
„inviolabiliter obſervent, & quantum in eis eſt, ab aliis obſervari faciant & inſuper
„quaſcunque lites & cauſas coram quibuſcunque cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori-
„bus, ſeu alibi occaſione præmiſſorum inter dilectos filios Decanum & Capitulum Ec-
„cleſiæ Spirenſis, & Curatum dicti oppidi. ac Fratres prædictos indeciſas pendentes illarum
„Status, tenores & formas, & in eis geſta & actitata præſentibus pro expreſſis habentes, ad
„nos harum ſerie motu, ſcientiâ & auctoritate prædictis advocamus, & litem, ſeu lites ip-
„ſas penitus extinguimus. Et ambabus partibus prædictis litis hujuſmodi conſortibus, ſeu illis

„adhæ-

„adhærentibus perpetuum ſilentium imponimus, nonobſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis eiſdem fratribus in genere, vel in ſpecie conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud ſanctum Pettum anno Incarnarionis Dominicæ M. CCCCLXXVIII. XV. Calend. Julii, Pontificatus noſtri anno VII.

Sixtus inprimis exponit factum, ſcilicet controverſiam, quæ intet Mendicantes & Parochiales Presbyteros in Germaniâ excitata fuerat. Controverſiæ verò caput confeſſio, quæ proprio Sacerdoti ex Lateranenſis Concilii Canone facienda eſt. Deinde conttoverſiam ita dirimit, ut Parochiales Presbyteri non dicant ampliùs, hæreſes ex Mendicantibus prognatas eſſe: ut Mendicantes non prædicent, haud teneri populos audire miſſam in Parochiis ſuis: ut concionari deſiſtant, Patochianos non eſſe ſaltem obligatos in Paſchate Sacerdoti ptoprio confiteri. Tum adjungit iſtud non impedite, quominus Mendicantes confiteri populos queant, toto nempe reliquo tempore, quod Paſchales ferias excipit. Quæ ferme fuit Martini IV. conſtitutio.

Facultas Theologiæ Pariſienſis anno Chriſti M. CCCCLXXXII. congregata eſt, ut certas quaſdam propoſitiones, quas Joannes Angeli, Minot Tornaci prædicaverat, examinatet: examinavit, & ita confixit.

Propoſitio II. *Parochianus Confeſſus Fratribus ſatisfecit Decretali, Omnis utriuſque ſexûs, de pœnit. & remiſſ. Nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato, ſemel in anno, nec ab co petere licentiam. Hac propoſitio ut jacet, eſt ſcandaleſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Pralatos debita obedientia & reverentia obſervantiâ publicè revocanda & abjuranda.*

Propoſitio III. *Si Curatus recuſet ſacramentum Euchariſtia miniſtrare parochiano eiſdem fratribus ſic confeſſo, veniat ille parochianus ad Fratrem, qui eum audivit, & ipſe ſibi adminiſtrabit. Hac propoſitio in formâ, in quâ jacet, eſt falſa, & de hareſi vehementer ſuſpecta, juri communi contraria & publicè revocanda.*

Propoſitio V. *Curatus aſſerens parochianos ſuos obligari, ut ſibi confiteantur, ſemel in anno ſub pœnâ peccati mortalis, eſt excommunicatus, & ſi celebret, irregularitatem incurrit. Hac propoſitio eſt falſa & injurioſa.* Et poſt alia: *Declarat prafata alma Theologorum Facultas, quòd pradictorum articulorum qualificatio nullo modo derogat, nec prajudicat Clementina, Dudum, de ſepulturis.*

[f] Biennio pòſt Facultas eadem III. Calend. Auguſti damnavit propoſitiones duas, quas Joannes Lallerius in Sotbonicâ diſputatione poſuerat. Hæ autem ſunt: *Confeſſi Religioſis Mendicantibus, praſentatis & acceptatis ſecundùm formam Decretalis Dudum, non ſunt abſoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato.*

Summus Pontifex Joannes XXII. non potuit condemnare de Polliaco, nec facere Decretalem, Vas electionis.

Non eſt admodum facile condemnationem hanc cum ſuperiori conciliare, niſi per Armacanum, qui, ut vidimus, Joannem XXII. cum Martino IV. conciliare nititur, audiente nec imptobante Innocentio VI.

Ad annum M. CCCCXC. Atrebati celebrata eſt Synodus, in quâ argumentum iſtud ſic tangitut, titulo de ſacramento pœnitentiæ: *Per hoc tamen prajudicare non intendimus illis quibus à Sede Apoſtolicâ eſt indultum, quòd confeſſiones audiant vel audire valeant ſibi confiteri volentium, quominus eâ poteſtate uti valeant, nonobſtante hujuſmodi propoſitione, ſecundùm quòd antea de jure poterant vel valebant.* Hæc Synodus poſtquam confitendi præceptum ex Lateranenſi canone annunciarat.

Innocentius VIII. ſequitut, ad Officialem Tornacenſem ita ſcribens: *Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Fide dignorum relatione nobis nuper innotuit, quòd nonnulli verbi Dei pradicatores parochianos parochialium Eccleſiarum civitatis & diœceſis Tornacenſis, ne ſemel in anno earundem Eccleſiarum Rectoribus eorum peccata confiteantur & abſolutionem percipiant ab eiſdem, diverſimodè in eorum ſermonibus ad populum perſuadere, & eos ad id non teneri publicè pradicare, in proximâ pracedenti quadrageſima non formidarunt: adeò ut Eccleſiarum earundem Rectoribus contrarium aſſerentibus ex hujuſmodi eorum pradicationibus ſcandala in mentibus eorum ſint exorta, nonnulli propterea ab aſſumptione ſacramenti Euchariſtia duxerint abſtinendum. Ne igitur ejuſmodi ſcandala propterea invaleſcant, volumus, ut iiſdem & univerſis Dei pradicatoribus, qui pro tempore erunt in civitate & diœceſi pradictis, auctoritate noſtrâ inhibeas, ne de cetero talia pradicare, neve parochianos à confitendo eorum peccata Rectoribus pradictis abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri, pradicare praſumant, privilegio (quod eis ſuffragari nolumus) nonobſtante, & quâcunque appellatione remotâ. Datum Roma apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris*

die

[f] *Biennio poſt*] Circa annum 1486. factum id narrat Bulæus. Tom. 6. Hiſt. Univerſit. Paris.

die XXVI. *Julii*, *anno* M. CCCCXC. Hic Pontifex videtur idem ſentire, quod Sixtus IV. Martinus IV. & Clemens IV. & Facultas Theologiæ Pariſienſis in cenſurâ, quâ Joannem Angelium Tornaci, hæc & ſimilia concionatum perculit.

Hadrianus VI. in quartum ſent. de ſacramento Confeſſionis quæſtione v. materiam hanc tractat pluribus, & varias in partes agitat, & tandem concedit in opinionem eorum, qui dicunt proprii Sacerdotis nomine Curatum, Epiſcopum diœceſanum, & Romanum Pontificem intelligi. *Admiſſo*, inquit, *tamen & non conceſſo, quòd per proprium Sacerdotem intelligi debeat Curatus, ſeu Parochialis Sacerdos, ut probare videtur illa Extravagans Martini IV. nego conſequentiam: Quòd ergo confeſſi Fratribus teneantur, &c. Quæ conſtitutio ut dixi in corpore quæſtionis excipit, quando de licentiâ proprii Sacerdotis alieno confeſſus fuerit Sacerdoti, ubi à minori etiam excipitur licentia Epiſcopi vel Papæ: & certè quibus ad hoc commiſerat ſuas vices ſeu poteſtatem. Secundò dico, quòd per proprium Sacerdotem textu ibi intelligit Curatum, Epiſcopum, Papam, & hujuſmodi ordinarios Superiores.* Et hæc ſunt præcipua, quæ ad hanc epocham ſpectant.

Capitis concluſio, et Periochè.

CONSTITUTIONES duæ Sixti IV. deſcriptæ ſunt, in quarum alterâ Joannis XXII. Eugenii & Nicolai V. Conſtitutiones vindicat & confirmat. In alterâ verò huic tacitus derogare videtur, ut excitatam in Germaniâ controverſiam componat. Rem enim eandem utrobique non decernit. In priori Conſtitutione jubet, ut qui confeſſos Fratribus teneri rurſus confiteri Presbyteris affirmant, ſeverè caſtigentur. In poſteriori præcipit, ut Mendicantes è concione doceant, parochianos ſemel in anno ſaltem obligatos eſſe proprio confiteri Sacerdoti. Ex quo ſequitur confeſſionem hujuſmodi apud Mendicantes fieri non licere, niſi fortè parochiales Presbyteri conſentiant. Quomodo Lateranenſe Concilium ſtatuit conſentiendum eſſe.

Facultas Theologiæ Pariſienſis hinc Joannis Angelii, inde Joannis Lallerii propoſitiones condamnat: ſed Joannis Angelii propoſitiones ita condemnat, ut tamen Clementinæ *Dudum* ſtare velit. Joannis verò Lallerii propoſitiones, cùm proſcribit, priori cenſuræ derogare videtur, niſi ut Facultatem ſibi conciliandam eſſe monui, conciliare quis voluerit. Atrebatenſis Synodus rem quidem tractat, deciſionem illius obſcuram relinquit, ſed Innocentius VIII. non relinquit, & ſecundùm parochianos pronuntiat. Hadrianus, in proprii Sacerdotis expoſitione cum quibuſdam antiquioribus concordat.

CAPUT X.

Quid ab anno M. D. *ad annum* M. D. XXV. *circa Lateranenſem Canonem, ejuſque materiam acciderit, refertur.*

AD annum M. D. II. celebrata eſt Sueſſionenſis quædam Synodus, in quâ de iis, qui confeſſiones fidelium excipiunt, hæc decernuntur: *Nullus ad audiendum confeſſiones præter voluntatem Rectorum Eccleſiarum parochialium recipiatur, niſi ſuper hoc à Summo Pontifice vel à nobis licentiam obtinuiſſe conſtiterit.* Hæc tangunt quidem materiam Lateranenſis Canonis, ſed momentum ipſum, Paſchalem nimirum confeſſionem non attingunt: quidquid id eſt, celare nolui.

Ægidius Delphus Pariſienſis Theologus & ſuo tempore Facultatis Decanus anno M. D. VIII. quæſtionem de jure Curatorum & Mendicantium edidit ſub hoc titulo: *Utrum Fratres Mendicantes virtute privilegii fiant proprii Sacerdotes: Concluſio* II. *Confeſſio Fratri privilegiato facta non ſatisfacit Canoni, Omnis utriuſque ſexûs, quin ſaltem ſemel in anno confiteri teneatur proprio Sacerdoti juxta ſententiam Concilii generalis.* Hæc clara ſunt.

Joannes Raulinus, qui ex Pariſienſi Theologo & magno Navarrici Collegii Magiſtro factus eſt Cluniacenſis Monachus, ſerm. VIII. de pœnitentiâ, ab Ægidii Delphi opinione recedit. Sic autem loquitur. *Quarta propoſitio. Quilibet Catholicus adultus tenetur omni anno proprio Sacerdoti, aut ejus Vicario confiteri, ſi adſit ei opportunitas; patet per illam Decretalem Omnis utriuſque ſexûs.*

Quinta propoſitio. Per proprium Sacerdotem intelligimus Summum Pontificem, Epiſcopum diœceſanum, Presbyterum parochialem, & eorum Vicarios, ſeu commiſſos.

Petrus Tartaretus Pariſienſis Theologus in lib. IV. ſent. diſt. XVII. quæſt. unica: *Proprius Sacerdos*, inquit, *capitur pro habente auctoritatem abſolvendi, & dicunt communiter, quòd intelligitur de habente auctoritatem abſolvendi, ſive ex jure ordinario, ſive ex privilegio.*

Jacobus Almainus Pariſienſis Theologus in quartum diſt. XVII. quæſt. unica de Confeſſ.

ART. III. *Sed mihi melius videtur dicendum, quòd in quâlibet iſtarum partium capitur proprius Sacerdos pro habente ordinariam poteſtatem & non delegatam, & iſti judicio meo melius dicunt ad intellectionem textûs, quòd capitur proprius Sacerdos pro ordinario.* Et poſt alia: *Quantùm ad cui ſpecificatur ſcilicet proprio Sacerdoti, & diximus quòd capitur proprius pro Ordinario, etiam mediato vel immediato.* Et poſt pauca.

Quantùm ad ſecundam difficultatem, utrum confeſſus privilegiato teneatur proprio Curato confiteri. Et quibuſdam interpoſitis: *Credo quòd non teneatur iterum confiteri Curato, & eſt prohibitum per Arreſtum, ne ſæculares & Religioſi ampliùs altercentur circa illam quæſtionem.*

Joannes Majot Pariſienſis quoque Theologus in quartum diſt. XVII. quæſt. VII. materiam latiùs pertractat.

„Prima Concluſio. Romanus Pontifex poteſt dare facultatem alicui Sacerdoti audien-
„di confeſſiones in Curâ alicujus plebani, non requiſitâ licentiâ plebani. Probatur con-
„cluſio. Curatus facultatem impertitur aliis audiendi confeſſiones, ut communiter in
„praxi videmus, non quæſitâ alicujus ſuperioris facultate: ergo ſuperior illius plebani
„poteſt dare facultatem audiendi confeſſionem ſine facultate inferioris. Conſequentia eſt
„manifeſta in poteſtatibus ſe habentibus ſecundùm ſuperius & inferius. *Et poſt alia*: Pro-
„batur II. Epiſcopus poteſt aliquibus dare facultatem audiendi confeſſiones in totâ ſuâ
„Diœceſi: Ergo Romanus Pontifex poteſt in totâ ſuâ Diœceſi, quæ eſt tota Chriſtia-
„nitas. Conſequentia ſano capiti probatione non indiget. *Et poſt alia*: Probatur V.
„Lex vel privilegium maximi Pontificis rationabile ſufficit ſubditis ut ea vel eo uti poſ-
„ſint. Sed hoc privilegium à Pontifice maximo conceſſum eſt & approbatum in Cle-
„mentinâ Dudum de ſepulturis. Quòd ſit rationabile, patet in eo, quòd ad ſalutem
„neceſſarium non ſunt homines arctandi, ne à viâ ſalutis impediantur. Sed arctatio vi-
„detur fore oneroſa, ſi homines arctarentur ad confitendum proprio plebano, etiam
„ubi ſolus confeſſiones adit, vel ubi ipſe aliis ſuam vicem committit: tum propter ve-
„tecundos, qui nobis non confitentur, tum ſtat, quòd ſint omnes ineruditi & non bo-
„næ famæ apud ſuos, & confitens habet varios caſus ancipites confitendos, & ſuperve-
„nit probus & religioſus, tunc congruum eſt, ut ſubditus poſſit adire quem velit, quia
„melius eſt habere duo refugia, quàm unum, ſic quòd ille poſſit Curato, vel Religio-
„ſo confiteri relicto ſuo Curato, quem ſtat eſſe ad peccatum ſolicitatorem vel inerudi-
„tum, iniquum foret, quòd peccator tali obligatus eſſet confiteri. Quod enim inſtitutum
„eſt pro caritate, non debet contra caritatem militare ſecundùm Bernardum. Sextò in dictâ
„Clementinâ Dudum dicitur Fratribus liberè poſſunt confiteri volentes, quod nihil eſſet, ſi
„requireretur licentia plebani. Non enim eſt libertas in actu, cujus diſpoſitio pendet in alieno
„arbitrio. ut in Cap. de mult de præbend. ſuper quo verbo, liberè communes expoſitores
„ita interpretantur, quòd confitentes poſſint liberè vel Curatum, vel Fratres legitimè præſen-
„tatos adire. Inſuper his diebus plerique habent facultatem à Romano Pontifice, ut poſſint
„confiteri, quibus voluerint, non petitâ facultate Curati, ergo eodem modo dare poteſt
„facultatem Pontifex alios audiendi.

„Secunda Concluſio. Parochiani poſſunt ſine licentiâ Plebani Fratres legitimè admiſ-
„ſos adire, & eis confiteri. Probatur concluſio, alioquin Papale privilegium Religioſo-
„rum eſſet eis inutile, ſi poſſent per Plebanos impediri, & requireretur eorum facul-
„tas, & illud patet expreſſè Cap. In his, de privilegiis ubi dicitur, quòd Fratres Præ-
„dicatores & Minores habent privilegium, ſed poſſunt in altari portatili celebrare quo-
„cunque loco venerint. Quod quidam Epiſcopi impedire volentes dicebant, quod pote-
„rant illud facere facultate tamen priùs ab Epiſcopo obtentâ. Reſpondet Innoc. III.
„in Cap. Præf. § Cùm autem eis, quòd non tenentur facultatem Epiſcoporum require-
„re, alioqui nihil eis conduceret indulgentia Papæ, cùm poſſint hoc ſine licentiâ Pa-
„pæ, annuentibus Epiſcopis. Eodem modo omnino eſt in propoſito cùm facultatem à Pa-
„pa hi Fratres habeant audiendi confeſſiones, nullius inferioris à Papa facultatem requi-
„rere tenentur. Per hoc enim quòd Epiſcopo præſententur à Superioribus ſuis Provincia-
„libus, Guardianis, vel Prioribus, ipſis Epiſcopis, non capiunt facultatem ab eis, ſi re-
„perti fuerant ad hoc idonei, quia contradicentibus Epiſcopis, poſſunt audire confeſſiones.
„Loquor de jure, non de facto. *Et poſt alia.*

„Quinta Concluſio. Confeſſi legitimè Fratribus prædictis non tenentur eadem peccata
„confiteri proprio Sacerdoti, quem Curatum vocant, &c. Nullus Laicus ritè confeſſus tene-
„tur eadem peccata iteratò confiteri, ſed confeſſus Fratribus Epiſcopo præſentatis eſt hujuſ-
„modi. Ex duabus primis Concluſionibus. Item dato oppoſito inane eſſet illorum privile-
„gium in primâ concluſione conceſſum, & nemo confiteretur igitur, ſi ſciret ſe debere ite-
„ratò confiteri ſuo proprio Curato ſua peccata illis confeſſa. *Et poſt alia.*

„Ex

„Ex his concluſionibus reſponſio patet ad titulum quæſtionis, nec reſpondendum eſt „ad verba gloſſæ in Decretali præfatâ, Omnis utriuſque ſexûs, quia cujus eſt condere, ejus eſt interpretari. Sed Romani Pontifices declarant privilegiis à ſe conceſſis, „quòd non eſt neceſſe petere facultatem à Curato, ad hoc quòd confeſſio valeat. Igi„tur: II. patet quòd per proprium Sacerdotem non opportet intelligere Plebanum, ſed „ſufficit Sacerdos ſpecialis, generalis, vel generaliſſimus, vel ab eo auctoritatem habens. „Nec oportet contra illud allegare aliquod jus antiquum, Clementinam, Dudum, præ„cedens, quia vetuſtate temporis [1] jura corruunt. III. Sequitur quod. Confitens his Re„ligioſis, non confitetur alieno Sacerdoti, ut alienus diſtinguitur contra acceptiones pro„prii, ſcilicet communiſſimi, communis & ſpecialis. IV. Sequitur, quòd ejuſdem ſub„jecti ſunt plures judices in ſpiritualibus, ſed non æquè principales. Nam Papa eſt prin„cipaliſſimus, Curatus infimus in Ordinariis, & dum præcipiunt oppoſita, ſuperiori obe„diendum eſt ex regulâ Auguſtini, quam Magiſter in fine ſecundi adducit. V. Sequitur, „ſi Curatus præcipiat confeſſo Religioſo, de quo loquimur, ſibi ſua peccata confiteri, non „tenetur ei parere. Ratio, contra legem rationabilem ſuperioris præcipit. *Et poſt alia* „*ſibi objicit, quæ ſequuntur.*

„Non poteſt aliquod privilegium indulgeri in præjudicium alterius. *Et poſt pauca*: II. Ne„go quòd hoc ſit in præjudicium Curatorum. Reſpicit enim Pontifex ad utilitatem plebis „ſubjectæ Curato, & multò melius eſt plebi habere hos Religioſos cum Curatis admiſſos, „quàm ſolos Curatos, & ſic ſi Religioſi tollant aliquos parvos denarios, qui dati fuiſſent Cu„rato, tollunt etiam laborem. *Et poſt alia.*

„Nec imputabitur illud Proverbiorum XXVII. quòd vultum pecoris ſui in foro interiori „non cognoverit, quia per eum non ſtetit. Sed ſufficit ei, quòd ſuperiores dederint his fa„cultatem ſecum pariter cognoſcendi vultum pecoris, & propter hoc excuſatur Curatus.

II. „Arguitur in Cap. (Omnis utriuſque) Quicunque, &c. reſpondetur ſubaudiendum „eſſe, niſi ſit privilegiatus à Sede Apoſtolicâ vel à jure. *Et poſt alia.*

„Dico quòd jura humana ſunt mutabilia, & ſi Pontifices ordinarent oppoſitum iſtorum, „quæ dicimus, ſententiæ eorum antiquioribus Statutis relictis acquieſceremus, & cum regu„lâ Lesbiâ flecteremur, & ex hoc patet, quòd Doctores tenentes poſitiones oppoſitas ante „Pontificum determinationes non malè egerunt in materiâ topicâ. Hæc omnia Majoris dic„tata lectione tantùm, non Commentariis egent, ut intelligantur.

Georgius Gemmingenus in urbe Spirenſi Præpoſitus in annotatiunculâ pro Confeſſoribus Spiræ, quæ Argentorati prodiit, anno Chriſti M. D. IX. „Prædicti Fratres, *inquit*, Men„dicantes, ſi rectè qualificati fuerint, poſſunt audire confeſſiones eorum duntaxat, qui „eis confiteri voluerint. Nemo enim cogitur invitus eis confiteri. *Et poſt alia*: Similiter „abſoluti à dictis Fratribus ritè qualificatis, non tenentur iterum confiteri Plebano ſuo. „*Et poſt alia.* Ideò caveant Plebani noſtri Spiræ, ne prædicent contrarium moti opinio„ne Jo. Mo. aut alterius, quia iſta eſt vera Doctrina omnium, quòd volentes confiteri „dictis Fratribus non teneantur petere licentiam à Curato ſuo, aut rurſus Curato ſuo pec„cata confiteri, de quibus per dictos Fratres abſoluti ſunt. Et iſta benè notent Plebani, ne „in hoc errent. Nempe de hac conſtitutione mirandum eſt, cùm unuſquiſque Plebanus poſ„ſit in adjutorium ſuum recipere alium Sacerdotem, ſeu ſubſtituere, & confeſſus tali ſubſ„tituto non tenetur eandem confeſſionem facere Plebano ſuo. Quare igitur Papa, qui eſt „Curatus ſeu proprius Sacerdos totius Chriſtianitatis non deberet poſſe recipere alios „in adjutorium ſuum, ſeu potiùs in cooperatores, cùm in hoc nullum ſit præjudicium „Plebanis, ſeu propriis Sacerdotibus, eo quòd juriſdictionis poteſtas non eſt alicui con„ceſſa in favorem ſuum ſed in utilitatem plebis & ad honorem Dei. Et quia Papa de„dit auctoritatem Religioſis Mendicantibus, ut poſſint audire confeſſiones eis confiteri vo„lentium, ſolet dici, quòd confeſſi talibus ſatisfecerint Cap. Omnis. de pœnit. & re„miſſ. Quia tales confeſſi ſunt de licentiâ ſui proprii Sacerdotis, id eſt, Papæ, non „tamen credant ex hoc noſtri Religioſi Mendicantes Spiræ, quòd habeant auctorita„tem Papalem & facti ſint Papæ, ut mihi dicebat quidam ex Fratribus noſtris Spiræ, „cujus religionem volens ſubticeo, cùm eum arguerem, quòd abſolviſſet quendam, „qui injecit manus violentas immo atroces in Abbatem Religionis probatæ. Nam di„cebat in genere, omnes Fratres Mendicantes habere auctoritatem Papalem. Informa„vi hominem, quòd non habemus tot Papas in mundo, ut ipſe dicebat, & honeſto „modo dixi ei, quòd non eſſent mitræ ſufficientes pro tot Pontificibus. *Et poſt alia*: Sed „redeo unde digreſſus ſum & dico, quòd non licet Religioſis noſtris Spiræ, neque in vitâ, ne-

„que

[1] *Jura corruunt.*] Nonnulla hic interjacent.

„que in morte dare ſacramentum Euchariſtiæ aut extremæ Unctionis Clericis aut Lai-
„cis ſine ſpeciali licentiâ parochialis Sacerdotis. Tamen dicitur mihi, quòd Sixtus IV.
„conceſſerit Fratribus Mendicantibus in unico caſu duntaxat dare ſacramentum Eucha-
„riſtiæ, ſcilicet, cùm aliquis Curatus denegaret dare ſacramentum Euchariſtiæ ſub ſiro
„ſuo ex iſtâ ſolâ cauſâ, quia ralis ſubditus confeſſus fuiſſet alicui ex Fratribus Men-
„dicantibus, & dicitur mihi, quòd iſta ſint verba Sixti, ut ſequitur: Et quoniam pa-
„rochialium Eccleſiarum rectores erga illos, qui Fratribus eorum peccata confitentur,
„ſæpe ſe reddunt in exhibitione Euchariſtiæ & extremæ Unctionis difficiles, concedi-
„mus iſtis Fratribus, ut eiſdem perſonis eis confeſſis, quibus rectores præfati ſine ra-
„tionabili cauſâ denegaverint, ſeu malitiosè diſtulerint Euchariſtiæ, ſeu extremæ Unctio-
„nis ſacramenta miniſtrare, ſuper quo eorundem confeſſorum aſſertioni ſtare debeant,
„illa petentibus poſſunt impunè exhibere, ſi verum eſt, quòd iſta ſunt verba Sixti,
„tunc Fratres nihilominus ſint cauti & bene advertant verba Sixtina, per quæ admit-
„titur eis exhibitio corporis Dominici in hoc unico caſu. Nam ſi Curatus ex rationa-
„bili cauſâ denegaret, aut non malitiosè differret exhibitionem corporis Dominici,
„tunc non liceret Fratribus illud exhibere.

Hic auctor idem docet atque alii, quos modò laudavimus. Nempe eos, qui Fratribus confitentur, non teneri eadem peccata Presbyteris parochialibus confiteri, & Lateranenſem canonem implere. Deinde narrat vanam cujuſdam Fratris oſtentationem, cui ludibrium appingit. Martinum IV. ſibi non objicit.

In Lateranenſi Concilio ſeſſ. xI. lecta eſt Leonis X. conſtitutio, quæ incipit, „Dum
„intra mentis arcana„ ubi hæc de privilegiis Fratrum tra:luntur: „Sanè cupientes ut
„jura ſpiritualia, quæ ad Dei laudem & Chriſti fidelium animarum ſalutem pertinent,
„& quorum exercitium præfatis Epiſcopis, & eorum ſuperioribus in ſuis diœceſibus,
„cùm ipſi in partem ſolicitudinis, ut præfertur, aſſumpti, ad diœceſes diſtinctæ, & cui-
„libet eorundem Epiſcoporum aſſignatæ fuerunt, commiſſum ex:itit, ut per ipſos Epiſco-
„pos exerceantur, & jus illa liberè exercendi quantùm fieri poteſt, eis illæſum præſerve-
„tur: & ſi aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Epiſcoporum læſionem per
„Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerint, con-
„ceſſiones hujuſmodi eiſdem religioſis factas in ſubſequentibus duximus moderandas, ut
„ipſi Fratres potiùs ab eiſdem Epiſcopis cum omni caritate foveantur, quàm aliquo mo-
„do moleſtentur & inquietentur. Una eſt enim regularium, ſæcularium. Prælatorum
„ſubditorum exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus
„omnimò ſalvatur, eorúmque omnium unus Dominus & una fides, & propterea decet
„eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis, & ſicut Fratres nexu in-
„vicem caritatis adſtricti ſunt, ſic non convenit alterum in alterius injuriam ſeu jactu-
„ram proſilire. *Et poſt alia.*

„Nec non ſuperiores eorundem Fratrum Frarres, quos ad audiendas confeſſiones
„ſubditorum, eorundem Prælatorum tempore elegerint, eiſdem Prælatis perſonaliter ex-
„hibere ac præſentare, (ſi eos ſibi exhiberi ac præſentari petierint) alioquin eorum
„Vicariis (dummodo ad Prælatos ultra duas dietas accedere non cogantur) omnino te-
„neantur, poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficienti literaturâ,
„& aliquâ ſaltem hujuſmodi ſacramenti peritiâ duntaxat examinari, talibúſque præſen-
„tatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni, quæ incipit, Om-
„nis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantur. *Et poſt alia.*
„*Super aprobatione conſtitutionis iſtius dicuntur* Vota intrà ſcripta aliqualiter diſcrepan-
„tia *ut ex conſequentibus apparet.*

„Melfitanus (*Epiſcopus*) dixit placere ſibi quoad ea, quæ reſtituuntur Ordinariis in
„alio verò ſine præjudicio Ordinariorum & ſucceſſorum ſuorum.

„Ipo regienſi placuerunt ſine approbatione privilegiorum, & in eodem voto fuit Bel-
„lunenſis.

„Terdonenſi placuerunt exceptis duobus videlicet de conſervatoribus, de quibus da-
„ri debent aſſeſſores, & ſine approbatione privilegiorum, quia unius incluſio eſt alterius
„excluſio.

„Caſenatenſi placuerunt ſine approbatione privilegiorum.

„Vencienſi, Ferentinenſi, & Senogallienſi placuerunt ſine approbatione privilegiorum
„Fratrum.

Hæc Leonis X. conſtiturio, quâ Fratribus confeſſi dicuntur ſatisfeciſſe Lateranenſi noſtro canoni, non fuit à Concilio communi conſenſu approbata. Qui non approbarunt, ii ſunt, quorum nomina modò deſcripta ſunt, & relata ſuffragia.

[a] Hieronymus Hangeſtus Pariſienſis Theologus in quartum ſentent. diſt. XVIII. queſt. III. concluſ. II. „Licitum eſt, imò quandoque multum expedit ſaluti animarum, quòd „Ordinarius det ſubjecto licentiam confitendi alteri, aut poteſtatem alieno Sacerdoti abſol„vendi talem, concurrat tamen neceſſitas, aut manifeſta utilitas. Prima pars pro„batur. Reperitur frequentiùs porochianus ſubditus, qui timore aut verecundiâ, vel „aliquâ cauſâ aliquod peccatum ſuum nunquam detegeret proprio Curato ſuo, ergo „expediens eſt aliquando concedere licentiam confiteri alteri, vel concedere licentiam „ſive poteſtatem alieno Sacerdoti audiendi talem, & credendum eſt in hac materiâ ſub„dito ſe habere licentiam dicenti, aut etiam dicenti ſuo Curato ſe ſuiſſe ritè alteri „confeſſum, ubi non appareat manifeſtè de contrario. Credendum eſt in foro conſcien„tiæ unicuique tam pro ſe, quàm contra ſe, quoniam non poteſt aliter informatio ha„beri. Secunda pars etiam probatur, quoniam nimia facilitas dandi poteſtatem Presby„teris delegatis; aut dandi licentiam Epiſcopis ſubditis confiteri alienis, eſſet occaſio va„gationis & ſubtractionis, reverentiæ atque honoris erga proprium Paſtorem, quare debet „concurrere neceſſitas vel manifeſta utilitas.„ Hæc ex MS. codice, qui in Bibliotheca Claudii Hardii, in Prætorio Pariſienſi Conſiliarii, aſſervatur.

Arturus Fillonius Pariſienſis Theologus, qui ex Vicario Rotomagenſis Epiſcopi, Silvanectenſis creatus eſt Epiſcopus, in Speculo Curatorum, tractatu de pœnitentiâ: *Nec cuilibet*, inquit, *Sacerdoti facienda eſt confeſſio, ſed proprio Curato, aut ab eo commiſſo vel commiſſis Vicariis, vel Superioribus Curatis, ut Epiſcopo, Papa, aut per eos ad hoc commiſſis, niſi in caſu neceſſitatis, quia in tali caſu poteſt fieri confeſſio cuilibet Sacerdoti.* Idem habet in Synodo ann. M. D. XXVI.

Annus Chriſti erat milleſimus quingenteſimus decimus ſextus, cùm Prædicator nominè Claudius Cuſinus in Eccleſia Ordinis ſui apud Bellovacenſes concionem habuit, in quâ propoſitiones proximè ſequentes aſſeruit, & quas Facultas Theologiæ Pariſienſis damnavit IV. Nonas Iunii.

Tertia propoſitio. Les Freres Preſcheurs preſentez à l'Eveſque, admis ou non par icelui, ſont les propres Preſtres & vrais Curez, & ſont à preferer aux Curez paroiſſiaux. Car ils ont leur faculté & inſtitution du Pape par privilege, & les Curez l'ont de l'Eveſque ſeulement. *Quod Latinè dicitur:* Fratres Prædicatores præſentati Epiſcopo ſive admittantur, ſive non admittantur, proprii ſunt Presbyteri & veri Curati, & præferendi ſunt Curatis parochialibus. Nam Fratres ſuam habent à privilegio Papæ facultatem & inſtitutionem, Curati ab Epiſcopo tantùm.

Qualificatio. *Quidquid ſit de primâ parte propter æquivocationem hujus termini, proprii, dicit tamen Facultas, quòd propoſitio in ſe, & quoad omnes alias reliquas partes, & probationem partis ultimæ in qua dicitur. Quòd Curati parochiales habent ſuam poteſtatem & Facultatem ab Epiſcopo duntaxat, eſt ſcandaloſa, in fide erronea, hierarchici Ordinis deſtructiva, & pro conſervatione ejuſdem ordinis publicè revocanda.*

Quarta propoſitio. Leſdits Freres par privilege ont puiſſance d'abſoudre de pluſieurs cas, dequoi ne peuvent abſoudre les Curez. *Quod Latinè dicitur*: Memorati Fratres ex privilegio poſſunt à multis caſibus abſolvere, à quibus Curati abſolvere non poſſunt.

Qualificatio. *Iſta propoſitio cenſenda eſt falſa & juri communi contraria, & eſt ſcandaloſa, & ideo nullatenus prædicanda.*

Quinta propoſitio. Quand aucun paroiſſien ſe confeſſe auſdits Freres preſentez à l'Eveſque, il ſatisfait à la Decretale, *Omnis utriuſque ſexûs. de pœnit. & remiſſ.* & n'eſt point tenu de ſe preſenter, ni confeſſer à ſon Curé paroiſſial, ni lui demander licence, jaçoit que ce ſoit pour la confeſſion Paſchale. *Quod Latinè dicitur*: Quando parochianus aliquis memoratis Fratribus Epiſcopo præſentatis confitetur, Decretali, *Omnis utriuſque ſexûs, de pœnit. & remiſſ.* ſatisfacit, nec tenetur ſiſtere ſe neque confiteri Curato Parochiali, neque licentiam ab eo petere quamvis de Paſchali confeſſione agatur.

Qualificatio. *Iſta propoſitio ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia & reverentia obſervantiâ publicè revocanda.*

Sexta propoſitio. Si un Curé refuſe admioiſtrer le Sacrement de l'Autel au paroiſſien qui ſe confeſſe auſditsFreres, qu'il vienne au Frere, qui l'a oui en confeſſion. & ledit Frere lui adminiſtrera ledit Sacrement contre la volonté de ſon dit Curé. *Quod Latinè dicitur:* Si Curatus aliquis renuat Sacramentum altaris adminiſtrare parochiano, qui dictis Fratribus confitetur, is accedat ad fratrem, qui confeſſionem illius excepit; dictus Frater dictum ſacramentum adminiſtrabit contra dicti Curati voluntatem.

Qua-

[a] *Hieronymus Hangeſtus*] De Hangeſto vide Miræi Scriptores Sæculi XVI. in Bibliothecâ Eccleſiaſt. Fabricii. Obiit Hangeſtus anno 1538.

Qualificatio. *Iſta propoſitio in formâ, quâ jacet, eſt falſa & de hæreſi multùm & vehementer ſuſpecta, juri communi contraria, & publicè revocanda.*

Septima propoſitio. Le Curé paroiſſial, qui preſche & dit, que ſes paroiſſiens ſont obligez ſur peine d'excommuniment, de ſe confeſſer à lui une fois l'an, eſt excommunié, & s'il celebre, il encourt irregularité. *Quod Latinè dicitur*: Parochialis Curatus, qui pronuntiat parochianos ſuos teneri ſemel in anno confiteri ſibi ſub pœnâ excommunicationis, ipſe excommunicatus eſt, & ſi ſacrum faciat, irregularitatem incurrit.

Qualificatio. *Iſta propoſitio eſt falſa & injurioſa.*

Octava propoſitio. Dit outre que leſdits Freres ont une Bulle preſchée & publiée à Paris, & approuvée par l'Univerſité dudit Paris, par laquelle ils ont leſdits privileges. *Quod Latinè dicitur*: Præterea dicit, memoratos Fratres Bullam habere Pariſiis publicatam & ab Academia Pariſienſi approbatam, qua eos dicta privilegia habere confirmatur.

Qualificatio. *Hæc propoſitio eſt falſa & mendacium continens manifeſtum.* Et poſt alia: *Declarat etiam ſacra Theologorum Facultas, quòd prædictorum articulorum qualificatio nullo modo derogat nec præjudicat Clementinæ, Dudum de ſepulturis.*

Hæc eſt ad tempus illud Facultatis Theologiæ Pariſienſis ſententia, quæ ſe per ſeipſâ facilè prodit.

Anno proximo Facultas eadem Theologiæ probavit articulos plures, quos certus quidam concionator ſæcularis prædicaverat adverſus Franciſcanum quendam, qui contrarios aſſeruerat. Omiſſis qui ad rem non faciunt, argumenti hujus duos refero, primum & tertium.

Primus ſic ſe habet: *Viator de jure tenetur & obligatur ſemel in anno, ut in Paſchate, ſuo proprio Sacerdoti confiteri, vel illis ſaltem, cui ipſe poteſtatem in ſuâ Eccleſiâ contulit: Unde Curati non Sacerdotes non poſſunt dici proprii ratione juriſdictionis. Mendicantes verò dicuntur Sacerdotes, ſed non proprii, cùm non habeant juriſdictionem, ſed benedici poſſunt privilegiati. Prima propoſitio eſt vera quoad duas primas particulas, & quoad tertiam eſt vera, loquendo de juriſdictione ordinariâ.*

Tertius verò ſic, *Religioſi Sanctorum Dominici & Franciſci auctoritatem tantùm æqualem & non majorem habent per privilegia ipſis data de confeſſionibus audiendis in abſolvendo, quam Curati & Vicarii parochiales habent de jure. Probatur per Clementinam Dudum, & per multas alias probationes. Tertia propoſitio eſt vera.*

Anno quoque ſequenti, qui M. D. XVIII. eſt, pridie nonas Maii Facultas damnavit propoſitiones quatuor, quæ in illius commentariis ſic exprimuntur.

Prima Toutes perſonnes ſe peuvent confeſſer aux Religieux de l'Ordre de Saint François, comme à leur propre Curé, *Quod Latinè dicitur*: Perſonæ quæcunque religioſis Ordinis Franciſcani tanquam proprio ſuo Curioni poſſunt confiteri.

Secunda. Ceux dudit Ordre ſont les propres Curez. *Quod Latinè dicitur:* Religioſi die. Ordinis ſunt proprii Sacerdotes.

Tertia. Quand aucunes perſonnes ont eſté auſdits Religieux à confeſſe, en quelque feſte ſolemnelle, *etiam* le jour de Paſques, telles perſonnes peuvent facilement aller demander au Curé ou Vicaire de la paroiſſe dont ils ſont, le ſacrement de l'Autel, ſans eux plus confeſſer au Curé, ou à ſon Vicaire, & ledit Curé ou Vicaire ne peuvent, & ne doivent refuſer ne dénier auxdites perſonnes le ſacrement, pourveu toutefois, que telles perſonnes declarent à leur Curé ne ſentir rien en leur conſcience, pourquoi ils aient aucun beſoin d'eux reconcilier, ont eſté confeſſez. *Quod Latinè dicitur*: Cùm perſonæ nonnullæ religioſis dictis feſto quodam ſolemni, *etiam* die Paſcharis, confeſſæ fuerunt, hæ poſſunt ſine ullâ confeſſione aliâ à parochiali Presbytero aut ab ejus Vicario ſacramentum altaris ire quæſitum, & tunc parochialis dictus Preſbyter aut ejus Vicarius nec poſſunt nec debent dictis perſonis dictum ſacramentum negare, modò tamen perſonæ tales Curioni ſuo declarent, ſibi conſcire nihil, quod confiteri oporteat iis, quibus jam confeſſæ fuerant.

Quarta. Les defenſes que ſont aucuns Curez à leurs paroiſſiens, de ne ſe preſenter à la table de Noſtre Seigneur le jour de Paſques & autres feſtes ſolemnelles, s'ils n'ont eſté à eux à confeſſe, ou à leur Vicaire commis & deputez ſont fauſſes, & leſdits Curez ne peuvent faire telles defenſes, & n'ont pas cette puiſſance. *Quod Latinè dicitur* Quorundam Curionum prohibitiones parochianis ſuis factæ, ne Paſchalibus feriis aut aliis diebus feſtis ſolemnioribus Dominicum corpus accipiant, niſi ſibi, aut Vicariis ſuis confeſſi fuerint, falſæ ſunt, & Curiones dicti id prohibere nequeunt.

Hæ autem propoſitiones quatuor ita notantur.

Prima propoſitio, quantùm ad primam partem, in quâ dicitur, Toutes perſones ſe peu-

vent confeſſer aux Religieux de l'Ordre de St. François: *Perſona quacunque religioſis Ordinis Franciſcani poſſunt confiteri: Sic indiſtinctè poſita & univerſaliter intellecta, eſt falſa. Secunda pars, ſcilicet*, comme à leur propre Curé, *tanquam ſuo proprio Curioni, ſi ſicut dicat ſimilitudinem juriſdictionis, eſt falſa.*

Secunda propoſitio eſt indigeſta, neque ſic confuſè eſt prædicanda.

Tertia propoſitio maximè quantùm ad illam particulam: Ledit Curé ou Vicaire ne peuvent & ne doivent refuſer ledit ſacrement: *Parochialis dictus Presbyter aut ejus Vicarius nec poſſunt, nec debent dictum ſacramentum negare, & quantùm ad illam*, ſans declarer à qui ils ont eſté confeſſez, *quòd non oporteat declarare, quibus jam confeſſa fuerunt, eſt falſa, juriſdictionis Curatorum derogativa, & à ſubjectione & reverentiâ parochianorum ad Curatos retractiva.*

Quarta eſt temeraria, ſeditioſa & Curatis injurioſa.

Capitis conclusio, et perioche.

IN hac ætate non omnes in eandem conſpirant ſententiam, quidquid autem unuſquiſque ſenſerit, ſic breviter perſtringo.

Sueſſionenſis Synodus, ut decernit legitimam eſſe audiendarum confeſſionum poteſtatem, quæ à Presbytero parochiali manat, ſic & decernit legitimam eſſe audiendarum confeſſionum poteſtatem, quæ præter illius Presbyteri conſenſum, ab Epiſcopo vel Romano Pontifice procedit, ſed confeſſionem, quæ Lateranenſi canone tangitur, non attingit.

Ægidius-Delphus perſpicuè docet, eum, qui Fratribus confitetur, teneri ſaltem ſemel in anno confiteri Presbytero, qui parœciam ſuam adminiſtrat, ut Lateranenſi canoni ſatisfeciſſe dicatur.

Joannes Raulinus, in contrariâ videtur eſſe ſententiâ: dum Sacerdotem proprium interpretatur Summum Pontificem, Epiſcopum & alios ab iis commiſſos, quibus qui confitetur , Lateranenſem canonem implet.

Petrus Tartaretus proptium Sacerdotem intelligit eum, qui abſovendi auctoritatem habet ex jure otdinario vel ex privilegio quæſitam.

Jacobus Almainus ad Tartaretum accedit, & præterea dicit, eum̃ qui confitetur Fratribus, non teneri iterum proprio Curato confiteri.

Joannes Major rem eandem affirmat multis rationibus, quas ex antiquiotibus Theologis comparavit.

Georgius Gemmingenus plura diſputat, ſed tamen eò revolvitur, ut doceat, per confeſſionem Mendicantibus factam, Lateranenſi Decreto ſatisfieri.

In conſtitutione Leonis X. idem traditur, ſed cùm illa lecta eſt ſeſſ. xi. Lateranenſis Concilii, à pleriſque antiſtitibus improbatur.

Hieronymus Hangeſtus, Fratrum privilegium admittit & in eo Lateranenſis canonis exſolutionem, dummodò neceſſitas, vel manifeſta utilitas adſit.

Artutus Fillonius proprium Sacerdotem intelligit ut Tartaretus & Almainus.

Facultas Theologiæ Pariſienſis inter propoſitiones alias eam damnat, quâ dicitur, eum qui apud Fratres peccata ſua deponit, non teneri ſiſtere ſe, vel confiteri parochiali Presbytero, vel licentiam ab eo petere, quamvis de Paſchali confeſſione agatur. Sed in ſuâ condemnatione Facultas non vult Clementinæ *Dudum* derogare. Hanc cenſuram Facultas ſemel atque iterum reperiit: ſemel quidem cùm à ſæculari concionatore oppoſitas Franciſcani cujuſdam aſſertionibus aſſertiones approbavit. Iterùm, cùm aſſertiones alias ſuis notis confixit.

CAPUT XI.

Qyid ab anno M. D. XXV. *ad annum* M. D. LX. *circa Lateranenſem canonem. ejuſque materiam acciderit, refertur.*

EPOCHÆ huic initium dabit Stephanus Poncherius Pariſ. Epiſc. ſuprà omiſſus, in Synodo quæ anno M. D. XV. celebrata eſt de ſacramento Pœnitentiæ. *Item nullus ad prædicandum, audiendum confeſſiones, nec injungendum pœnitentias præter voluntatem Curatorum, ſeu eorum loca tenentium recipiatur vel admittatur, niſi cùm conſtiterit, quòd ſuper his à Summo Pontifice, vel à nobis licentiam obtinuerit.* Et poſt alia: *Item propter abuſus, & intolerabiles errores procedentes, qui fiunt apud ſanctum Dionyſium in Franciâ die ſancti Matthiæ Apoſtoli & ſanctæ Annæ, necnon apud ſanctum Maurum de Foſſatis die ſancti*

ſancti Babolini, ut eorum verbis utar , pretextu quarundam indulgentiarum, quæ ibidem eſſe prætenduntur, per nos & Sedem Apoſtolicam minimè approbatarum, prohibemus omnibus populis nobis ſubditis, ne ad dicta loca diebus prædictis accedant occaſione prædictarum indulgentiarum lucrari & confiteri, & ſuum dimittere proprium Curatum, niſi aliter per nos fuerit permiſſum, contrarium verò facientes puniantur. Non nominat quidem Lateranenſem canonem, ſed ad illum propter verba hæc, *Curatum*, ſeu *proprium Curatum* reſpicere videtur. Quidquid eſt, Curato Papam & Epiſcopum adjungit, ſed abuſuum & errorum remedium non alii quàm Curato conſignatur.'

Ad calcem ſtatutorum Synodalium id apponitur, quod obſervatione ſummâ dignum eſt, ſub hoc titulo: *Ad evitandum pericula frequentationis pro timoratis conſcientiis hîc inſero, qui à jure excommunicantur.* Ubi circa finem notatur: *Mendicantes prædicantes parochianos non teneri audire miſſam in eorum Eccleſia parochiali, & non confiteri etiam in Paſchate proprio Sacerdoti; & detrahentes de Prælatis & Rectoribus parochiarum in extravag. Sixti IV. quæ incipit, Vices illius.*

Joannes Celaia Hiſpanus Pariſienſis Theologus ſequitur qui ad annum M. D. XXVI. claruit & ſcripſit in quartum diſt. XVII. quæſt. IV. *Quæritur quartò an neceſſarium ſit confiteri proprio Sacerdoti? Pro hujus difficultatis enunciatione notandum eſt quòd olim fuit maxima controverſia inter dominos Rectores & dominos religioſos Mendicantes. Nam domini Rectores dicebant dominos Religioſos non poſſe abſolvere parochianos ſuos, quantumcunque haberent privilegium à Romano Pontifice, ſed opus erat, quòd parochiani peterent licentiam ab ipſis dominis Rectoribus, & hoc etiam expreſſè aſſerit gloſſa ſuper illud Caput, Omnis utriuſque ſexûs, quod habetur lib. V. de pœnit. & remiſſionibus, & inter dominos Rectores quidam Joannes de Poliaco auſus eſt dicere & prædicare publicè, quòd neque Deus poterat facere ſtante præfato Capitulo, quòd domini Religioſi Mendicantes abſolverent parochianos: fuit tamen deceptus iſte propter ignorantiam. Ignorabat enim quòd quilibet parochianus habet tres Sacerdotes proprios Ordinarios. Primus eſt Rector ipſius: Secundus principalior eſt Epiſcopus ejuſdem parochiani: Tertius principaliſſimus eſt Dominus Papa, qui non ſolùm eſt Epiſcopus urbis, ſed totius orbis terrarum. Propterea dicendum eſt, quòd domini Mendicantes poſſunt abſolvere quoſcunque parochianos invitis dominis Rectoribus, poſtquam habent privilegium non ſolùm ab uno Pontifice Romano, verùm à multis etiam. Nam ſi Rector poteſt dare facultatem abſolvendi Vicario ſuo, & aliis Sacerdotibus, à fortiori Romanus Pontifex poteſt dare ſimilem poteſtatem, quibus vult. Idcirco habet pœnitentiarios Romæ, qui omnes fideles poſſunt abſolvere, & regulariter tales ſunt Religioſi; ſimiliter Epiſcopus habet ſuos pœnitentiarios maximè in Franciâ.*

Contra reſolutionem quæſtionis arguitur ſic: implicat contradictionem, quòd aliquis parochianus habeat tres proprios Sacerdotes, ergo reſolutio nulla. Antecedens probatur. benè ſequitur, Rector eſt proprius Sacerdos iſtius parochiani, ergo ſic eſt iſte Sacerdos, quòd non eſt alterius parochiani, & eſt proprius Sacerdos alterius, ergo non eſt illius proprius & ita implicat. Ad hoc argumentum reſpondebitur negando antecedens, & ad probationem negatur, quòd bene ſequatur in illis conſequentiis. Ratio eſt, quia non capitur proprius Sacerdos illo modo ſed tamen valet Sacerdos, ſicut ordinarius Sacerdos. Contra hoc arguitur: Implicat aliquem habere tres judices, ergo implicat habere tres Sacerdotes ordinarios. Antecedens probatur, quia tunc parochianus eſſet dubius, cui deberet obedire maximè ſi præciperent contraria, ad hanc replicam reſpondebitur negando antecedens, quando tales judices ſunt ſubordinati, modò Rector ſubjicitur Epiſcopo, & Epiſcopus Papæ, & ſi præciperent contraria, magis eſſet obediendum Papæ, quàm Epiſcopo vel Rectori, dummodo non præciperet aliquid contra bonos mores vel fidem. II. arguitur. privilegium non poteſt concedi in præjudicium alterius, ſed privilegium dominorum Mendicantium eſt in præjudicium dominorum Rectorum, ſive Curatorum. ergo Papa non poteſt eis concedere tale privilegium. Minor probatur Domini Rectores non cognoſcent vultum ſuarum ovium, & perdent emolumentum quod haberent ratione confeſſionum, ergo tale privilegium eſt in præjudicium dominorum Rectorum, & maximè ubi curæ animarum ſunt tenues & ſteriles. Ad hoc argumentum reſpondetur negando minorem. Imò eſt in favorem dominorum Rectorum. Nam domini Mendicantes ideo ſunt introducti, ut juvent dominos Rectores & ipſos à labore ſublevent, quare mutuo amore debent ſe diligere: & ad probationem dicitur, quòd domini Rectores debent quærere à ſuis parochianis ſi confeſſi ſunt, & ſi reſpondent affirmativè tenentur eis credere in tali foro, & ſi curæ animarum ſint tenues, tenentur parochiani ſufficienter providere dominis Rectoribus ſecundùm ſuas facultates ultra decimas & primitias, poſtquam illa non ſufficiant. Contra hanc ſolutionem arguitur: per tale privilegium impeditur adimpletio præcepti divini, ergo tale privilegium eſt nullum & iniquum. Antecedens probatur: Proverb. XXVII. habetur.

diligenter cognoſce vultum pecoris tui gregéſque tuos conſidera, ſed tale præceptum Epiſcoporum & dominorum Rectorum impeditur per præceptum dominorum Mendicantium, ergo tale privilegium eſt iniquum. Minor probatur. Nam omnes parochiani confitebuntur dominis Mendicantibus: Ergo tunc domini Epiſcopi & Rectores non cognoſcent oves ſuas, an ſint bona an mala. Ad hanc replicam reſpondetur negando antecedens, & ad probationem negatur minor, & ad probationem dicitur, quòd per opera exteriora domini Epiſcopi & Rectores poterunt cognoſcere bonitatem, vel malitiam ſuarum ovium, & quantum ad interiora opera tenentur ipſis credere in ſero conſcientiæ, niſi omnino conſtaret oppoſitum. Hæc ille, quibus apparet ad iterandam apud Presbyteros parochiales confeſſionem non adſtringi, qui apud Mendicantes peccata ſua depoſuit.

Senonenſe Concilium, quod anno M. D. XXVIII. celebratum eſt, hanc expendit materiam, & inter decreta morum cap. XXXVII. ſic ſtatuit: *Nos præterea cupientes animarum periculis (quantum cum Deo poſſumus) conſulere, volumus omnes & ſingulos intelligere, quòd illi ſoli Mendicantes habent poteſtatem abſolvendi, qui primùm per ſuos Provinciales, Cuſtodes, Miniſtros, Priores, Guardianos, alióſve eorundem Mendicantium Prælatos, electi fuerint tanquam ſufficientes & idoneos, vitâ probati, diſcreti, atque periti, inde ſuffraganeis noſtris in ſuis diœceſibus per præfatos Mendicantium Prælatos præſentati, qui ab eiſdem Epiſcopis ad audiendas confeſſiones ſint commiſſi. Qui ſic electi præſentati, deputati, ſeu commiſſi juxta canones Conciliorum & Romanorum Pontificum Decreta confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè audire poſſunt, imponere pœnitentias ſalutares & beneficium abſolutionis impendere. Declaramus autem non competere Mendicantibus ſic deputatis & commiſſis in abſolvendo ampliorem poteſtatem, quàm Curatis vel parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter duxerint faciendam Guardianos autem Cuſtodes & alios Fratrum Mendicantium præfectos hortamur in Domino, ut in Eccleſiarum ſuorum conventuum loco ad legendum aptiore chartam præſentatorum ſuorum nomina continentem ſtatuant, quatenus qui volent Mendicantibus confiteri, videant priùs, ſi ſint de nominatorum & approbatorum numero, aliàs abſolutos ſe non fore intelligant.*

Odoardus Hennequinus Trecenſis Epiſcopus, circa hanc ætatem Concilium habuit, in quo ſic materiam iſtam exequitur loco XII. *Sunt autem aliqui Presbyteri qui in die Paſcha inhibent parochianis ſuis ſub pœnâ excommunicationis ne corpus Chriſti recipiant, niſi fuerint ſibi, vel poteſtate ab eis habentibus confeſſi. Quæ quidem inhibitio temeraria videtur: quia quamplurimi Sacerdotes & Religioſi habent poteſtatem à domino noſtro Papa, ſeu domino Epiſcopo Trecenſi audiendi confeſſiones omnium ſibi peccata ſua confiteri volentium, pœnitentiáſque injungendi & abſolvendi. Quare præcipimus omnibus Presbyteris, ut de cetero faciendo tales inhibitiones adjungant iſta verba, vel alteri, qui ſuper hoc habeat poteſtatem.*

Joannes Coletus, qui in ſtatuta Synodorum Trecenſium commentarios edidit, hæc tradit ad verbum, *proprio Sacerdoti: Proprius Sacerdos intelligitur omnis ille, qui curam ordinariam animarum habet, ſicut Papa, Legatus, Epiſcopus, ipſius Pœnitentiarius & Vicarius Generalis, item Archipresbyter Eccleſiæ cathedralis, & Presbyter parochialis.*

[x]Ludovicus Aurelianenſis Toloſanus Archiepiſcopus in Synodo, quam ad annum M. D. XXX. celebravit, de pœnitentiâ: *Præterea*, inquit, *injungimus omnibus confiteri volentibus, ut proprio Sacerdoti confiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Epiſcopum, Vicarios illius, Rectorem & ejus Vicarium, & generaliter omnes alios Sacerdotes à prædictis legitimè deputatos.*

Claromontana Synodus, quæ anno M. D. XXXVIII. habita eſt, verba eadem repetit, tit. de pœnit.

Paulus III. in conſtitutione, quâ munus Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu explicat, hominibus ejuſdem Societatis concedit, ut ſine Presbyterorum parochialium licentiâ confiteri poſſint: *Præterea*, inquit, *cùm intellexerimus populos civitatum, terrarum, & locorum apud quæ habitationem iidem ſocii habent, vel ubi eoſdem verſari, aut tranſire contingit, exemplo allectos & inductos religioſa vita, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eiſdem & ſacratiſſimam communionem de manibus eorum accipiendam confluere, ut illis ſic confluentibus ſatisfacere valeant, univerſis utriuſque ſexûs fidelibus, ut cuilibet de Societate prædictâ confiteri poſſint Rectoris ſui licentiâ minimè requiſitâ, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confeſſi & abſoluti fuerint, rurſus confiteri. Necnon & omnibus ac ſingulis Chriſti fidelibus tam forenſibus, quàm in civitatibus & locis,* in

[x] *Ludovicus Aurelianenſis*] Hic memoriâ lapſus eſt Launoius, non *Ludovicus*, ſed *Joannes* d'Orleans Cardinalis de Longueville de quo plura Launoius in cap. XXI. Partis 3. libri 3. Hiſtoriæ Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis.

in quibus ſocii prædicti conſiſtunt, commorantibus aut illac traſeuntibus Euchariſtia ſacramentum (quod in Eccleſiis ſuis decenter tenere ſocios præfatos volumus) quocunque anni tempore præterquam in feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret, eorundem fidelium parochialium Eccleſiarum Rectorum, licentiâ minimè requiſitâ accipere liberè & licitè valeant. Hæc anno M. D. XLIX.

Ludovicus Carnotenſis Epiſcopus in conſtitutionibus Synodicis, quæ anno Chriſti M. D. L. prodierunt, Sacerdotem proprium ſic interpretatur: *Itaque omnibus confiteri volentibus injungimus, ut proprio Sacerdoti confiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Epiſcopum, Pænitentiarios, Vicarios illius, Curatum & ejus Vicarium & generaliter omnes alios Sacerdotes à prædictis legitimè deputatos: Alii autem qui in loco ſive exempto, ſive non exempto conantur abſolvere non ſubditos, eos decipiunt. Qui vult Religioſo confiteri, priùs videat utrum ſit de numero eorum, qui fuerunt nobis præſentati, & per nos approbati, aliàs intelligat ſe non eſſe abſolutum. Curati autem & eorum Vicarii plebem ſibi commiſſam admoneant tanti periculi.*

Narbonenſe Concilium, quod anno M. D. LI. celebratum eſt, Sacerdotem proprium ſtrictiùs exponit can. L. *Quia omnibus Chriſtianis præceptum eſt, ut ſemel in anno ſacro ſanctum Euchariſtiæ ſacramentum percipiant, & parocho ſuo peccata confiteantur, voluit & decrevit Concilium, ut poſthac nemo audeat ſanctiſſimo die Paſchæ peccata ſua confiteri, aut ſanctificum Euchariſtiæ ſacramentum ab alio accipere, quàm ab eo ipſo parocho, vel in ejus locum ſuffecto, niſi exoratâ à parocho veniâ.*

Robertus Croyus Cameracenſis Archiepiſcopus in Synodo, quæ [y] anno eodem celebrata eſt, tit. IV. de pœnitentiâ: *Sacerdotes moneant ſubditos ſuos, ut omnes à quatuordecim annis & ſuprà, & præſertim in Quadrageſimali tempore, & ante Dominicam in Ramis palmarum ad confeſſionem frequenter accedant, ſeu veniant, & ſaltem ſemel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, id eſt, Presbytero parochiali, qui ideò magis propriè proprius dicitur eſſe Sacerdos, quia non ſolùm confeſſiones audit & abſolvit, ſed etiam miniſtrat alia Eccleſiaſtica ſacramenta.* Reſpectum habet ad canonem. *Omnis utriuſque ſexûs*, qui citatur ad marginem.

Deinde in tit. VII. ubi caſus commiſſi Presbyteris parochialibus tractantur: *Quoniam ſicut experientia nos docuit, nonnulli Sacerdotes, imò veriùs deceptores, in alienam meſſem falcem ſuum mittere non verentes, in noſtrâ civitate, & diœceſi Cameracenſi ſine noſtra, vel Curatorum parochialium Eccleſiarum ejuſdem diœceſis licentiâ, in eorundem parochiis & Eccleſiis præſumunt temeritate propriâ audire confeſſiones, & miniſtrare Eccleſiaſtica ſacramenta contra ſacrorum canonum inſtituta, cùm ipſis confitentes abſolvere nequeant, aut ligare, vel Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare. Nos autem tantæ temeritati, & animarum periculis occurrere cupientes, ſtatuendo prohibemus, ne aliqui Sacerdotes ſine noſtrâ, vel prædictorum Curatorum licentiâ audire confeſſiones, vel alia ſacramenta miniſtrare præſumant, niſi in mortis articulo, ubi non poſſet haberi copia Curatorum. Siquis contrarium facere præſumpſerit, excommunicationis vinculo ſit ligatus, ſalvis tamen authenticis ſcriptis & privilegiis Apoſtolicis, quorum volumus eſſe defenſores.* Scripta & authentica vocat, opinor, privilegia, quæ nec ſuppoſitionis, nec ſubreptionis, nec obreptionis accuſari poſſint. Nam ſecùs pugnare ſecum videretur.

Ludovicus Borbonius Cardinalis & Senonenſis Archiepiſcopus, in Synodicis ordinationibus, quas anno M. D. LIV. edidit, quâ parte agitur de Euchariſtiâ: *Statutum*, inquit, *à nobis nuper promulgatum juxta diſpoſitionem juris communis contra parochianos hujus diœceſis, qui pro confeſſione, Euchariſtia, ceteriſque ſacramentis ſuſcipiendis ad Monachos, ſeu religioſos cujuſvis ordinis, inſcio proprio Curato, maximè tempore Paſchali confugiunt, ac etiam contra dictos religioſos, qui ad ſacramenta Eccleſiaſtica præfatos parochianos (falcem in meſſem alienam mittentes) recipiunt, hinc inde inviolabiliter obſervari ſub pœnis juris præcipimus.* Hoc in ſtatuto ad Canonem *Omnis utriuſque ſexûs*, alluditur, & proprius Sacerdos de proprio Curione intelligitur.

Paulus IV. in conſtitutione, quâ exprimitur privilegium Ordinis Fratrum Minorum de obſervantiâ, deceſſorum quorundam conſtitutiones, quæ ad hanc materiam ſpectant, ita confirmat & in auctoritatem admittit: *Necnon etiam piæ memoriæ Nicolaus V. & Sixtus IV. etiam prædeceſſores noſtri ſuper confeſſionibus audiendis omnium perſonarum, & forenſium quarumcumque diœceſum per Fratres Minores Ordinis & obſervantiæ regularis hujuſmodi adhoc à ſuis ſuperioribus, ut moris eſt deputatos, necnon pro abſolutionis beneficio illis impendendo, ac ſanctiſſima Euchariſtia eis taliter confeſſis omni tempore, præterquam* in

[y] *Anno eodem*] Anno ſcilicet 1550.

in die Reſurrectionis Dominica, licitè adminiſtrando, per diverſas eorum literas eâdem auctoritate Apoſtolicâ facultatem conceſſerant, ac idem Eugenius, & diverſi alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri facultatem abſolvendi ſub certis modis & formâ, ac etiam in diverſis conventibus Ordinis hujuſmodi tunc expreſſis etiam viva vocis oraculo, ut præfertur, ampliarunt & extenderunt, prout in ſingulis conceſſionibus, & literis eorundem prædeceſſorum pleniùs dicitur contineri.

Franciſcus Nicolaus Decanus Eccleſiæ ſanctæ Manechildis in brevi de fidei orthodoxæ rudimentis compendio, quod Facultas Theologiæ Remenſis probavit anno M. D. LVII. *Accipitur*, inquit, *in prædictâ Decretali, ſeu ſtatuto proprius Sacerdos pro ordinario, ſeu eo, qui habet juriſdictionem in pœnitentem, & qui eſt triplex, Summus Pontifex in omnes, Epiſcopus in ſuos diœceſanos, & Curatus, ſeu Presbyter in ſuos parochianos. Licèt autem eorum quilibet Ordinariam poteſtatem habeat, poteſt tamen ſuas vices alteri committere, qui poteſt poſt commiſſionem abſolvere. Alienus verò Sacerdos dicitur, qui eſt commiſſus, vel delegatus ab Ordinario, etſi dubitetur de ſimplicibus Sacerdotibus, qui ſe mutuò abſolvunt, dicendum quia huic vel iſti confiteri eſt de jure humano. Ideo cùm per vetuſtam conſuetudinem Eccleſiâ ſciente conſuetum ſit, hujuſmodi perſonas Eccleſiaſticas indifferenter confiteri huic vel iſti, videtur Eccleſia hoc tacitè approbare, & ſic & duplex eſt licentia proprii Sacerdotis, tacita & expreſſa.* Hæc ille, qui proprium idem atque ordinarium eſſe putat.

Euſtachius Bellaius Pariſienſis Epiſcopus in Synodo, quæ eodem anno celebrata eſt, cap. XXX. de Euchariſtiâ: *Nullus parochus ad hujus ſacramenti ſumptionem quempiam, præcipuè in Paſchate, admittat, cujus conſcientiam non noverit aut ipſe, aut ab eo ei negotio præfectus. Sub graviſſimâ indicimus pœnâ parochis, ut quolibet anno cautiùs inquirant, an ipſorum parochiani perfuncti debito in Paſchate fuerint officio, Euchariſtiâmque more Chriſtiano peractâ confeſſione ad aurem Sacerdotis in ſuâ parochiâ ſuſceperint. Quod ſi aliter eveniſſe reperiatur, aut nobis aut officiali noſtro ſub canonica pœna irrogatione deferant.* Sic Lateranenſem canonem exequitur.

Atqui iſta ſunt momenta præcipua, quæ ad præſentem epocham ſpectant.

Capitis conclusio, et perioche.

HANC ætatem implent Stephanus Poncherius Pariſ. Epiſcopus, Joannes Celaia, Senonenſe Concilium, Odoardus Hennequinus Trecenſis Epiſcopus, Joannes Coletus, Ludovicus Toloſanns Archiepiſcopus, Claromontana Synodus, Ludovicus Carnotenſis Epiſcopus, Robertus Cameracenſis Archiepiſcopus, Paulus III., Narbonenſe Concilium, Paulus IV., Franciſcus Nicolaus Decanus ſanctæ Manechildis, Euſtachius Pariſienſis Epiſcopus.

Celaia Sacerdotes proprios tres agnoſcit, quibus parochianus quicunque ſubditur, parochialem Presbyterum, diœceſanum Epiſcopum, Romanum Pontificem: & qui ex his tribus uni peccaia confitetur, Sacerdoti proprio confiterur, & ſicut, qui Romano Pontifici confiteretur, invitis repugnantibus parochianotum Presbyteris legitimè confiteretur, ita & valerer, nec iteranda eſſet confeſſio eorum, qui apud Mendicantes peccata ſua deponerent.

Senonenſe Concilium Mendicantium agnoſcit privilegia, ſed illorum uſum ad canones Conciliorum & Decreta Pontificum exigit, declarátque confitendi facultatem, quæ conceſſa eſt Mendicantibus, non eſſe ampliorem eâ, quæ convenit Presbyteris, niſi fortaſſe ampliorem Epiſcopi conceſſerint. Utrum autem ſit neceſſe, ut parochianus ſaltem ſemel in anno confiteatur parocho ſuo vel alteri, cui parochus facultatem conceſſerit, in incompertum relinquit. Indiſcriminatim loquitur de Pontificum Decretis, quorum alia præcipiunt, ut parochianus ſaltem ſemel in anno confiteatur Presbytero ſuo, alia non præcipiunt, immo neceſſe non eſſe ut confiteatur, affirmant. Stephanus Poncherius Pariſienſis Epiſcopus, Odoardus Trecenſis Epiſcopus, Claromontana Synodus, Joannes Coletus, Ludovicus Carnotenſis Epiſcopus, Ludovicus Toloſanus Archiepiſcopus, & Franciſcus Nicnlaus, Sacerdotem proprium fere ita ut Celaia explicant, & Mendicantium privilegiis ſuffragantur. Sed Narbonenſe Concilium, Robertus Cameracenſis Archiepiſcopus, Ludovicus Borbonius Cardinalis & Senonenſis Archiepiſcopus, & Euſtachius Pariſienſis Epiſcopus ſuffragari non videntur. Stant à partibus parochialium Presbyterorum.

¶ Paulus III. Joannes XXII. imitatur, & Paulus IV. ſtratam ab Eugenio IV. Nicolao V. & Sixto IV. viam inſiſtit, & ſecundùm Mendicantes pronuntiat.

CAPUT.

CAPUT XII.

Quid ab anno M. D. LX. *ad annum* M. DC. XV. *circa Lateranenſem Canonem, ejúſque materiam acciderit, refertur.*

CAROLUS Sueſſionenſis Epiſcopus anno M. D. LXI. Synodum habuit, in quâ idem quod antea Silvanectenſis Epiſcopus ſtatuit, agens de ſacramenro pœnitentiæ: *Confitendum eſt verò Sacerdoti, non laico, cùm non poſſit laicus abſolvere etiam in caſu neceſſitatis, cùm in neceſſitate ſufficiat confiteri Deo in contritione cum propoſito confitendi Sacerdoti. Neque cuilibet Sacerdoti confitendum eſt, ſed proprio Curato, vel ab eo commiſſo, aut commiſſis Vicariis vel ſuperioribus Curati, ut Epiſcopo, Papa, aut per eos adhoc commiſſis.* An autem hoc ad quamcunque confeſſionem, etiam Paſchalem extendatur, Epiſcopus non ſignificat.

Harlemenſis Synodus, quæ anno M. D. LXIV. habita eſt, Mendicantes qui audiendis confeſſionibus vacabant, ſic in ordinem cogit: *Exploratum habemus quoſdam è Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium juvenes imperitos, inexpertos Sacerdotes fiduciâ privilegiorum ſuorum audire paſſim confeſſiones & quoſlibet abſque judicio & diſcretione caſuum quam nullam noverunt, abſolvere. Cui periculo obviare volentes præcipimus, nequis Fratrum Ordinum Mendicantium confeſſiones audire præſumat, niſi legitimè & ſecundùm formam juris nobis, vel comprovincialibus Epiſcopis præſentatus, & de his, quæ ad officium pertinent probè informatus ſit & judicatus idoneus. Quòd ſi Priores & Guardiani non compulerint ſuos Fratres ad ordinationis hujus obſervantiam, & diſſimulaverint, tales noverint, ſeſe ab omni miniſterio Eccleſiarum noſtrarum cum ſuis Fratribus ſubmovendos. Ne verò habeant, quòd de præſentatione querantur, has gratias ſalvâ ſcribarum moderatâ mercede eis impartiemur.*

Mediolanenſe Concilium, quod ſanctus Carolus anno M. D. LXV. habuit, Sacerdotem proprium Parochi nomine deſignat: *Innocentii III. Conſtitutionem in generali Concilio editam, quâ ſancitum eſt, ut fideles ſaltem ſemel in anno proprio Parocho peccata ſua confiteantur, inviolatè omnes ſervent.*

Cameracenſis Synodus Diœceſana, quæ anno M. D. LXVII. celebrata eſt, cap. V. proprium Sacerdotem ita definit: *Quis confeſſionis verus Miniſter ſit, & quis proprius ſit Sacerdos?*

Inſuper ut unuſquiſque Sacerdos ſe intra ſuæ auctoritatis terminos contineat, ordinationem generalem Tridentini Concilii inſequendo; Declaramus, nullum Sacerdotem etiam regularem confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum poſſe audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium obtineat, aut à nobis vel Vicariis noſtris per examen, aliâſve idoneus judicetur & approbetur, ejúſque facultatis literas habeat. Proinde etiam proprium Sacerdotem cenſendum dicimus, qui Rector Eccleſiæ parochialis ſit, aut qui à Rectore aſſumptus eſt, noſtróſque vel Vicariorum noſtrorum judicio probatus & admiſſus.

Deinde cap. VIII. *Poſtremò cùm contingat ut plurimùm Præpoſitos vel Decanos, Paſtores eſſe ſuorum ſuppoſitorum, non immeritò præcipiendum duximus, ut omnes Canonici Cappellani & alii omnes, qui Eccleſiis collegiatis, aut Capitulis ſubſunt, ſuis ſemel Paſtoribus propriis in anno confiteantur, videlicet in Paſchate, aut ſaltem eo tempore alteri confitendi licentiam impetrent. Non enim minùs Sacerdotes quàm laicos obligat Cap. Omnis utriuſque ſexûs.* Cameracenſis Synodus utrobique Lateranenſem Canonem explicat, & exequendum eſſe cenſet.

Lugdunenſis Synodus, quam anno M. D. LXXVII. Petrus Archiepiſcopus habuit cap. IX. de pœnit. *Parochiani*, inquit, *debent proprio Curato, aut ejus Vicario & ſpeciali Presbytero confiteri.* Et poſt alia. *Specialem Presbyterum appello Papam, Archiepiſcopum, Epiſcopum, aut eorum Vicarios, Presbyterum parochialem, aut Vicarium, aut alium ab illis legitimè deputatum.*

Gallicanus Clerus Meloduni coactus anno M. D. LXXIX. huc ſpectat §. de pœnit. *Adhortandi ſunt Parochiani, ne uſque ad Paſcha confeſſiones differant. Omnes ſemel ſaltem in anno proprio Sacerdoti teneantur peccata confiteri.*

Renatus Benedictus Pariſienſis Theologus, & ſancti Euſtachii Curio, in libro quem Ordinarium magnum, aut generalem Chriſtianorum inſtructionem Gallicè edidit anno M. D. LXXX. quæ ad noſtrum inſtitutum faciunt, nos Latinè ſic reddimus ex lib. IV. cap. XII. *Scholares conductores, & ſervi parochiæ illius cenſentur eſſe, in quâ manent, ac proinde ibi accipere debent ſacramentum confeſſionis, & abſolutionem ab omnibus caſibus, à quibus Curati ſubditos ſuos poſſunt abſolvere, ut & Fratres Minores & Prædicatores,*

qui juxta formam juris ſeſe Epiſcopis ſteterint: quandoquidem ipſi habeant ex jure communi parem cum Curatis abſolvendi poteſtatem. Item quemadmodum Curatus ſubditum ſuum tam intra, quàm extra parochiam poteſt abſolvere, ſic & memorati Fratres præſtare poſſunt. Idem erga incolas Diœceſis, in quâ præſentati fuerint, alioqui privilegium illorum reſtrictum foret, quod à jure nullatenus permittitur.

Remenſe Concilium à Gregorio XIII. confirmatum, quod anno M. D. LXXXIII. celebratum eſt, proprium Sacerdotem ſic intelligit. §. de pœnit. *Nemo exiſtimet ſibi licere cuicumque volet Sacerdoti confiteri, ſed proprium tantùm Parocho. Siquis autem alieno Sacerdoti voluerit juxtâ de cauſâ ſua confiteri peccata, licentiam poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere vel ligare.*

Audomarenſis Synodus Diœceſana, quæ celebrata eſt eodem anno, tit. de pœnit. cap. II. *Proprium*, inquit, *Sacerdotem illum intelligi declaramus, cujus curæ quiſque propriè ſubjectus eſt. Sic Parochus proprius Sacerdos eſt parochianorum ſuorum, tam Sacerdotum ac Clericorum parochiæ ſuæ ſubſervientium, aut in parochiâ habitantium, nec ad certam Eccleſiam pertinentium, quàm laicorum. · Sic Archipreſbyterum, ſeu Decanum Chriſtianitatis cujuſque loci proprium Sacerdotem eſſe & agnoſci volumus Paſtorum ſui Decanatus.* Et quibuſdam interpoſitis: *Monachorum eſt Prælatus.*

Burdegalenſe Concilium, quod eodem anno celebratum eſt, cap. XII. de pœnit. de proprio Sacerdote ſic loquitur: *Moneant Parochi omnes myſteriis Chriſtianæ Religionis initiatos, cùm primùm juxta Iſaiam ſcierent improbare malum, & eligere bonum, ſemel ut minimum quotannis, & maximè acceptabili Quadrageſimæ tempore omnia peccata ſua proprio Sacerdoti confiteri obligatos eſſe.*

Aquenſe Concilium, quod anno M. D. LXXXV. habitum eſt, tit. de pœnit. *Innocentii III. Conſtitutionem in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, ut fideles ſaltem ſemel in anno proprio Parocho peccata ſua confiteantur, inviolatè omnes ſervent.* Proprium Sacerdotum Parochum interpretatur.

Cameracenſe Concilium provinciale, quod anno M. D. LXXXVI. celebratum eſt, de ſacramento pœnitentiæ, Tit. VIII. *Ne autem negligatur præceptum Eccleſiæ de confitendo proprio Paſtori & communicando quotannis juxta Cap. Omnis utriuſque ſexûs, Ext. de pænit. & remiſſ. ſcribantur omnium tam confitentium, quàm communicantium in Paſchate nomina & cognomina tam à Regularibus, quàm Sæcularibus, qui ea Paſtoribus tradant in Regiſtrum conſcribenda, & poſt Paſcha Paſtores omnium eorum, qui non communicaverint, nomina ad Epiſcopum referant.* Sacerdotem proprium videtur ad regulares extendere. Videtur, inquam, quia ſi hoc fit de licentiâ Parochi, non extendit, & Sacerdotem proprium de Parocho ſolo intelligit. Res eſt mihi dubia.

Germanus Aurelianenſis Epiſcopus in Synodo, quam anno M. D. LXXXVII. habuit, proprium Sacerdotem ſic exponit: *Proprium Sacerdotem dicimus, Pontificem Summum, Epiſcopum, Vicarios illius Curatum & ejus Vicarium, & generaliter omnes Sacerdotes à prædictis legitimè deputatos.*

· Clemens VIII. ann. M. D. XCII. Conſtitutionem edidit, in quâ confeſſionem quovis tempore etiam Paſchali factam apud eos, qui habent privilegia valere ſtatuit: ut quis in Paſchate Euchariſtiam ſumat. Clementis verba ſunt: *Præſenti Decreto noſtro ſancimus licere ſæcularibus Chriſti fidelibus univerſis liberè miſſas audire, &c. Et tam dictis Fratribus & Preſbyteris dictæ ſocietatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolicâ indultum eſt idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata ſua etiam Quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propriâ parochiâ ab eorum Parocho ſumant.*

Gabriel Vaſquez è Societate Jeſu Theologus, quæſt. XCIII. dub. I. „Quiſnam dica-
„tur proprius Sacerdos: Mihi placet modus loquendi Soti in diſt. XVIII. quæſt. IV.
„art. II. Fabr. diſt. XVII. & Joan. Medin. quæſt. de confeſſione Fratribus privilegiatis fac-
„tâ, ut nulla ſit æquivocatio in Decretali, Omnis utriuſque, in quo etiam convenit
„Canus, ſed nomine proprii Sacerdotis intelligatur quicunque habens ordinariam juriſ-
„dictionem. Hujuſmodi ſunt Paſtores, ſcilicet Parochi, Epiſcopi, & Pontifex. Nam
„etiam communis Paſtor proprius Sacerdos dicitur, alienus verò dicatur quicun-
„que aliàs non habens poteſtatem ſeu juriſdictionem. Et hic audire non poteſt con-
„feſſiones ullo modo niſi ex licentiâ proprii, hoc eſt delegatâ illi juriſdictione à pro-
„prio Confeſſario, (*dicere voluit, Sacerdote*) & ita dicitur in Decretali, quòd, ut
„quis alieno confiteatur, licentiam priùs poſtulet & obtineat, quâ quidem datur ju-
„riſdictio, imò quòd non intelligatur in Decretali proprius Sacerdos Parochus, ſed etiam

Ponti-

„ Pontifex & Epiſcopus, eſſe de fide docet Medina. Unde falſa eſt ſententia Cani,
„ quòd nomine proprii, Parochus tantùm intelligatur in illâ Decretali, Omnis utriuſ-
„ que, & à Martino V. in quâdam Extravaganti.

Idem dubio VI. poſt relata quædam Joannis XXII. verba, ſubjicit: „ His verbis
„ in ea Extravaganti referuntur illius (Joannis Poliaci) errores, & hic tertius eſt meo
„ judicio intelligendus ſicut ſecundus: Stante ſcilicet Decreto Concilii Lateranenſis, ne-
„ que enim ille negabat ablato illo, aut diſpenſando (quod à Deo & à Pontifice au-
„ ferri poſſe non negabat) poſſe concedi illam licentiam: ſed repugnaret ſtante præ-
„ cepto, alteri, quàm Parocho confiteri, quia aut de licentiâ Parochi, aut ipſi Pa-
„ rocho eſſet confitendum ex Concilio Lateranenſi. Unde illud ſtare non poſſet, quia
„ pœnitens teneretur Parocho, aut de licentiâ illius confiteri. Damnantur ii errores in
„ ea Extravaganti à Joanne XXII. non eâ ratione, quia Pontifex poſſit ſtatuere ſimpli-
„ citer, ut Religioſi audiant, ſed quia etiam ſtante Decreto Concilii, id concedere po-
„ teſt, & in nullo derogari Decreto Concilii. *Et poſt alia.*

„ Quòd ergo ſtante illo Decreto nihilominus concedi poſſit facultas Religioſis, nullâ
„ factâ in illo Decreto diſpenſatione, cujus contrarium revera ut exiſtimo, damnatur
„ in illâ Extravaganti, inde probatur, quia illa Decretalis cùm ait, confeſſionem fieri
„ debere aut proprio Sacerdoti, aut de licentiâ proprii non intelligit Curatum tantùm,
„ ut ille Joannes dicebat, ſed habentem juriſdictionem ordinariam. Talis autem eſt non
„ tantùm Curatus, ſed Epiſcopus & Pontifex. Unde de licentiâ horum poteſt alicui
„ committi materia juriſdictionis, ut ita abſolutionis ſententiam legitimè ferre poſſit &
„ ſatisfieret præcepto, Omnis utriuſque ſexûs, quia jam confeſſio fieret de licentiâ pro-
„ prii quod ſatis eſt. *Et poſt alia.*

„ Secundo notandum eſt, eandem ſententiam poſtea ſecutum fuiſſe Henricum quodlib.
„ X. quæſt. I. Sed non omnino. Ille enim non aſſerebat, ut Joannes ille, non poſſe
„ a Pontifice concedi licentiam confitendi alteri, quàm Parocho, & ita ſatisfieri precep-
„ to confeſſionis, ut iterum eadem peccata non teneatur confiteri aliquis: ſed quòd ex
„ hac licentiâ jam derogaretur præcepto Concilii Lateranenſis confitendi proprio Paro-
„ cho, & quòd per licentiam conceſſam Fratribus non ſit derogatum illi Decreto; &
„ ita eadem peccata teneatur homo confiteri Parocho, unde conveniebat cum Joanne
„ illo, quòd eadem peccata ritè confeſſus ex privilegio Fratribus, teneatur iterum Paro-
„ cho aut alteri de licentiâ Parochi confiteri, non quia directè præcipiatur illi eadem
„ peccata iterum confiteri, ſed quia indirectè ad id obligatur, quod hoc modo inducit;
„ quia cùm illa peccata teneretur confiteri ſaltem ſemel in anno proprio Confeſſario (*dicere*
„ *voluit Sacerdoti*) aut de licentiâ proprii, ex Concilio Lateranenſi. *&c. Et poſt alia.*

„ Martinus V. idem privilegium concedens in Extravaganti quâdam, quæ non habetur in
„ corpore juris, ſed refertur à Joanne Majore diſt. XVII. quæſt. VI. & ab Henrico loco
„ cit. & incipit Ad uberes fructus, poſtquam privilegium conceſſit, ſubdit hæc verba:
„ Volumus autem, quòd ii, qui Fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris Pa-
„ rochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno prout Concilium ſtatuit, nihilominus tene-
„ antur. quódque iidem Fratres eos adhæc diligenter & efficaciter ſecundùm datam
„ eis à Domino gratiam exhortentur. Videtur ergo relinquere obligationem confitendi
„ Parocho ſemel in anno: Unde tenebuntur Fratribus confeſſi illa peccata ſicut antea te-
„ nebantur Parocho confiteri, & Sixtus IV. in Extravaganti Vices. de treuga & pace
„ ad hæc alludere videtur, cùm componens pacem inter Parochos & Fratres, inquit
„ quòd ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd parochiani non ſint obligati ſaltem
„ in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in
„ Paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Sed ſubdit infrà: per hoc tamen ipſi Fratres
„ Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominus ſecundùm juris communis & privilegiorum
„ eiſdem conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire & pœnitentias injungere valeant,
„ quibus videtur concedere facultatem aliàs audiendi confeſſiones, modò ſemel in Paſ-
„ chate confiteantur proprio Parocho. Hoc enim ibi videtur intelligere nomine pro-
„ prii Sacerdotis.

„ Hæc ſunt fundamenta ſententiæ Henrici, ex quibus conſtat, quamvis Henricus in ſen-
„ tentiâ conveniat cum Joanne de Poliaco, quia uterque exiſtimat nomine proprii Sa-
„ cerdotis intelligi Parochum, unde arbitrantur conceſſo privilegio permanere obli-
„ gationem confitendi Parocho eadem peccata, non tamen ita erraſſe, quia Joannes de
„ Poliaco tempore Joannis XXII. illud docuit, quo tempore conceſſum erat ſimpli-
„ citer Fratribus audire confeſſiones ſine Parochi licentiâ, ſed poſtea tempore Marti-
„ ni addita fuit illa clauſula, Volumus autem, &c. Ex quâ poſſet aliquis opinari,

„ fideles obligari per illam peccata eadem iterum confiteri. Id enim verba illa ſonare „ videntur, & quòd Pontifex poſſet obligare ad hoc, multi opinati ſunt, nec video „ ſententiam illorum damnatam eſſe. Eam ſententiam retuli ſuprà, in quæſt. 92. art. III. „ dub. VII. Et ibi eam ſecutus ſum. Sed poſtea eam impugnavi in hac quæſt. art. I. „ in fine. Unde non abſque ſundamento diceret Henricus, concedi privilegium illud, „ ſed cum obligatione, aut verba illa oportet ampliùs explicari. In eo verò quod aſ- „ ſerit, quòd etiamſi non adderentur illa verba Volumus autem, &c. maneret obliga- „ tio confitendi iterum peccata, planè conſentit cum primâ propoſitione Joannis de Poliaco, „ quòd confeſſi Fratribus, iterum eadem peccata teneantur confiteri, quia nonobſtante „ privilegio Decretalis adhuc obligat, & ita tenetur dicere in Decretali nomine proprii „ intelligi parochum, cui confitendum ſit ſemel in anno, & hæc obligatio non tolla- „ tur per confeſſionem factam privilegiatis, & conſequenter tenetur concedere alias pro- „ poſitiones Joannis de Poliaco, ſed Henricus hoc non ita manifeſtè docet ex propriâ „ ſententiâ, quamvis & id probare videatur.

„ In hac quæſtione duo nobis dicenda ſunt. Primum eſt, non exiſtente extravaganti „ Sixti IV. Vices, de treuga & pace, nec illa extravaganti Martini cum illâ clauſulâ „ Volumus autem, eſſe manifeſtum errorem Joannis de Poliaco & Henrici, ſi illud ex „ propriâ ſententiâ aſſerat, quòd confeſſi Fratribus privilegiatis teneantur eadem peccata „ Parocho confiteri ex Decretali Omnis. Eſt enim idem utriuſque error quia ut ſuprà „ dicebamus contra Joannem illum, nomine proprii Sacerdotis in illâ Decretali non intel- „ ligitur Parochus, ſed quicunque habens juriſdictionem ordinariam, & ita illi præcep- „ to ſatisfit, nec in eo diſpenſatur, cùm aliquis confitetur Fratribus privilegiatis, quia „ revera confitetur ille de licentiâ proprii Sacerdotis, qui eſt Pontifex. Unde funda- „ mentum Henrici nullius momenti eſt, cùm aſſerit per privilegium Fratribus conceſſum, „ non derogari Cap. Omnis utriuſque ſexûs, tum quia non eſt contrarium, tum quia „ cùm ſit in præjudicium Parochorum deberet expreſſè derogari Cap. Omnis utriuſque. „ Hoc ergo fundamentum nullius momenti eſt, quia non dicimus privilegium hoc con- „ ceſſum eſſe Fratribus contra Capitulum illud, Omnis utriuſque, quaſi per privilegium „ ei ſit derogandum imò verò conceſſum eſt privilegium hoc ad obſervantiam præcepti „ confeſſionis, quod habetur in illo capite. Neque enim eſt ſpeciale præceptum huma- „ num, cùm dicitur neceſſarium eſſe confiteri proprio, aut de licentiâ proprii, ſed eſt „ divinum, ut ſuprà dicebamus, quod eſt dicere, neceſſarium eſt confiteri habenti „ juriſdictionem aut ordinariam aut ex commiſſione qui verò confitetur privilegiatis, „ confitetur habenti ex commiſſione juriſdictionem, & confitetur ex licentiâ proprii, id „ eſt ex licentiâ habentis juriſdictionem ordinariam, ſcilicet Pontificis, unde non de- „ rogatur Capitulo, Omnis, ſed potiùs obſervatur illius præceptum exactè. *Et poſt „ alia id genus.* Unde ſatis conſtat error Joannis de Poliaco & Henrici.

„ Secundò, ſi loquamur poſt extravaganies Martini V. & Sixti IV. quas ſuprà retu- „ limus, exiſtimo ſalſiſſimam, ſed non erroneam ſententiam Henrici & aliorum, quòd „ teneatur homo confiteri iterum eadem peccata proptio Parocho, quoniam ut ſu- „ prà art. I. probavi, nullâ ratione poteſt præcipi, peccata ſemel legitimè confeſſa „ iterum confiteri niſi proprio conſenſu pœnitentis, vel juramento aut voto ipſius, vel „ impoſitâ illi pœnitentiâ, ut ſuprà explicavimus. Ergo Martinus V. & Sixtus IV. „ non præcipiunt peccata confeſſa ſemel Fratribus privilegiatis iterum confiteri, quia „ fieri non potuit niſi proprio conſenſu, ut diximus, vel accedente juramento aut vo- „ to. Et ita Benedictus XI. in Extravaganti Inter cunctas, de privilegiis, dum con- „ cedit Fratribus licentiam confeſſiones audiendi, definit, confeſſos Fratribus non te- „ neri eadem peccata iterum confiteri, & ſubdit rationem iis verbis: Nonobſtante „ Conſtitutione Concilii generalis, quæ ſano intellectu (ne ſequatur abſurdum, quòd „ per pœnitentiam peccata dimiſſa quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor ad- „ buc ad ſolvendum remaneat obligatus) intelligenda eſt de illis qui peccata ſua confi- „ teri aliis neglexerunt. Hactenus Benedictus, unde conſtat, quòd exiſtimaverit ipſe „ abſurdum, concedere alicui facultatem audiendi confeſſiones, ut iterum ille pœnitens „ maneat obligatus eadem confiteri. Si enim ita concedi poſſet, non diceret confeſſos „ Fratribus non teneri iterum confiteri, ne ſequatur abſurdum. Siquidem abſurdum „ non eſſet, ſi ita concedi illis poſſet privilegium. *Et poſt alia id genus*: Ex hoc er- „ go oſtenditur falſitas ſententiæ Henrici etiam poſt Martini V. Decretum.

„ Aliud ergo meo judicio voluit Martinus V. ex verbis citatis, (neque enim Decre- „ tum illius extat, ut pleniùs mentem illius poſſimus intelligere) ſicut docet Medina „ in illâ quæſtione citatâ in II. ſolutione, quam adhibet ad illam Extravagantem,

quòd

,, quòd ſcilicet ampliſſimum privilegium, quod conceſſum erat uſque ad Martinum V.
,, ut infrà oſtendemus, Fratribus prædictis audiendi confeſſionem quocunque anni tempore
,, ſine licentiâ Epiſcopi, aut Parochi, quo & præceptum implebatur, moderatus fuerit
,, Martinus V. hoc modo ut confeſſiones totius anni abſque aliâ Parochi licentiâ aut
,, Epiſcopi audire poſſent, ſed confeſſio, quæ in Quadrageſimâ debet eſſe, non poſſet
,, fieri ſine licentiâ Parochi, nec illa fieri poſſet Fratribus privilegiatis ſine licentiâ Paro-
,, chi, & hoc intelligeretur, ſi eſſent alia peccata, quæ ex præcepto in Quadrageſimâ
,, confitenda eſſent ut mortalia, ſi enim nulla eſſent, non teneretur eadem peccata le-
,, gitimè jam confeſſa iterum confiteri, quia hoc præcipi non poteſt, ut diximus, nec
,, verba illa Volumus, &c. alind intendunt. *Et poſt alia.*

,, Sic ergo exiſtimo Martinum confeſſionem annuam reliquiſſe faciendam proprio Pa-
,, rocho aut Sacerdoti, vel de ſpeciali illius licentiâ, ut infrà dicemus: Ita ut reliquas
,, anni confeſſiones liberum eſſet facere coram Fratribus, illam tamen annui præcepti,
,, quando tamen eſſent mortalia peccata poſt alias confeſſiones neceſſariò debere fieri
,, cum proprio Sacerdote, aut de licentiâ illius ſpeciali. *Et poſt alia.*

,, Meo ergo judicio loquitur Martinus V. de annuâ confeſſione, quæ facienda eſt
,, tempore Paſchali ad Euchariſtiam ſumendam, ut ita qui intra tempus aſſignatum habe-
,, rent mortalia peccata, & indigerent confeſſione ad Euchariſtiam poſt alias confeſſio-
,, nes, neceſſariò deberent adire proprium, aut de ſpeciali licentiâ proprii alicui confite-
,, ri ad ſumendam Euchariſtiam: quòd ſi non haberent nova peccata mortalia poſt ulti-
,, mam confeſſionem, non tenebantur confiteri proprio, quia meo judicio non præcipie-
,, batur confeſſio eorundem peccatorum, nec præcipi poterat. Et ad hoc forſan voluit
,, Sixtus IV. obligare in illa Extravaganti Vices, nec tantùm voluit præcipere Fratri-
,, bus, ut diximus quæſt. xc. art. II. ne prædicarent parochianos non teneri tempore
,, Paſchatis proprio confiteri Sacerdoti, quia eſſet tunc temporis cauſa diſſenſionis inter
,, Fratres & Parochos, ut ſolùm præciperet abſtinere à prædicatione, cauſâ removendi
,, ſcandali, quaſi reipſa etiam eo tempore Fratres audire poſſent confeſſiones, ſed quia
,, voluit obſervari Decretum Martini. Et hac ratione, quia obſervaretur eo tempore
,, Martini Decretum, damnata fuit Pariſiis propoſitio Joannis Angeli circa tempora Sixti
,, IV. ut refert Joannes Major, in IV. diſt. XVII. quæſt. VI. qui docebat: Parochianus
,, confeſſus Fratribus Mendicantibus ſatisfacit Decreto Omnis, nec tenetur proprio con-
,, fiteri Sacerdoti, nec ab illo petere licentiam: quæ modò non damnaretur, conceſſo
,, abſolutè privilegio ut revera eſt, ut infrà videbimus. Quod autem ſubditur in Ex-
,, travaganti Sixti, per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi quo-
,, minus confeſſiones audire valeant, &c. intelligitur reliquo tempore, ut diſpoſuerat
,, Martinus V. Hoc tamen notandum eſt in Extravaganti Sixti, quòd tantùm loquatur
,, de confeſſione tempore Paſchatis, quam Martinus appellavit annuam, aut ſemel in
,, anno, quam cum propriis Sacerdotibus fieri volebat. Unde intelligit, quæ tempore
,, Paſchatis ad Euchariſtiam præmitti debet, quæ jam determinata eſt à Dominicâ in Ra-
,, mis uſque ad Dominicam in Albis, ſed quòd jam diu Martini Decretum, nec Sixti,
,, ſi eodem modo intelligatur, non obſervetur, infrà oſtendimus.

,, Sed advertendum in Extravaganti Martini quid intelligatur nomine proprii Sacer-
,, dotis, cui jubet fieri confeſſionem, quæ fieri debet tempore Paſchatis. Canus enim
,, in Relectione de pœnitentiâ §. Itaque Sacerdos, docet à Martino nomine proprii Sa-
,, cerdotis intelligi Parochum, ut velit, Parocho fieri illam confeſſionem tempore Paſ-
,, chatis, & ita videtur ſentire Medina quæſt. illa de confeſſione Fratribus privilegiatis
,, facta. §. poſſet ſecundò, ut ita in eo caſu conſtringere velit pœnitentes ad confeſſio-
,, nem cum Parocho eo tempore, aut de illius licentiâ, ſed cùm negare non debeant,
,, etiam fieri poſſe cum Epiſcopo, aut de illius licentiâ, & cum Papa vel illius Pœniten-
,, tiatio, aut de ipſius licentiâ Papæ, ideo melius eſt intelligere nomine proprii Sacerdo-
,, tis in ea Extravaganti Martini & Sixti, omnem Sacerdotem habentem juriſdictionem ſu-
,, pra pœnitentem ordinariam, qualis eſt Papa, Epiſcopus, Parochus, ut illis neceſſa-
,, rium ſit confiteri tempore Paſchatis, ſicut aliàs de jure communi neceſſarium erat, aut
,, de illorum licentiâ: & quamvis Fratres illi haberent licentiam à Pontifice, tamen eam
,, limitatam acceperunt, ita ut pro dicto tempore neceſſarium ſit confiteri habenti ju-
,, riſdictionem ordinariam, vel de aliâ illius licentiâ, ita ut generalis illa licentia non
,, prodeſſet. Neque enim Martinus V. aliud voluit, & Sixtus IV. quàm confeſſionem
,, illius temporis juris communis diſpoſitione in Cap. Omnis, relinquere proprio Sacer-
,, doti: Ibi autem proprius Sacerdos dicitur, quicunque habens juriſdictionem ordi-
,, nariam, quod de fide eſſe determinatum collegimus ſuprà Extravag. Joannis XXII.

,, Vas electionis, de hereticis. inter communes, & ita Sixtus in Extravag. Vices. addit;
,, quia de jure tenetur Parochianus proprio confiteri Sacerdoti. Sed quare addit Six-
,, tus ſaltem in Paſchate, cùm in univerſum verum ſit, quòd teneatur quiſque pro-
,, prio confiteri? Reſpondeo, quia cùm multi eſſent privilegiati, & ex commiſſio-
,, ne haberent poſſe audire confeſſiones, ſed ex Martini Decreto haberent limitatam
,, ut diximus, excepto Paſchatis tempore: Ideo, inquit, nonobſtante privilegio de ju-
,, re ſaltem in Paſchatis confeſſione ad Euchariſtiam teneri Parochianos iterum adire
,, proprium Sacerdotem, id eſt, habentem juriſdictionem ordinariam & illi confiteri,
,, aut alteri de illius licentiâ ut diximus, & generalis licentia Fratrum non ſuffragare-
,, tur pro illâ confeſſione, & ita prohibet ne Fratres prædicent oppoſitum, ſecutus
,, meo judicio Martini Decretum in Extravaganti illâ citatâ. Quantùm verò durave-
,, rit obſervatio hujus Decreti, modò enim ut dicemus, non obſervatur, invenire
,, non potui. Quid ergo modò obſervandum ſit, videamus.

,, Quare notandum eſt, ut docet Sotus diſt. XVIII. quæſt. IV. art. III. à tempore
,, Alexandri IV. conceſſum fuiſſe hujuſmodi privilegium Mendicantibus, & confirma-
,, tum per Urbanum IV. deinde per Clementem IV. Sed quomodo illud privilegium
,, conceſſum eſſet, & ſub quâ formâ, non vidi, nec docet Sotus, nec alius, quem
,, ego legerim. Solus Alexander & Bonaventura docent confeſſos Fratribus Mendi-
,, cantibus ex privilegio conceſſo teneri iterum confiteri non eadem peccata, ſed alia
,, tempore Paſchatis, aut ut ipſi dicunt ſemel in anno, non quia dicant eſſe privile-
,, gium ita conceſſum expreſſè, ſed quia illud conceſſum fuit non ſimpliciter, ſed ut
,, ipſi inquiunt, in caſu ſcilicet venientibus ad audiendas conciones Fratrum, ex quo,
,, inquiunt, non tolli obligationem confitendi ſemel in anno: privilegium hoc aliorum
,, eſſe non potuit, quàm eorum Pontificum quos diximus. Deinde Ricardus docet
,, conceſſum fuiſſe noviſſimè ſuo tempore Fratribus & Minoribus & Prædicatoribus &
,, Auguſtinianis privilegium audiendi confeſſiones, ita tamen ut confeſſi Fratribus te-
,, neantur confiteri iterum proprio Sacerdoti ſemel ſaltem in anno, non quidem ea-
,, dem peccata, ut initio queſtionis notavit Ricardus, ſed alia ſi habeant, cujus autem
,, fuerit hoc privilegium, non docet, ſed credo non fuiſſe Martini V. quamvis ſit om-
,, nino idem; quia Ricardus floruit ſub Nicolao IV. Papa, qui præceſſit Martinum
,, ſpatio XVII. Pontificum. Poſthæc eſt privilegium ampliſſimum à Boniſacio VIII. in
,, Extravag. Super cathedram. de ſepulturis. Decernit ut electi Fratres, à ſuis Præ-
,, latis idonei. non ad unam Provinciam, ſed Civitatem tantùm, (intelligit verò nomine
,, Civitatis Diœceſim) proponantur Epiſcopo, quòd ſi ille renuerit confitendi licentiam con-
,, cedere, ipſe Pontifex immediatè concedit licentiam & juriſdictionem *Et poſt alia.*

,, Deinde Benedictus XI. in Extravaganti Inter cunctas, de privilegiis: ampliorem
,, contulit hanc poteſtatem, ut neque præſentatio fieret Fratrum Epiſcopo, nec ab illo
,, licencia peteretur in particulares Fratres præſentando, aut coram ipſo ſiſtendo, nec
,, numerum exprimendo petant, ſed tantùm ſcriptis licentiam in genere petendo: poſt-
,, ea verò per Clementinam Dudum, de ſepulturis, approbante toto Concilio Viennen-
,, ſi confirmata fuit Conſtitutio Bonifacii, & derogatum fuit Conſtitutioni Benedicti
,, quoad præſentationem. & huic Decreto ſtatur modò, inquit Sotus. Poſthæc ſecuta
,, fuit Conſtitutio Joannis XXII. in quâ decernitur contra Joannem de Poliaco, non
,, teneri pœnitentes illa peccata iterum confiteri, quod Decretum fuerat à Bonifacio
,, loco citato. Imò verò declaravit Bonifacius confeſſionem Fratribus factam ſuffice-
,, re, ut Sacerdotes illis confeſſis adminiſtrent Euchariſtiæ ſacramentum & extremæ
,, Unctionis & ut teneantur adminiſtrare. *Et poſt pauca.*

,, Cùm tamen poſtea ſucceſſerit Martinus V. & Sixtus IV. videtur introductum fuiſ-
,, ſe, quod docuit Ricardus ſuo tempore ſtatutum fuiſſe, ut confeſſio tempore Paſ-
,, chatis non fieret Fratribus ex illâ conceſſione generali & privilegio, quod quanto
,, tempore duraverit, non potui, ut dixi, intelligere. Neque ex Bonaventura & A-
,, lexandro colligitur, an conceſſum fuerit ſuo tempore privilegium ita limitatum. Si
,, autem conceſſum fuit abſolutè, etiam ſolùm venientibus ad conciones, ut ipſi do-
,, cent, exiſtimo ſatis fuiſſe, ut etiam tempore Paſchatis confiteri poſſent Fratribus &
,, communicare in propriâ parochiâ, nec tenerentur pœnitentes illam confeſſionem pro-
,, prio Sacerdoti facere.

Hæc ille, in quibus multa falſa veris immiſcentur.

Franciſcus Suarez diſp. XXV. ſect. I. *Qui ſint miniſtri ordinarii hujus ſacramenti reſpectu omnium & ſingulorum fidelium.* num. I. *Tres ſunt ordines in Eccleſiâ horum miniſtrorum, ad quos omnes alii reducuntur, qui numerari ſolent, in primo & ſupremo ordine*

eſt

eſt ſolus Summus Pontifex, qui habet jariſdictionem hanc ordinariam & eminentiorem omnibus. Et poſt alia num. II. *In ſecundo ordine ſunt Epoſcopi.* Et poſt alia num. XV. *In tertio ordine ſunt Parochi: Nam illi etiam ſunt judices ordinarii in hoc foro, ex ſententiâ omnium Theologorum diſt. XVII. ex uſu & ſenſu Eccleſiæ & ex Cap. Omnis, ubi nomine proprii Sacerdotis præcipuè intelligitur Parochus, vel ſaltem formaliter comprehenditur, & de illo proprio Sacerdote abſolutè, & in univerſum ſupponitur poſſe ſuam juriſdictionem committere, quod eſt munus ordinarii judicis. Et ad hunc ordinem reducitur imprimis Vicarius perpetuus Parochi: Nam ille jam habetur, ut ordinarius Paſtor, qui poteſt vices ſuas delegare, Reduci etiam ſolent Archipresbyteri, prout nunc ſunt in uſu: ſunt enim quaſi primarii Parochi aliquarum Eccleſiarum: Olim autem videntur fuiſſe, quaſi Vicarii Epiſcoporum in abſentiâ eorum juxta Cap. III. de Off. Archipresbyteri: Reducuntur etiam in Religionibus immediati Prælati, & in univerſum omnes, quibus ex jure, vel ex privilegio ſpeciali commiſſa eſt cura immediata aliquarum animarum. Eſt enim Parochus ſpeciali modo judex immediatus in hoc ſacramento. Nam licèt Papa & Epiſcopus poſſint per ſe & immediatè miniſtrare hoc ſacramentum, vel etiam immediatè committere vices ſuas, ut infrà dicam; tamen is, ad quem ex officio competit ordinariè exercere hoc munus, eſt Parochus.*

Deinde diſp. XXVI. ſect. I. num. III. *Circa ſecundum punctum de eo, qui poteſt hanc juriſdictionem delegare, generalis regula eſt, poſſe delegare hanc juriſdictionem omnes, qui illam habent ordinariam juxta Cap. Inter cætera. de off. ordin. & dictum Cap. Omnis utriuſque. Ratio eſt, quia delegatio eſt unus ex propriis actibus juriſdictionis ordinariæ. Item quia non eſt cogendus Paſtor ſemper per ſeipſum exequi officium ſuum, ergo poteſt vices ſuas delegare. Hæc autem poteſtas cum proportione reſidet in ordinariis ſuprà numeratis: Nam Pontifex illam habet univerſaliſſimam, & ideo poteſt delegare hanc facultatem cuilibet perſonæ pro quolibet loco, & pro quibuſcunque peccatis, Clementina Dudum. de ſepul. & in Extravag. Super cathedram eodem titulo, & Extravag. Inter cunctas, de privilegiis. Unde etiam in hoc non pendet Papa ab Epiſcopis vel Parochis: Nec ſolùm eorum conſenſum non expectat, ſed etiam contra eorum voluntatem poteſt hanc juriſdictionem & uſum ejus delegare, quod provenit ex ſupremâ poteſtate ejus. Idem eſt de Epiſcopo in ſuo Epiſcopatu, cum hac ſolâ limitatione; ut Papa non reſervet, vel reſiſtat. Sumitur ex Cap. Quoniam & Cap. Inter cetera de officio ordin. & cap. II. de pœnis. & remiſſ. in VI. & conſuetudine etiam conſtat. Et ratio eſt eadem cum proportione. Pari modo & cum accommodata proportione poteſt Parochus reſpectu ſuorum ſubditorum hanc juriſdictionem committere, ſeu delegare, ut planè colligitur ex dicto Cap. Omnis utriuſque, dum ait, de licentiâ proprii poſſe alienum abſolvere. Et ratio etiam eſt eadem dummodo ſubordinatio ſervetur. Nam Prælatus ſuperior poſſet hanc delegationem impedire, ſicut poteſt caſus reſervare.* Et poſt alia num. V.

His poſitis ſupereſt difficultas, an quilibet iſtorum trium habeat facultatem in ſolidum, ita ut ſiquis habeat facultatem audiendi confeſſionem à Summo Pontifice vel Epiſcopo, poſſit id facere ſine aliâ facultate Parochi, & è contrario. Et quidem auctores omnes conveniunt, licentiam Parochi, ſeu proprii Sacerdotis proximi eſſe per ſe ſufficientem ſine alterius ſuperioris remoti licentiâ, quia id videtur apertè colligi ex Cap. Omnis utriuſque ſexûs. Et quia fideles ſeu parochiani per ſe ſolùm tenentur confiteri Parocho, non Epiſcopo vel Pontifici, & ideo ſi ex illius facultate confiteantur, ſatis eſt. Quæ doctrina eſt quidem vera limitanda tamen nunc juxta Decretum Concilii Tridentini, Seſſ. XXIII. cap. XXV. At verò è contrario quidam exiſtimarunt non ſufficere privilegium, ſeu licentiam Summi Pontificis ſine licentiâ Parochi, quod à fortiori dicerent de Epiſcopo. Ita gloſſa, in Cap. Omnis utriuſque ſexûs, in verbo Alieni. Ubi Archidiaconus, Joannes Monachus, & Oſtienſis illam ſequi referuntur. Loquuntur autem hi potiùs de facto, quàm de poſſibili: Non enim videntur negare Summo Pontifici hanc poteſtatem, ſed negant uti illa in præjudicium Parochorum, quando ſimilia privilegia concedit. Citantur etiam pro hac ſententiâ Joannes de Poliaco, & Henricus: Sed illorum opinio alia eſt, ut infrà dicam. Fundamentum hujus ſententiæ fuiſſe videtur Cap. Omnis utriuſque ſexûs. Ubi dicitur, omnes fideles debere confiteri proprio Sacerdoti, vel ex licentiâ illius. Ille autem proprius Sacerdos eſt Parochus, ergo eſt neceſſaria ejus licentia, & alia non ſufficit: Minor patet tum ex vi ipſius verbi, tum maximè, quia Sixtus IV. in Extravaganti Vices, de trenga & pace, videtur ita intellexiſſe Decretum illud: agens enim de privilegiis conceſſis Mendicantibus ad audiendas confeſſiones, dicit per illa derogatum non eſſe, quominus teneantur fideles ſemel in anno tempore Paſchatis ſuis parochis confiteri juxta Conſtitutionem Concilii generalis. Et eodem modo loquitur Benedictus XI. in Extravaganti Inter cunctas, de privilegiis, & Martinus IV. idem dicens, quod Sixtus IV. in Extravag. Ad uberes, quæ non habetur in corpore juris, eam tamen referunt Henricus, Medina, & alii citandi. Et poſt alia num. VIII.

Hæc

Hæc tamen ſententia eſt falſa & erronea, & inprimis quod ad poteſtatem attinet, de fide certum eſt poſſe Pontificem concedere cuicumque fideli facultatem confitendi alteri abſque ullâ aliâ licentiâ ſui Epiſcopi vel Parochi. Ita traditum eſt à Summis Pontificibus ſuprà citatis & citandis, & uſus & traditio Eccleſiæ ita habet, & idem conſtat ex ſupremâ juriſdictione Summi Pontificis ſuprà probatâ: Præterea idem eſt de Epiſcopo reſpectu Parochi, ut patet ex proportionali ratione & ex teſtibus ſuprà allatis. Et declaratur etiam hoc modo, quia Papa vel Epiſcopus poſſent per ſe audire confeſſionem cujuſcumque ſubditi ſine licentiâ alterius Paſtoris inferioris, ut per ſe conſtat, & id poſſunt facere per juriſdictionem ordinariam, non ſolùm æqualem, ſed etiam ſuperiorem aliquo modo juriſdictione Parochi: Ergo multo magis poſſunt hanc juriſdictionem delegare, ita ut operari poſſit ſine licentiâ Parochi, quàm poſſet Parochus ipſe ſine licentiâ Superioris. Confirmatur, quia ſi licentia Parochi eſſet neceſſaria, impertinens & nullius momenti eſſet delegatio Superioris, quia licentia Parochi ſola ſufficeret, & ita delegatio illa nihil operatur. Quin potiùs addo, quamvis licentia Parochi in ſolidum poſſit ſufficere, tamen poſſe à Superiori prohiberi ne illam concedat: Ita ut ſi concedere tentet, nihil ratum faciat: At verò è contrario Superior poteſt illam concedere, etiam contradicence inferiore. Ratio clara eſt, quia inferior non habet poteſtatem ſupra ſuperiorem, nec ſuperioris juriſdictio ab inferiori pendet. At verò è contra ſuperior poteſt limitare vel impedire juriſdictionem inferioris, licèt id facere non debeat, niſi ex rationabili cauſâ. Deinde num. IX.

Atque hinc colligo, quoties Pontifex (& idem eſt proportionaliter de Epiſcopo) abſolutè & expreſſè dat facultatem alicui ad audiendas confeſſiones, id ſufficere ad juriſdictionem delegandam, nullâ expectatâ inferioris Sacerdotis proprii licentiâ, etiam ſi hæc in tali privilegio, ſeu facultate non exprimatur, dummodo non talis conditio apponatur. Et quibuſdam citationibus interpoſitis: *Sumitúrque ex declaratione Joannis XXII. in Extravag. Vas electionis de hæreticis, & ex Extravag. Benedicti XI. & Martini V. ſuprà citatis. Ratio verò à priori eſt, quia in Superiore eſt poteſtas, ut oſtenſum eſt, & hæc exercetur per illum actum, & voluntas ejus per illa verba ſufficienter, declaratur, & ipſe non reſtringit conceſſionem, neque apponit illam conditionem ut ſupponimus. Ergo. A poſteriori verò confirmari poteſt ratione ſuprà tacta. Quia ſi præter tale privilegium neceſſaria eſſet facultas inferioris, privilegium eſſet nullius momenti, quia ipſa licentia Parochi ſola ſufficeret. Ergo, ſi illa neceſſaria eſt nonobſtante privilegio Superioris, tale privilegium nihil confert.* Deinde num. X.

Dices poſſe ad hoc conferre, ut per facultatem ab Epiſcopo datam poſſit quis abſolvi; vel abſolvere à caſibus reſervatis Epiſcopo, quod non poſſet fieri per ſolam Parochi facultatem. Sed hoc extrinſecum eſt & per accidens. Præſertim quia facultas ſimpliciter & abſolutè conceſſa ab Epiſcopo, ſi nihil aliud exprimatur, non extenditur ad caſus reſervatos, ut dicitur in cap. 11. de pœnit. & remiſſ. in VI. & tamen frequens eſt, Epiſcopum concedere hanc licentiam hoc ſimplici modo, ſine extenſione ad caſus reſervatos, ergo ſine hac extenſione habet ſuum effectum. Non haberet autem, ſi neceſſaria eſſet licentia inferioris. Quod optimè confirmat reſponſio Honorii III. in Cap. In his etiam de privilegiis. Vel rogatus de quodam privilegio conceſſo Ordini Minorum & Prædicatorum celebrandi in Altari portatili, reſpondet intelligendum eſſe privilegium ſine licentiâ inferiorum Prælatorum, quia aliàs, inquit, nihil operaretur. Tum. num 11.

Et hæc ratio ſolvit rationem quandam prioris ſententiæ, quæ aſſumebat privilegium interpretandum eſſe ſine præjudicio alterius, quod ſi intelligatur de privilegio extrinſeco, & non intrinſecè incluſo ab ipſo privilegio verum eſt: ſed non eſt hujuſmodi id de quo agimus. Si autem vocetur privilegium ipſa aliqualis derogatio juris communis, hoc non poteſt vitari in privilegio. Quin potiùs retorqueri poteſt argumentum, quia de ratione privilegii eſt, ut aliquid operetur præter jus commune. Si autem non exponantur hæc privilegia ut diximus nihil operarentur præter jus commune. Addit verò divus Thomas ſupra hanc ipſam extenſionem ordinarii juris revera non eſſe in ullum præjudicium Parochorum, tum quia ipſi non privantur juriſdictione ſuâ, & ſemper illam habuerunt ſuperiori ſubordinatam. Ergo ſi ſuperior utatur jure ſuo, illud non eſt in injuriam & præjudicium inferioris. Tum etiam quia illi non habent juriſdictionem propter ſuam utilitatem, ſed propter utilitatem ovium. & ideo ſi propter utilitatem eandem ſuperior provideat ovibus, ut pluribus confiteri poſſint, non eſt illud reputandum præjudicium inferioris. Tum denique quia potiùs per hujuſmodi privilegia Parochi juvantur, & eorum onus levius fit, nec impediuntur, quominus poſſint gubernare gregem ſuum, quia exteriùs poſſunt curam adhibere ut bene vivant. Hæc Suares, in quibus quæ ab aliis jam ſunt dicta ſæpiùs retexit, ut antè Vaſquez retexuit, & ambo nos levarunt onere, quod in citandis auctoribus ſat multis non inſcienter prætermiſſis ſuſtinendum mihi fuiſſet.

CAPI-

Capitis conclusio, et perioche.

PRÆSENTIS Epochæ diſciplinam, & cognitionem oſtendunt ſatis ſupérque diœceſanæ Synodi quatuor Sueſſionenſis, Cameracenſis, Lugdunenſis, Aurelianenſis: Sacerdotem proprium eodem pæne modo interpretantur, & ad Romanum alióſque Pontifices, atque ad eos etiam, qui ab ipſis committuntur, extendunt.

Harlemenſis Synodus privilegiorum, quæ Mendicantium Ordinibus quatuor conceſſa ſunt, abuſum corrigit. Sed uſum retinet ſecundùm formam juris, ut loquitur. Quod loquendi genus primò ad Cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, & ad Clementinam *Dudum*, deinde ut ad Conſtitutionem Joannis XXII. *Vas electionis*, ſic & ad Conſtitutionem Sixti IV. *Vices illius*, flecti poteſt. Quidquid in cauſâ, mentem ſuam dubiam relinquit.

Provinciales Synodi tres, Mediolanenſis, Remenſis, & Aquenſis, & Diœceſana una Audomarenſis Sacerdotem proprium, qui memoratur in Lateranenſi Concilio, exponunt Parochum, cui confeſſio ſit facienda, vel alii de licentiâ illius.

Melodunenſis Conventus, & Burdegalenſe Concilium Paſchalem confeſſionem Sacerdoti proprio faciendam eſſe ſtatuunt, atque ita Sacerdotis proprii nomine Parochum videntur indicare.

Provinciale Concilium Cameracenſe Sacerdotem proprium, quem Lateranenſis Canon ſic nominat, Paſtorem proprium, id eſt, Parochialem Presbyterum exponit. Sed an Regulares, qui confeſſionibus in Paſchate audiendis vacant, de Parochialium Presbyterorum facultate vacent, necne, definitum non apparet.

Renatus Benedictus ex Clementinâ *Dudum* pronuntiat ſecundùm Prædicatores & Minores, iiſque parem cum Parochis poteſtatem aſſignat, ſed confeſſionem annuam ſeu Paſchalem ſpeciatim non attingit.

Clemens VIII. Religioſis, quibus conceſſa ſunt confitendi privilegia, ut confiteantur quolibet tempore, etiam in Paſchalibus feriis, concedit. Sed alibi quàm in Parochiâ communicandi libertatem aufert.

Vaſquez & Suares in eandem conveniunt ſententiam, ut qui Religioſi talia habent privilegia, etiam in Paſchate invitis & repugnantibus Parochis confiteri Parochianos quoſlibet poſſint. Diſſentiunt verò cùm Sacerdotem proprium explicant. Vaſquez Sacerdotem proprium eum eſſe dicit, qui juriſdictionem ordinariam habet, Papam, Epiſcopum, & parochialem Presbyterum. Quare cùm Religioſis permittur, ut peccatores quolibet confiteantur tempore, in Lateranenſi Canone nulla fit diſpenſatio, cùm id à proprio Sacerdote Papa, Epiſcopo vel Parocho permittatur. Suarez verò innuit, Sacerdotem proprium ab Lateranenſi Canone eum intelligi, qui Parochus appellatur. Deinde, ut ab aliis Sacerdotibus fidelium confeſſiones excipi poſſint, Romanus vel Antiſtites alii, poſſunt committere etiamſi Parochi reluctentur.

CAPUT XIII.

Quid ab anno M. DC. XV. uſque ad annum M. DC. LX. circa Lateranenſem Canonem, ejúſque materiam acciderit, refertur.

THEOLOGOS omnes, qui hac de re vel libros vel diſſertationes ediderunt, non infinitum modò eſſet, ſed etiam inutile referre. Infinitum quidem, quia Theologi illi ſunt pæne innumerabiles, inutile verò, quia ſubinde repetunt, quod antiquiores in utramque partem ſcripſerunt. Referam Pariſienſes Theologos tantùm duos, Philippum Gamachæum, & Nicolaum Iſambertum, qui pro ceteris omiſſis diſputabunt. His Guillelmum Eſtium Duacenſem Theologum & Cancellarium adjiciam.

Igitur Philippus Gamachæus de ſacramento Pœnitentiæ cap. XVIII. ſic diſputat: *Quis proprius Sacerdos in Decreto Lateranenſi?*

Confeſſio ſingulis annis præcepta à Lateranenſi Concilio, dicitur fieri debere proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus licentiâ: quæritur ergo, quis ſit proprius ille Sacerdos? Nonnulli enim voluerunt eſſe ſolum Curatum, ita Joannes de Polsaco. Et poſt alia.

Prima ſit Concluſio. Quamvis generaliter loquendo proprius Sacerdos vocari poſſit, & Epiſcopus & Summus Pontifex, tamen ſtrictè, & accurratè dicit potiùs debet ſolus Curatus. Sicque etiam videtur eadem vox ſumi in præfato Decreto Lateranenſi. Priorem partem declaramus: Etenim proprius Sacerdos latè apellatur, qui non eſt improprius, alienus, extraneus, nec habet delegatam, ſed ordinariam juriſdictionem: atque fide conſtat, Epiſcopum & Summum Pontificem non eſſe alienos & extraneos, nec habere precariam &

delegatam, ſed ordinariam juriſdictionem, immo in hac juriſdictione ordinariâ Curatis antecellere, iiſque eſſe longè ſuperiores, ergo, &c. Hoc ſenſu Proprium Sacerdotem accipiunt Gabriel in quartum diſt. XVII. quæſt. II. art. II. Sotus diſt. XVIII. quæſt. IV. art. II. Medina de confeſſ. tit. de Fratribus privilegiatis, &c. Synodus Lingonenſis anno 1452 proprius Sacerdos eſt Papa, ejus Legatus & Pœnitentiarius, Diœceſanus & ejus Vicarius generalis, & ille, cui cura parochialis Eccleſiæ eſt commiſſa. Poſteriorem verò partem probamus ex communi uſu loquendi, quo quidem Sacerdos proprius ferè accipitur pro Paſtore ſpeciali & quaſi particulari, quique habeat immediatam & proximam juriſdictionem in ſubditos: iſta enim acceptio competit ſoli Curato parochiali, & ita ſumitur etiam hoc vocabulum apud divum Thomam in IV. diſt. XVII. quæſt. III. art. III. in fine, ſicque ſumitur in Extravag. Sixti IV. Vices illius, tit. de treuga & pace, & in Extravag. Benedicti XI. Inter cunctas tit. de privilegiis in VI. Sic etiam gloſſa in Cap. Omnis utriuſque ſexûs, extra. de pœnit. & remiſſ. Eſtque explicatio revera admodum conveniens, ut proprius opponatur communi, quia nimirum Epiſcopus habet poteſtatem communem per totam Diœceſim, & Summus Pontifex adhuc communiorem per totum orbem terrarum. Curatus verò uni tantùm Eccleſiæ parochiali præfectus eſt tanquam Paſtor ſpecialis & particularis. Ergo, &c.

Deinde proprius Sacerdos etiam vulgò dicitur, qui immediatam habet juriſdictionem reſpectu ſubditorum, & ſolet per ſe immediatè ſacramenta miniſtrare, ac præſertim abſolutionis de quo hic ſermo, atque Epiſcopi non obtinent illam proximam, ſed potiùs quaſi mediatam juriſdictionem, nec immediatè, regunt Parochias, nec per ſeipſos adminiſtrant ſacramenta, vel audire ſolent confeſſiones, quamvis & piè & laudabiliter aliquando id facerent, ſi vellent. Sed hæc potiùs per Curatos eorúmque Vicarios in ſingulis Eccleſiis geruntur. Ergo, &c.

Denique & in Lateranenſi Decreto videtur quoque proprius Sacerdos ita intelligi: Omnis utriuſque ſexûs fidelis poſtquam ad diſcretionis annos pervenerit; omnia ſua peccata ſolus confiteatur proprio Sacerdoti. Nam, ut nunc dicebamus, non ſolet Epiſcopus audire confeſſiones, neque etiam ullo modo iis audiendis ſufficere poſſet per totam Diœceſim, nec ferè ad Epiſcopum acceditur, ejúſque Pœnitentiarium, niſi pro peccatis reſervatis. Favet Divus Thomas, itémque gloſſa, necnon Benedictus XI. & Sixtus IV. locis paulò antè citatis, ubi per proprium Sacerdotem in Concilio Lateranenſi ſolum Sacerdotem Parochialem deſignant. Idque jam ferè obtinuit communis uſus & praxis Eccleſiæ. Et poſt alia.

Objicies damnatam fuiſſe prædictam ſententiam Joannis de Poliaco in Extravag. Vas electionis. Reſpondeo non fuiſſe damnatam ſimpliciter, quatenus per proprium Sacerdotem in Lateranenſi Decreto aiebat deſignari ſolum Curatum, ſed aliis de cauſis, quòd nimirum aſſereret, ſtante illo decreto non poſſe Summum Pontificem dare licentiam confitendi alteri, quàm Curato parochiali, & id involvere contradictionem, nec Deum ipſum poſſe: denique etiam quòd adderet confeſſionem factam coram alio, quàm Curato eſſe nullam, ac poſtea iterandam, nonobſtante quacunque diſpenſatione Summi Pontificis. Secunda aſſertio, etiamſi proprius miniſter annuæ confeſſionis in Lateranenſi Decreto ſit ſolus Curatus eo ſenſu, quem nunc expoſuimus, & ſecundùm communem praxim ac intentionem ordinariam Eccleſiæ, id tamen nullo modo impedit, quin poſſit Summus Pontifex Romanus legitimis de cauſis in hoc Decreto diſpenſare, prout ad ſalutem animarum expedire judicaverit, aliiſque Sacerdotibus, ſive ſæcularibus ſive religioſis ab Epiſcopo approbatis licentiam dare, ut annuas confeſſiones excipiant. Docet ſanctus Thomas in IV. diſt. XVII. quæſt. III. art. III. beatus Bonaventura eâdem diſt. art. I. quæſt. II. divus Antoninus III. part. tit. XVII. cap. IX. & alii omnes.

Probatúrque ex definitione Joannis XXII. in illâ Extravag. Vas electionis. Ubi ipſe adhibito Epiſcoporum & Theologorum clariſſimorum conſilio condemnavit omnes & ſingulos articulos Joannis de Poliaco tanquam falſos & erroneos. Præfatus etiam de Poliaco Theologus Pariſienſis, ſuâ ſponte eoſdem articulos revocavit affirmans, ſe non poſſe contrariis rationibus reſpondere.

Probatur rurſus per Extravag. Benedicti XI. Inter cunctas, de privilegiis, in VI. Ubi Religioſis concedit facultatem audiendi confeſſiones, nonobſtante Conſtitutione generalis Concilii, ſupple, Lateranenſis, declaráſque validam, abſolutionem ab his Religioſis acceptam.

Tertiò probatur per Clementinam Dudum, de ſepulturis, in VI. ubi Clemens V. approbante Concilio generali Viennenſi innovat Conſtitutionem Bonifacii VIII. tribuitque Religioſis Ordinis Prædicatorum & Minorum poteſtatem audiendi confeſſiones omnium ad ſe venientium, ita ut præfati Religioſi debeant priùs examinari à Prælatis, & licentiam ab iis humiliter petere; ſi tamen obtineri non potuerint, & revera digni inventi fuerint, tunc

temporis

temporis Summus Pontifex de plenitudine Apoſtolica poteſtatis eandem facultatem ſimpliciter illis concedit, atque iſta omnes extravagantes in corpus juris communis relata ſunt, & multis jam locis in praxim redacta, neque à Concilio Tridentino mutata, aut revocata, ſed & Clementina Dudum eſt totius Concilii generalis, ut jam monuimus: nullum ergo dubium quin ſtante etiam Lateranenſi Decreto poſſit Summus Pontifex prædictam abſolvendi licentiam aliis indulgere & committere, quàm propriis Sacerdotibus Curatis, ubi hoc fuerit utile ad gloriam Dei, & ſalutem animarum, alioqui ſuperiores quas propoſuimus Summorum Pontificum definitiones manifeſtum atque intolerabilem errorem continerent. Et poſt alia.

Præterea argumentamur ratione: Summus Pontifex poteſt juſtis de cauſis diſpenſare in jure communi Eccleſiaſtico, ut omnes concedunt, & fuſiùs oſtenditur I. 2. *in tractatu de legibus, atqui Decretum Lateranenſe eſt ſolùm juris Eccleſiaſtici, ergo Summus Pontifex propter graves & pias rationes in eo potuit & poteſt diſpenſare. Neque verò Curati idcirco conqueri poſſunt inferri ſibi injuriam, quando ex hypotheſi procuratur honor divinus & ſalus fidelium, ſed potiùs vehementer gratulari. Non enim Chriſtiani ſunt propter Curatos, ſed Curati è contrario propter Chriſtianos, nec poteſtas conceſſa fuit Paſtoribus in favorem ipſorum, ſed in utilitatem plebis. Ut rectè notat divus Thomas.*

Deinde videmus hanc ipſam doctrinam placuiſſe clariſſimis Theologis: nec ſolùm regularibus, ſicut nonnulli objiciunt, quaſi eos hac in parte ſuſpectos habeant, verumetiam ſæcularibus & aliis ad quos dicta privilegia nihil pertinerent. Talis fuit Gerſon Pariſienſis Cancellarius. Et poſt alia.

Tertio conſtat Summum Pontificem, nonobſtante Lateranenſi Decreto poſſe ſi voluerit audire per ſe confeſſionem annuam alicujus fidelis, quicunque ille fuerit ex quâcunque provinciâ, & in quocunque loco etiam in propriâ Eccleſiâ alicujus Curati; conſtat etiam Epiſcopum per totam ſuam diœceſim poſſe eaſdem confeſſiones annuas excipere perſonaliter & in majori ſuâ Eccleſiâ, & in quâcunque Parochiâ ſi ad eam ſe transferre voluerit, neque in hoc peccare, ſed potiùs laudem mereri, nec Curatum poſſe legitimè hac de cauſâ conqueri, aut intercedere. Ita concedunt omnes, & docet recta ratio. Siquidem Papa per totum orbem, & Epiſcopus per totam diœceſim id poſſunt ſaltem, quod poteſt Curatus per totam ſuam Parochiam; ergo etiam liberum eſt Summo Pontifici ſuas vices delegare quibuſdam aliis Sacerdotibus per totam terram, ſicuti & Epiſcopo per totam diœceſim. Non enim ſunt delegati, ſed ordinarii. Omnis autem ordinarius poteſt ſubdelegare. Ergo hîc ſolùm videndum, ut omnia prudenter fiant ad honorem Dei, nec diſpenſatio ſit diſſipatio, nec diſpergatur grex, ſed colligâtur: maximéque Epiſcopus debet cavere ne aliquid agat contra jus commune, & contra leges Eccleſiæ univerſales; non enim in iis diſpenſare poteſt, ſicut ſupremus Pontifex, ſed eſt illis ſubditus.

Occurres in Lateranenſi Concilio per proprium Sacerdotem intelligi ſolum Curatum, ut jam probavimus. Reſpondemus id verum eſſe ex communi uſu loquendi, & ex ipſâ quoque intentione ac mente Eccleſiæ in eodem Concilio, ita ut ſolus Curatus, aut ab eo delegatus excipiat annuas confeſſiones, ſupple, communiter ordinariè ex propriâ obligatione & curâ ſpeciali, quia ſcilicet Epiſcopi aliis generalioribus officiis per totam diœceſim occupati, non ita huic ſacramento incumbere queunt, multò minùs Summi Pontifices. Ceterùm id non obſtare, quin poſſit Papa & poſſint Epiſcopi tandem ſuſcipere provinciam, ubi & quando voluerint, tempúſque ipſis permiſerit. Hæc ille, quibus omnia conciliare voluit.

Nicolaus Iſambertus de ſacramento Pœnitentiæ diſp. XX. *De proprio & alieno Sacerdote juxta Concilii Lateranenſis Decretum, Omnis utriuſque ſexûs.*

Art. I. „Quis juxta prædictum Concilii Decretum ſit proprius Sacerdos, quis „alienus.

„Senſus articuli non eſt, quiſnam communi aliquo uſu, & modo loquendi hominum dicatur proprius Sacerdos, ſed tantùm quiſnam ad mentem & ſenſum citati capitis Concilii Lateranenſis: cùm eo enim capite jubeamur confiteri proprio Sacerdoti, vel alieno de licentiâ proprii, ut nobis innoteſcat, quos confeſſarios poſſumus „audire, & à quibus valeamus ſacramentalem peccatorum abſolutionem accipere, debemus ſcire quis nomine proprii Sacerdotis, & item quis nomine alieni Sacerdotis „veniat iſto capite intelligendus.

„Duæ ſunt potiſſimùm hac de re ſententiæ: Prior affirmat nomine proprii Sacerdotis eum ibi intelligi, quem vulgò dicimus Curatum, ita ut hæc vox (proprius) ſumatur in hoc capite prout opponitur huic alteri (communis.)

„Probabilior tamen ea nobis videtur eſſe ſententia, quæ exiſtimat, nomine propri Sa-

,, dotis ibi. intelligi omnem eum Sacerdotem, cui cura animarum incumbit ex officio,
,, ſeu qui ex vi ſuæ dignitatis, vel officii habet ordinariam juriſdictionem in ſibi ſubditos:
,, Unde cùm Summus Pontifex habeat curam totius Eccleſiæ, & ordinariam juriſdictio-
,, nem in unumquemque fidelium, ſimiliter & Epiſcopus juriſdictionem ordinariam in
,, unumquemque ſuorum diœceſanorum, Parochus ſeu Curatus ſimiliter in unumquemque
,, ſuorum Parochianorum, item & Prælatus alicujus Ordinis; in unumquemque ſui Ordi-
,, nis, fit ut illi omnes & ſinguli ſint & dicantur proprii Sacerdotes in iſto Cap. unuſquiſque
,, eorum reſpectu animarum ſibi ex officio commiſſarum. Nomine verò Sacerdotis alieni
,, eum ibi intelligi Sacerdotem, cui non incumbit ex officio cura animarum, reſpec-
,, tu quarum dicitur alienus, ſed vel nullam habet in illas juriſdictionem, vel ſi quam
,, habeat, habet tantùm ex delegatione, aut ex commiſſione, aut ex privilegio ejus,
,, qui reſpectu iſtarum animarum eſt, & dicitur proprius Sacerdos modò ſuperius ex-
,, plicato.

,, Hanc ſententiam præter privilegiatos pro audiendis confeſſionibus ſequuntur ex non
,, privilegiatis inter Doctores Pariſienſes Gandavenſis, Almainus, Major, Celaia, in-
,, ter Lovanienſes Adrianus, inter Duacenſes Sylvius, inter Germanos Marſilius, Biel,
,, inter Canoniſtas Navarrus, Vivaldus.

,, Probatur autem hæc noſtra propoſitio argumentis deſumptis ex ipſo ſtatuto. Pri-
,, mum autem eſt. Is omnis intelligitur nomine proprii Sacerdotis in iſtâ Decretali, cui
,, quilibet Chriſtianus habens annos diſcretionis ita poteſt validè confiteri, ut tamen ex
,, ejus licentiâ poſſit confiteri alieno Sacerdoti: Sed quilibet Chriſtianus habens annos
,, diſcretionis ita poteſt validè confiteri, vel Summo Pontifici, vel Epiſcopo ſuo vel
,, ſuo Plebano, vel cuilibet alii Sacerdoti juriſdictionem ordinariam in ſeipſum habenti,
,, ut tamen ex licentiâ, vel ſolius Summi Pontificis, vel ſolius ſui Epiſcopi, vel ſolius
,, ſui Curati vel Sacerdotis habentis ordinariam juriſdictionem in illum, poſſit validè
,, confiteri alieno Sacerdoti. Igitur nomine proprii Sacerdotis in iſtâ Decretali intelligitur
,, Papa, Epiſcopus, Curatus, ſeu omnis Sacerdos habens juriſdictionem ordinariam in
,, Chriſtianum baptizatum ſibi ſubditum.

,, Minor eſt certa & patebit inferiùs. Major patebit ex textu ipſius Decretalis, quo
,, in primâ illius parte verbis diſertis confeſſio ita præcipitur fieri proprio Sacerdoti, ut
,, tamen in ſecundâ parte dicatur alienum non poſſe abſolvere confitentem, niſi de li-
,, centiâ proprii: licentiam inquit priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm
,, aliter ipſum illum non poſſit abſolvere vel ligare: quæ poſtrema verba declarant illum
,, Sacerdotem ibi eſſe & dici proprium reſpectu confitentis, qui poteſt ejus confeſſionem
,, ſacramentalem excipere, vel de cujus licentiâ confeſſio facta alieno eſt valida, & ſine
,, cujus licentiâ eſt invalida.

,, Confirmatur. Non eſt veriſimile unam & eandem dictionem bis poſitam in tam brevi
,, textu aliter ſumi in primâ parte & aliter in ſecundâ, ſed in eâdem ſignificatione, præſer-
,, tim cùm ſermo ſit ſemper de eodem confeſſario. At in ſecundâ parte ponitur pro om-
,, ni Sacerdote habente juriſdictionem ordinariam, & qui ex vi ſuæ poteſtatis ordinariæ
,, poteſt delegare, ut per ſe patet. Ergo & hæc eadem particula (proprius Sacerdos)
,, ſumitur in priori parte pro eo omni Sacerdote, qui habet juriſdictionem ordinariam.

,, Probatur ſecundò. Ubicunque fit enumeratio membrorum adæquatè dividentium ali-
,, quod totum, ibi membra dividentia ſimul ſumpta, debent adæquare ſuum totum ex
,, communi regulâ Dialecticorum: Sed in hac Decretali fit enumeratio proprii Sacerdotis
,, & alicujus abſolventis ex licentiâ proprii, tanquam membrorum adæquatè dividentium
,, omnem legitimum confeſſarium, ſeu Sacerdotem legitimè abſolventem in ſacramento
,, Pœnitentiæ: Igitur illa duo, proprius Sacerdos, & alienus abſolvens ex licentiâ pro-
,, prii debent adæquare ſuum totum, id eſt, omnem legitimum confeſſarium. Atqui
,, non adæquant illud, niſi quatenus proprius Sacerdos eſt idem ac habens juriſdictionem
,, & alienus abſolvens ex licentiâ proprii eſt idem ac habens juriſdictionem tantùm dele-
,, gatam, quia juriſdictio omnis legitima adæquatè ſumpta dividitur tantùm in ordinariam
,, & delegatam. Igitur proprius Sacerdos in tali enumeratione facta per iſtam Decreta-
,, lem, eſt idem ac habens juriſdictionem ordinariam & alienus abſolvens ex licentiâ pro-
,, prii, eſt idem ac habens juriſdictionem tantùm delegatam.

,, Probatur tertiò. In præcepto disjunctivo, ſeu quo ſub disjunctione præcipitur homini
,, facere aliquid apud hanc vel illam perſonam determinatam. Verbi gratia apud Petrum
,, vel Paulum, perſonæ enumeratæ in tali præcepto adæquant omnem illum hominem ſump-
,, tum generaliter, apud quem res ſic præcepta poteſt fieri validè, ita ut apud nullam aliam

,,per-

„ perſonam poſſit validè fieri, ſufficiat tamen facere illam apud alterutram perſonarum
„ ibi enumeratarum, ut patet ex naturâ & conditione præcepti disjunctivi: Item induc-
„ tione facta per omnia & ſingula præcepta disjunctiva: Atqui præceptum annuæ confeſ-
„ ſionis contentum iſtâ Decretali, eſt disjunctivum, ut Almainus & Navarrus ſuprà rec-
„ tè animadvertunt: cujus prior pars hæc eſt, cùm ad annos diſcretionis pervenerit,
„ ſolus ſua peccata proprio Sacerdoti confiteatur: Poſterior hæc, ſi voluerit alicui alii
„ confiteri, petat licentiam à proprio. Item ad ſatisfaciendum præſenti præcepto, ſuffi-
„ cit obſervare alterutram iſtarum duarum partium: ut praxis Eccleſiæ docet: Item
„ perſonæ, quæ in tali præcepto enumerantur, & apud quas annua confeſſio poteſt va-
„ lidè fieri, ſunt tantùm proprius Sacerdos & alienus abſolvens ex licentiâ proprii, ut
„ patet ex iſto textu; & altera ex parte, quilibet Chriſtianus poteſt abſque licentiâ pro-
„ prii Curati ſacramentaliter confiteri Summo Pontifici, & ab eo abſolvi: Item quilibet
„ diœceſanus confiteri ſacramentaliter ſuo Epiſcopo, ab eóque abſolvi ſine licentiâ ſui
„ Curati: Item quilibet alius de licentiâ Summi Pontificis poteſt validè quemlibet Chriſ-
„ tianum baptizatum à ſuis peccatis ſacramentaliter abſolvere abſque licentiâ ſui Curati,
„ ſimiliter diœceſanus de licentiâ ſui Epiſcopi, ut patebit articulo ſequenti: Ergo cùm
„ talis enumeratio nimirum proprii Sacerdotis & alieni fuit tanquam membrorum ad-
„ æquatè dividentium omnem eum Sacerdotem, apud quem annua confeſſio poteſt va-
„ lide fieri, per iſtam particulam proprius Sacerdos intelligitur Summus Pontifex,
„ Epiſcopus, Parochus, ſeu omnis ille, qui habet juriſdictionem ordinariam, & per
„ particulam, alienus, qui duntaxat delegatam.

„ Probatur quartò, ex Extravaganti Joannis XXII. quæ incipit. Vas electionis, ubi
„ Joannes de Poliaco intelligens in prædictâ Decretali Lateran. ſolum Parochum ſeu
„ Curatum, per iſtam particulam proprius Sacerdos, & inde inferens ſuâ ſecundâ aſ-
„ ſertione, nec Deum nec Summum Pontificem poſſe facere, quòd parœciani, ſtante
„ Lateranenſi Decreto non teneantur omnia ſua peccata ſemel in anno proprio ſuo Sa-
„ cerdoti, id eſt, ut ille ibidem explicat, Curato confiteri, reprehenditur, ejúſque
„ propoſitio auctoritate Apoſtolicâ damnatur tanquam erronea.

„ Et quòd hujus erroris fundamentum fuerit prædicta explicatio termini, proprius
„ Sacerdos, videtur colligi ex eo, quòd Summus Pontifex ibi innuat illud, ſic ſubjicien-
„ do proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe parochiæ Curatum: Item, quem dicit eſſe,
„ ut præmittitur, proprium Curatum. Nam modus iſte loquendi in ejuſmodi rebus ſub-
„ indicat eum, qui ita cenſet, tunc in eo decipi. Et quòd juxta mentem Joannis XXII.
„ non ſolus Curatus, ſed etiam ſummus Pontifex, Epiſcopus & omnis ille Sacerdos,
„ qui habet juriſdictionem ordinariam in ipſum pœnitentem, debeat intelligi nomine
„ proprii Sacerdotis in hoc Decreto Lateranenſi, patet ex eo quòd aliàs non poſſet intel-
„ ligi, quomodo ſtante illo Decreto (id eſt permanente obligatione confitendi ſemel in
„ anno peccata proprio Sacerdoti) Summus Pontifex, imò Deus poſſit facere, ut parœ-
„ ciani non teneantur confiteri ſuo Curato, quod tamen Pontifex definit poſſe fieri,
„ etiam ſtante illo Decreto, ſeu vigente obligatione confitendi ſemel in anno peccata
„ proprio Sacerdoti. Vel enim Deus & Summus Pontifex id facerent diſpenſando circa
„ prædictum Lateranenſe Decretum, vel non diſp. Primum dici non poteſt, quia non
„ ampliùs id facerent, ſtante Decreto Lateranenſi, eique ſatisfaciendo, quod tamen
„ vult Summus Pontifex, & Joannes de Poliaco negabat, cùm hæc obligatio ceſſaret,
„ per talem diſpenſationem in diſpenſatis, quatenus per illam eximerentur ab iſtâ com-
„ muni lege. Secundum item dici non poteſt, quia nullâ factâ diſpenſatione prædictum
„ Decretum vigeret, & ex conſequenti obligatio confitendi peccata proprio Sacerdoti.
„ Ergo ut Deus & Summus Pontifex poſſint facere, quòd ſtante hoc Decreto Lateranen-
„ ſi in propriis ſuis terminis, parœciani non teneantur confiteri ſemel in anno peccata
„ ſua Curato, quemadmodum Summus Pontifex hîc definit, debet nomine proprii Sa-
„ cerdotis intelligi in prædicto Lateranenſi Decreto non ſolùm Curatus, ſed etiam Sum-
„ mus Pontifex, Epiſcopus pœnitentis, & quilibet Sacerdos habens juriſdictionem ordi-
„ nariam in ipſum pœnitentem. *Et paulo poſt:* Atque ex hac Extravagante Joannis XXII.
„ argumentum adeò validum deſumitur pro noſtrâ ſententiâ, ut Joannes Medina, co-
„ dice de pœnitentiâ, quæſt. de confeſſione factâ Fratribus privilegiatis, & Vaſquezius
„ ad tertiam partem ſancti Thomæ de pœnitentiâ diſput. 93. dub. VI. num. VI. velint
„ eſſe de fide perſonas à nobis deſignatas intelligi in prædicto Lateranenſi Decreto per
„ hunc terminum Sacerdos proprius, quos tamen nolim in hac parte ſequi, cùm id
„ nonniſi longo diſcurſu colligamus, nec Summus Pontifex ibi, nec aliquod generale
„ Concilium id expreſſè definiat.

Deinde in art. III. „Utrum de licentiâ ſolius Summi Pontificis, vel ſolius Epiſcopi
„proprii aliquis poſſit etiam ſine licentiâ ſui Curati confiteri alieno Sacerdoti.
„Notandum eſt, præſenrem difficultatem poſſe moveri duobus, 1. conſiderando ſo-
„lum jus præſcindendo ab eo quod magis expedit & eſt utilius: Deinde cnnſiderando
„qund eſt urilius & magis expedit præſenti articulo. Agimus de hac difficultate pro-
„poſitâ, priori tantùm modo conſideratâ. *Et paulo poſt.*
„Sit noſtra hæc propoſitio. Attendendo ſolùm ad jus poteſt parochianus aliquis de
„licentiâ ſolius Summi Pontificis, vel ſolius ſui Epiſcopi, vel ſuperioris ſui, juriſdictio-
„nem ordinariam in eum habentis, validè confiteri alieno Sacerdoti, etiam Parocho re-
„nitente. Ita omnes, quos citavimus pro noſtrâ propoſitione articuli 1. hujus diſputationis.
Tum in art. IV. „Utrum, quando Summus Pontifex vel Epiſcopus dat ſuo inferiori
„licentiam confitendi alieno Sacerdoti, id faciat utendo jure communi, vel diſpenſando
„in illo.
Et quibuſdam interpoſitis: „Sit hæc noſtra propoſitio: Quando Summus Pontifex vel
„Epiſcopus dat alieno Sàcerdori licentiam audiendi confeſſiones, & ſacramentalirer ab-
„ſolvendi ſuos ſubditos, id facit non diſpenſando, ſed utendo jure communi. Simili-
„ter & ſubditus quando confitetur ſacramentaliter tali alieno Sacerdoti, loquendo pro-
„priè, non utitur diſpenſatione, ſed jure tantùm communi.
Denique in art v. „Utrum confeſſi ſua peccata alieno Sacerdoti & ab iis ſacramenta-
„liter abſoluti de licentiâ Summi Pontificis vel proprii Epiſcopi, teneanrur iterum confi-
„teri eadem peccata ſuo parocho ſeu Curato. Naſcitur hæc difficultas excitata ſupe-
„riùs Extravanganti ſub nomine Martini IV. quæ vult eos, qui confitentur ſua peccata
„& de illis abſolvuntur ſacramentaliter à Mendicantibus, teneri iterum confiteri ſua ejuſ-
„modi peccata ſuo Curato. Quam opinionem Joannes de Poliaco ſacræ Theologiæ
„Doctor in Facultate Pariſienſi ita eſt amplexus, ut etiam contenderet Summum Ponti-
„ficem, imò & Deum non poſſe facere, ut ſtante ſeu vigente quoad ſuam obligationem
„Decreto Concilii Lateranenſis, Omnis utriuſque ſexûs, confeſſus habenti licentiam,
„non teneatur eadem confiteri peccata ſuo proprio Carato, quemadmodum refertur ex-
„preſſè in Extravaganti Joannis XXII. quæ incipit, Vas electionis.
„Verùm oppoſita ſententia quam loco noſtræ propoſitionis ponimus, eſt ita certa,
„ut prior illa opinio prædicti Joannis de Poliaco fuerit condemnata, tanquam erronea
„per prædictum Joannem XXII. Summum Pontificem Extravagante illius citatâ, & ibi-
„dem ab auctore ſuo revocatâ: Et quod ſpectat ad falſitatem poſterioris partis, illa ſa-
„tis patet ex dictis præſentis diſp. art. III. & IV. Ubi probavimus in citato illo Decreto
„per proprium Sacerdotem intelligi etiam Summum Pontificem, & proprium Epiſcopum
„confitentium: Item adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ per alienum Sacerdotem
„de licentiâ proprii, eſſe de jure communi. Quare cùm illud quod fit jure communi
„& conformiter ad aliquod Decretum Eccleſiæ univerſalis factum in Concilio œcume-
„nico (quale fuit Concilium Lateranenſe ſub Innocentin III.) non implicet contradictio-
„nem, erroneum fuit illud poſterius aſſertum Joannis de Poliaco.
„Prior autem pars noſtræ propoſitionis probatur: Quia, ſiqui jam validè fuiſſent con-
„feſſi ejuſmodi alienis de licentiâ proprii Parochi, tenerentur iterum eadem confiteri
„ſacramentaliter proprio Curato, vel ad id tenerentur aliquo præcepto divino vel Ec-
„cleſiaſtico: non divino, quia jus divinum jubet ſolummodo, ut confiteamur peccata
„mortalia nondum ſacramentaliter remiſſa: non jure Eccleſiaſtico, quia illud vel conti-
„neretur in Decreto Concilji Lateranenſis ſuperiùs relato, Omnis utriuſque ſexûs, vel
„alio, non Decreto illo Concilii Lateranenſis 1. quia Benedictus XI. ita expreſſè decla-
„rat in citatâ Extravaganti, inter cunctas, ubi ſimul hujus rei rationem reddit ita ſcri-
„bens, Nec confeſſi ipſis Fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis & abſoluti
„pœnitentes de illis, Sacerdotibus propriis, teneantur (ſicut etiam non tenentur) iterum
„confiteri nonobſtante Conſtitutione Concilii, quæ ſano intellectu, ne ſequatur abſur-
„dum, quòd per pœnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus
„debitor, adhuc ad ſolvendum remaneat obligatus, intelligenda eſt (ut ex eâ patet)
„de illis qui peccata ſua confiteri aliis neglexerunt. Deinde quia per illud Decretum Late-
„ranenſe quilibet tenetur tantùm confiteri disjunctivè, id eſt, vel proprio Sacerdoti, vel
„alieno de licentiâ proprii: Sed qui confitentur Mendicantibus privilegiatis, confitentur
„alieno de licentiâ proprii, nimirum Summi Pontificis à quo obtinent privilegium
„iſtud. *Et poſt alia.* 3. Quia Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. XII. ait expreſ-
„ſè eos, qui confitentur Mendicantibus privilegiatis, ſatisfacere prædicto Concilio La-
„teranenſi.

Quòd

„Quòd item præceptum de ſic iterandâ confeſſione ejuſmodi ex nullo alio jure Eccle„ſiaſtico poſſit haberi, patet: Nam ſi quod eſſet, vel eſſet illud, quod continetur citatâ „Extravaganti ſub nomine Mattini V. vel Sixti IV. non ex priori, quia illa quoad hanc „conditionem fuit revocata per ſequentes Pontifices, ad minus per Benedictum XI. ut patet „ex verbis ejus præſenti articulo relatis. Item per Leonem X. in relato Concilio Lateranen„ſi. Non item ex poſteriori, 1. quia ſi verba ejus bene perpendantur, nihil aliud vult, „quàm quod Benedictus nunc allatus. Nam ubi dixit unumquemque Parochianum tene„ri jure capitis, Omnis utriuſque ſexûs, ſaltem in Paſchate confiteri proprio Sacerdoti, „ſtatim ita ſubjungit: per hoc tamen, quòd ſcilicet unuſquiſque Parochianus tenetur „confiteri proprio Sacerdoti, ipſi Fratres Mendicantes non cenſentur excluſi, quoniam ſe„cundùm juris communis & privilegiorum eis conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones au„dire, & pœnitentias injungere valeant. Ubi particulæ illæ ſunt obſervandæ, non cen„ſentur excluſi, quominus ſecundùm juris communis diſpoſitionem, &c. Illis enim ver„bis declarat Summus Pontifex per ejuſmodi confeſſiones Mendicantibus privilegiatis fac„tas non derogari relato Concilii Lateranenſis ſtatuto de confeſſione faciendâ proprio „Sacerdoti: & proinde ſicut confeſſio debita facta proprio Sacerdoti non eſt ex aliquo præ„cepto iteranda ei: ita nec illa, quæ Sacerdoti de Ordine Mendicantium privilegiato eſt „debitè facta, debet poſtea ex aliquo præcepto iterari.

Hæc ille, qui etiamſi multa diſſeruerit, neglexit tamen referre auctores ſententiæ, quam non ſequitur. Cur autem neglexerit me latet. Fortaſſe ne videretur eos omnes auctores habere. quos habet.

Guillelmus Eſtius in librum IV. ſent. diſt. XVII. paragr. XIII. *Quatenus proprio Sacerdoti confitendum.*

Ceterùm quæritur hic utrum ſit neceſſe, ut proprio Sacerdoti quiſque confiteatur. Quâ de re generalis eſt Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. in hæc verba, Omnis utriuſque ſexûs, &c.

Ad hujus Conſtitutionis intelligentiam neceſſarium eſt ſcire, quis dicatur proprius Sacerdos. Et quidem Paludanus duplicem, Bonaventura triplicem, Richardus quadruplicem diſtinguit acceptionem proprii Sacerdotis. Verum iis diſtinctionibus omiſſis, unica videtur eſſe juxta mentem Concilii acceptio proprii Sacerdotis: nimirum ut is dicatur proprius Sacerdos, qui propriam & ordinariam habet auctoritatem abſolvendi eum, cujus reſpectu proprius dicitur, hoc eſt, cujus curæ quiſque propriè ſubjectus eſt. Sic Parochus eſt proprius Sacerdos Parochianorum ſuorum, non autem quilibet commiſſionem habens ex auctoritate Superioris, vel etiam ipſius parochi. Nam Canon apertè diſtinguit inter proprium Sacerdotem & alienum à proprio Sacerdote ſubdelegatum.

Utrum verò nomen proprii Sacerdotis etiam ad Epiſcopum & Papam extendatur, difficultatem habet. Quidam enim ſolum parochum reſpectu ſuorum parochianorum eo nomine comprehenſum volunt. Alii verò negant Epiſcopum & Papam excludi. Nam ſiquis etiam abſque parochi ſui licentiâ, quod haud dubiè poteſt: Ordinario ſuperiori, cujuſmodi eſt Epiſcopus & Papa, fuiſſet confeſſus, non videretur is cogendus vigore Canonis Lateranenſis ad confitendum iterum eodem anno Sacerdoti ſuo parochiali. Verùm difficultatem adferunt varia tum privilegia, tum conſtitutiones Summorum Pontificum, ut Alexandri IV. Urbani IV. Clementis IV. & Joannis XXII. ac demum Martini IV. & Sixti IV. quarum quædam pro parte affirmante, quædam pro negante facere videntur. Horum omnium explicatio cùm non ſit hujus loci, nos eam controverſiam contrariis opinionibus agitatam in medio relinquentes, tantùm dicimus id certum eſſe juxta dictum Canonem omnes fideles mortalis peccati ſibi conſcios teneri ad confitendum ſaltem ſemel in anno peccata ſua, vel proprio Sacerdoti, vel ei, cui proprius Sacerdos commiſerit. In hoc auctore finem accipient Eccleſiaſticæ quæſtionis monumenta, quæ à Theologis repetenda eſſe cenſui.

Burdegalenſe Concilium Provinciale, quod anno M. DC. XXIV. habitum eſt, cap. V. de Euchariſtiâ num. III. *Sæpiſſimè fideles ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem cum omni devotione & compunctis cordibus accedere peroptamus; ſed ne omittant tempore Paſchatis id in propriâ parochiali Eccleſiâ præſtare, ſacris canonibus inſiſtentes ſtatuimus, eo tempore omnes fideles, tum ad confeſſionem peccatorum proprio Parocho, aut aliis de ejus licentiâ faciendam, tum ad ſacram Euchariſtiam in eâdem Eccleſiâ percipiendam teneri, & obligari nullóſque aliàs præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe, ac proinde in eos, niſi reſipiſcant, ab ordinario cenſuris agendum eſſe declaramus.* Et poſt alia: *Omnibus Parochis & verbis Dei concionatoribus præcipimus, ut initio temporum Sacræ Quadrageſimæ frequenti populo ſæpius hanc confitendi & communicandi obligationem proponant & inculcent vehementer, eóque fine Caput, Omnis utriuſque ſexûs, Rituali Romano ex conditio Eccleſiæ inſertum legant*

palam

palam & publicent. Burdegalenſe Cnncilium Lateranenſem Canonem exequitur.

Gallicani Cleri Conſtitutio, quæ anno inſequenti edita eſt, & ſic ſe habet: *Eccleſia cùm ſanctè decrevit, & diſertè injunxit cunctis fidelibus, ut quiſque in feſto Paſchatis ſe ſuam in Eccleſiam recipiat, Chriſtiani boni officio defuncturus, Conſtitutioni huic ſatisfacturus; perſonis omnibus præcipitur, ut in ſuâ parochiâ ſaltem in Paſchate confiteantur & communicent, inhibitione factâ Religioſis & aliis, ne ſub quocunque exemptionis prætextu perſonam ullam ad confeſſionem & communionem admittant à Dominica Palmarum, uſque ad octava Paſchatis Dominicam, & ne contrariam huic doctrinam populo tradant.* Gallica ſunt hæc quæ Latinitate donavi. Conſtitutio hæc anno M. DC. XXXV. & anno M. DC. XLV. inſtaurata & confirmata eſt. Gallicanus, ut apparet, Clerus eundem cum Burdegalenſi Concilio ſcopum ferit.

Epocham hanc & Eccleſiaſticæ quæſtionis hiſtoriam abſolvet Romanus Pontifex Alexander VII. cùm in ſuo ad Henricum Andegavenſem Epiſcopum diplomate, tum in probato à ſe Romanæ Inquiſitionis Decreto, quod contra Regularium Mendicantium Andegavenſis diœceſis propoſitiones numero ſex latum eſt anno M. DC. LIX. Calend. Februarii, feriâ V.

Diſploma ſic ſe habet: *Venerabili Fratri Epiſcopo Andegavenſi Alexander Papa VII. Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem Literis noſtris ad Fraternitatem tuam die 29. Decembris datis ſcripſimus, controverſias inter te, ac iſtius Diœceſis Regulares vertentes nos viris in ſacrâ Theologiâ & Canonum peritiâ planè verſatis diſcutiendas commiſiſſe, iiſque auditis fore, ut illas omnino decideremus: Deinde poſt accuratum examen unanimi eorum cenſurâ nobis relatâ, & venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium generalium Inquiſitorum votis etiam intellectis propoſitiones in Decreto, quod accipies ex venerabili Fratre Archiepiſcopo Cæſareæ Nuntio noſtro, contentas, prout in eo qualificatæ leguntur, auctoritate Apoſtolicâ declaravimus, & declaratas decrevimus, ac tales ab omnibus haberi præcepimus. Quibus peractis ſperamus concordiam iſtic & quietem priſtinam communi cum omnium ſatisfactione redditum iri; quod ſanè ad omnes divini cultûs & animarum ſalutis rationes vel maximè pertinet. Adeo ut non dubitemus, quin pro ſingulari vigilantiâ & prudentiâ tuâ ſedulam operam in eâ re navaturus ſis: Quo profectò rem etiam ſummopere nobis gratam efficies, qui zelum & virtutes tuas magni facimus, & præcipuo paternæ voluntatis affectu complectimur, ejus argumenta, quoties res tulerit nunquam non exhibituri. Iterum Apoſtolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo piſcatoris, die 26. Februarii 1659. Pontificatus noſtri anno quarto. Signatum, F. Florentinus.*

Damnatæ Propoſitiones ſunt hujuſmodi.

I. *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Galliâ ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cùm in Galliâ receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei: neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.*

Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim & ſchiſma inducens, ſacro Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

II. *Ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque illas ullâ ex cauſâ revocare. Quinimò Ordinum Mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & ſi ab Epiſcopis Religioſi non approbentur, rejectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.*

Complexè accepta eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa & erronea.

III. *Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur pro approbatis in aliis Diœceſibus, nec novâ Epiſcoporum indigent approbatione Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo auctoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.*

Quoad primam partem eſt falſa & ſaluti animarum pernicioſa. Quoad ſecundam partem eſt falſa; auctoritati Epiſcoporum & Sedis Apoſtolicæ injurioſa.

IV. *Nullus in foro conſcientiæ parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem nec ad Miſſas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morúmque doctrinam quæ ibi in Catecheſibus annunciantur & docentur.*

Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta; eſt erronea & temeraria: ſuppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis nullam meretur cenſuram, & quoad tertiam partem de auditione verbi Dei ſervetur diſpoſitio ſacri Tridentini Concilii.

V. *Talem legem in hac materiâ, nec Epiſcopi nec Concilia provinciarum vel nationum ſan-*

ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

Suppoſitis ibidem privilegiis Apoſtolicis nullam meretur cenſuram. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

VI. *Regulares Mendicantes petere poſſunt licitè à judicibus ſæcularibus, ut injungant Epiſcopis, quatenus ipſis mandata concedant ad prædicandum in Adventu & Quadrageſimâ: Quòd ſi renuant facere Epiſcopi, decretum judicum ſæcularium tantumdem valet, ac ſi permiſſio dictis Religioſis conceſſa fuiſſet.*

Et falſa, erronea, & in hæreſim & ſchiſma inducens.

Hanc ergo qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, ſequendam, & in praxi obſervandam eſſe Sanctitas ſua declaravit & mandavit, ſub pœnis contra ſchiſmaticos, temerarios, ſeditioſos, ac de hæreſi ſuſpectos impoſitis, contrariis quibuſcunque nonobſtantibus.

Propoſitiones cunctas propter certam quandam doctrinæ conſanguinitatem retuli, etiamſi duæ tantùm, IV. & V. ad inſtitutum noſtrum propriè pertineant.

Capitis conclusio, et periochæ.

IN hac poſtremâ ætate, quæ annorum eſt quadraginta quinque ſcriptores ſunt pauci, & ſcripta multa, quæ præcedentia propemodum omnia complectuntur. Philippus Gamachæus quidquid dictum fuerat priùs ad aſſerendum duntaxat parochum in Lateranenſi Canone, repetiit, & adjecit quidquid proprio marte adjicere potuit. Nicolaus Iſambertus contrà quidquid dictum fuerat priùs ad vindicandos ſub nomine proprii Sacerdotis, Romanum, Diœceſanum Antiſtitem, & parochialem Presbyterum addenſat, & quidquid præterea excogitare potuit, adjunxit. Guillelmus Eſtius rejectâ Iſamberti opinione, & Gamachæi placita ſecutus, paucis multa comprehendit. Burdegalenſe Concilium, & Gallicanus Clerus ſemel atque iterum Lateranenſem Canonem in conſtituendo parochiali Presbytero deſignant. Alexander VII. & Romana Inquiſitio in cenſurâ propoſitionis quartæ & quintæ τοῖς πολιτικοῖς λόγοις utuntur, ἀμφοτερίζοντες; & ſuis interim commodis ſerviunt, cùm neutram cenſura dignam eſſe judicant, alienis verò videntur ſibi conſulere, cùm neutram publicè docendam & prædicandam eſſe definiunt. Hæ ſunt belli & pacis artes, quæ in Romana Curia, non in Apoſtolica Sede tractantur. Ceterùm Decreti præfationem non retuli, ſive quia illam referre nihil attinet, ſive quia præfationis verba hæc (ad Sedem Apoſtolicam duntaxat controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ pertinet definire) Romanæ Eccleſiæ & Sedis ipſius Apoſtolicæ traditionem vehementer oppugnant, & eam ob cauſam erroris damnanda ſunt, ut planum fecimus in epiſtola ad Joannem Molendinum Pariſienſem Theologum, quæ eſt in parte quarta epiſtolarum noſtrarum.

AD EXPLICATAM ECCLESIÆ TRADITIONEM OBSERVATIONES.

APUD Scholaſticos, qui ſunt in numero pæoe infinito, reperiuntur multa, quæ de Lareranenſi Canone, & illius mareria traduntur: Sed illa ſciens & prudens prætermiſi. Prætermiſſionis cauſæ ſuppetunt tres maximè: & primùm quidem nonnulli nimio partium ſtudio ducuntur, rebus tantùm ſuis non verirati hiſtoricæ, nedum Theologicæ conſulunt: Deinde alii pretioſi accerſitique nihil habent, ſed quos volunt commentarios deſcribunt. Multos id genus retuli, quos potuiſſem omittere: Tum quos retuli ad plenam perfectámque traditionis, cui explicandæ incumbo, cognitionem abundé ſufficiuot. Nunc reſtat, ut difficultares varias, quæ poſſunr explicatam Eccleſiæ traditionem perlegenti occurere, obſervationibus oonnullis diluamus.

OBSXRVATIO I.

Prognata ex Lateranenſi Canone contentiones temporis progreſſu creverunt.

ID verò obſervare ante omnia prerium operæ ſit, controverſiam primam, quæ Mendicantes inrer & Presbyteros parochiarum orta eſt, apud Anglos ex certa quadam Gregorii IX. Bulla ortam eſſe. Hæc Bulla ſeu privilegium Ponrificatus Gregorii anno I. conſignatur, anno ſcilicet Chriſti M. CCXXVII. & poſt habitam Lateranenſem Synodum XII. Mendicantes ii ſunt, qui beati Dominici diſciplinæ nomina dederant, quique propter aſſumptum prædicandi Evangelii miniſterium Prædicatores appellabantur, & quorum inſtitutionem Honorius III. confirmarar anno Chriſti M. CCXVI. qui aonus Lateranenſem illam Synodum proximè conſequitur. Gregorius non Ordini Dominicano, nec omnibus Dominicani Ordinis profeſſoribus audiendarum confeſſionum privilegium indulſit: ſed iis tantummodo, qui annunciandi populo Evangelii munere deſungerentur. Hoc autem notatu digniſſimum eſt. Privilegio huic Angli primi omnium contradixerunt, & contradicendi cauſas ex Lateranenſi Canone deſumpſeruut. Credebant enim Canonem hunc opponi Gregorii privilegio; nec à Gregorio poſſe Canoni univerſalis Concilii derogari. Rem totam ſatis explicat Matthæus Pariſienſis in cap. I.

Hæc prima contentio quæ videtur exigua, & ſedatu non difficilis, adolevit unà cùm ætaribus, & in tantum erevit, in quantum creſcere potuir. Nam à tempore Gregorii IX. ſubinde aucta ſunt privilegia, de quibus loquimur, & ad Mendicantes omnes & alios diffuſa. Et quo magis aucta ſunt & diffuſa privilegia contentiones eò majores & errores evaſerunt. In his ut ſemper objectus eſt Lateranenſis Canon, ira & conjecturis vel eludentis vel exponentis ingenio repercuſſus. Sic nulla unquam fuir in Eccleſia conrenrio, quæ tanto incenſa partium ſtudio exriterit & tandiu duraverit. Nam ab anno M. CCXLVI. uſque ad hoc ævum, quo ſcribimus durat.

OBSERVATIO II.

Aſſeritur verus & unicus explicandi Lateranenſis Canonis modus de ſolo Parocho.

ECCLESIÆ Patres ſanctiſſimi perinde atque eruditiſſimi duo, Chryſoſtomus & Cyrillus. Ur Scripturæ loca, quæ difficilia ſunt, ſic & Canones Synodorum idoneè aptéque intelligendi regulam præſcribunt. Chryſoſtomus quidem in homilia de verbis Hieremiæ cap. x. *Allatam*, ioquit, *in medium prophericam hanc ſententiam diligenter expendamus, quis eam protulerit, & quorum cauſa, quo tempore, & quem alloquens, & quo in ſtatu res tum eſſent: omnia denique perveſtigemus, quæ ad inveniendum uſui eſſe poſſunt.* Cyrillus verò in Theſauri aſſertione xx. *Primùm quidem*,

ait,

ait, *oportet eum, qui ad inveſtigationem ſacrarum Scripturarum accedit, obſervare tempus, quo aliquid dicitur, & perſonam à qua dicitur, propter quid & de quo dicitur.* Quod ergo in Lateranenſi canone difficultatem habet aut habere poteſt, id ad regulam hanc diluendum eſt, & continuò ſtatuendum nomine Sacerdotis proprii, cui annua facienda eſt confeſſio, Parochum ſolum intelligi. Quod multis rationibus probatum imus.

I. Lateranenſe Concilium, quod anno Chriſti M. CCXV. celebratum eſt, generali canone inſtaurare & ſancire voluit, id quod antea Urbanus II. decreverat cauſa IX. quæſt. II. cap. II. *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam ſine ejus conſenſu, cui priùs ſe commiſit, niſi per ignorantiam, cui pœnitens confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere præſumpſerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.* Hæc autem diſciplina, ſive ab initio ubique recepta fuerat, ſive non ubique recepta fuerat, ut nihil eſt in rebus humanis firmum ac ſtabile, paulatim interciderat. Intercidentem nihilominus ſuſtentaverat Judocus Turonenſis Epiſcopus, qui ad annum M. CCLVII. ſedere cœpit. Hic enim ortam inter parochialem Auſtrechiæ Presbyterum, & Ciſtercienſes Fontanarum Monachos de confeſſione & communione Paſchali controverſiam diremit. *Theobaudo Abbati de Fontanis, ejúſque ſucceſſoribus in perpetuum. Cùm omnibus Eccleſiaſticis perſonis ſub cura veſtra conſtitutis ex injuncto nobis à Domino Pontificatus officio debitores exiſtamus, illis tamen propenſioris charitatis ſtudio nos convenit imminere, quos in vera religionis habitu Domino militare cognoſcimus. Proinde in Domino fili Theobaude, paci & futuræ fratrum veſtrorum quieti providentes, cauſam controverſiæ, quandiu ventilata eſt inter vos, & paganum Presbyterum de Auſtrechia diligenter, & canonicè decrevimus terminare, & ſic utramque partem ad charitatis unitatem revocare. Salubri igitur ordinatione diſponimus, ut Presbytero de Auſtrechia mercenarios veſtros conductitios de Abbatia & de Grangiis, quæ ſunt in parochia ipſius, in Quadrageſima ad confeſſionem, & in Paſcha tantummodo ad ſanctam communionem tranſmittatis.* Et poſt alia. *Inſtitutionem autem iſtam, quam inter fratres de Fontanis & Presbyterum de Auſtrechia obſervandam ſtatuimus, ſimiliter inter ceteros Presbyteros, in quorum parochiis prædicti fratres aliquam habent Grangiam, ratam & illibatam auctoritate noſtra obſervari præcipimus.* Hæc ille, qui quæ decernit, canonicè, id eſt, juxta ſacros canones decernere ſe ſcribit. Inſtrumentum rei hujus ex MS. codice Fontanenſi refertur in Turonenſi Joannis Maani Metropoli.

Decretum hoc ad ſanciendam quidem in Turonenſi Eccleſia diſciplinam utile fuit, ſed ad ceteras provincias pervadere non potuit, aut ſi pervaſit, cum auctoritate non pervaſit, nec collapſam ibi diſciplinam reſtituit. Quod in cauſa fuit, cur univerſalis Synodus diſciplinam illam inſtaurare voluerit & reipſa inſtauraverit.

Hoc autem quò meliùs & inſtituto ſuo convenientiùs faceret Synodus, rem eandem quam Urbanus II. & Turonenſe Concilium, & iiſdem pæne verbis expreſſit & conſtituit. At Urbanus & Turonenſe Concilium ſolos parochiarum Presbyteros attingunt, & voluerunt attingere, & Lateranenſis canonis ſcopus omni ex parte confirmat. Quis quæſo vel ante Lateranenſe Concilium, vel Lateranenſis Concilii tempore, cùm de facienda confeſſione ageretur, proprii Sacerdotis nomine Romanum Pontificem, vel diœceſanum Epiſcopum intellexit?

II. Si nomine Sacerdotis proprii Romanus, diœceſanus Epiſcopus, & Parochus, vel ab iis delegatus intelliguntur, planè ſupervacaneum erat, canonem hunc vel inſtaurare vel de novo condere. Nam qui crimina ſua confiteri volebat, ea non poterat, niſi Romano Pontifici, diœceſano Epiſcopo, Parocho, vel ab iis delegato confiteri. Inſtaurandi vel condendi canonis, qui variis interpretationibus ſuis tot turbas excitavit & adhuc excitat, ratio penitus hac in parte fuiſſet nulla, cùm talis confitendi modus detrimenti nihil importaſſet Eccleſiæ, ſi utilem antea Eccleſia ipſa judicaſſet. Ex malis moribus bonas leges oriri quis ignorat? graviſſima porro Concilii Patribus fieret injuria, ſi noſter canon gratìs & ſine ratione conditus eſſe diceretur.

III. Alexander III. cùm diœceſanum Epiſcopum à Sacerdote proprio ſecernat, à Romano quoque Pontifice ſecernit. Sic enim loquitur, de ſent. excomm. cap. XXIX. *Concedimus indulgendo, ut præſtita juxta formam Eccleſiæ cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à ſuo abſolvatur Epiſcopo, vel proprio Sacerdote.*

Deinde in Lateranenſis Concilii III. cui præfuit: canone XII. *Cùm dicat Apoſtolus Paulus abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, contra quidam*

qua ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti quærentes, leproſos, qui cum ſanis habitare non poſſunt, propriis non permittunt juvari miniſterio Sacerdotis. Quod quia procul à pietate Chriſtiana eſſe dinoſcitur, de benignitate Apoſtolica conſtituimus, ut ubicunque tot ſimul ſub communi vita fuerunt congregati, quòd Eccleſiam cum cœmeterio ſimul conſtituere, & proprio gaudere Presbytero ſine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant tamen, ne injurioſi ſint veteribus Eccleſiis de jure parochiali. Quod enim proprietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare. Sacerdotem proprium & Presbyterum proprium pro uno eodémque uſurpat. Quis hîc dicet Sacerdotis proprii vel Presbyteri proprii nomine Romanum Pontificem, diœceſanum Epiſcopum intelligi? Hoc Canone novæ quædam pro leproſis inſtituuntur Eccleſiæ, quibus Sacerdos proprius, Presbyter proprius præficitur. Nominatur Sacerdos, Presbyter proprius, quia Eccleſiæ illæ ad parochialium inſtar eriguntur, ut Canonis clauſulæ duæ ultimæ oſtendunt. Lateranenſe Concilium IV. cui præfuit Innocentius III. Sacerdotem proprium in eodem ſenſu accepit. Hujus enim Concilii Patres ut poſſint intelligi, ſine dubio loquuntur, quomodo vel majores locuti fuerant, vel æquales loquebantur. At neutri aliter ac Lateranenſe Concilium III. locuti ſunt. Si novo modo locuti fuiſſent, nemo certè vel pauci eos intellexiſſent. Nec potuerunt loqui quomodo poſteri locuti ſunt, cùm quomodo locuturi eſſent, divinare non potuerint. Et qui hoc adferrent, meritò deriderentur ab omnibus.

IV. Lateranenſe Concilium ſuis verbis parochum ſolum ita deſignat, ut noluerit alium ſimul & ſemel deſignare. Inprimis enim Sacerdos proprius ille ipſe eſt, à quo Paſchalem communionem fidelis accipit, & à quo niſi accipiat, ab ingreſſu prohibetur Eccleſiæ, & moriens Chriſtianâ ſepulturâ privatur. Hic autem Sacerdos proprius, quis niſi parochus? quo quæſo tempore Romanus, vel alius Epiſcopus parochianum aliquem ab ingreſſu Eccleſiæ ſuæ prohibuit, quòd in Paſchalibus feriis Euchariſtiæ ſacramentum ſumere neglexerit? Hunc autem eſſe parochum nullus negavit unquam: Immò Pontifices ipſi hoc ipſum abſciſſe declarant. Unus inſtar omnium ſit Clemens VIII. in conſtitutione, quam anno Chriſti M. DXCII. edidit: *Præſenti*, inquit, *Decreto noſtro ſancimus licere ſæcularibus Chriſti fidelibus univerſis ..... Presbyteris idoneis, & ab Ordinario approbatis peccata ſua etiam Quadrageſimali & Paſchali & quovis alio tempore confiteri, dummodo tamen iidem Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria parochia ab eorum parocho ſumant.*

Deinde Sacerdos alienus cùm is ſit qui alteri parochiæ præeſt, directè opponitur ei, qui propriæ parochiæ cùm præſit, Sacerdos inde proprius vocatur: qua verborum complexione parochus ſolus intelligendus occurrit.

Tum à Concilio præſcribitur, *Ut fidelis ſuſcipiat reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi proprius Sacerdos ab ejus perceptione duxerit abſtinendum.* At iſtud quo pacto executioni demandaretur ab univerſis fidelibus, ſi Romanus Pontifex Sacerdotis proprii nomine intelligeretur? Et ſi Romanus Pontifex non intelligitur, diœceſanus quoque Epiſcopus non intelligitur, etiamſi faciliùs intelligeretur. Nam univerſi orbis Chriſtiani fideles in Paſchalibus feriis Romanum Pontificem minùs commodè, quàm diœceſeos alicujus quamlibet longæ & latæ fideles diœceſanum Epiſcopum adirent, ſcituri, num ſaluti ſuæ expediret, eo tempore Euchariſtiæ ſacramentum percipere, necne. Uniuſcujuſque parochiæ fideles parochialem Presbyterum ſuum commodè adeunt, & conſilium ab eo capiunt, num in Paſchate à venerabilis Sacramenti perceptione abſtenturi ſint, vel non abſtenturi. Sic Lateranenſis Concilii Patribus injuriam non mediocrem faciunt, qui Sacerdotis proprii nomine alium, quàm parochum interpretantur: de Patrum prudentia mirum quantùm detrahunt, ut apparet.

Præterea à Concilio preſcribitur, ut Sacerdos proprius, qui ligandi ac ſolvendi munus ſuſtinet, diſcretus ſit & cautus: *Sit autem Sacerdos diſcretus & cautus, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.* Hoc autem qua ratione Romano Pontifici & diœceſanis Epiſcopis conveniet? Nimirum in Paſchate Romanus Pontifex unumquemque Chriſtiani orbis fidelem, diœceſanus Epiſcopus unumquemque diœceſeos ſuæ fidelem confitebitur, & *diligenter inquiret & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi conſilium debeat exhibere.* Et quia ſanandus eſt ægrotus, præſto aderunt in unaquaque parochia Romanus Pontifex & diœceſanus Epiſcopus, qui ad uniuſcujuſque parochiani curationem diverſis experi-

mentis

mentis utentur, ut tandem aliquando ſalutare remedium adhibeant. Hoc in ſe debent recipere, qui Sacerdotem proprium Romanum & alios Epiſcopos cum parochiali Presbytero interpretantur. Sed perperam & contra Concilii mentem interpretantur. Quidquid ergo Concilium præſcribit, in Parochum ſolum, non in Romanum vel alios antiſtites quadrat. Non quòd univerſale Concilium Romano vel ceteris antiſtitibus non poſſit aliquid verè injungere. (id omnino poteſt, quia illis omnibus ſuperius) ſed quòd iſtud eis non injungeret, quippe qui jam ex officio ſuo diſcreti & cauti ponantur, nec aliunde poſſent exequi, quod injungeretur.

Ad extremum præſcribitur à Concilio, *Ut Sacerdos proprius caveat omnino, ne verbo vel ſigno vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentiorum conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat.* Si Sacerdos proprius ut Parochum, ſic & Romanum Pontificem, & diœceſanum Epiſcopum complectitur, Lateranenſis Synodus Romanum Pontificem ad viros eo prudentiores, quos in confeſſionis miniſterio conſulat, remittit: remittit & diœceſanum Epiſcopum. Quis credet hoc? Nemó ſanè niſi qui Synodi Patres ſugillare voluerit. Non dedecet quidem Parochum in confeſſionis miniſterio Romanum Pontificem & diœceſanum antiſtitem conſulere, quia Romanus Pontifex & diœceſanus antiſtes Parocho prudentiores habentur. Sed Romanum Pontificem & diœceſanum antiſtitem in confeſſionis miniſterio conſulere parochum, qui Romano Pontifice & diœceſano antiſtite prudentior non habetur. Denique ut quis in urbe parochialem regat Eccleſiam, ſufficit, quòd apud celebrem Academiam magiſterium in artibus obtinuerit: ut quis verò ſit Romanus Pontifex vel diœceſanus Epiſcopus non ſufficit, quòd apud celebrem Academiam ſit Magiſter in artibus; ſed inſuper requiritur, ut ſupremum in Theologia vel Jure canonico gradum aſſecutus fuerit. Itaque ſi Romanus vel alius Pontifex ſit in Paſchali confeſſione Sacerdos proprius, uſu venire poterit, ut qui Pontifex Magiſter eſſet in Theologia vel in Jure, parochialem Presbyterum in artibus Magiſtrum, ex Lateranenſi Decreto conſulere debeat: quem enim alium in hoc Eccleſiaſtici muneris genere prudentiorem & exercitatiorem conſuleret? In abſurdas complexiones hujuſmodi non incurrunt, qui Lateranenſem canonem de Parocho tantùm interpretantur. Incurrunt verò, qui de Romano Pontifice, de diœceſano antiſtite, & de Parocho ſimul interpretantur. Hæc unica ratio quarta, ſi cum omnibus attendatur ſuis numeris, rem ipſam conficere videtur.

v. Ut ex tenore ipſo verborum, ſic & ex mente & intentiooe Concilii parochialis Sacerdos unus intelligitur. Non enim Romanus vel Pontifices alii attenderunt, quid ipſimet ſingillatim & ſeorſum à Concilio poſſint in audiendis per annos ſingulos fidelium confeſſionibus, ſed quæ diſciplina communi conſenſu ſtatuenda foret, ut fidelis quiſque ſaltem ſemel in anno peccata confiteretur ſua, & reverenter Euchariſtiæ ſacramentum acciperet, idque teneretur pro certo, atque ita teneretur, ut qui utrumque obire negligeret, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceretur, & moriens Chriſtianâ ſepulturâ privaretur. Patres collatis inter ſe conſiliis in eam venerunt ſententiam, ut ſolis parochis, vel aliis de eorum licentia ſaltem ſemel in anno & confitendi fideles, & in Paſchate communicandi munus adſcriberetur. Quæ mens Patrum & intentio vix aliter opportuniùs & prudentiùs ſcriptis mandari potuit, quàm mandata eſt. At ſi Sacerdos proprius, qui toties in Concilio celebratur, ad Romanum & Pontifices alios flectitur, vide ac circumſpice, quid ea diſciplina fiet, quam Romanus ipſe & alii Pontifices in Concilio ſancire voluerint. Quæ tunc rerum confuſio & perturbatio in parochiis ſingulis emerget? ſi exempli gratia Lutetiæ diviſa tres in partes parochiali S S. Gervaſii & Protaſii Eccleſia, hinc Rom. Pont. permittat, ut fidelium hujus Eccleſiæ pars prima apud Minores, inde Pariſienſis Epiſcopus permittat, ut fidelium pars altera apud Prædicatores, hinc parochus permittat ut fidelium pars tertia apud Carmelitas in Paſchate confiteatur? & ſic de ceteris parochiis. Sed fieri non poteſt, ut quod Romanus & alii præſules in Concilio una manu ædificaverint, altera deſtruere cogitaverint. Feciſſent utrumque ſine dubio, ſi ſub Sacerdotis proprii nomine Romanum Pontificem, diœceſanum Epiſcopum, & Parochum deformaſſent. Quare, qui ut ſuis utilitatibus ſerviant, memoratum in Lateranenſi Canone Sacerdotem proprium declinant à propoſito, & ad Romanum ceteróſque antiſtites deflectunt, illorum prudentiam ſufflaminant, quorum auctoritatem amplificare conantur: iis nocent omnino, quibus per alienas interpretationes prodeſſe, ſeu potiùs blandiri, ut ſibi tantùm proſint, ſimulant. Verùm neque Romanus Ponti-

tifex, neque diœceſani antiſtites, neque ſalus fidelium hiſce indigent offuciis & machinis.

VI. Romani Pontifices multi Sacerdotis proprii nomine non alium quàm Parochum intelligunt, id eſt, ſeipſos non intelligunt, nec diœceſanos antiſtites.

Et primùm quidem Innocentius IV. qui per ætatem Lateranenſi Concilio intereſſe potuit, & noſſe, quid Concilii Patres per Sacerdotem proprium intellexerint. Hic enim anno Chriſti M. CCLIV. migravit, hoc eſt, annis poſt habitum Concilium triginta novem. Pontificis verba retuli in capite II. explicatæ traditionis, ubi caſtigatis quibuſdam Religioſis ita ſcribit: *Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus parochianos alienos diebus Dominicis & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis ſeu oratoriis temerè ad divina, nec ipſos ſine Sacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis; cùm ſi quis alieno Sacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm ſtatuta generalis Concilii, licentiam priùs poſtulare & obtinere debeat à proprio Sacerdote.* Quibus verbis Sacerdotem proprium, qui parochus eſt, alieno Sacerdoti, id eſt, Religioſo prorſus opponit, atque ut opponat, Lateranenſe Concilium adhibet, cujus exécutorem non derogatorem ſe præſtat.

Deinde Alexander IV. qui Prædicatoribus & Minoribus impenſè favit, in duobus Reſcriptis, quæ cap. II. explicatæ traditionis extant, diœceſanum Epiſcopum à Sacerdote proprio diſtinguit, & cùm diœceſanum Epiſcopum à Sacerdote proprio diſtinguit, Romanum Pontificem ab eodem Sacerdote non poteſt non diſtinguere. Reſcripti prioris verba ſunt: *Si verò in caſu licito parochianum alterius eos in ſuis Eccleſiis recipere ad ſepulturam contingeret, omnium quæ obtentu conſequerentur ejuſmodi ſepulturæ, portionem canonicam, etiam non requiſiti, infra octo dies à tempore receptionis eorum, Epiſcopo, vel Sacerdoti, de cujus parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent,* Poſterioris verò ſic ſe habent: *Quódque de licentia vel commiſſione Romani Pontificis, ſeu diœceſanorum Epiſcoporum prædicationis exercere officium, & confeſſiones audire non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus parochialibus præjudicium inferretur:* Hîc plana ſunt omnia pro Sacerdotibus propriis ſeu parochialibus; ſed planiora fuiſſent adhuc, ſi Pontifex memoratum in Lateranenſi canone Sacerdotem proprium fuiſſe non parochum duntaxat, ſed & Romanum & ceteros antiſtites declaraſſet: non declaravit, quia ut declararet, Sedis Apoſtolicæ non ferebat traditio.

Tum Clemens IV. in conſtitutione, qua in eod. cap. II. explicatæ traditionis Minoribus audiendarum confeſſionum poteſtatem tribuit, tribueréque ſe dicit *ſine aſſenſu Sacerdotum parochialium, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta Sedi* (Apoſtolicæ) *& Legatis ordinariis prædictis relinquuntur, ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur.* At inter caſus jure exceptos numeratur annua confeſſio, quæ per Lateranenſem canonem Sacerdoti proprio facienda præcipitur, ad quam Minoribus manum extendere non licet, ut pronuntiat Clemens diſcipulus eorum, qui Lateranenſi Concilio interfuerant. Concilii canonem in parochorum gratiam exequitur, non ei derogat in gratiam Minorum.

Quartò, Martinus IV. in conſtitutione, quæ capitis III. explicatæ traditionis initium facit: *Volumus autem:* inquit, *quòd ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur, quódque iidem fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter, ſecundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur.* Hic tergiverſandi nullus eſt locus. Pontifex declarat Sacerdotem proprium, cujus mentio fit in Lateranenſi canone, eundem eſſe atque parochum, ſeu parochialem Presbyterum: quo nomine Romanum Pontificem vel diœceſanum Epiſcopum nullus unquam donavit. In ſumma canonem exequitur non ei derogat.

Quintò, Bonifacius VIII. apud Nangium decrevit, *Ut Prædicatoribus & Minoribus confeſſus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti.* Martini IV. à quo Cardinalis creatus fuerat, veſtigia relegit, & Sacerdotis proprii notionem in parocho tantùm defigit.

Sextò, Benedictus XI. non alium quoque Sacerdotem proprium intelligit, quàm parochum in conſtitutione, quæ in cap. IV. explicatæ traditionis deſcribitur. *Nec confeſſi:* inquit, *ipſis fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti; pœnitentes de illis Sacerdotibus propriis teneantur, ſicut non tenentur, iterum confiteri, no-*

nonobſtante conſtitutione Concilis generalis. Et poſt. *Ceterùm licèt, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars: ut eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre: diſtrictè injungimus, ut fratres ipſi confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quòd ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.* Quid clarius? Benedicto igitur idem eſt Sacerdos proprius in Latetanenſi Concilio memoratus, ac parochialis Presbyter. Hac in re cum Mattino IV. & Bonifacio VIII. apud Nangium convenit, etiamſi in iteranda confeſſione non planè conveniat Martinus & Bonifacius neceſſariam exiſtimant, Benedictus utilem duntaxat.

Septimò. Clemens V. in Bonifacii VIII. conſtitutione, *Dudum. de ſepulturis*, quam Viennenſi approbante Concilio inſtauravit, Sacerdotem proprium Curatum, vel parochialem Sacerdotem appellat: quo nomine Romanus Pontifex aut diœceſanus Epiſcopus non appellatur: *Si verò iidem Prælati præfatis fratribus ad audiendas, ut præmittitur, confeſſiones electis hujuſmodi exhibere licentiam recuſaverint, nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè licitéque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri, gratioſe concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis vel parochialibus Sacerdotibus ea à jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.* Sacerdotes proprii, Curati, & parochiales Sacerdotes in jure ſunt iidem. Sed Romanus Pontifex, diœceſanus Epiſcopus, Curati & parochiales Sacerdotes non ſunt iidem, nec iiſdem iſtis nominibus promiſcuè ſolent appellari. Sic igitur Bonifacius VIII. Clemens V. & Viennenſis Concilii Patres in ea ſunt ſententia, ut putent Sacerdotes proprios, Curatos, ſeu parochiales Sacerdotes tantùm eſſe, non Romanum Pontificem, vel diœceſanos antiſtites, qui hac in conſtitutione ab illis valde diſtinguuntur. Ceterùm Bonifacii conſtiuutio poſt Viennenſe Concilium, Clementinæ *Dudum. de ſepulturis*, nomen accepit, & refertur in cap. IV. explicatæ traditionis.

Octavò. Joannes XXII. in conſtitutione quæ in cap. V. explicatæ traditionis refertur: *Illi*, inquit, *qui prædictis fratribus confitentur, non magis tenentur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, juxta Concilium generale.* Quibus verbis perſpicuè ſignificat, Sacerdotem proprium eum eſſe tantùm à Concilio dictum, qui parochialis Presbyter appellatur.

Nonò, Innocentius VI. cujus conſtitutio in explicatæ traditionis capite VI. exaratur, rem eloquenti ſilentio decidit, quia non decidit, quod vel maximè decidendum fuit, nempe Sacerdotem proprium; de quo Lateranenſe Concilium in Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, loquitur, Romanum Pontificem, diœceſanum Epiſcopum & Parochum ex æquo intelligi. Deciſione tali ſedabatur controverſia, quam Richardus Armacanus Archiepiſcopus Avenione in Conſiſtorio vehementer agitaverat. Id autem eo modo Pontifex non decidit, quia ut decideret, ex Sedis Apoſtolicæ traditione nihil habuit: erat tamen unicus ſedandæ controverſiæ modus, ſi potuiſſet adhiberi. Adhibitus non eſt, quia revera adhiberi non potuit. Sic apud Sedem Apoſtolicam memoratus in Lateranenſi Canone Sacerdos proprius parochialis tantùm Sacerdos erat, non Romanus Pontifex, aut diœceſanus Epiſcopus.

Decimò. Alexander V. in conſtitutione, quæ in cap. VII. explicatæ traditionis recitatur, ut Mendicantibus quovis tempore confitendi privilegium tribuat, Lateranenſi Canoni derogat, nec utique derogaret, niſi memoratum in Canone Sacerdotem proprium eſſe Parochum ſolum arbitraretur. *Non obſtante*, inquit, *prædicta conſtitutione quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus.* Non diceret non obſtante conſtitutione, ſi conſtitutio Sacerdotis proprii nomine, ut Parochum, ſic & Romanum Pontificem & diœceſanum Epiſcopum objiceret, quia conſtitutio non obſtaret, quominus Alexander uteretur jure communi, quod exponeret.

Undecimò. Eugenius IV. cujus conſtitutio refertur in cap VIII. explicatæ traditionis, conſtitutionem Joannis XXII. repetit, & in eandem cum illo de Sacerdote proprio tranſit ſententiam. Quod & inſuper teſtatur, exponens fratrum narrationem, plenam ſtomachi & querelarum adverſus eos, qui palam dicerent: *Quòd confeſſio fratribus ſic electis & admiſſis facta, dubitabilis & incerta ſit: Unde tenentur omnes incertum dimittere, & ſic ſolùm confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus,*

ſub

ſub pœna peccati mortalis, & quamvis ipſi fratres admiſſi auctoritatem habeant confeſſiones audiendi & abſolvendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentia proprii Sacerdotis, non habeat poteſtatem. Confirmat, non damnat notionem proprii Sacerdotis, qui ex Apoſtolicæ Sedis traditione ſolus eſt parochus, ſed damnat licentiam, quæ, ut fratres confiterentur, à Sacerdote proprio petenda foret. Longè aliter ſe gereret Eugenius, ſi Romanum Pontificem pro Sacerdote proprio duceret, ut Eugenii conſtitutionem ponderanti conſtabit.

Duodecimò. Calliſtus III. Eugenium IV. in illa proprii Sacerdotis acceptione ſequitur, dum excitatam inter Argentorati Presbyteros & Mendicantes controverſiam ſedare voluit. Eſt in explicatæ traditionis cap. VIII. Calliſti conſtitutio, ubi narrat parochialium Eccleſiarum rectores aſſeruiſſe: *Quòd quilibet hominum Argentinenſium ſemel in anno eiſdem rectoribus, ſub pœna peccati mortalis, confiteri teneatur: Propter quod ſi quis alicui fratrum Mendicantium, & non rectori ſuæ parochialis Eccleſiæ confeſſus eſt, Euchariſtiæ ſacramento privatur.* Exinde Calliſtus non dicit Romanum Pontificem non minus, quàm parochialium Eccleſiarum rectores Sacerdotis proprii nomine deſignari: quod deceſſores illius nuſquam dixerunt, ſed dicit tantùm: *Nos prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, qui ſuper* (diſſenſionibus) *per Clementinam quæ incipit, Dudum de ſepulturis, ſalubriter providerunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut prædicti fratres Mendicantes omnium & ſingularum utriuſque ſexus perſonarum in civitate & diœceſi Argentinenſi conſiſtentium, confeſſiones, dictis Rectoribus minimè requiſitis audire, prædictos Mendicantes adire, & ipſis confiteri, & pœnitentiam hujuſmodi ſalutarem ab eiſdem ſuſcipere liberè & licitè poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium juxta tenorem Clementinæ indulgemus, &c.* At in Clementina ne verbum quidem ullum eſt, quo memoratus in Lateranenſi Canone Sacerdos proprius ad Romanum Epiſcopum extendatur. Sunt & aliæ ejuſdem Pontificis conſtitutiones, duæ in eodem capite VIII. relatæ, in quibus par eſt agendi tractandique ratio. Calliſtus nec ſeipſum nec deceſſores quos citat, in Sacerdotis proprii ordine collocaret.

Quod de Innocentio VI. jam obſervavi, de Calliſto III. iterum obſervo: Nicolaus V. confirmaverat certam quandam Eugenii IV. Bullam, qua hic Pontifex permiſerat, ut fideles quicunque apud fratres liberè confiterentur. Allata Pariſios à nonnullis Carmelitis bulla hæc, turbas excitavit maximas, quæ in capite VIII. pluribus narrantur. Pariſienſis Academia Bullam notis ſeverioribus confixit, quippe quæ hierarchicum Eccleſiæ ordinem ſubverteret & juri communi in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, aſſerto derogaret. Calliſtus cenſorium Academiæ judicium ægrè tulit, atque ut illud reſcinderetur, edita conſtitutione præcepit: reſciſſum non eſt, quinimo fratres Bullæ renunciarunt. Hìc exigebat temporis, perſonarum, rerum omnium conditio, ut Calliſtus decerneret, neque ab Eugenio, neque à Nicolao juri communi, quod in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, aſſeritur, derogatum eſſe. Quinetiam jus illud commune ab Eugenii & Nicolai partibus ſtare, quod memoratus in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, Sacerdos proprius non minùs eſſet Romanus & alii Pontifices, quàm Parochus, ſeu parochialis Presbyter: quo poſito Eugenius & Nicolaus in bullis ſuis jure communi ſibi quæſito in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, uſi fuerant, non privilegio, quod juri communi derogaret. Sic cenſorium Pariſienſis Academiæ judicium in ſubreptionem vel obreptionem adductum fuiſſet, & ludibrio expoſitum. Calliſtus nihil horum perfecit, Eugenium & Nicolaum juri communi & Lateranenſis Concilii Canoni legitimè derogaſſe cenſuit, atque ita hoc in Canone nec Romanum nec alios Pontifices Sacerdotis proprii nomine comprehendi: quid evidentius? Bene & gnaviter litigioſum eſſe oportet, qui diſſenſurus eſt.

Decimotertiò, Sixtus IV. in conſtitutione quæ in explicatæ traditionis capite IX. recenſetur. *Quòd etiam*, inquit, *ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd parœciani non ſint obligati ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur parœcianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.* Reſpectum habet ad Lateranenſem Canonem, qui in corpus juris canonici redactus eſt.

Decimoquartò, Innocentius VIII. in conſtitutione, quæ ſub finem capitis IX. refertur, certos quoſdam concionatores, qui non ſine offenſione publica docuerant parochianos, ne ſemel quidem in anno ad confitendum rectoribus Eccleſiarum, propriis nimirum Sacerdotibus, obligari, perculit, & poſtea ſic conſtituit: *Ne igitur ejuſmodi ſcandala propterea invaleſcant, volumus, ut iiſdem & univerſis Dei Prædicatoribus, qui pro tempore erunt in civitate & diœceſi, prædictis auctoritate noſtra inhi-*

inhibeas, ne de cætero talia prædicare, neve Parochianos confitendo eorum peccata, rectoribus prædictis diſtrahere, & eoſdem ad id non teneri, prædicare præſumant, privilegio (quod eis ſuffragari nolumus) non obſtante. Notanda hìc ſunt duo, & primùm quidem cùm Innocentius de facienda rectoribus Eccleſiarum ſaltem ſemel in anno confeſſione ſcribit, ad Lateranenſem canonem reſpicit; Deinde, cùm privilegii hac in re meminit, non obſcurè ſignificat, opus eſſe privilegio, ut Fratres Parochianos in Paſchate confiteri poſſint: quo poſito Romanus Epiſcopus pro memorato in Lateranenſi Canone, proprio Sacerdote non habetur, ſed ſolus Parochialis Presbyter.

Decimoquintò, Leo X. in Conſtitutione, quæ in explicatæ traditionis capite x. refertur, deceſſorum veſtigiis inſiſtit, nec Romanum Pontificem pro Lateranenſis Canonis Sacerdote proprio ſe agnoſcit. Nam ſi ſe agnoſceret, in ea conſtitutione loqueretur multò aliter, quàm loquitur: *Si aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Epiſcoporum læſionem, per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerint, conceſſiones hujuſmodi eiſdem religioſis factas in ſubſequentibus duximus moderandas.* Et paullo pòſt: *Talibus præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur.* Hæc verba non ſunt Pontificis jure communi utentis, ſed ei potiùs derogantis, aut certè in eo diſpenſantis: quod inſtituto noſtro ſervit æqualiter.

Decimoſextò, Paulus III. in Conſtitutione, quæ in explicatæ traditionis capite XI. recenſetur, privilegia, quibus jure communi derogatur, ſibi ſumit, ita locutus: *Univerſi fideles cuilibet de Societate* (Jeſu) *confiteri poſſunt, Rectoris ſui licentia minimè requiſita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confeſſi & abſoluti fuerint, rurſus confiteri.* Infrà: *quocunque anni tempore ſacramentum Euchariſtiæ, præterquam in feſto Paſchalis Reſurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret, eorundem fidelium parochialium Eccleſiarum Rectorum licentia minimè requiſita, accipere liberè & licitè valerent.* Hic canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, facilè derogat quoad Paſchalem confeſſionem, non quoad Paſchalem communionem: ſic ut una in re derogaret, in altera non derogaret, haud eſſet neceſſarium, ſi Romanus Pontifex, diœceſanus Epiſcopus, & parochialis Eccleſiæ rector juxtà Sacerdos in memorato canone proprius foret, unuſquiſque jure communi uteretur, ut conſequenter diſputant, qui ſcribunt in illo canone. Romanum Pontificem, diœceſanum antiſtitem, & parochum ſub nomine Sacerdotis proprii contineri.

Decimoſeptimò, Paulus IV. in eodem cap. laudatus Paulum III. ſequitur; *Sanctiſſima Euchariſtia eis* (Fratribus) *taliter confeſſis omni tempore, præterquam in Reſurrectionis Dominicæ, licitè adminiſtrando*, &c. Lateranenſis canonis aſſertorem ſe præbet & vindicem quoad Paſchalem communionem, ſed derogatorem ſe præbet quoad Paſchalem confeſſionem: & in hoc ipſo docet ſe Sacerdotis proprii nomine non exprimi. Nam ſi exprimeretur, utrobique jure communi gauderet.

Decimooctavò, Clemens VIII. idem quod Paulus III. & Paulus IV. decrevit in Conſtitutione, quæ in explicatæ traditionis cap. XII. habetur: *Tam dictis*, inquit, *Fratribus & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtiæ, die feſto Paſchalis Reſurrectionis, in propria parochia ab eorum parocho ſumant.* Exceptio hæc, quam poſtrema periodus importat ſecum, innuit Lateranenſis canonis derogationem circa Paſchalem confeſſionem. Quis lecta Clementis VIII. Conſtitutione dubitaret? Ac ſi facta eſt canonis derogatio, ut reipſa facta eſt, Clemens non exiſtimat Romanum Pontificem, ſeu Sedem Apoſtolicam, de qua Pontifex ſermonem inſtituit, memorati in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, proprii Sacerdotis nomine cenſeri. Quis enim dixiſſet unquam, Sedem Apoſtolicam, cujus Clemens meminit, Sacerdotem eſſe proprium, quem canon ille ob oculos conſtituit? Nemo dixit hactenus nec fortaſſe dicturus eſt impoſterùm.

Decimononò, Alexander VII. in Decreto Romanæ Inquiſitionis à ſe probato, quod in explicatæ traditionis cap. XIII. enarratur, præcedentia concludit. Attendenda eſt propoſitio quarta, quæ ab Inquiſitoribus damnatur, & damnata ritè ab Alexandro VII. probatur: *Nullus in foro conſcientiæ, parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad miſſas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catecheſibus annuntiantur & docentur.*

CENSURA. *Quoad primam & ſecundam partem ſimpliciter accepta, eſt erronea & temeraria, ſuppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis nullam meretur cenſuram.* Verba hæc, *ſuppoſitis*

poſitis privilegiis Apoſtolicis, Lateranenſis noſtri canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, & juris communis ibidem aſſerti, derngationem palam & publicè loquuntur. Si hoc in canone locus eſt privilegiis Romanorum Ponrificum, ibi eſt ſacri canonis derogatio, quæ juri communi adverſatur. Atque ita fit ut juxta Alexandri mentem Romanus Ponrifex Sacerdotis proprii nomine cenſendus non ſit in Lateranenſi Concilio.

Hæc eſt Romanæ Eccleſiæ circa Sacerdotis proprii acceptionem tradirio, quæ per ſuos Præſules à Latetanenſis Concilii tempore uſque ad Alexandri VII. tempus derivatur: quæ & ſemel atque iterum confirmatur.

VII. Romani Pontifices nomen *proprii* exponunt poſſeſſivo pronomine, quod uni, non pluribus, quorum unus major eſt altero & ſuperior, convenir.

Innocentius IV. in explicatæ traditionis cap. I. laudatus: *Nec ipſos*, inquit, *ſine Sacerdotis* SVI *licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis.*

Alexander IV. in cap II. laudatus: *Si verò in caſu licito parochianum alterius, eos in ſuis Eccleſiis recipere ad ſepulturam contingeret, omnium, qua obtentu conſequerentur ejuſmodi ſepultura, portionem canonicam, etiam non requiſiti infra octo dies à tempore receptionis, eorum Epiſcopo vel Sacerdoti, de cujus parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent*, Verba hæc, EORUM *Epiſcopo vel Sacerdoti*, ad eum reducuntur & neceſſariò reducenda ſunt ſenſum, in quo fideles poſſunt dicere de N. meus eſt Epiſcopus, meus eſt Sacerdos. Et ſanè parochiani Sacerdotem ſuum intelligunt, qui in parochia ſua reſidet, conſiſtit & commoratur, non qui Romæ reſider, conſiſtit & commoratur. Sacerdotem proprium intelligunt, qui cognita cauſa, judicat num à Paſchali communione abſtinendum ſit vel non abſtinendum: Sacerdos talis non eſt Romanus Pontifex, aut diœceſanus Epiſcopus, qui tempore Paſchali ſingulis parochiis & ſingulis vicis, nec intereſt, nec intereſſe poteſt: parochi ioterſunt ſoli & intereſſe poſſunt. Hoc in communem hominum ſenſum incurrir.

Martinus IV. in cap. III. laudatus: *Volumus, quòd hi qui Fratribus confitebuntur eiſdem*, SVIS *parochialibus Presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur.*

Benedictus XI. in cap. IV. laudatus: *Diſtrictè injungimus, ut fratres ipſi confitentes attentè moneant & in ſuis prædicationibus exhortentur, quòd* SVIS *Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno.*

Joannes XXII. in cap. v. laudatus: *Qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent* EORUM *proprio Sacerdoti, juxta Concilium generale.* Quod in Alexandro IV. notavimus, hîc rurſus notandum eſt.

Alexander V. in cap. VII. laudatus ſuperiora Joannis XXII. verba reperit & probat, atque hoc modo ſua facit, & ſua facta noſtros in uſus deducit.

Eugenius IV. in Decteto unionis Armenorum: *Secunda*, inquit, *pars pœnitentiæ eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccata omnia, quorum memoriam habet*, SVO *Sacerdoti confiteatur integraliter.*

Paulus III. in cap XI. laudatus; *Ut univerſi utriuſque ſexus fideles cuilibet de Societate* (Jeſu) *prædicta confiteri poſſint rectoris* SVI *licentia minimè requiſita.* Rectoris, id eſt, Sacerdotis ſui. Sic igitur ſe res habet in ſententia Romanorum Pontificum, quos modò citavimus, ut fidelium quiſque affirmare poſſit: Ego in Paſchate Sacerdoti meo, Presbytero meo confeſſus ſum, vel ego ſrattibus confeſſus ſum ſine Sacerdotis mei, Presbyteri mei, rectoris mei licentia. Atqui Papam vel diœceſanum Epiſcopum, per meum, tuum, ſuum Sacerdotem, Presbyterum vel rectorem hactenus intellexit nemo.

VIII. Si res hæc ad communem loquendi morem & uſum vocaretur, quis, poſtquam Pontifices multi Sacerdotem proprium interpretati ſunt parochialem Presbyterum, vel parochialis Eccleſiæ rectorem, diceret? Romanus Pontiſex, aut Pariſienſis Epiſcopus eſt parochialis Presbyter meus, eſt parochialis Eccleſiæ rector meus: Ego adivi Romanum Pontificem, qui parochialis eſt meus Presbyter: Adivi Pariſienſem Epiſcopum, qui parochialis Eccleſiæ meæ rector eſt. Ecquis neſcit vitam vocabuli uſum eſſe & in uſu conſiſtere, qui non patitur, ut ita loquantur homines, niſi nolint intelligi & aliundè velint derideri ab omnibus. Porrò autem non ferendum eſſet crimen, Lateranenſe Concilium in ludibrii cauſam adducere.

IX. Romanus Catechiſmus, neque Romanum, neque alium Epiſcopum Sacerdoris proprii nomine comprehendit, ſed parochum duntaxat. Verba ſunr illius è parte II. de confeſſione. *Si mortis periculum imminet, & proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe Concilium Tridentinum docet, ut*

uni-

Google

unicuique Sacerdoti liceret, non ſolùm omni peccatorum genere, cujuſcunque poteſtatis ſit, illa condonare, ſed etiam excommunicationis vinculo ſolvere. Si proprius Sacerdos eſſet Papa, diœceſanus Epiſcopus & Parochus, in Catechiſmo dicendum fuiſſet, ſi mortis periculum imminet, & Papæ diœceſani Epiſcopi & Parochi facultas non datur, &c. Hoc autem in Catechiſmo dictum non eſt, quia ſapiebat, qui Catechiſmum confecit, quia Lateranenſem Canonem ex Apoſtolicæ Sedis traditione callebat, qui Catechiſmo Chriſtianum populum & parochialium Eccleſiarum rectores imbuere voluit.

x. Nunc attingendum eſt traditionis iſtius caput, ipſum videlicet Lateranenſe Concilium, quod quis ſit in Can. xxi. *Omnis utriuſque ſexus,* Sacerdos proprius, in Can. xxxii. ſic explicat: *Qui verò parochialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſerviat, in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi fortè præbenda, vel dignitati parochialis Eccleſia ſit annexa: In quo caſu concedimus, ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cùm oporteat eum in majori Eccleſia deſervire, in ipſa parochiali Eccleſia idoneum & perpetuum ſtudeat habere Vicarium canonicè inſtitutum, qui (ut prædictum eſt) congruentem habeat de ipſius proventibus portionem, alioquin illa ſe ſciat hujus Decreti auctoritate privatum, alii liberè conferenda, qui velit & poſſit, quod prædictum eſt, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, nequis in fraudem de proventibus Eccleſia, quæ curam proprii Sacerdotis debet habere, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat.* Lateranenſe Concilium & Innocentius III. qui Concilio præfuit, & canones compoſuit, ac certum in ordinem digeſſit, Sacerdotem proprium accipiunt pro Parocho tantùm, non pro Romano Pontifice, diœceſano Epiſcopo & Parocho. Quis enim relatum canonem his tribus aptaret, & Concilii Patres hoc modo loquentes induceret? *Illud autem penitus interdicimus, nequis in fraudem de proventibus Eccleſia, quæ curam proprii Sacerdotis, (Papæ nimirùm, diœceſani antiſtitis & Parochialis Presbyteri) debet habere, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat?*

Lateranenſis Concilii Patres imitatur Toloſanum Concilium, quod * anno M. CC. XXVIII. celebratum eſt: *Omnes autem utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, confeſſiones peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alii de voluntate ipſius & mandato injunctam ſibi pœnitentiam humiliter impleturi pro viribus ſuis, & ter in anno, in Natali Domini Paſcha & Pentecoſte ſacramentum Euchariſtiæ cum omni reverentia recepturi: ita quòd confeſſio communionem præcedat; niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab ejus perceptione abſtinuerint de conſilio proprii Sacerdotis. Sollicitì itaque ſint Presbyteri circa iſta, ut ex nominum inſpectione cognoſcant, (ſicut ſuperius eſt expreſſum) utrum ſint aliqui, qui communicare ſubterfugiant. Nam ſiqui à communione, niſi de conſilio proprii Sacerdotis abſtinuerint, ſuſpecti de hæreſi habeantur.* Hæc Toloſani Concilii Præſules, qui Lateranenſi Concilio cùm interfuerint, vel facilè intereſſe potuerint, noverant, quo in ſenſu proprius Sacerdos ibi acceptus fuerat. Sacerdotem proprium accipiunt ipſi pro Presbytero, ut conſtat ex his verbis *ſolliciti itaque ſint Presbyteri circa iſta,* & ſanè non poſſunt aliter accipere quaſi verò ſtatuere vellent, ut *omnes utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, confeſſionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti*; id eſt, vel Papæ, vel diœceſano Epiſcopo, vel Parocho.

Anglicani Præſules ad annum M. CC. XLIV. Sacerdotem proprium intellexerunt, ut Lateranenſe & Toloſanum Concilium intellexerant, & canonem, *Omnis utriuſque ſexus,* Prædicatoribus oppoſuerunt, non oppoſituri, ſi Sacerdos proprius, Romanum Epiſcopum præ ſe ferret. Deinde ſi præ ſe ferret, illi ab Romanis Pontificibus Innocentio IV. & Alexandro IV. non impunè tuliſſent. Anglicanorum Præſulum oppoſitionem non repeto: hæc legi poteſt in capite I. explicatæ traditionis.

Facultas Theologiæ Pariſienſis in eodem cap. laudata, ut propoſitæ quæſtioni reſpondeat, non dicit, ut Parochialem Presbyterum, ſic & Romanum Epiſcopum, Sacerdotem eſſe proprium, cui facta perinde valet confeſſio. Hoc inquam non dicit, quod tamen commodè, ſi verè, dicendum erat. Sed dicit factam Papæ confeſſionem Parochiali Presbytero quamlibet invito valere: quo pacto Sacerdotem proprium ad Parochialem duntaxat Presbyterum reſtringit, etiamſi in reſponſione de confeſſione omni indefinitè, non de Paſchali definitè agatur.

Senonenſe Concilium, quod anno M. CC. LXIX. habitum eſt, eandem inſiſtit viam can. IV. ubi Lateranenſis Concilii canonem ſic exequitur: *Item ſtatutum Concilii generalis de viventibus arcendis ab ingreſſu Eccleſiæ, & morientibus, qui Chriſtiana debent ſepultura carere, niſi ſaltem ſemel in anno omnia peccata ſua fideliter confeſſi fuerint proprio Sacerdoti, & ad minus in Paſcha ſuſceperint reverenter Euchariſtiæ ſacramentum, niſi*

* Habitum anno 1229.

fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ab ejus perceptione ad tempus abſtinendum duxerint, obſervetur firmiter, & frequenter in Eccleſiis publicetur, Caveant Sacerdotes ne ad communionem altaris aliquem admittant, niſi ſibi vel alii idoneo de ſua licentia omnia peccata ſua ſit confeſſus. Hic Sacerdos proprius eſt Parochus tantùm, non Romanus Pontifex vel diœceſanus Epiſcopus: alioqui Senonenſe Concilium Romano Pontifici & diœceſano Epiſcopo legem hanc imponeret: *Caveant Sacerdotes ne ad communionem altaris aliquem admittant, niſi ſibi vel alii idoneo de ſua licentia omnia peccata ſua ſit confeſſus.* Imponere quis prudens & attentus diceret?

Lingonenſis Synodus, quam in cap. VIII. explicatæ traditionis Philippus Epiſcopus habuit, declarar Sacerdotem proprium, de quo Canon, *Omnis utriuſque ſexus*, loquitur, Curatum eſſe, quo nomine Romanum Pontificem & diœceſanum, Epiſcopum quis inſigniret? *Mandamus*, inquir, *ſingulis Eccleſiarum rectoribus, quòd ſingulis diebus Quadrageſima Dominicis habeant illud ſtatutum ſalutare ſuis Parochianis, Omnis utriuſque ſexus, in Concilio generali editum publicare & exponere, ſobriè tamen loquendo, quod vult in effectu: quòd omnis utriuſque ſexus fidelis ſemel in anno à ſuo proprio Curato Sacerdote pœnitentiam debet recipere & ſacramentum Euchariſtia ad minimum in Paſchate.* Sed extra canonem hunc, plures Sacerdotes proprios numerat: quod alio in loco examinabitur.

Narbonenſe Concilium quod in cap. XI. citatur, antiquam Sedis Apoſtolicæ & ſuperiorum Conciliorum traditionem retinet Can. I. *Quia omnibus Chriſtianis preceptum eſt, ut ſemel in anno ſacroſanctum Euchariſtia ſacramentum percipiant & Parocho ſuo peccata confiteantur voluit & decrevit Concilium, ut poſthac nemo audeat ſanctiſſimo die Paſcha peccata ſua confiteri, aut ſanctificum Euchariſtia ſacramentum ab alio accipere, quàm ab eo ipſo Parocho, vel in ejus locum ſuffecto, niſi exorata à Parocho venia.* Sic Lateranenſis canonis Sacerdotem proprium, in Parochum ſolum flectit.

Cameracenſis Synodus, quæ in eodem cap. laudatur, Sacerdorem proprium, non alium, quàm Parochialem Presbyterum interpretatur: *Fideles ſaltem ſemel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, id eſt, Presbytero Parochiali, qui ideo magis propriè proprius dicitur eſſe Sacerdos, quia non ſolùm confeſſiones audit & abſolvit: ſed etiam miniſtrat talia ſacramenta Eccleſiaſtica.*

Senonenſis Synodus, quæ in eodem cap. adducitur, Sacerdotem proprium, Curatum proprium appellat: *Statutum*, inquit, *à nobis promulgatum juxta diſpoſitionem juris communis, contra Parochianos hujus diœceſis, qui pro confeſſione, Euchariſtia, ceteriſque ſacramentis ſuſcipiendis ad monachos ſeu religioſos cujuſvis Ordinis, inſcio proprio Curato, maximè tempore Paſchali confugiunt, aut etiam contra dictos religioſos, qui ad ſacramenta Euchariſtica prafatos Parochianos, (falcem in meſſem alienam mittentes) recipiunt, hinc inde inviolabiliter obſervari ſub pœnis juris precipimus.* Sic juris communis diſpoſitio eſt, ut Parochianus Curato ſuo confiteatur in Paſchate aut alteri non confiteatur, inſcio proprio Curato.

Pariſienſis Synodus ſub Euſtachio Bellaio antiſtite habita, quæ in eodem cap. adfertur, præcipit. *Ut Parochiani Euchariſtiam more Chriſtiano, peracta confeſſione ad aurem Sacerdotis, in ſua Parochia ſuſcipiant precipuè in Paſchate.*

Mediolanenſe Concilium, quod in explicatæ traditionis cap. XII. adfertur, Sacerdotem proprium ſic explicat de proprio Parocho, *Innocentii III. Conſtitutionem in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, ut fideles ſaltem ſemel in anno, proprio Parocho peccata ſua confiteantur, inviolatè omnes ſervent.*

Cameracenſis Synodus, quæ eodem in capite memoratur, Sacerdotem proprium definit, Parochialis Eccleſiæ rectorem eſſe: *Proinde*, inquit, *proprium Sacerdotem cenſendum dicimus, qui rector Eccleſia Parochialis ſit, aut qui à rectore aſſumptus ſit, noſtróque vel Vicariorum noſtrorum judicio probatus & admiſſus.* Hoc autem in Romanum & alios Pontifices quadrare non poteſt.

Gallicanus Clerus cujus verba referuntur in eodem cap. haud obſcurè ſignificat, Sacerdotem proprium non eſſe alium præter Parochialem Presbyterum: *Adhortandi*, inquit, *ſunt Parochiani, ne uſque ad Paſcha confeſſiones differant, omnes ſemel ſaltem in anno proprio Sacerdoti teneantur peccata confiteri.* Parochiani reſpectum habent ad Parochiam & ad Parochiæ rectorem, qui Sacerdos proprius eſt. Parochiani reſpectum non habent ad Romanum Pontificem, quia Romanus Pontifex illorum Parochiæ rector non eſt.

Remenſe Concilium ibidem productum rem ita definit: *Nemo exiſtimet ſibi licere cuicunque volet Sacerdoti confiteri, ſed proprio tantùm Parocho.*

Audomarenſis Synodus eodem in cap. relata, Sacerdotem proprium nominar Parochum: *Proprium*, inquit, *Sacerdotem illum intelligi declaramus, cujus cura quiſque propriè ſubjec-*

ſubjectus eſt. Sic parochus proprius Sacerdos eſt parochianorum ſuorum.

Burdegalenſe Concilium ibidem relatum: *Moneant*, inquit, *parochi, omnes myſteriis Chriſtianæ religionis initiatos, Quadrageſimæ tempore omnia peccata ſua proprio Sacerdoti confiteri obligatos eſſe.* Sacerdotem proprium eum intelligit, qui munus illud obire poteſt in Quadrageſima. At ille ſolus eſt parochus.

Aquenſe Concilium in eodem cap. memoratum repetit & ſibi ſumit, quod antè ſtatuit Mediolanenſe Concilium *Innocentii III.* inquit, *Conſtitutionem in generali Concilio editam, quâ ſancitum eſt, ut fideles ſaltem ſemel in anno proprio parocho peccata ſua confiteantur, inviolatè omnes ſervent.* Parochum proprium exponit, quem Lateranenſe Concilium verbo tunc uſitato & ad intelligendum facili, Sacerdotem proprium nominat.

Cameracenſe Concilium in eodem cap. relatum, Sacerdotem proprium appellat proprium Paſtorem: *Ne autem*, inquit, *negligatur præceptum Eccleſiæ de confitendo* proprio *Paſtori, & communicando quotannis juxta Cap. Omnis utriuſque ſexus.* Quæ facilè ad Paſchalem confeſſionem & communionem in propria parochia flectuntur.

XI. Alexander Alenſis ſuo diſputandi modo non obſcurè ſignificat in Lateranenſis canonis Sacerdotem proprium de parochiali tantùm Preſbytero intelligendum eſſe. Sic enim ille in explicatæ traditionis cap. I. diſputat: *Conſequenter quæritur utrum contra voluntatem proprii Sacerdotis poſſit quis confiteri alii diſcretiori*, & poſt agitatam utrinque quæſtionem reſpondet, *quòd nullus debet propria auctoritate confiteri alii, ita ut omnino ſubtrahat ſe à confeſſione facienda proprio Sacerdoti. Unde ſiquis velit alii omnino à Sacerdote proprio confiteri, aut hoc faciat obtenta licentia à Superiore, vel confiteatur proprio, & pòſt alii diſcretiori, quem elegerit.* Sic non potuit adverſus receptum jam loquendi modum, quo Lateranenſis accipiebatur canon, præſcribere, ſed cur poſtea varios modos finxerit quibus ſub nomine Sacerdotis proprii Romanus Pontifex & diœceſanus Epiſcopus comprehendantur, ſuo loco obſervabitur.

XII. Albertus Magnus in eodem cap. parochialem Preſbyterum in Sacerdote proprio ſic deſignat: *Quæritur, utrum proprio Sacerdoti ſit confitendum, vel cuilibet Sacerdoti facta valeat confeſſio.* Et poſt alia: *Dicendum, quòd prima pars iſtius diſputationis continet veritatem. Sed ſecunda pars inducta in contrarium falſitatem habet concluſionis. Non enim poteſt abſolvere niſi Sacerdos proprius, & non poteſt aliquis confiteri niſi Sacerdoti proprio.* Id confirmat dupliciter. Et primùm quidem cùm ait Sacerdoti proprio coadjutores dari poſſe. Deinde cùm recurrit ad privilegia, quæ Romanus Pontifex concedit. Quæ duo neceſſaria non eſſent, ſi apud Lateranenſe Concilium ut parochus, ita & Papa diœceſanus Epiſcopus, Sacerdotes proprii dicerentur. Nam Papa & diœceſanus Epiſcopus jure communi uterentur, ut inter alios Nicolaus Iſambertus contendit in cap. XIII. explicatæ traditionis relatus.

XIII. Beatus Thomas ab Alenſi & Alberto non diſſentit, cùm in explicatæ traditionis cap. II. quærit: *Utrum aliquis poſſit alteri quam proprio Sacerdoti confiteri ex privilegio vel mandato ſuperioris.* At privilegium vel mandatum ſuperioris parochum in Lateranenſi canone concludit Iterum: *Nullus*, inquit, *tenetur ea* (peccata) *confiteri proprio Sacerdoti, quantumcumque petat, ſed propter ſtatutum Eccleſiæ de confeſſione facienda proprio Sacerdoti ſemel in anno, eodem modo ſe debet habere, ſicut ille, qui ſolùm habet venialia.* Iterum adhuc cum ait: *Et præterea per hoc non excluditur, qui ſemel in anno confitetur, Sacerdoti ſcilicet parochiali dato, quòd de eo tantùm intelligatur. quin poſſit aliis vicibus, aliis etiam confiteri, qui poteſtatem habent abſolvendi.* Inter hæc omnia Sacerdos proprius nempe parochialis, in Lateranenſi canone determinatus eminet, eminerétque magis niſi quæ difficultates occuparunt Alenſem & Albertum intercurrerent.

XIV. Plerique apud ſanctum Bonaventuram proprium Sacerdotem ad plebanum referunt ſpecialiter, ut ille loquitur in explicatæ traditionis cap. II. *Cùm ergo pœnitens confitetur nobis & abſolvimus cum auctoritate domini Papæ vel Epiſcopi, non tenetur iterum plebano ſuo de iiſdem abſolvi, cùm ſit abſolutus: Sed propter ſtatutum Eccleſiæ. quo quilibet ſemel ad minus in anno jubetur confiteri omnia peccata ſua proprio Sacerdoti, quòd plerique ad plebanos referunt ſpecialiter.*

Ad iſtos accedit Bonaventura, cùm alio in loco ſic ſcribit; *Proinde ſancta Eccleſia inſtituit, quòd in neceſſitatis articulo, cùm proprius non habetur Sacerdos, quilibet Sacerdos abſolvat pœnitentem ab omni vinculo peccati & excommunicationis, etiam majoris potiùs, quàm ex defectu Paſtoris aliquis innodatus peccato decedat.* Et alio in loco: *Et ſi parochianus non habet excuſationem, & ipſo exigente nolit confiteri, vix crederem talem perſonam eſſe verè pœnitentem. Ideo omnibus ſanum conſilium eſt, quòd fratres remittant ad proprios Sacer-*

dotes, ut non ſint contenti illa confeſſione (quæ apud fratres facta eſt) *iterum audiatur*

xv. Bernadus in gloſſa, quæ in cap. v. habetur: *Prædicatores & Minores per privilegium ſibi conceſſum non poſſunt abſolvere ſine licentia parœchialium Sacerdotum.* Quibus verbis quid poteſt eſſe Lateranenſi canoni convenientius.

xvi. Pariſienſes illi Magiſtri omnes, de quibus loquitur Eberhardus in cap. iii. laudatus: *Dicebant Prædicatores & Minores, quòd confeſſi ipſis non tenerentur ſuis parochialibus Presbyteris eadem peccata in numero iterum confiteri, cujus tamen contrarium aſſerebant per idem privilegium* (Martini IV.) *& per Decretalem extrà de pœnit. & remiſſ. Omnis utriuſque ſexus, cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæſtio per Doctores, ſeu Magiſtros Theologiæ & Juris canonici multipliciter fuit Pariſiis diſputata, & validiſſimis oſtenſum fuit rationibus præcipuè per Magiſtrum Henricum de Gandavo, quòd eadem peccata in numero, quæ aliquis confeſſus fuerit Prædicatori, vel Minori, vel alias privilegiato, teneretur iteratò confiteri ſaltem ſemel in anno ſuo proprio Sacerdoti, cujus tamen contrarium cùm fratres multis rationibus niterentur oſtendere, tale conſilium dederunt Magiſtri & ſapientes Pariſiis à Scholaribus requiſiti, quod quandiu hæc quæſtio eſſet dubia Pariſiis, ubi magis, quàm alibi in mundo eſt copia peritorum, tandiu deberent confiteri ſuis parochialibus Presbyteris, de quorum certa auctoritate nulli ſacræ Scripturæ vel canonum ſapientes dubitaverunt hactenus.* Hac verborum ſerie conſtat, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Doctoribus, qui contra Prædicatores & Minores pugnabant, animadverſum fuiſſe ac perſuaſum, quòd Sacerdotis proprii nomine parochialis Presbyter ſolus intelligeretur.

xvii. Huc pariter ſpectat. quod Henricus Gandavenſis in eodem cap. narrat hoc modo: *Summus Pontifex* (Martinus IV.) *in omnem eventum vult ſtatutum illud, Omnis utriuſque ſexus. conſervari per illam clauſulam, volumus, inſertam in privilegio, nonobſtante licentia conceſſa in priori parte privilegii, aliter Papa illam clauſulam fruſtrà appoſuiſſet, quod ſtultum eſt credere. Poſtquam autem clarum eſt, quòd ſtatutum illud in dicta clauſula implicitum tenendum eſt quoquo modo, non poterit reſtare de dubio, niſi quomodo tenendum ſit, an ſcilicet ita ut in aliquo ei derogetur per conceſſionem factam fratribus per præcedentem clauſulam, ut per hoc confeſſi fratribus, etſi teneantur confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, prout ſtatuit generale Concilium, non tamen illa, quæ quis fratribus confeſſus eſt, ſed aliqua alia, quod intendunt fratres, ut factum eſt in objectis pro eis adductis. An verò ita ut ſtatuto illi in nullo derogetur per conceſſionem factam fratribus, ut ſecundùm hoc confeſſi fratribus teneantur confiteri ſuis Presbyteris, ſaltem ſemel in anno omnia peccata ſua totius anni, quod intendunt tenere Domini Epiſcopi prædicti, niſi Summus Pontifex ſuper hoc aliud declaraverit faciendum, ſecundùm quod publicè erant proteſtati coram Magiſtro Theologiæ & Decretorum, uno loquente pro omnibus, & omnibus aliis conſentientibus, prout replicavit unus Archiepiſcoporum exiſtentium inter eos, nullo contradicente in hoc dubio tali, quale illud proculdubio intelligo, teneo atque ſentio, & ſimiliter aliis conſulerem intelligendum, tenendum atque ſentiendum uſque ad declarationem Summi Pontificis, quod ex forma verborum privilegii magis ac veriſimilius, judicio rectæ rationis apparet fuiſſe Summi Pontificis intentionem in condendo ipſum, quódque regulæ juris canonici judicant ampliùs fore tenendum, & ſpecialiter cùm aliquod dubium oritur in privilegio. Nec eſt dubitandum, quin hoc Summus Pontifex velit interim teneri, & quin ipſe in ſua declaratione judicaret eſſe tenendum, niſi eſſet aliqua alia cauſa, quæ rationabiliter deberet movere animum ejus ad ſtatuendum de novo contrarium.*

Dico igitur abſque præjudicio, non videtur mihi eſſe tenendum aliud, quàm quod Domini Archiepiſcopi & Epiſcopi duces noſtri & gregis Chriſtiani judicaverunt eſſe tenendum. In quo & totum Collegium Decretorum ipſis conſenſit. Interrogatum enim quid ipſum ſuper hoc ſentiret, an ſcilicet Epiſcopi non errarent in ſentiendo & dicendo ſe velle tenere, & eſſe tenendum, quod unus illorum propoſuit pro omnibus, ut dictum eſt. Deliberato conſilio reſpondit unus Magiſtrorum dicti Collegii Decretorum pro omnibus, ipſos ſentire, quòd in hoc nullatenus erraſſent. Erat autem dictum illud Epiſcoporum prout recolo, quoad propoſitum articulum in ſumma tale, quòd videlicet in prædicto dubio tenerent, niſi Dominus Papa in eo aliud eſſe tenendum declararet, quòd omnia peccata per totum annum commiſſa quilibet ſubditus teneatur confiteri ſuo proprio Sacerdoti parochiali, licèt aliqui dicerent eos in hoc erraſſe. Super quo conſulebant Collegia Magiſtrorum in Theologia & in Decretis, & reſponderunt Decretiſtæ conſulti concorditer dicentes in hoc nullatenus erraſſe, ut dictum eſt. Sic Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliæ, ſic Pariſienſes Magiſtri omnes aut pænè omnes cùm in Theologia, tum in Decretis judicant, apud Leteranenſe

Con-

Concilium parochialis tantùm Presbyteri mentionem eſſe factam. Hoc autem paullo poſt Martini Papæ IV. mortem contigit.

XVIII. Ricardus Mediavillanus in cap. III. laudatus, rem libenter agnoſcit: *Papa in privilegio conceſſo Minoribus & Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis, & Eremitanis ex privilegio ſpeciali noviter emanato declarando videtur dicere, quòd in illo ſtatuto, Omnis utriuſque ſexus, intelligitur parochialis Presbyter ille, qui in communi ſic vocatur, in hoc, quod dicit, confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri, prout ſtatuit generale Concilium.* Et paullo pòſt: *Cùm ergo Epiſcopus non ſit ſuper ſtatutum, confeſſi ſibi vel alicui auctoritate ejus tenentur eodem anno ſuo Curato inferiori ſemel confiteri.* Hæc ille qui ad annum M. CCC. deceſſit è vita. In relato textu obſervari poſſunt duo: Primùm quidem, quòd Ricardus canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, Sacerdotem proprium ad Romanum Pontificem, & diœceſanum Epiſcopum non extendit; Deinde, quòd Pontifex aliquis Eremitanis, id eſt, Auguſtiniani Ordinis Mendicantibus privilegium Martini IV. privilegio Minoribus conceſſo ſimile dedit. Sed de eo commodior diſputandi recurret occaſio.

XIX. Joannes XXII. & Joannes Poliacus multum inter ſe diſſidentes in hoc tamen conveniunt, quòd Sacerdotis proprii nomine qui Lateranenſi canone ſemel atque iterum exprimitur, non alius quàm parochialis Presbyter intelligatur. Sic Pontifex in cap. V. citatus loquitur: *Aſſerentes ſcilicet, quòd illis, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti, juxta Concilium generale.* Hoc unum ſi conſideretur, ut oportet, quæſtionem decidit, & in deciſione ſecundùm parochialem Presbyterum pronuntiatur. Poliacus à Joanne XXII. non reprehenditur, quòd Sacerdotem proprium parochialis duntaxat Presbyteri loco acceperit, ſed quòd in Lateranenſi Canone, nec à Summo Pontifice, nec à Deo ipſo diſpenſari poſſe docuerit. In Sacerdotis proprii acceptione conveniebant, quod unum modò quærimus.

XX. Ricardus Armachanus Epiſcopus in cap. VI. laudatus idipſum præ ſe fert, cùm ait: *Et erat principium ad hoc probandum, quòd ſimul ſtare poſſunt, & nullatenus repugnat, quòd quiſquis parochianus fratribus ſit confeſſus, & quòd idem parochianus teneatur ſub præcepto Eccleſiæ omnia ſua peccata ſemel in anno, ſuo Sacerdoti proprio, ſive ordinario confiteri.* Et reliqua.

XXI. Rogerius cum Ricardo, nempe cum adverſario ſuo hac in re concordat, eodem cap. relatus, ubi ſic ſcribit, *Alii autem, qui fuerunt hujus opinionis, exiſtimabant, ſicut ab omnibus exiſtimatur, ſcilicet, quòd ſoli parochiales Sacerdotes ſunt propriè Sacerdotes, de quibus loquitur ſtatutum*, Lateranenſis videlicet Concilii.

XXII. In eadem ſententia fuiſſe Pariſienſem Eccleſiam & Academiam exponit Joannes Gerſo Cancellarius, in eo ſermone, quem in æde beatæ Mariæ habuit contra certam quandam Bullam Alexandri V. Sic autem loquitur in cap. VII. explicatæ traditionis: *Sequitur, quòd confeſſus fratribus manere poſſet obligatus denuò proprio confiteri Curato, ſive virtute Concilii hujus generalis, Omnis utriuſque ſexus, ſive aliquovis modo. Nota multos Doctores & gloſſam ordinariam tenuiſſe, quòd obligaremur denuò confiteri, poſtquam fratribus fuiſſemus confeſſi. Sanctus Thomas, Bonaventura, Henricus Gandavenſis, & Prælati diverſorum regnorum. Præterea hanc conſiderationem advertens Armachanus poſtremò coram Urbano* (dicendum fuit Innocentio) *tenuit poſt revocationem de Poliaco & ſe fundat in hoc, quòd duæ affirmativæ ſunt ſimul poſſibiles.*

XXIII. Ægidius Carlerius in tractatu contra Franciſcanum quendam anonymum, qui memoratos in cap. VIII. articulos prædicaverat, eadem ferè repeti, quæ Pariſienſis Cancellarius modò dixit: *In quarto art. ſe mittit frater iſte in labyrinthum, in contentionem antiquam, ſi parochiani confeſſati alicui habenti poteſtatem à Papa audiendi confeſſiones & abſolvendi teneantur confiteri ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſcilicet parochiali, eadem peccata, ut dicebat Magiſter de Poliaco, vel alia ſaltem venialia, ſi nulla mortalia expòſt commiſerint, vel omiſerint, præſertim propter canonem, Omnis utriuſque ſexus, debuit ſcire pro parte una gloſſam illius, quæ per proprium Sacerdotem intelligit Curatum parochialem. Item debuit recordari ejus, quòd dicit Doctor Seraphicus Bonaventura ſui Ordinis. Ait enim, quod confeſſi habentibus privilegium ſpeciale audiendi confeſſiones & abſolvendi caſu quo requirerentur à proprio Curato, tenentur confiteri ee, niſi aliqua cauſa rationabilis eos excuſaret, & ſi non habeat ſic confeſſus voluntatem confitendi ſemel in anno, vix crederem talem eſſe verè pœnitentem.* Hæc ille ad annum M. CCC. XLVIII. quibus aliorum magis, quàm ſuam exponit ſententiam.

XXIV. Quadriennio pòſt Pariſienſis Academia Franciſcanum quendam alium coërcuit, quòd præ-

prædicaſſet Rotomagi, *Parochianos poſſe, liberè ſe Mendicantibus per Ordinarios admiſſis conſiteri abſque Curatorum licentia.* Hæc controverſia deſcribitur in eodem cap. VIII. explicatæ traditionis.

XXV. Non multo pòſt eadem Pariſienſis Academia interceſſit Bullæ, quam ab Romano Pontifice Carmelitæ quidam impetraverant, atque Officiali Pariſienſi exhibuerant. Academiæ verba ſunt: *Noverint univerſi, quòd anno* M. CCCCLVI. *die Sabbati* XXII. *menſis Maii, Univerſitate ſtudii Pariſienſis apud ſanctum Maturinum ſolemniter congregata, & ſpecialiter convocata ad audiendum lecturam copia cujuſdam Bullæ per quaſdam fratres de Ordine Carmelitarum Officiali Pariſienſi præſentata, inter cetera concluſum extitit unanimiter ipſis auditis, quòd diſplicebat impetratio hujuſmodi Bullæ, & videtur, quòd ſit ſcandaloſa, turbativa pacis & concordiæ, ſubverſiva ordinis hierarchici, placet formare appellationem, præſertim in quantùm derogat juri communi Decretalis, Omnis utriuſque ſexus*, & cætera quæ pluribus narrantur in eodem cap. VIII. explicatæ traditionis. Igitur ſi Bulla illa juri communi, quod in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, ſtatuitur, derogat opinione Academiæ, manifeſtum eſt apud eandem Academiam indicium, Sacerdotis proprii nomine Romanum Pontificem non importari. Qua in re Pariſienſis Academia cum Sedis Apoſtolicæ traditione mirificè concordat.

XXVI. Segregari ibidem ab Academia Mendicantes omnes, ut pacem cum illa ſibi redintegrarent, Bulla, cui illa interceſſerat, non uſuros ſe eſſe promiſerunt, & hacce ratione oſtenderunt, per Bullam derogari non poſſe Can. *Omnis utriuſque ſexus*, quem univerſale Concilium ediderat, vel ſi derogari poſſit, certè non ſemper expedire. Qua in ſententia fuit Pariſienſis Epiſcopus: *Placet inſuper, quòd non ampliùs utantur Bulla exiſtente in manibus reverendi Domini Epiſcopi Pariſienſis neque ſimilibus, & maneat dicta Bulla in manibus præfati Epiſcopi, ſicut eſt, & quòd unus pro omnibus juratus de Ordine Mendicantium pro ſua redintegratione habeat ſupplicare Mendicantes.* Ergo conſentiunt à Pontifice derogatum fuiſſe Canoni, *Omnis utriuſque ſexus.* Non eſſet autem derogatum, ſi Sacerdos proprius ut parochialem Presbyterum, ita & Epiſcopum & Papam in eo canone complecteretur. Res hæc per ſeipſa nota eſt.

XXVII. Certi quidam Epiſcopi & Rectores Eccleſiarum in Germania ad annum M. CCCCLVI. contendunt, *Confeſſionem de peccatis ſemel confeſſi fratribus ad audiendas confeſſiones juxta Decretalem, Dudum, deputatis ipſis propriis Sacerdotibus iterandam eſſe.* Hi Conſtitutionem Innocentii IV. Martini IV. & Bonifacii VIII. in additione ſequuntur in eodem cap. VIII.

XXVIII. Facultas Theologiæ Pariſienſis anno Chriſti M. CCCC. LXXXII. damnavit certas quaſdam Joannis Angelii Minoris propoſitiones, quarum ſecunda eſt hæc: *Parochianus confeſſus fratribus ſatisfacit Decretali, Omnis utriuſque, nec tenetur conſiteri ſuo proprio Curato ſemel in anno, nec ab eo petere licentiam. Hæc propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia & reverentia obſervantia publicè revocanda.* Quo Facultatis Theologicæ judicio luculenter apparet, Sacerdotem proprium, cujus fit mentio in Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, non alium præter parochialem intelligi. Hæc autem latiùs exponuntur in cap. IX. explicatæ traditionis.

XXVIII. Ægidius Delphus Facultatis Theologicæ Decanus, qui in cap. X. laudatur, Sacerdotem proprium non aliter accipit: *Confeſſio*, inquit, *fratri privilegiato facta non ſatisfacit Can. Omnis utriuſque ſexus, quia ſaltem ſemel in anno conſiteri teneatur proprio Sacerdoti, juxta ſententiam Concilii generalis.* Delpho præiverant Innocentius IV. in explicatæ traditionis cap. II. Martinus IV. in cap. III. Bonifacius VIII. in additione, Pariſienſis Academia & Theologiæ Facultas.

XXIX. In Lateranenſi Concilio, quod Leo X. habuit, plures Epiſcopi noluerunt Conſtitutionem Papæ hujus approbare, qua parte ſignificat confeſſos fratribus ſatisfeciſſe Can. *Omnis utriuſque ſexus.* Res iſta planiùs explicatur in cap. X.

XXX. Hieronymus Hangeſtus ibidem pro parochiali presbytero ſic pugnat; *Licitum eſt, imò quandoque multum expedit ſaluti animarum, quòd Ordinarius det ſubjecto licentiam conſitendi alteri, aut poteſtatem alieno Sacerdoti abſolvendi talem; concurrat tamen neceſſitas, aut manifeſta utilitas.*

XXXI. Facultas Theologiæ Pariſienſis anno M. D. XVI. damnavit Claudii Cuſini propoſitiones duas, quarum prima eſt: *Quando parochianus aliquis memoratis fratribus Epiſcopis præſentatis conſitetur, Decretali, Omnis utriuſque ſexus, ſatisfacit, nec tenetur ſiſtere ſe, neque conſiteri Curato parochiali, neque licentiam ab eo petere, quamvis de Paſchali confeſſione agatur. Iſta propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia & reverentia obſervantia publicè revocanda.*

Altera:

Altera: *Parochialis Curatus, qui pronuntiat parochianos ſuos teneri ſemel in anno confiteri ſibi ſub pœna excommunicationis, ipſe excommunicatus eſt, & ſi ſacrum faciat, ipſe irregularitatem incurrit. Iſta propoſitio eſt falſa & injurioſa.* Hæ cenſuræ duæ perſpicuè demonſtrant, Facultatem Theologiæ Pariſienſis, tunc in ea fuiſſe ſententia, ut ſolus eſſet Parochus, qui Sacerdos proprius in Lateranenſis Concilii canone vocatur. Videndum eſt caput x. explicatæ traditionis.

XXXII. Melchior Canus, qui Tridentino Concilio interfuit, Sacerdotis proprii nomine Parochum duntaxat in Decretali, *Omnis utriuſque ſexus*, intelligit, ut Gabriel Vaſquez refert in cap. XII. explicatæ traditionis.

XXXIII. Franciſcus Suares in cap. XII. laudatus de capite, *Omnis* ita cenſet: *Nomine proprii Sacerdotis præcipuè intelligitur parochus, vel ſaltem formaliter comprehenditur, & de illo proprio Sacerdote abſolutè & in univerſum ſupponitur, poſſe ſuam juriſdictionem committere, quod eſt munus Ordinarii Judicis.*

XXXIV. Philippus Gamachæus rem eandem ita docet: *Quamvis generaliter loquendo, proprius Sacerdos vocari poſſit & Epiſcopus & Summus Pontifex, tamen ſtrictè & accuratè dici potiùs debet ſolus Curatus, ſicque etiam videtur eadem vox ſumi in præfato Decreto Lateranenſi.* Quod it probatum multis rationibus, quæ videri poſſunt in cap. XIII. explicatæ traditionis. Deinde ſibi objicit, *Hanc ſententiam fuiſſe Joannis Poliaci, eamque eſſe damnatam in Extravaganti, Vas electionis:* Sed reſpondet, *non eſſe damnatam ſimpliciter, quatenus per proprium Sacerdotem in Lateranenſi Decreto aiebat deſignari ſolum Curatum, ſed aliis de cauſis.*

XXXV. Guillelmus Eſtius in eodem cap. XIII. citatus, Sacerdotem proprium in Parocho ſolo conſtituit, & convenienter probat. Hic auctor propter eruditionem ſummam multorum inſtar eſſe poteſt.

XXXVI. Burdegalenſe Concilium in eodem cap. laudatum rem ita decernit: *Ne fideles omittant tempore Paſchatis id in propria parochiali Eccleſia præſtare, ſacris Canonibus, inſiſtentes ſtatuimus, eo tempore omnes fideles, tum ad confeſſionem peccatorum proprio Parocho, aut alii de ejus licentia, tum ad ſacram Euchariſtiam percipiendam teneri & obligari, nullóſque aliàs præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe, ac proinde in eos, niſi reſipiſcant ab Ordinario cenſuris agendum eſſe declaramus.* Hic proprius Sacerdos & proprius Parochus ſunt quid unum. At quis Romanum Pontificem, aut diœceſanum Epiſcopum, ſuum proprium Parochum vocavit unquam?

XXXVII. Gallicanus Clerus in eodem cap. laudatus, Sacerdotem proprium ſtylo decretorio ſic exarat: *Eccleſia cùm ſanctè decrevit & diſertè injunxit cunctis fidelibus, ut quiſque in feſto Paſchatis ſe ſuam in Eccleſiam recipiat, Chriſtiani boni officio functurus conſtitutioni huic ſatisfacturus, perſonis omnibus præcipitur, ut in ſua parochia, ſaltem in Paſchate confiteantur, & communicent, inhibitione facta religioſis & aliis, ne ſub quocunque exemptionis prætextu, perſonam ullam ad confeſſionem & communionem admittant à Dominica Palmarum uſque ad octava Paſchatis Dominicam & ne contrariam huic doctrinam tradant.* Gallicanus Clerus Lateranenſis Canonis interpretem, aſſertorem, executorémque ſe præſtat ad exemplum Gelaſii I. Romani Pontificis, qui de Romana ceteriſque Sedibus ſic pronuntiat in epiſtola XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Confidimus, quòd nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet.* Gallicanus Clerus ante oculos id ſibi conſtituit, in quo Gelaſius Romanæ Sedis primatum à Chriſto vel maximè poſitum eſſe declarat.

Hactenus Chryſoſtomi & Cyrilli regulam, quæ obſervationis initio propoſita eſt, ſecuti præſtitimus duo: & primùm quidem, memoratum in Lateranenſi Canone Sacerdotem proprium, parochialem eſſe duntaxat Presbyterum ex verbis Canonis, ex verborum ſerie, ex ſcopo Concilii & ex rebus circunſtantibus demonſtravimus. Deinde id ex perpetua Romanæ Eccleſiæ traditione, ex multorum Conciliorum auctoritate, & illuſtrium Theologorum & Facultatis potiſſimùm Theologiæ Pariſienſis ſententia confirmavimus.

Observatio III.

Cur in explicata traditionis cap. 1. & 11. laudati Theologi Sacerdotem proprium tam variè deformant. ratio diſquiritur, & in Anglicanum Clerum rejicitur, intercurrentes difficultates nonnulla diluuntur, ubi & de divina inſtitutione Epiſcoporum agitur.

PRædicatores & Minores ab anno Chriſti M. CC. XVI. inſtitutionis ſuæ primo, uſque ad annum M. CC. XXVII. audiendis non vacarunt fidelium confeſſionibus, nec ultra illius inſtitutionis terminos quidquam tentarunt. Poſt annum hunc, privilegiis, quibus audiendarum confeſſionum copia fieret, cùm munitos ſe ſenſerunt confeſſiones audire, & minùs modeſtè gerere ſe cœperunt. Id Matthæus æqualis ſcriptor memoriæ prodidit, & legere eſt in capite 1. explicatæ traditionis, & ubi legere quis voluerit, dolenter leget, nec poterit meritò non indignari. Tunc Anglicanus Clerus, ne Prædicatores relicto nunciandi verbi divini munere, confitendi munus aſſumerent, interceſſit, & Lateranenſis Concilii Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, ut murum firmiſſimum oppoſuit. Intelligebant Anglicani primi & ſecundi ordinis Sacerdotes, Romanum ut & alios Epiſcopos, inferiores eſſe univerſali Concilio, quod univerſi Chriſtiani nominis repræſentationem celebraret, & univerſalis Concilii Decretum quibuſcunque illorum privilegiis anteponendum eſſe. In ſumma, ſacris legibus, non derogatione ſacrarum legum regendam eſſe Dei Eccleſiam vetus erat perſuaſio, ab Heroïcis, id eſt, Apoſtolicis ducta temporibus: quod adhuc omnium mentes occupabat. Exinde factum eſt, ut fratres privilegiis Canonem palam anteferre non ſint auſi: ſed animum appulerunt ad efformandas diſtinctiones novas, quibus Canonem conciliarent cum privilegiis, ne ab univerſalis Concilii ſententia recedere viderentur.

Alexander Alenſis primus eſt, qui Sacerdotem proprium in Sacerdotes numero tres, & tertium in plures alios diſtinxit: *Ad illud*, inquit, *quod primò objicitur per Decretalem, quòd quilibet fidelis tenetur confiteri ſemel in anno proprio Sacerdoti, dicendum, quòd proprius Sacerdos dicitur multipliciter: Uno modo & propriiſſimè Sacerdos parochialis, qui adminiſtrat ſacramenta, & cui commiſſa eſt cura parochianorum: alio modo ſcilicet communiori, dicitur ſuperior Ordinarius proprius Sacerdos, qui propria auctoritate vel officio gerit curam parochianorum ſuorum, id eſt, omnium, qui ſunt in propria diœceſi, ut Epiſcopus. Talis namque prælatus Ordinarius poteſt abſolvere ſubditos; communiſſimo modo poteſt dici proprius Sacerdos, quicunque poteſt pœnitentem recipere ad confeſſionem, & illum abſolvere auctoritate conceſſa à ſuperiore, quales ſunt Pœnitentiarii Domini Papæ & inferiorum Epiſcoporum, & illi, quibus à Domino Papa conceſſum eſt privilegium audiendi confeſſiones.*

Hæc eſt nova diſtinctio quam Alenſis in Academia volatica dedolavit. Quòd autem nova ſit, triplici modo probatur: Et primùm quidem Alenſis non ſcribit, ab antiquioribus Theologis *Sacerdotem proprium dictum eſſe multipliciter, uno modo propriiſſimè, alio modo communiori, tum communiſſimo modo.* Hoc non ſcribit, ut legenti conſtat. Deinde in tertio membro diſtinctionis ait: *Communiſſimo modo poteſt dici proprius Sacerdos.* At quod ſic dici poteſt, nondum dictum eſſe oſtenditur. Tum diſtinctio hæc, nec in ſcripturis, nec in Patribus, nec in Conciliis, nec in vetuſtioribus Lateranenſi Concilio Theologis occurrit unquam. Non dubito quin diſtinctionis ferri poſſet novitas, ſi eo tempore Sacerdoti confeſſio vel fieri, vel facienda præcipi cœpta eſſet. Sed in Lateranenſi Concilio, nec fieri, nec facienda præcipi cœpta eſt. Et reverà, qui hoc reciperet, cum dogmate Catholico pugnaret.

Præterea diviſionis hujus membra, propriiſſimus, communior & communiſſimus modus, quid ſibi volunt? à diviſionis bonæ legibus deficiunt. Propriiſſimus ſeu maximè proprius modus non idem qui communior, non idem qui communiſſimus: qua, quæſo, in literatorum ſchola? Congruenti ſenſu carent, hoc quidem parùm referret, ſi aliundè conſtaret Alenſem non ſibi ſumere, quòd diſtinctionem ſuam Lateranenſis Concilii Patres in ſuo Canone complexi fuerint. Ne autem complexi fuerint, quæ ſequuntur Juris axiomata impediunt: *Verba in ſtatutis propriè accipi debent. l. 1. § Si is qui navem. de exercit. act. l. 111. §. Hæc verba, & ibi notat Bar. de neg. geſt.* Item: *Verba debent intelligi ſecundum communem uſum loquendi, l. Librorum. §. Quòd tamen Caſſius, ubi glo. de leg. 111. l. Labeo. de ſupel. leg.* Item: *Verba ſunt ſtrictè & propriè intelligenda l. 1. §. Si is qui*, & cæterea, ut ſuprà apud Matthæum Gribaldum Juriſconſultum in libro 11. de ratione ſtudendi. Hoc autem cùm ita ſit, Lateranenſis Canonis Sacerdos proprius in vero ac proprio tantùm ſenſu accipiendus eſt, Alenſis diſtinctione ut abnormi rejecta.

Poſtre-

Poſtremò fallax eſt diſputandi ratio, qua infertur, Romanum Pontificem dictum eſſe Sacerdotem proprium, quia dici potuit; & ſi dictus eſſet, quia dici potuit, id Patres certo quodam indicio, ne lectores turbaret rei novitas, demonſtraſſent. At dictus non eſt in Canone, quia ut diceretur, neceſſe non fuit. Dictus is eſt tantùm, qui in Paſchare audiendis confeſſionibus, & reficiendis Euchariſtia fidelibus operam dare poſſet. Dictus non eſt is, qui operam dare non poſſet aliis Eccleſiæ miniſteriis occupatus, & qui aliundè parochiis omnibus intereſſe non poſſet, ſubverſa diſtinctione, quidquid Alenſis ei ſuperſtruit, diſturbatur & veluti neceſſario quodam labefactatum motu concidit.

Alberto non placuit iſte diſputandi modus, quem Alenſis adhibuit, de Sacerdote proprio aliter diſputandum eſſe cenſuit. Non facit plures Sacerdotes proptios, ſed plures Sacerdotis proprii coadjutores, qui à Superiore decernantur, ita tamen ut decretus à Superiore coadjutor aliquando non poſſit ſine licentia Sacerdotis proprii confeſſiones audire. Cùm verò de iis qui gaudent privilegio loquitur, hoc ſcribit: *Ad hoc quod ulteriùs quæritur, dicendum quòd, ſi privilegium tale concederetur, meo judicio privilegiatus deberet inducere ſubditos, ut ſibi confiteantur de conſcientia & licentia ſui Sacerdotis. Si autem Sacerdos hoc malitioſè impedire vellet, non poſſet, quia in hoc non tenentur ſubditi ſui ei obedire.* Quidquid id eſt, Albertus in averſione & generatim de confeſſione apud privilegiarios facienda ſermonem inſtituit, nec unquam docet. Paſchalem confeſſionem, quæ in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, præcipitur, apud alium, quàm apud Sacerdotem proprium parochum ſcilicet, fieri poſſe. ut quæ ex Alberto retulimus in cap. I. legenti perſpicuè liquebit.

Hoc modo intelligenda eſt Theologiæ Pariſienſis Facultas, cùm in cap. I. quærentibus, utrum Sacerdote parochiali contradicente parochianus ejus Domino Papæ peccata ſua univerſaliter confiteri valeat, valere reſpondet. Hic quæſtio non eſt de Paſchali confeſſione, quæ juxta Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, facienda eſt. Paſchalis confeſſionis hujus alia ratio eſt, confeſſionis alterius alia ratio. Romanus Pontifex in Paſchali confeſſione Can. *Omnis utriuſque ſexus*, aſſertor & executor eſt, non derogator, ſi nulla derogandi cauſa ſubſit. Nam Eccleſia, jure non auctoritate, ut Gregorius I. loquitur, canone non motu proprio regitur. In alia confeſſione aliter ſe gerere poteſt, ſi res conducat Eccleſiæ. Non auctoritatis demonſtratio, ſed populi ſalus Eccleſiaſticæ rectionis unicus eſt ſcopus & meta. Quod qui non credit, à Chriſtianæ religionis ſimplicitate deflectit, ſæculari typho, non divina charitate uritur, quærit quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu-Chriſti.

Confectus in cap. II. à nonnullis Cardinalibus indiculus certarum propoſitionum, quas Odo Duacenſis & Chriſtianus Bellovacenſis Canonicus palam pronunciaverunt Lutetiæ, inſtitutum noſtrum prætervolat. In iis non agitur de Sacerdote proprio, quem Lateranenſis Can. *Omnis utriuſque ſexus*, exprimit, ſed ſeparatim à canone hoc, & generatim agitur de parochialibus Sacerdotibus, ſine quorum conſenſu Romanus & alii præſules & prædicandi & confeſſiones audiendi licentiam impertiri poterant. Sed res tota non extra, ſed intra canonem dijudicanda eſt.

Bonaventura cùm ſtratam ab Alenſi magiſtro ſuo Sacerdotes proprios multiplicandi viam reperit, hos multiplicandos eſſe cenſuit. Magiſter tres Sacerdotes proprios fecerat, diſcipulus quatuor fecit. Sic enim in explicatæ traditionis cap. II. ſcribit: *Prætermiſſis igitur diverſis diſtinctionibus quatuor ſunt cujuſque plebis parochialis proprii Sacerdotes: Primus & præcipuus eſt Summus Pontifex, cui tota Eccleſiaſtici gregis cura ſingulariſſimè commiſſa eſt, ita quòd omnes inferiores Eccleſiæ rectores curam & poteſtatem, quam habent ſuper ſubditos, ab illo accipiunt mediatè vel immediatè. Secundus eſt diœceſanus Epiſcopus, qui eſt ordinarius Paſtor omnium Eccleſiarum ſub ipſo conſtitutarum, & ſui inferiores Prælati curam animarum & auctoritatem regendi habent ab ipſo. Tertius eſt ſpecialis Paſtor cujuſque Eccleſiæ ibidem canonicè inſtitutus. Quartus eſt, cui quiſque prædictorum pro tempore vicem ſuam ſuper commiſſos ſibi ad ligandum vel ſolvendum ex cauſa rationabili committit, cui tamen committere poteſt.* Gratuita eſt hæc ut magiſtri, ſic & diſcipuli diſtributio, & utraque fortunam eandem debet experiri.

Quod autem de primi Sacerdotis proprii Summi nempe Pontificis dotibus tradit, quæ ſita e ſcripturis, Patribus & Conciliis probatione deſtituitur. Ubinam verba hæc, *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, ad mediatam vel immediatam poſitionem relata invenit? Nova eſt & ante Bonaventuræ tempus inuſitata Scripturæ interpretatio, & eam ob cauſam rejicenda propter erroris periculum. Unde beatus Bernardus in libro III. de conſid. ad Eugenium

cap. IV. ait: *Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo, veſtram & Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui ait, Non eſt poteſtas niſi à D.o. Proinde quod ſequitur: Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, etſi principaliter pro ſe facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ait, ſublimiori tanquam in uno, ſed ſublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino. Sunt & mediocres, ſunt & inferiores.* Prætermitto ceteros Patres, ut ad Sedis Apoſtolicæ traditionem unicam me accingam.

I. Ordior à Julio I. qui in relata apud Athanaſium ad Orientales epiſtola ſic loquitur: *Si igitur verè parem eundémque honorem in omnibus Epiſcopatibus cenſetis eſſe, neque ex magnitudine civitatum (ut vos ſcribitis) honorem ejus rei creſcere arbitramini, oportuit eum, cui concredita eſt parva civitas, in ea qua credita eſt, permanere, & nequaquam rejecta concredita, ad eam, qua concredita non eſt, tranſvolare, nec eam, qua à Deo data eſt, aſpernari; illam verò qua hominum ambitu conceſſa eſt, magnificare videatur.* Attende verba hæc, *qua à Deo data eſt*, non dicit, quæ à me vel ab Romana Sede data eſt.

II. Liberius in epiſtola ad Conſtantium Auguſtum: *Secutus morem ordinémque majorum nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minui paſſus ſum.* De urbis Romæ Epiſcopatu perinde loquitur, ac loqueretur de Epiſcopatu urbis puta Eugubii: quo pacto ſignificat eundem eſſe utriuſque inſtituendi modum. Quare ſi Epiſcopatus vel Epiſcopus urbis Romæ à Deo proximè inſtitutus ſit, Epiſcopatus vel Epiſcopus urbis Eugubii à Deo proximè inſtitutus erit, & ſic de aliis reliquarum urbium Epiſcopatibus vel Epiſcopis. *Ubicunque*, inquit Hieronymus, *fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti eſt & Sacerdotis, potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Ceterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt*, qui certè omnes à Chriſto poteſtatem habuerunt.

III. Inocentius I. in epiſtola ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum ita præfatur: *Incipiamus igitur adjuvante ſancto Apoſtolo Petro, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cepit exordium.* Hic in Chriſto Epiſcopatus, qui per Petrum cepit exordium, multiplex non eſt, ſed unus ab ipſo Chriſto inſtitutus, *cujus*, ut ait Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ, *à ſingulis pars in ſolidum tenetur*: quod Symmachus Pontifex Romanus in epiſtola II. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum ſignificantioribus verbis repræſentat: *Ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum eſt per diverſos antiſtites Sacerdotium*, id eſt, Epiſcopatus, ſed ſpectanda eſt comparatio, quæ rem conficit. Deinde in cap. II. ubi ait: *Relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant*: *nutu*, inquit, *divino*, id eſt, arbitrio, & jure quod ex illa divina voluntate pendet.

IV. Bonifacius I. in epiſtola ad Ruſum Epiſcopum: *Intuetur te, ut epiſtolis tuis fideliter es locutus, beatiſſimus Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſummi rectoris utaris officio. Nec poteſt tibi eſſe non proximus, qui Dominicarum ovium eſt perpetuus conſtitutus.* In Rom. collect. bipart.

V. Celeſtinus in epiſtola ad Epheſinam Synodum, quæ actione illius ſecunda refertur: *Subeamus omnes eorum* (Apoſtolorum) *labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore*, & quibuſdam interpoſitis: *Reſpiciamus rurſus etiam illa noſtri verba Doctoris, quibus propriè ad Epiſcopos utitur, iſta prædicens: Attendite inquit vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, Spiritus*, inquit, *ſanctus vos poſuit*, non Petrus, aut Petri ſucceſſores poſuerunt Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.

VI. Leo I. in epiſtolæ XLVI. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum cap. II. *Neque priùs in Eccleſia, cui te Dominus voluerit præſidere cujuſquam ſalinum nomen ad altare recitetur, quàm quod de iis conſtitui debeat, rerum proceſſus oſtendat. Cui*, inquit, *te Dominus*, non ergo Romanus Pontifex, voluerit præſidere.

Deinde in epiſtolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum cap. II. *Et ideo, frater cariſſime, oportet dilectionem tuam toto corde perſpicere, cujus Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluerit præſidere. Te Dominus*, inquit, non Petri ſucceſſor, voluerit præſidere.

Tum in epiſtola LXIX. ad Martianum Auguſtum: *Unde pleniſſimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quòd amoto eo, qui Evangelio Chriſti voluit contraire, & à ſanctorum Patrum intelligentia diſſentire, talem proſpexit Alexandrina Eccleſia Sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita.* Non ſic loqueretur, qui crederet Alexandrinum non eſſe divinitùs inſtitutum Epiſcopum, qui crederet,

crederet, quod Bonaventura duobus adverbiis ſuis, *mediatè* vel *immediatè*, docere intendit.

Quartò in epiſtolæ LXXXIX. ad Viennenſis provinciæ Epiſcopos capite II. *Quam* (charitatem) *ſollicitudo noſtra non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, dignitatem divinitùs datam, nec Eccleſiis nec Eccleſiarum Sacerdotibus abrogabat.* Dignitas Eccleſiis & Eccleſiarum Sacerdotibus data divinitùs quid ſibi vult aliud, niſi quòd Sacerdotalis ſeu Epiſcopalis auctoritas proximè inſtituta ſit à Deo?

Denique in epiſtolæ XCI. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum cap. II. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ ſuæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* A Chriſto igitur, non à Petro aut Petri ſucceſſoribus, derivatur juriſdictio, quæ in remittendis peccatorum nexibus verſatur.

VII. Hilarus in epiſt. VIII. ad Provinciæ Viennenſis Lugdunenſis & Narbonenſis Epiſcopos: *Unde veſtræ fraternitatis in Domino ſincera dilectio & ſollicitudo Paſtoralis curæ in ſedibus ſuis partita nobiſcum, commiſſarum ſibi Eccleſiarum vigilantiam diligenter exerceat.* Qui Pontifex affirmat Epiſcopos partitam, ſeu diviſam ſecum habere Paſtoralem curam, continuò innuit Epiſcopos Paſtoralem curam à ſeipſo non habere. Quòd ſi Hilaro teſte Paſtoralem curam à Romano Pontifice non habent Epiſcopi, hos illam à Chriſto habere credit.

VIII. Felix III. in epiſtola v. ad Flavitam Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Ne commiſſa vobis divinitùs rationabiles oves, non ſine veſtro diſcrimine, quod abſit, perire ſinantur, exhortor.* Non dicit, ne commiſſæ vobis à Sede Apoſtolica, ſed divinitùs, id eſt, à Deo rationabiles oves perire ſinantur.

IX. Symmachus in epiſtola VII. Apologetica adverſus libellum Anaſtaſii Imperatoris: *Ceterùm ſi omnis poteſtas à Deo, magis ergo, quæ rebus eſt præſtituta divinis:* Qualis ſanè eſt Epiſcopalis.

X. Hormiſda ut Romanum ſic & antiſtites reliquos, Chriſti Vicarios appellat in epiſtola XXV. ad univerſos Hiſpaniæ Epiſcopos: *Ut in Sacerdotibus ordinandis, quæ ſunt à Patribus præſcripta & definita cogitetis, quia ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem Vicarii Sacerdotes, ſic & in eligendis curam oportet eſſe perſpicuam.* Qui Epiſcopos Chriſti Vicarios appellat, eos ſine dubio jure divino inſtitutos eſſe indicat.

XI. Felix IV. in epiſtola ad Epiſcopos per diverſas provincias conſtitutos: *Si columnæ alicujus magnæ domus ruerint, ipſa poſtea domus minimè ſtabit, ſic & vos, qui columnæ Eccleſiæ eſtis, ſi labefactari cœperitis, ſancta Eccleſia, quæ per vos regitur, tabeſcit & labitur.* Et paulo pòſt; *Unde nos quoque à vobis non longè ſumus, quia in illo, qui ubique eſt, unum ſumus.* Hæc perſpicua ſunt: *Unum ſumus* inſtitutione divina.

XII. Vigilius in epiſtola ad Valentianum Epiſcopum: *Fraternitatis tuæ relegentes ſcripta, Pontificalem in vobis ſollicitudinem ineſſe gratanter accepimus, quia prophetica tibi poſſunt verba competenter aptari, quibus ait: Salvabo gregem & ſuſcitabo ſuper eum Paſtorem; qui paſcat eum ſervum meum. Oportet ergo charitatem tuam, ea quoque Domini noſtri verba ſectari per quæ dixit, Speculatorem te poſui domui Iſrael.* Ezechielis verba hæc, quibus Pontifex utitur, oſtendunt, eum in ea eſſe ſententia, ut credat Epiſcopos non à Romano Pontifice, ſed à Deo proximè inſtitui: quò ſpectant alia Vigilii verba hæc in epiſtola ad Aurelianum Arelatenſem Epiſcopum: *Gratias referimus divinæ clementiæ, quia ſollicitudinem veſtram in fidei cauſa, vel in noſtra opinione perſonæ ſacris relegimus convenire mandatis, ut dignè charitati tuæ verba Dei convenienter aptentur, quibus ait: Elegi te Sacerdotem ex omnibus.* Et poſt alia: *Feſtina ergo frater chariſſime, in ſancta fidei ſinceritate perſiſtens Eccleſiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum Sacerdotii tibi commiſſa eſt*, &c.

XII. Gregorius Magnus ut Romanæ Eccleſiæ auctore Deo præſidere ſe dicit, ſic & alios quoque Epiſcopos ſuis quemque Eccleſiis auctore Deo præſidere ſcribit. Ad ſpecimen propono exempla utrinque duo: prioris generis primum eſt in lib. I. epiſt. LIII. ad Anthemium Subdiaconum: *Præſentium ergo lator Gaudioſus inſinuavit nobis ab actoribus ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ, ſibi violentiam irrogari.* Alterum in ejuſdem libri epiſtola LX. ad Januarium Archiepiſcopum Caralitanum: *Et quia inſinuatum eſt nobis Catellam religioſam fœminam habentem filium ſuum hic in Romana Eccleſia, cui Deo auctore præſidemus, militantem.* Poſterioris generis primum eſt in libri II. indict. XI. epiſtola XXVIII. ad Clerum Mediolanenſis Eccleſiæ: *Conſecrato autem vobis Deo auctore Paſtori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti*

tenti Domino, qui vobis hunc prætulit, deſervite. Alterum in libri IV. epiſtola XXXV. ad Sebaſtianum Rhizinienſem Epiſcopum: *Sunt in Sicilia inſula Eccleſiæ vacantes Epiſcopis, & ſi vobis placet auctore Deo Eccleſiam regere, juxta beati Petri Apoſtoli limina, cum ejus auditorio meliùs poteſtis.* Idem in libri IV. epiſt. XXXVIII. ad Joannem Conſtantinop. in perſona omnium Epiſcoporum ſcribit: *Redemptor autem noſter magnus manens ſupra omnia, fieri inter omnia dignatus eſt parvus. Quid ergo nos Epiſcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemptoris noſtri humilitate ſuſcepimus, & tamen ſuperbiam hoſtis ipſius imitamur?*

Denique in homilia XXVI. poſtquam verba hæc, *Quorum remittuntur peccata*, &c. retulit, ſubjungit: *Libet intueri, illi diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti; principatum ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent, ligandi atque ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.* Sic Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, quibus Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata*, &c.

XIII. Theodorus in Synodica ad Paulum Conſtantinopolitanum: *Nos ergo quid, niſi diſpenſatores unius Paſtoris ſumus? Ipſo enim paſcente paſcimus, & regente regimus, quoniam ſub eodem Paſtore cum ovibus ſuis oves paſcua ſumus.* Hac verborum complexione ita definitur munus Antiſtitum omnium, ut cum in uno una, in alio alia ratione inſtitutum concipi nequeat, in omnibus ratione una inſtitutum concipiatur neceſſe eſt. Hæc verò ratio una divinam ad inſtitutionem pertinet, cùm ad humanam pertinere non poſſit.

XIV. Martinus I. in epiſt. II. ad Epiſcopos, Presbyteros, &c. *Non ſubtraximus nos annunciare omnibus, quæ tradita eſt nobis à ſanctis Patribus & Synodis, Orthodoxam confeſſionem per ea, quæ nuper apud nos ſynodaliter geſta ſunt: Attendite, inquit, vobis & univerſo gregi, in quos vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit proprio ſanguine.*

XV. Agatho in epiſtola, quæ actione IV. Synodi VI. legitur, ut Epiſcopis aliis, ita & ſibi dictum putat, quod beatus Petrus in epiſtolæ I. cap. V. ſcribit. Agathonis verba ſunt: *Qui* (Deus) *& ſpontaneam de nobis veræ de ſe fidei confeſſionem exſpectat, quod & B. Petrus Apoſtolorum princeps commonet: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Chriſti, non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum exhortantes.* Quoniam igitur Agatho credit beatum Petrum, & ſibi & ceteris Epiſcopis dixiſſe, *paſcite, qui in vobis eſt gregem*, hoc eum tanquam Chriſti præconem dixiſſe, credere quoque debet, alioqui commiſſa ſibi, & reliquis Præſulibus paſcendi poteſtas jure divino inſtituta non eſſet.

XVI. Gregorius II. in epiſtola II. ad Leonem Iſaurum Imper. *Scribe* (Imperator) *Gregorium Papam Romanum circa imagines errare, itémque Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham, & nos culpam recipimus; utpote qui poteſtatem à Domino accepimus, & auctoritatem terrena cæleſtiáque ſolvendi ac ligandi.* Quod Gregorius de Romano & Conſtantinopolitano Epiſcopis dicit, ad ceteros transferendum eſt.

Deinde in Romano Concilio, cui præfuit, Epiſcopos ſic affatur: *Cùm ſimus Dominicæ plebis supernâ miſeratione rectores, ſtudioſiùs nos convenit pro eorum ſalute cogitare.* De ſe & ceteris Epiſcopis ſimiliter loquitur; ac proinde ſuperna miſeratio, qua Dominicæ plebis rectores ſunt omnes, ad eos quoque omnes pertinet. Hinc paullo pòſt ſubjicit. *Deo verò favente, pro ſalute omnium ſtudere debemus, ut inconfuſo vultu, non de fraude cujuſque perculſi aſſiſtere æterno judici mereamur, & vocem audire inquientem: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Quæ ſcripturæ verba, ad Epiſcopos omnes æquè flectit, & ſignificat Romanum & alios Epiſcopos à Deo inſtitutos eſſe.

XVII. Gregorius III. in epiſtola III. ad Epiſcopos Provinciarum Germaniæ: *Ut populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis.* Deinde in epiſtola IV. ad Epiſcopos Barbariæ & Alemaniæ: *Et ut populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis.* Tum in epiſtola V. ad Bonifacium Epiſcopum: *Operare itaque frater, bonum opus, quod cœpiſti, ut in die Chriſti Dei noſtri merearis audire: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Sic Epiſcopi commiſſos ſibi à Deo populos regunt.

XVIII. Zacharias in epiſtolæ I. ad Bonifacium Archiepiſcopum capite I. *Tua verò ſancta fraternitas, ſi quid de cætero evenerit, ut ſacri docent canones, ſtudeat emendare in plebibus ſibi à Deo commiſſis.* Non dicit *in plebibus ſibi à me vel Sede Apoſtolica commiſſis*, ſed *in plebibus ſibi à Deo commiſſis.*

Deinde in epiſtola VIII. ad eundem: *Aſſiduè in noſtris orationibus memoriam tui agere*

non

non deſiſtimus, petentes immenſam Chriſti Dei noſtri divinitatem, ut in peragendum ſuum te confirmet miniſterium, quatenus in diem adventûs ejus illam placabilem merearis exprimere vocem: Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Zacharias deceſſorum & traditionem, & traditionis explicatricem vocem retinet.

Tum in epiſtola IX. ad Pippium Epiſcopos, Abbates & Proceres: *Hæc igitur chariſſimi nobis & dilectiſſimi, ad veſtri Præſulatûs notitiam & prædicationem, atque populi vobis à Deo crediti ædificationem mandavimus miniſtranda atque perficienda.*

Poſtremò in Romano Concilio, quod anno D. CC. XLIII. habuit: Ibi ſic in perſona ſua & Epiſcoporum, qui aderant, ſermonem inſtituit: *Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus dixit: Sanctorum probabilium Patrum exempla nos provocant, quæ ad firmitatem Orthodoxæ fidei, & ſtatus ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, ſeu Chriſtianæ religionis decreverunt, documenta proſequi, & verè ſpeculatores animarum à Deo conſtituti, curam Dominici gregis habere, ut jam à torpentibus & illicitis cauſis, juxta egregii Apoſtoli vocem, monendo, arguendo, & increpando ſubjectorum animas, à fauce deceptoris & antiqui hoſtis humani generis ſervatas, valeamus revelata facie gloriam Dei ſpeculari, ac dicere: Ecce nos & pueri, quos dediſti nobis, non perdidimus ex eis quemquam, ita ut & nos unuſquiſque mereamur audire deſiderabilem Domini vocem dicentis: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Sanctiſſimi Epiſcopi, & venerabiles Presbyteri & Diaconi omnes reſponderunt: Spiritus ſancti gratia diffuſa cor Apoſtolatus veſtri ſuccenſum eſt; ut noſtrorum ſimul & ſubjectorum animas divino ardore, & zelo conſtantiæ provideat, quia quantùm aſſiduè Magiſtræ & Dominæ noſtræ Apoſtolicæ Sedi præſentamur, tantùm ampliùs docemur, nobis à Deo creditis eſſe plebibus, quæ neceſſaria ſunt ad regendam plebem Dei educatis.* Zacharias ut ſe, ſic & alios Epiſcopos à Deo conſtitutos eſſe docet, quod & ipſi Epiſcopi & Preſbyteri repetunt: ita ut Concilii totius vox una ſit, ceteros Epiſcopos, & qui curam Dominici gregis habent, non minùs, quàm Romanum Pontificem à Deo inſtitutos eſſe. Æquali modo Zacharias loquitur, æquali modo Epiſcopi & Preſbyteri loquuntur, æquali modo univerſum Concilium loquitur.

XIX. Hadrianus I. in epiſtola LXXVII. Carolini codicis ad Carolum Magnum: *Ceteri vero Epiſcopi atque Preſbyteri in eorum degentes Eccleſiis canonicè, unuſquiſque per veſtrum regale robuſtiſſimum præſidium ſuum valeant regere populum à Deo ſibi commiſſum.* Sic in ejuſdem libri epiſtola XCI. ad eundem Carolum de ſeipſo loquitur: *Procul ejiciat peſtilentiam, ut noſtris veſtriſque diebus populus nobis à Deo commiſſus in magna degentes ubertatis affluentia .... mereamur regni gubernacula perfrui.*

XX. Leo IV. in epiſtola ad Britannicæ gentis Epiſcopos: *Quanto ſtudio, quantâque ſolertia gregem vobis à Domino commiſſam paſcitis, diviniſque fovetis eduliis, nobis directa ſcripta reſerarunt.* Sic Epiſcopi commiſſum ſibi à Domino, non à Petri ſucceſſoribus, gregem paſcunt.

Deinde in homilia de cura Paſtorali ſub perſona Epiſcoporum, Preſbyteros ſic alloquitur: *Nos vice duodecim Apoſtolorum fungimur, vos ad formam ſeptuaginta diſcipulorum eſtis.* Si Epiſcopi funguntur vice Apoſtolorum, iidem ſunt quoad ſuam inſtitutionem, qui erant Apoſtoli: at hos jure divino inſtitutos eſſe Epiſcopos, quis verè negaret? Præterea Leo in Apoſtolorum numero collocat ſe, qui divino jure, opinor, Romanus inſtitutus erat Epiſcopus.

XXI. Nicolaus I. in epiſtola ad Odonem Bellovacenſem Epiſcopum: *Quoniam ſanctitas tua retulit ac ſuggeſſit Apoſtolatui noſtro, quòd Eccleſia Bellovacenſis Provinciæ Remorum, cui divina favente gratia venerabilitas tua præeſſe cognoſcitur, rerum facultatibus, quæ prioribus temporibus, per terrenam poteſtatem privata manſit,* &c. Sic Odo divina favente gratia, non Sedis Apoſtolicæ, conſtitutus eſt Bellovacenſis Epiſcopus.

Deinde in epiſtola ad univerſos Epoſcopos Galliæ, quæ eſt XLVII. in tomo tertio Conciliorum Galliæ: *Subiturus tamen ad cælos hanc* (Eccleſiam) *Apoſtolis commendavit, ac per eos tanquam hæreditario jure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores & Epiſcopos ac Pontifices ſuper iſtam conſtituit, ejus providentiæ curam indulſit, quatenus pro patribus nati ſunt filii, & pro eis, conſtituti principes in omnem terram, imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius Chriſti.* Sic Romanus & alii Epiſcopi & Paſtores hæreditario jure ſuccedunt Apoſtolis; & cùm ita ſuccedunt, à Chriſto, ut Apoſtoli, poteſtatem juriſdictionis accipiunt.

XXII. Hadrianus II. in epiſtola I. ad Synodum Tricaſſinam: *Non quippe eſt diverſitas operis, ubi eſt una eadémque concordia voluntatis: Præſertim cùm debeamus ei in labore ſuccedere, cui ſucceſſimus in honore. Nimirùm qui ſumus, ut Pſalmiſta canit, pro patribus*

nati filii. In tom. III. Concil. Gall. de ſe & aliis Epiſcopis loquitur, & pari modo loquitur.

XXIII. Joannes VIII. in epiſtola VI. ad Epiſcopos, qui à Carolo deſciſcentes Ludovico Regi adhæſerunt: *Nonne lux mundi & ſal terra, virtute adteſtante, vos eſtis, qui verbis pariter & exemplis quaſi luminaria mundi lucere omnibus, atque inſulſas hominum mentes, ſapientia caleſtis ſale condire inſtantiſſimè debetis? Nonne vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo?*

XXIV. Formoſus eandem doctrinam ſequitur in epiſtola II. ad Epiſcopos Angliæ: *Secundùm legem plures facti ſunt Sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere, quod David conſiderans, & ſpiritu Chriſti Eccleſiam fore permanſuram ad finem ſaculi proſpiciens, ait, pro patribus tuis naſcentur tibi filii, conſtitues eos ſuper terram.*

XXV. Joannes IX. in Ravennatenſi Concilio ſic perorat converſus ad Epiſcopos LXXIV. qui convenerant: *Quia veſtra omnium fraternitas concordi voce ſibi placere profitetur, qua Chriſti Dei noſtri gratia inſpirante præfiximus, hortamur, ut ſecundùm debitam ſollicitudinem commiſſa ſibi à Deo Eccleſia curam unuſquiſque veſtrûm agere ſtudeat, & gregem Chriſti ſanguine redemptum bonis exemplis, & ſalutaribus documentis inſtruat, habens ſemper præ oculis illum tremendum judicem, qui ſuum ſacratiſſimum ſanguinem pro omnibus fudit. Commiſſa*, inquit, *ſibi à Deo*, non à ſe vel à Romano Pontifice, *Eccleſia curam agere ſtudeat.*

XXVI. Joannes XIII. in epiſtola ad Berengarium Virdunenſem Epiſcopum: *Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Berengario fratri noſtro Virdunenſis Eccleſia Epiſcopo, cum omnibus ſibi à Deo commiſſis, bravium æterna remunerationis.* Epiſtola hæc ſeu privilegium in Virdunenſi Chronico editum eſt.

XXVII. Alexander II. in epiſtola ad Lucenſis Eccleſiæ Canonicos: *Quamvis Eccleſiaſtica diſciplina cenſura pro officio nobis à Deo commiſſo, nos admoneat vigilanti cura univerſis Eccleſiis toto orbe terrarum diffuſis providere, ſpeciali tamen ſpeculatione noſtra Lucenſis Eccleſia pro poſſe nos opitulari oportet, cujus regimen antequam ad Apoſtolica Sedis curam vocaremur, divina nobis impoſuit Providentia.* In tomo I. Italiæ ſacræ. Non dicit, Romanus Pontifex nobis impoſuit ſed divina Providentia.

XXVIII. Gregorius VII. ut de ſeipſo dicit in libri VIII. epiſtola I. ad Simandenſem Archiepiſcopum: *Summa ſedis ſpecula, cui Deo auctore licèt indigni præſidemus*, &c. Sic & de aliis Epiſcopis dicit, ut in libri I. epiſt. III. ad Guibertum Ravenatenſem Archiepiſcopum: *Neque verò dilectioni veſtra dubitandum eſt, quin Romanam Eccleſiam & eam, cui Deo auctore præſidetis, ea concordia & quantum cum communi utriuſque honore poterimus, omnimoda charitate copulare deſideremus.* Sed omnia concludit in libri I. epiſtola XXII. ad clerum & plebem Carthaginienſem: *Rixas & contentiones, ut venenum vitate humilitatis diſcipuli, humilitatem induite. Chriſti vicem ſuper vos habenti ex debito obedite, conſilia, admonitiones ejus vero amore amplecti inſudate, ſcientes cùm ſibi, Chriſto, qui pro vobis paſſus eſt, obedieritis, ejus verò prædicationes, judicia etiam cùm ſuſceperitis, Chriſti per omnia ſuſcipietis, ait enim, qui vos ſuſcipit me ſuſcipit. qui vos ſpernit me ſpernit: Aliter verò ſi feceritis, in Chriſtum peccatis, Chriſtum ſpernitis, Chriſti diſcipuli eſſe deſinitis, Apoſtolo reſiſtitis, qui ait: Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit. Cùm ergo mundanis poteſtatibus obedire prædicarit Apoſtolus, quantò magis ſpiritualibus, & vicem Chriſti inter Chriſtianos habentibus. Hæc filii cariſſimi, gemens cogito, flens ſcribo, dolore cordis intimo vobis mitto. Pervenit quippe ad aures noſtras quoſdam veſtrûm irreligiosè in legem Chriſti, contra Chriſtum Cyriacum venerabilem fratrem noſtrum, veſtrum verò Archiepiſcopum & Magiſtrum, imò verò veſtri Chriſtum apud Saracenos ſic accuſaſſe.* &c.

XXIX. Urbanus II. in allocutione ad Juonem conſecratum à ſe Carnotenſem Epiſcopum: *Nam ſi ſalvator noſter dixit, non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam ponit pro ovibus ſuis: quantò magis nos deſidioſi ſervi ſummi Patriſfamilias debemus maximo ſudore incumbere. & oves Dominicas nobis à Summo Paſtore conſignatas ad ovile Dominicum ſuffragante divina gratia abſque morbo vel macula perducere.* Hæc perſpicua ſunt, de Juone perinde ac ſe loquitur, cùm ait, *oves Dominicas nobis à ſummo Paſtore conſignatas.*

XXX. Paſchalis II. in epiſtola XXI. ad Didacum Compoſtellanum Epiſcopum: *Ad hoc te omnis potens Deus populo ſuo præeſſe conſtituit, ut ejus peccata corrigas, & Domini annunties voluntatem.*

XXXI. Gelaſius II. in epiſtola I. ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, &c. per Galliam conſtitutos: *De controverſia, qua inter Eccleſiam & regnum eſt, vel conventioni, vel*

juſtitia

juſtitia libenter acquieſcimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremona in proxima beati Lucæ feſtivitate, fratrum noſtrorum judicio, qui à Deo ſunt judices conſtituti in Eccleſia. Si Epiſcopi Papæ ſententiâ ſunt judices à Deo conſtituti in Eccleſia, ſuam à Deo non à Papa juriſdictionem acceptam ferre debent.

XXXII. Calliſtus II. in protectionis privilegio, quod Viennenſi Eccleſiæ conceſſit: *Calliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro decano, & Canonicis, ſive Clericis Viennenſis Eccleſiæ tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum. Etſi Eccleſiarum omnium cura nobis ex Apoſtolicæ Sedis adminiſtratione immineat: Viennenſi tamen ſpecialiùs convenit charitatis ſtudio providere. Ipſa enim primum diſponente Deo ſollicitudini noſtræ commiſſa eſt.* Quæ poſtrema verba ſignificant, Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopum ſuam à Deo juriſdictionem proximè accipere: *Viennenſis*, inquit, *Eccleſia diſponente Deo ſollicitudini noſtræ cura commiſſa eſt*, quo modo Romani Pontifices de inſtitutione ſua in Romana Eccleſia non raro loquuntur.

XXXIII. Honorius II. in privilegio, quod Burcardo Meldenſi Epiſcopo conceſſit: *Proinde, cariſſime in Chriſto frater Burcarde Epiſcope Meldenſis Eccleſiæ, cujus à Deo tibi cura commiſſa eſt ſalubriter ſtatuimus.* In Chartulario Meldenſis Eccleſiæ. Non dicit, cujus à me vel meis deceſſoribus, ſed à Deo cura commiſſa eſt.

XXXIV. Innocentius II. in epiſtola ad Litifredum Novarienſem Epiſcopum: *In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula diſponente Domino conſtituti, ex injuncto nobis officio fratres noſtros Epiſcopos diligere, & commiſſis ſibi à Deo Eccleſiis ſuam debemus juſtitiam conſervare: proinde cariſſime frater, Litifrede Epiſcope Novarienſis Eccleſiæ, cujus à Deo cura tibi commiſſa eſt, ſalubriter providere ſtatuimus.* In tomo IV. Italiæ ſacræ. Ecce tibi Eccleſiæ Epiſcopis à Deo commiſſæ. Ecce tibi Novarienſis Eccleſia à Deo commiſſa Litifredo Epiſcopo.

XXXV. Lucius II. in epiſtola ad Rainerium Ariminenſem Epiſcopum: *In eminente Apoſtolicæ Sedis ſpecula diſponente Domino conſtituti, ex injuncto nobis officio fratres Epiſcopos debemus diligere, & Eccleſiis ſibi à Deo commiſſis ſuam juſtitiam conſervare.* In tomo III. Italiæ ſacræ.

XXXVI. Eugenius III. in epiſtola ad Gottifridum Lucenſem Epiſcopum: *In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula conſtituti, ex injuncto nobis Apoſtolatus officio fratres noſtros Epiſcopos debemus diligere, & Eccleſiis ſibi à Deo commiſſis ſuam juſtitiam conſervare.* In tomo I. Italiæ ſacræ. Hæc loquendi formula, *Eccleſia à Deo Epiſcopis commiſſa* non minùs ſignificat, Epiſcopos à Deo proximè inſtitui, quàm hæc alia loquendi formula, *Romanum Epiſcopum in Sedis Apoſtolicæ ſpecula diſponente Domino conſtitui*, ſignificat Romanum Epiſcopum à Deo proximè inſtitui.

XXXVII. Anaſtaſius IV. in epiſtola ad Rodulfum Feſulanum Epiſcopum: *Officii nos hortatur auctoritas, fratres noſtros Epiſcopos debita charitate diligere, & Eccleſiis regimini eorum à Deo commiſſis ſuam juſtitiam conſervare.* In tomo III. Italiæ ſacræ.

XXXVIII. Alexander III in privilegio, quod Stephano Meldenſi Epiſcopo conceſſit: *Proinde chariſſime in Chriſto frater, Meldenſi Eccleſiæ, cujus à Deo tibi cura commiſſa eſt, ſalubriter providentes ..... ſtatuimus, ut,* &c. In Chartulario Meldenſis Eccleſiæ.

XXXIX. Gregorius VIII. in epiſtola III. ad omnes Eccleſiarum Prælatos: *Quoniam ad Epiſcoporum maximè ſpectat officium afflictis & laborantibus ſubvenire, unúmque illorum licèt deficientibus meritis me eſſe voluit, proſpicere tenemur*, &c. Si Romanus Antiſtes unus eſt ex Epiſcopis, non poteſt ipſe divino jure inſtitutus eſſe Epiſcopus, quin ceteri divino quoque jure inſtituti ſint Epiſcopi. Sic omnes inſtitutionis ejuſdem ratio una conſtringit.

XL. Innocentius III. in Lateranenſi Concilio cui præſuit, capite I. de fide Catholica: *Hoc Sacramentum* (altaris) *nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos fuerit ritè ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Jeſus-Chriſtus:* Et hoc cùm in Lateranenſi Concilio dictum ſit, nec repugnaverit Concilium, Concilio ipſi poteſt attribui. Quo in caſu quis niſi ſchiſmaticus contradiceret? Igitur ſi Chriſtus Eccleſiæ claves conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus nimirum Epiſcopis, hi à Chriſto, non à Romano Pontifice, ligandi & ſolvendi poteſtatem juriſdictionem videlicet acceperunt.

XLI. Honorius III. in epiſtola ad Bennonem Senogalienſem Epiſcopum: *In eminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula, licèt immeriti diſponente Domino conſtituti, fratres noſtros Epiſcopos, tam propinquos, quàm longè poſitos fraterna debemus charitate diligere, & Eccleſiis ſibi à Deo commiſſis Paſtorali ſollicitudine providere.* In tom. II. Ital. ſacræ.

XLII. Gregorius IX. in protectionis privilegio, quod Rogerio Tricarienſi Epiſcopo, & ſucceſſori-

ſucceſſoribus dedit: *In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, licèt immeriti diſponente Domino conſtituti, fratres noſtros Epiſcopos tam propinquos, quàm longè poſitos fraterna debemus charitate diligere, & Eccleſiis ſibi à Deo commiſſis paſtorali ſollicitudine providere.*

XLIII. Alexander IV. in epiſtola ad Rotomagenſem Archiepiſcopum, & Comprovinciales: *Sic verè quod dicimur, Paſtores ovium Chriſti ſumus, non impavidè ferre poſſumus terribiliter intonantia noſtris ſenſibus contra paſtoralis curæ negligentiam ſacrarum oracula ſcripturarum, quæ detrimenta Dominici gregis in præſidentium deſidiam retorquentes, minaciter inclamant pereuntium ſanguinem, de præpoſitorum manibus extorquendum.* Et paullo pòſt: *O formidoloſa ſpeculatorum, quos populo ſuo diſpenſatio divina præpoſuit, & periculoſa conditio, ſic perfunctoriè res agatur, ſi eo modo in ſollicitudine commiſſa non militent, quo ſummus præcipit Imperator, ſi ſibi & univerſo gregi cui Deus eos cuſtodes & Epiſcopos conſtituit, non attendant, iis præcipuè horrendum erit humanorum operum finale judicium omnibus in commune tremendum.* Et poſt alia: *Excitet vel Summi Paſtoris amor, qui vos paſcendis rationalibus ovibus dedicavit.* Apud Odericum Rainaldum in tomo XIII. Eccleſiaſticorum Annalium. Quidquid ad explicandam Epiſcoporum auctoritatem divinitus inſtitutam requiritur, hac in epiſtola reperitur. Primùm locutio hæc: *Vos populo divina diſpenſatio præpoſuit.* Deinde hæc altera locutio: *In ſollicitudine commiſſa militant Epiſcopi, quomodo Imperator ſummus præcipit.* Tum locutio hæc tertia: *Univerſo gregi, cui Deus cuſtodes atque Epiſcopos conſtituit.* Denique locutio hæc quarta: *Summus Paſtor Epiſcopos paſcendis rationalibus ovibus dedicavit.*

XLIV. Pro reliquis Pontificibus abundè ſufficiet Miſſale Rumanum in oratione, quæ feria VI. in paraſceve Domini pro Romano Antiſtite ad Deum funditur: *Oremus & pro beatiſſimo Papa N. ut Deus & Dominus noſter, qui elegit eum in ordine Epiſcopatus, ſalvum atque incolumem cuſtodiat Eccleſiæ ſuæ ſanctæ ad regendum populum ſanctum Dei.* Quod hìc de Papa dicitur, de ceteris Epiſcopis, putà Eugubino dici poteſt. Quem Deus & Dominus noſter elegit in ordinem Epiſcopatus, *cujus ſine dubio pars à ſingulis in ſolidum tenetur*, ut beatus Cyprianus loquitur: *Elegit in ordine Sacerdotii, quod eſt per diverſos Antiſtites unum, ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas*, ut Symmachus Romanus Pontifex affirmat.

Nunc ſi tot Pontifices redirent in terras, & Romæ congregarentur in ſede Petri, fieret Concilium, quo nullum eſſet, vel à perſonarum dignitate auguſtius, vel à doctrina & vitæ ſanctimonia illuſtrius, vel ab aſſertione rei conſtantius, ſi maximè adjungerentur præſides Eccleſiarum omnium, in quibus quæ mox relata eſt pro Pontifice oratio, ablati ſponſi die ſanctiſſimo decantatur, & aſſenſu ſummo fidelium comprobatur.

Hæc eſt circa dogma Eccleſiaſticum Sedis Apoſtolicæ traditio, quam ab initio uſque ad ſanctum Bonaventuram deduximus. Perſpecta & animadverſa illa non fuit Doctori ſancto, cùm in quadrimembri diviſione Sacerdotis proprii de primo membro aſſeruit. *Primus & præcipuus eſt Summus Pontifex, cui tota Eccleſiaſtici gregis cura ſingulariter commiſſa eſt, ità quòd omnes inferiores Eccleſiæ rectores curam & poteſtatem, quam habent ſuper ſubditos, ab illo accipiunt mediatè vel immediatè.* Deliberandum non eſt poſtea, cui magis credendum ſit, an Bonaventuræ, vel jugi Sedis Apoſtulicæ traditioni, quæ illius dictis non poteſt non præponderare, errorìſque notam inurere Bonaventuræ ſectatoribus? Bonaventura quadrimembrem Sacerdotis proprii diviſionem extra Lateranenſis canonis fines ad arbitrium compoſuit, ut eam in omnem eventum adverſariis objiceret. Sed dum agit de Lateranenſis canonis Sacerdote proprio, hunc ad Parochialem Preſbyterum ſemel atque iterum revocat, ut in obſervatione ſuperiori oſtendimus.

Neque verò prætermittendum eſt, in Bonaventuræ & ſectatorum ejus opinione ſequi duo, quæ omnium animis & auribus abſona videbuntur. Alterum eſt, Romanum Pontificem in Hierarchia, quæ à Tridentino Concilio ſic definitur: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis & Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*, non contineri, aut ſi continetur ſub promiſcuo Epiſcoporum nomine contineri; & tamen ita contineri non poſſe, quòd ille ſolus divina ordinatione inſtitutus ſit, ceteris Epiſcopis humana tantùm ordinatione inſtitutis. Quare ſi Romanus Pontifex ad eam pertineret Hierarchiam, in relata definitione nominandus fuiſſet maximè, qui nominatus non eſt.

Alterum verò, in principatus ſacri definitione, eos tantùm contineri Epiſcopos, qui divina ordinatione inſtituti ſunt, & hocce pacto Tridentini Concilii prudentiam & auctoritatem ludibrio exponi. Tam abſurdæ complexiones vitari nequeunt, niſi Bonaventuræ & ſectatorum

& ſectatorum ejus opinio amandetur procul, Romanúſque & alii Epiſcopi omnes divina ordinatione inſtituti pariter, & in Tridentina Hierarchiæ definitione contenti dicantur.

Beatus Thomas diſtinctionibus jam inventis nec probatis aſſuetus ſignificat duo, quorum prius eſt, in annua confeſſione proprium Sacerdotem in tres diſtribui, Parochialem Presbyterum, diœceſanum Epiſcopum, & Papam. Poſterius, *per hoc non impedîri quin qui ſemel in anno confitetur Sacerdoti proprio, ſcilicet Parochiali, dato quòd de eo tantùm intelligatur* (Lateranenſis canon) *aliis vicibus poſſit aliis etiam confiteri, qui poteſtatem habent abſolvendi.* Hac autem verborum complexione, niſi priùs corrigat, ſaltem prodit ſe; cùm rei difficultate præpediretur, Sacerdotem proprium in genera tria diviſiſſe, & Sacerdoti proprio, qui in Lateranenſi canone Parochialis tantùm eſt Preſbyter, adjeciſſe Papam & diœceſanum Epiſcopum, non tam quod illi ad Lateranenſis Concilii mentem poſſent adjici, quàm quòd Sacerdotis proprii nomine inſigniri poſſe viderentur.

Sic intelligenda Concilia duo, Claromontanum & Saliſburgenſe, quorum verba retulimus in capite II. explicatæ traditionis. Id inde confirmatur, quòd ſeorſum à Lateranenſi canone loquantur. In ſumma cùm in noſtræ epochæ primæ & ſecundæ Theologis auctoritas ſit tanta, quanta eſt illorum ratio, nec timenda, nec ſpectanda eſt illorum ſine ratione auctoritas. Siquidem dum illi canonis Sacerdoti proprio, Parochiali nimirum Presbytero, & à ſe & ab omnibus aliis agnito ſuperponunt duos, Papam, & diæceſanum Epiſcopum, rationem nullam adferunt, quæ ex certa verborum canonis complexione, ſcopo & fine comparetur. Non attendunt tempus, nec ſtatum, quo res fidelium tum eſſent, cùm canon conditus eſt: non ſignificant attendere, propter quid & de quo canon dicitur. Deinde adverſantur Sedis Apoſtolicæ traditioni, quæ in obſervatione ſuperiori à Lateranenſis Concilii tempore derivatur. Porro autem cur hæc omnia non attenderunt, neceſſitas fuit maximè quam, ut Anglis Lateranenſem Canonem objicientibus reſponderent, ultrò imponendam ſibi eſſe duxerunt. In controverſiam vocarunt canonem, & continuò ita reſponderunt, ut opinioni ſuæ & privilegiis incommodare non viderentur.

Ceterùm tractandarum quæſtionum iſtarum modus beato Ludovico, qui tum regnabat in Gallia, non placuit. Id apertè teſtatur Gaufridus Bellilocus in libri de vita illius capite XXIII. *Non*, inquit, *libenter legebat in ſcripturis magiſtralibus, ſed in Sanctorum libris authenticis & probatis*, quos inter numerat Ambroſium Hieronymum, Auguſtinum & Gregorium.

OBSERVATIO IV.

Qui poſt primam & ſecundam epocham Sacerdotem proprium in Romanum Pontificem, diœceſanum Epiſcopum, & Parochum diviſerunt, indicantur, eorúmque dicta nonnihil adhuc examinantur.

HENRICUS Gandavenſis in cap. ſeu epocha III. primus occurrit, ubi ſic docet: *Ad nonum: Quòd ſi ſtatutum illud, Omnis utriuſque ſexus, in ſuo robore maneret, confeſſus ergo Epiſcopo vel Pœnitentiario ejus iteratò deberet confiteri eadem peccata ſuo proprio Sacerdoti. Dicendum ad hoc, quòd omnes habentes juriſdictionem ordinariam per ordinem ſecundùm, ſub & ſuprà, una perſona reputantur & unus Sacerdos, & quilibet illorum eſt immediatus Curatus, Papa omnium totius mundi, Epiſcopus omnium ſuæ diœceſis, & Sacerdos parochialis omnium de ſua parochia.* In his poſtremis verbis nova ſunt omnia, nam à Chriſto uſque ad Lateranenſe Concilium IV. neque Concilium ullum, ſive generale, ſive particulare, neque Pontifex ullus unquam aſſeruit Romanum Pontificem immediatum eſſe omnium totius mundi, & Epiſcopum omnium ſuæ diœceſis Curatum, ſeu quod idem eſt, parochialem Presbyterum. At Catholici Doctores ſectariis quibuſlibet doctrinæ antiquitatem, non novitatem anteponunt. Deinde ſi Romanus Pontifex immediatus eſſet omnium totius mundi Curatus, diœceſani Epiſcopi, & parochiales Presbyteri, Vicariam Romani Pontificis præfecturam gererent; quò nihil eſt Romanæ Eccleſiæ traditioni magis contrarium. Id apparet, ſive cùum Romani Pontifices diœceſanos Epiſcopos fratres & Coepiſcopos ſuos nominant, ut videre eſt in epiſtola ad Raimundum Formentinum, quæ eſt in parte v. epiſtolarum noſtrarum, ſive cùm iidem Romani Pontifices memorati in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, Sacerdotis proprii nomen & notionem à ſe abalienant, & diœceſanos Epiſcopos pari ſecum jure, id eſt, divino inſtituto agnoſcunt, ut videre eſt ſuprà in obſervatione II. & III. ſive cùm Gregorius I. in epiſtolis XII. refellit errorem Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui ſe univerſalem Patriarcham vel Epiſcopum nuncupabat, ut videre eſt in noſtra Sedis Apoſtolicæ defen-

ſione adverſus privilegia ſubreptitia: ſive cùm Gerbertus vel Silveſter II. ad Pariſienſem Epiſcopum ita ſcribit in epiſtola CXLV. *Etſi omnis Eccleſia Catholica una atque eadem eſt, ſingulis tamen Sacerdotibus modus quidam præſcriptus eſt, quò ſe extendere, ubi terminos debeant collocare.* Gerbertum vel Silveſtrum ſecundum dixi ex uſu Romanæ Eccleſiæ, in qua quæ Pontifices opera ante Pontificatum ediderunt, Romanis ipſis Pontificibus attribui ſolent, ut patet in Gregorio I. Innocentio III. & quibuſdam aliis.

* Rogerius in cap. ſeu epocha VI. laudatus: *Ampliùs*, inquit, *iſte terminus* (proprius) *in ſtatuto nec Papam, nec Epiſcopos excludit, quominus ſint proprii Sacerdotes ad mentem ſtatuti, imò eoſdem æquivalenter includit. Patet per Joannem Andream in novella eodem titulo, ſuper verbo, nullatenus audiatur, qui dicit, quòd Papa, Epiſcopus proprius, Legatus in provincia, Archipresbyter Sedis, Parochialis Presbyter non ſunt proprii Sacerdotes.* Et primùm quidem argumentum eſt leviſſimum, quod ut probet Papam & Epiſcopos ad mentem canonis Sacerdotes eſſe proprios, aſſumit ex auctoritate nimirum Joannis Andreæ qui Rogerio pæne æqualis erat. Joannes Andreas obiit anno M. CCC. XLVIII & Rogerius anno M. CCC. LX. Deinde non ſatis eſt aſſerre, *nullatenus audiatur, qui dicit*, quod Andreas dicendum eſſe negat. Requiritur ſolida probatio, quæ cùm Andreæ deſit, merè gratuita eſt Rogerii aſſertio. Huic inſuper oppono Sedis Apoſtolicæ traditionem, quæ in obſervatione II. apertam in lucem prodita eſt.

Marſilius in eodem cap. laudatus: *Reſpondetur*, inquit: *ad primum, quòd proprius Sacerdos poſſet dici dupliciter: Uno modo prout proprium diſtinguitur contra commune, & ſic ſumitur in concluſione, quia non eſt neceſſe ſic habere proprium Sacerdotem, cum omnis Curatus Sacerdos ſit communis omnibus de ſua Cura. Secundo modo proprius Sacerdos dicitur, quòd non eſt alienus, & tales Sacerdotes reſpectu omnium hominum ſunt duplices: quidam ordinario jure Eccleſiæ, qui ſunt triplices, vel ut in quibuſdam quadruplices, ſcilicet Curatus, Epiſcopus, & Papa vel etiam in quibuſdam poſt Epiſcopum Archiepiſcopus, quorum nullus eſt alienus reſpectu ſibi commiſſorum: Alii dicuntur proprii Sacerdotes jure delegato.* Tot Sacerdotis proprii diviſiones & ſubdiviſiones referre, oppidò confutare eſt. Quis enim prudens & attentus crederet, Lateranenſe Concilium ad illas omnes reſpectum habuiſſe, cùm ſtatuit, ut omnis utriuſque ſexûs fidelis Sacerdoti proprio ſaltem ſemel in anno confiteretur? Marſilius Lateranenſis Concilii canonem non tam explicat, quàm ex eo ſumit anſam fingendi tot Sacerdotes proprios, quot ad arbitrium ſuum fingit.

Ægidius Carlerius in cap. VII. laudatus: *In Decretali*, inquit, *Omnis utriuſque ſexus, proprius Sacerdos dicitur, vel ordinarius, qui eſt triplex, ſcilicet, Papa, Epiſcopus diœceſanus, & Sacerdos parochialis, vel commiſſus ab aliquo horum aut privilegiatus.* Et primùm quidem Sacerdotem proprium per Sacerdotem ordinarium exponit, expoſitionique huic, Papam, diœceſanum Epiſcopum, & parochialem Presbyterum inædificat, ſed æras, in qua conditus eſt Canon, *Omnis utriuſque ſexus*, id non permittit. Tunc Romanus Pontifex non dicebatur Romanæ Eccleſiæ Sacerdos ordinarius. Siricius à beato Ambroſio dictus eſt Romanæ Eccleſiæ Sacerdos: ſed non adjicitur, ordinarius, & ſanè non memini legere me eruditionis notæ ſcriptorem ullum, qui ante Carlerium Romanum Pontificem vocaverit Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem ordinarium. Deinde Innocentius III. qui Lateranenſi Concilio, ſub finem vitæ ſuæ præfuit, ad Epiſcopos ſcripſit epiſtolas pæne innumerabiles, ſed nullum unquam Eccleſiæ, putà Eugubinæ, Sacerdotem ordinarium apellavit. Noverat vir doctus nomen (ordinarius) apud Grammaticos Oppium & Feſtum id aliquando præ ſe ferre, quod Epiſcopali dignitati non convenit. Quis enim Epiſcopum ordinarium hominem, ſcurram ſcilicet & improbum vocare auderet? Noverat quoque nomen hoc apud Juriſconſultos nunc ſervum; nunc Vicarium, nunc Vicarii dominum ſignificare. Ordinarius ſervus in aulâ Regis Galliæ etiamnum dicitur. Ulpianus reliqua nos docet. A paucis ſæculis uſus invaluit, ut ordinariorum nomine Epiſcopi deſignentur, & Romanus Pontifex ordinariorum ordinarius dicatur. Sed hoc Lateranenſem canonem nihil attinet. Manutius, qui Tridentini Concilii latinitatem curavit, eo nomine uſus eſt, nec uſus eſſet, ſi qua ratione, quominus formula, *Synodus* ſeu *Concilium univerſalem repræſentans Eccleſiam*, in actis adhiberetur, obſtiterunt Romani Pontificis Legati, obſtitiſſent ceteri Pontifices, ne ordinariorum vox, dum agitur de Epiſcopis, uſurparetur. Quidquid id eſt, ad Lateranenſis Concilii mentem non eſt Carlerii interpretatio, ut perverſa concidit.

Guillel-

* Is eſt Rogerus Connovius ſeu de Conway minorita de quo vide hiſtor. litter. Cave in Append. p. 35. & Wadingum de Scriptoribus Ordinis Minorum p. 312.

Guillelmus Caſtrofortius in cap. VIII. laudatus, Carlerii verba ipſamet deſcribendo, eandem atque Carlerius fortunam experitur, & meritò experiri debet.

Philippus Lingonenſis Epiſcopus in ſua Synodo ibidem laudatus: *Ne remaneat*, inquit, *aliqua dubitatio, quis proprius dicatur Sacerdos, declaramus prout Doctores & jura declarant, quod proprius Sacerdos eſt Papa, ejus Legatus, Epiſcopus & Pœnitentiarius diœceſanus, & ejus Vicarius generalis, & ille cui parochialis Eccleſia cura eſt commiſſa.* In ſuperiori obſervatione jam notavimus à Lingonenſi Epiſcopo de Sacerdote proprio ſermonem inſtitui extra Lateranenſem canonem, alioquin ille ſecum pugnaret, & ad ferendum hac de re judicium inhabilem ſe redderet. Hîc ut dictum probet ſuum, ad jura & Doctores confugit. Doctores nominare potuit, quos jam retulimus & repulimus: ſed jura nominare non potuit, canones ſcilicet ſpiritu Dei conditos & totius reverentia conſecratos, ut Romani Pontifices Leo I. & Gregorius VII. loquuntur; vel Sedis Apoſtolicæ Decreta ex iiſdem canonibus promulgata, vel ab iis non diſcordantia, ut Leo I. & Silveſter II. loquuntur. Dico ampliùs. In obſervatione II. exhibui plura Romanorum Pontificum teſtimonia, quorum alia ſunt ex Lateranenſi canone promulgata, alia non promulgata; & tamen nullum eſt, quod Sacerdotem proprium aliter, quàm Parochum determinet. Hoc urgeo & premo, urgebóque & premam ſemper, quia Sedis Apoſtolicæ traditioni immobiliter adhæreo.

Hadrianus in cap IX. laudatus eò ſe recipit ut tandem pronunciet, *quòd per proprium Sacerdotem textus ibi intelligit Curatum, Epiſcopum, Papam & hujuſmodi ordinarios ſuperiores.* At textum id non intelligere in obſervatione II. planum fecimus, & quia Papam & Epiſcopum diœceſanum ſuperiores ordinarios vocat, hoc dicit poſt Carlerium quem mox diſploſimus. Ut una eſt utriuſque aſſertio, ſic una eſt utriuſque confutatio, quæ ex Sedis Apoſtolicæ traditione vim & robur obtinet & ſemper obtinebit, etiamſi fratres nonnulli fratrum adjutores reluctentur.

Joannes Raulinus in cap X. laudatus: *Per proprium*, ait, *Sacerdotem intelligimus Summum Pontificem, Epiſcopum diœceſanum, Presbyterum Parochialem, & eorum Vicarios ſeu commiſſos*, quia vult intelligere, non quia probat aut probare poteſt. Atque ita ut gratis dicitur, ſic & gratis negatur.

Petrus Tartaretus in eodem cap. laudatus pari modo excipiendus eſt, cùm ait: *Proprius Sacerdos capitur pro habente auctoritatem abſolvendi, & dicunt communiter, quod intelligitur de habente auctoritatem abſolvendi, ſive ex jure ordinario, ſive ex privilegio:* Dicunt quidem, ſed non probant, ac proinde idem eſt ac ſi nihil dicerent, quia tantùm auctoritas in his Theologis, quantùm ratio, cum ratio Sedis Apoſtolicæ traditione nulla fulciri poſſit.

Jacobus Almainus ibidem laudatus: *Et iſti, meo*, inquit, *judicio, meliùs dicunt ad intellectionem textus, quòd capitur proprius Sacerdos pro ordinario:* Id etiam docuit Carlerius, quem ſuprà dedocuimus, quo pacto dedocendus eſt Almainus.

Joannes Maior ibidem laudatus: *Secundò*, inquit, *patet quòd per proprium Sacerdotem non oportet intelligere plebanum ſed ſufficit Sacerdos ſpecialis, generalis, vel generaliſſimus, vel ab eo auctoritatem habens: Deinde confitens his religioſis non confitetur alieno Sacerdoti, ut alienus diſtinguitur contra acceptiones proprii, ſcilicet, communiſſimi, communis & ſpecialis.* Lateranenſem canonem nec ex ſeipſo, nec ex vetuſtiori diſciplina & loquendi modo, nec ex rebus circunſtantibus explicat, ſed ex variis diſtinctiunculis, quas illi Alenſis ſuppeditat, ſed valdè inutiliter, ut jam ſuo loco viſum eſt.

Georgius Gemmigenus ibidem laudatus ait, *Papam eſſe Curatum ſeu proprium Sacerdotem totius Chriſtianitatis, & qui confitentur Mendicantibus, confeſſos eſſe de licentiâ ſui proprii Sacerdotis, id eſt Papa.* Igitur ſi Papa eſt Curatus & proprius Sacerdos Chriſtianitatis totius, diœceſani antiſtites & Parochiales Preſbyteri erunt omnes Papæ Vicarii. Qui canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, proprium Sacerdotem ſic exponit, & canoni contradicit, & deridendum ab omnibus ſe præbet.

Arturus Fillonius ibidem laudatus: *Nec*, inquit, *cuilibet facienda eſt confeſſio, ſed proprio Curato, aut ab eo commiſſo, vel commiſſis Vicariis, vel ſuperioribus Curatis, ut Epiſcopo, Papa, aut per eos ad hoc commiſſis.* A Lateranenſis canonis ſenſu abhorret novus loquendi modus, quo utitur Fillonius. Quis unquam vel ante Concilium, vel Concilii tempore Romanum Pontificem, vel diœceſanum Epiſcopum parochiæ alicujus Curatum proprium appellavit? Et ſanè Fillonii aſſertio cùm probatione vacua ſit, ſponte ſua diſſilit.

Joannes Celaia in cap. XI. laudatus ſcribit: *Joannes de Polliaco deceptus eſt propter ignorantiam. Ignorabat enim, quòd quilibet parochianus habet tres Sacerdotes proprios ordinarios:*

mus eſt rector ipſius, ſecundus principalior eſt Epiſcopus ejuſdem parochiani, tertius principaliſſimus eſt Dominus Papa. Intus ſibi canit, non Lateranenſi canoni, quem à tempore Lateranenſis Concilii Pontificum nullus unquam ita intellexir. Tum excipir argumenta, quibus Carlerii teſtimonium inane reddidimus. Poſtremò verba hæc, *diœceſanus Epiſcopus parochiani cujuſpiam eſt rector ſeu Sacerdos principalior, & Papa principaliſſimus*, ſunt nova, & quo rempore conditus eſt canon, inaudita, & ideo ad intelligendum canonem minimè apta.

Joannes Colctus in cap.XI. laudatus: *Proprius*, inquit, *Sacerdos intelligitur omnis ille, qui curam ordinariam animarum habet, ſicus Papa, Legatus, Epiſcopus, ipſius Pœnitentiarius & Vicarius generalis. Item Archipreſbyter Eccleſiæ cathedralis & Preſbyter parochialis.* Eſt narratio rei probandæ, quæ non probatur, nec probari poteſt idoneis rationibus, quæ ex Lateranenſi canone & illius circunſtantiis repetantur.

Synodi quinque, Toloſana, Claromontana, Carnotenſis in cap. XI. Lugdunenſis & Aurelianenſis in cap. XII. laudatæ idem verbis iiſdem declarant. *Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem, Epiſcopum Vicarios illius, Rectorem & ejus Vicarium, & generaliter omnes alios Sacerdotes à prædictis deputatos.* Dicimus, inquiunt, quia placet tantùm dicere. Nam obſiſtir recta Lateranenſis canonis intelligentia, & Sedis Apoſtolicæ traditio, quam explanavimus. Ut omittam plures alias Synodos, quæ unicum Sacerdotem proprium agnoſcunt Parochialem Preſbyterum.

Franciſcus Nicolaus in eodem cap. XI. laudatus Carlerii propoſitionem ita repetit: *Accipitur in prædicta Decretali ſeu ſtatuto proprius Sacerdos pro ordinario ſeu eo, qui habet juriſdictionem in pœnitentem, & qui eſt triplex, Summus Pontifex in omnes, Epiſcopus in ſuos diœceſanos, & Curatus ſeu Presbyter in ſuos parochianos.* Non eſt neceſſe repetere, quæ ſuprà Carlerii propoſitioni objecimus. Præterea ſi Romanus Pontifex Sacerdos eſſet proprius in Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, notatus, Lateranenſis Concilii Patres id ſtatuiſſent, quod Romanus Pontifex exequi non poſſet, aliàs dicendum eſſet diœceſano, Antiſtites & Parochiales Preſbyteros Romani Pontificis vicem duntaxat gerere: quo nihil eſt Romanæ Eccleſiæ tradirioni magis oppoſitum & repugnans.

Gabriel Vaſquez in cap. XII. laudatus ita ſcribit: *Ut nulla ſit æquivocatio in Decretali, Omnis utriuſque ſexus, nomine proprii Sacerdotis intelligitur quicunque habens ordinariam juriſdictionem, hujuſmodi ſunt Paſtores, ſcilicet Parochi, Epiſcopi & Pontifex.*

Item, Nicolaus Iſambertus in cap. XIII. laudatus eandem tuetur ſententiam: *Nomine proprii Sacerdotis ibi intelligi omnem cum Sacerdotem, cui cura animarum incumbit ex officio, ſeu qui ex vi dignitatis ſuæ vel officii, habet ordinariam juriſdictionem in ſuos. Unde cùm Summus Pontifex habeat curam totius Eccleſiæ, & ordinariam juriſdictionem in unumquemque fidelium, ſimiliter & Epiſcopus juriſdictionem ordinariam in unumquemque ſuorum diœceſanorum, Parochus ſeu Curatus ſimiliter in unumquemque ſuorum parochianorum, item & Prælatus alicujus Ordinis: ſit ut illi omnes & ſinguli ſint, & dicantur proprii Sacerdotes in iſto Cap.* Hæc Vaſquis & Iſamberti ſententia incurrit in abſurdas complexiones illas omnes, quas adverſus eandem Ægidii Carlerii, Franciſci Nicolai & aliorum ſententiam deduximus, ſed adjungimus in Lateranenſi canone; *Omnis utriuſque ſexus*, commata eſſe duo, quæ ſummum in eo cuſtodiendo ſtudium & curam exigant. Alterum, quòd fidelis quiſque in ſua parochiali Eccleſia ſacramentum Euchariſtiæ percipere debeat: Alterum verò, quòd ſi Sacerdoti proprio videatur expedire, Euchariſtica perceptio nonnunquam differri poſſit. At ſi Pariſienſis quidam civis exeunte Quadrageſima Romam quàm citò peteret, ſua peccata confeſſurus Pontifici, ut Lateranenſis Concilii præceptum impleret, quomodo redire poſſet Lutetiam, ut intra Paſchales ferias in propria parochia Euchariſtiam perciperet, ut eodem præcepto ſatisfaceret, quia Pontifices nondum quoad hanc canonis partem derogandum eſſe cenſuerunt.

Deinde, ſi Romæ Euchariſtiam à Pontifice perſciperet altero poſt Dominicam in Ramis palmarum die, & ſtatim poſt ſuum ex Urbe reditum moreretur Lutetiæ vel Lugduni, ſepultura privaretur Eccleſiaſtica, niſi per literas Pontificis Sacerdos proprius, Parochialis nempe Presbyter factus eſſet certior, hominem illum Romæ cùm exiſteret, Chriſtiani & pii viri munus in Paſchate obiiſſe. Tum ſi audita Pariſienſis civis illius confeſſione judicaret Pontifex, communionem ſacram in aliud tempus differendam eſſe & ſtatim poſtquam homo ille confeſſus eſſet Lugdunum reverteretur aut Lutetiam, hac de re monendus eſſet à Pontifice Sacerdos proprius, parochialis nempe Presbyter, ut illi eo tempore, quod præſcripſerat, ſacramentum miniſtraret. Hæc eadem hypotheſis hoc idem diſputandi tractandique genus ad diœceſanum Epiſcopum tranferri poteſt facilè, & à me brevitatis cauſa transfertur. Nam ſuperflua eſſet ejuſdem diſputationis & hypotheſeos iteratio.

ratio. Nunc ab illis omnibus, qui Lateranenſis canonis Sacerdotem proprium faciunt Papam & diœceſanum Epiſcopum, quæro, num Romanus Pontifex Innocentius III. ceterique antiſtites, qui Lateranenſem condiderunt canonem, vel quod idem eſt, ab Innocentio III. conditum approbarunt, ſe ſuóſque ſucceſſores moleſtia & ſollicitudine tanta onerare voluerint, jugúmque ſibi imponere, quod, ut apparet, ferre non poſſent? Faceſſat igitur Sacerdotis proprii, cujus in Lateranenſi canone fit mentio, in tres, quatuor aut plures Sacerdotes proprios diviſio, quæ diſciplinam à Concilio ſapienter inſtitutam miſerrimè traducit, & cordatorum eruditorúmque omnium irriſioni exponit. Hîc id unum curo vel maximè, ut Eccleſiæ honori, Lateranenſis Concili prudentiæ, & Romanorum Pontificum reverentiæ conſulatur, nec audiantur ii, qui ex diſciplinæ hujuſmodi diſſipatione, nonnihil lucrari ſe poſſe putant.

In ſumma, ut Vaſquis, Hamberti, & aliorum funditus evertatur opinio, notare ſufficit, ei Sedis Apoſtolicæ traditionem, quæ obſervatione II. palam exhibita eſt, opponi, auctores tamen utuntur quibuſdam argumentis, quæ alibi diluentur commodiùs.

Observatio V.

Expenditur ratio, quam Alenſis, Albertus, Bonaventura, & quidam alii ex Papa & Epiſcoporum Pœnitentiariis deſumunt.

IN explicata Eccleſiæ traditione Theologi ſunt complures, qui quòd Papam & diœceſanos Antiſtites ſuos habere pœnitentiarios viderint, hinc illis de Sacerdotis proprii nomine accommodarunt, inde Lateranenſem canonem Parochorum cauſæ minùs faventem reddere ſe poſſe crediderunt. Bene quidem, ſi quæ ante Lateranenſem Synodum recepta erat, & poſt illam retenta eſt, Pœnitentiariorum diſciplina illorum conſilio ſuffragaretur. Sed minimè ſuffragatur. Lateranenſis Synodus diſciplinam hanc intactam reliquit, quia diſciplinæ hujuſmodi mutatio fieri non potuit in melius. Præterea Clemens IV. in ea conſtitutione quæ in explicatæ traditionis capite II. habetur, mutatum in ea diſciplina nihil eſſe ſignificat, cùm ait, Minores *poſſe audire confeſſiones, abſolvere confitentes, & pœnitentias confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & rectorum Eccleſiarum ac ſacerdotum Parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta, Sedi, & Legatis ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos* (Religioſos) *manus extendere, niſi vobis* (Religioſis) *ſpecialiter committatur.* Hoc autem, ut verum eſſe appareat, Pœnitentiariorum diſciplina ob oculos ſtatuenda eſt, quæ ad caſus Papæ & Epiſcopis reſervatos pertinet.

Beatus Thomas in ſupplementi quæſtione IX. articulo II. *Ad quartum dicendum, quòd etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat, & de illis, de quibus non poteſt abſolvere ad ſuperiorem remittat.* De hoc Eccleſiæ uſu perinde loquitur ac ſi pridem invaluiſſet & irroboraſſet.

Henricus Gandavenſis in quodliberi I. quæſtione XXIX. *Ad tertium dicendum, quòd aliquibus videtur, quòd ſicut contritio integra debet eſſe de omnibus peccatis, & ſimiliter confeſſio, ita & ſacramentalis abſolutio, ut non poſſit valere abſolutio facta à Prælato inferiori de eis, quæ pertinent ad ſe, etſi conſequenter Prælatus ſuperior abſolvat de eis quæ pertinent ad ipſum. Immò debet Prælatus ſuperior ſimul abſolvere ab eis, quæ pertinent ad ſe, de quibus ſibi ſpecialiter confeſſus eſt, & quæ pertinent ad illum, vel remittere ad inferiorem, ut de omnibus eum ſimul abſolvat. Sed contrarium videmus commmuniter in univerſali Eccleſia tam in Curia Summi Pontificis, quàm aliorum Pontificum.* Et quibuſdam interpolitis: *Conſtat, quòd in his non errat Eccleſia ſimpliciter: ergo dicendum, quòd inferior Prælatus poteſt ſimpliciter abſolvere ſubditum de pertinentibus ad ipſum & remittere eum abſolvendum ad ſuperiorem ſuper eo, quod pertinet ad illum. Cùm enim per contritionem & confeſſionem factam Prælato inferiori omnia peccata ſint remiſſa, etiam peccator eſt abſolutus à Deo. Abſolutio enim ſacramentalis facienda per Eccleſiam duo facit: unum quia partem debitæ ſatisfactionis remittit: aliud, quia abſolutum Eccleſiæ militanti à qua per peccatum ſeperatus fuerat, reconciliat.* Hæc eſt univerſalis ut ait Eccleſiæ in confeſſione & abſolutione reſervatorum criminum diſciplina, cujus rationem, ut putat idoneam reddit ad annum M. CC. LX.

Petrus Paludanus ex Ordine Prædicatorum Pariſienſis Theologus in quartum ſent. diſtinct. XVII. quæſtion. I. artic I. concluſ. II. *Eccleſia obſervat, quòd inferior audiens totam confeſſionem abſolvat eum de caſibus, de quibus poteſt, ſuperior autem, ad quem remittit,*

mittit, audit ſolum articulum pertinentem ad ſe, & de illo abſolvit. Et poſt alia: *Eccleſia Romana ſic utitur, abſolvit à majoribus mortalibus, remittens pro minoribus abſolvendum. Et ideo ſupponendum, quòd ita fieri poteſt. Quo ſuppoſito pari ratione poteſt fieri è converſo, quòd de mortalibus non minùs poteſt remitti majus ſine minori, quàm è converſo. Propter quod qua ratione ſuperior poteſt abſolvere de retentis, non abſolvendo de conceſſis, eadem inferior è converſo de conceſſis tantùm, quia ex quo iſte eſt abſolutus quoad Deum, ut ſupponitur. ex contritione, quam oſtendit, id quod eſt ex parte Eccleſia, poteſt dimidiari in foro pœnitentiali: ſicut in foro judiciali poteſt quis abſolvi ab uno judice ab una ſententia, & ab alio ab alia.* Hæc ille ad annum M. CCC. XX. quibus Romanæ Eccleſiæ morem explicat, & ab inconvenientibus, quæ poſſent objici, liberare ſe putat.

Joannes Baconus Pariſienſis ex Ordine Carmelitarum Theologus diſtinct. XVI. art. IV. *Conſuetudo eſt in oppoſitum: quia Sacerdotes communiter abſolvunt de iis, qua pertinent ad eos, & Epiſcopi de iis pro quibus mittuntur ad eos pœnitentes.* Hæc ille, qui ad annum M. CCC. XL. floruit.

Angelus Clavaſius ex Ordine Minorum Theologus in Summa, verbo, Confeſſio, numero V. *Pœnitens debet omnia peccata confiteri integrè, de quibus eſt memor & Sacerdos abſolvet, de quibus poteſt, & poſtea eum remittet ad ſuperiorem, ut abſolvat eum à reliquis. Ratio eſt, quia per confeſſionem factam inferiori omnia peccata ſunt confitenti remiſſa, & jam peccator eſt abſolutus à Deo. Abſolutio verò ſacramentalis fienda per Eccleſiam duo facit: unum, quòd partem debita ſatisfactionis dimittit; aliud, quia abſolutum Eccleſia militanti, à qua fuerat per ſuum peccatum ſeparatus, reconciliat. Omnis enim mortaliter peccans, quantum ad ſe, à communione ſacramentorum & Eccleſia ſeparatus eſt & excommunicatus. Nunc autem neutri horum repugnat ſeparare abſolutionem, & facere eam per partem: Satisfactio autem per partes benè poteſt injungi.* Hæc ille, qui ad annum M. CCCC. LXXX. claruit.

Paulus * Soncinas ex Ordine Prædicatorum Theologus Clavaſio æqualis in quartum diſt. XVIII. concluſ. II. *Non eſt neceſſarium, quòd confitens ſemper abſolvatur ab omnibus peccatis confeſſis per unum & eundem, immò poteſt per unum abſolvi ab aliquibus, & non ab aliis; ſed remitti ad alium, qui abſolvat à reliquis.* Et poſt alia: *Eccleſia illud rationabiliter obſervat, & præcipuè quia Romana, ideò ponendum eſt quo poſſit ita fieri. Nam per contritionem omnia remiſſa ſunt crimina, ideò quod remanet, ſe tenet ex parte Eccleſia & poteſt dimidiari, nec ullum ſequitur inconveniens.*

Petrus Tartaretus Pariſienſis Theologus, relato Henrici Gandavenſis teſtimonio, quod ſuprà retulimus, ſubdit in ſuis Reportatis ad quartum ſentent. Scoti diſtinct. XVIII. *Ubi notandum, quòd communiter iſta tenetur opinio.* Hæc ille, qui ad annum M.D. XII. claruit.

Thomas Cardinalis Cajetanus in Summa verbo confeſſio, conditione X. *Confeſſio hujuſmodi non integra* (ex parte confeſſoris reſervantis) *ſancta eſt. Sic namque ſancta Matris Eccleſia uſus habet, nec oportet ſapere pluſquam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Cave autem ne erres, dicendo abſolutionem illam. quam impendit Epiſcopus hujuſmodi peccatis* (reſervatis) *non eſſe ſacramentalem.* Hæc ille qui ad annum M. D. XX. enituit.

Franciſcus Samarinus Lateranenſis Eccleſiæ præbendarius in Sacerdotali libro, quem juxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ & ſanctiones Tridenrini Concilii anno M. D. LXXIX. edidit cum approbatione Gregorii XIII. ubi de ſervandis cautionibus ex parte Confeſſoris: *Sacerdos autem hoc caſu, quòd ſubditus ſibi confitetur totaliter, inveniens inter alios Epiſcopi caſum, audacter abſolvat ab illis, & injungat pœnitentiam pro illis, qua ſunt de auctoritate ſua: caſum verò reſervatum remittat ad Epiſcopum.*

Joannes Maldonatus romo II. de pœnitent. capite IV. de integritate ex parte Miniſtri: *Ea ſententia hodie communis eſt & uſitata, ut qui habet peccatum aliquod reſervatum, aliquando illud ſolum confiteatur ſuperiori, & ab illo ſolo ab eo abſolvatur: deinde cetera confiteatur inferiori: aliquando verò, ut priùs, inferiori confiteatur ſola peccata non reſervata: deinde ſuperiori reſervata, niſi fortaſſis qui confitetur ſit homo indoctus, qui ignoret, qua peccata reſervata ſint, tunc omnia dicit inferiori.* Hæc ille, qui Samarino æqualis fuit.

Ritualis Pariſienſis Eccleſiæ liber, qui anno M. DC. I. in lucem prodiit de ſacramento pœnitent. regula IV. *Debet eſſe integra pœnitentis confeſſio, nec unum peccatum debet pœnitens confiteri, & alterum celare, ſi veram & perfectam abſolutionem conſequi deſideret. Hic cavebit Sacerdos, ne pœnitentem abſolvat ab uno peccato altero retento, niſi fortè de*

eorum

*Agnomen, ut notat Echardus p. 879. T. I. Script. Ord. Prædicat, eſt Barbus. Soncinas dictus eſt à Soncino Ciſalpinæ Galliæ oppido ubi natus eſt. Obiit anno 1494.

eorum ſit genere peccatorum, qua ad ſuperiorem jure ipſo devolvuntur, & remittuntur, & tunc mittat ad ſuperiorem.

Bartholomæus Hugolinus * tractatu de poteſtate Papæ, & officio Epiſcopi capite XI. §. I. *Contrariam opinionem ſequi debemus, ſcilicet Epiſcopum poſſe à reſervatis tantùm abſolvere, etiamſi alia peccata non audierit, vel quia noluit, vel quia non potuit. Primò, quia ita conſuetudine receptum videtur.* Hæc ille Romæ edidit anno M. DC. XVII.

Nunc venio ad Theologos, qui quæſitum ex Papæ & Epiſcoporum Pœnitentiariis argumentum objiciunt, ut probent illos Sacerdotes proprios dici poſſe, & reipſa dici; at ſi propoſitam in confeſſione & abſolutione reſervatorum criminum diſciplinam, quæ per tot annos in Romana & Occidentali Eccleſia viguit, noviſſent; non objeciſſent, quæ objecerunt, quia ſine dubio contra ſe objiciunt. Diſciplina hæc apertè demonſtrat. Romanum ceteróſque Antiſtites, Lateranenſem Canonem in confeſſione & abſolutione reſervatorum criminum in tantum cuſtodiiſſe, in quantum cuſtodiri potuit. Hinc Sacerdos proprius pœnitentis crimina omnia etiam Papæ & Epiſcopo reſervata audit, & pro confeſſione & abſolutione reſervatorum, ad Papam vel Epiſcopum, ſeu illorum Pœnitentiarios remittit, inde Papa, vel Epiſcopus, vel illorum Pœnitentiarii pro confeſſione & abſolutione criminum non reſervatorum ad Sacerdotem proprium remitiit. Id autem quid aliud eſt, quàm ad Lateranenſis canonis cuſtodiam diligenter advigilare, & illum fideliter exequi? Quod Joannes Annoſius in explicatæ traditionis capite IV. cùm perſpiceret, quæſtionem adverſariorum verbis aptavit, & dixit: *Papa eſt proprius Sacerdos omnium, quantum ad caſus ſibi reſervatos, quia per ſe vel per alium tenetur illorum confeſſiones audire: ſic Epiſcopus eſt proprius Sacerdos omnium ſua diœceſis, quantum ad caſus ſibi reſervatos; Curatus verò eſt proprius Sacerdos, quantum ad omnia alia peccata.* Hic auctor tractatum ſuum legit publicè, & Magiſtri omnes approbarunt, ut ipſe teſtatur.

OBSERVATIO VI.

Expenduntur rationes, quibus quod veteres quidam Theologi de tribus Lateranenſis Canonis Sacerdotibus propriis ſine probatione jecerunt in Commentarios, Gabriel Vaſquez probare conatur.

HIC auctor multa de quæſtione hac ſcribit in capite XII. explicatæ traditionis. In iis, quæ ad tres Lateranenſis Concilii Sacerdotes proprios attinent, notare ſatis eſt, quod jam notavimus in obſervatione. II. & III. Nimirum opinionem hanc cum Sedis Apoſtolicæ traditione pugnare, & illius oppoſitu concidere. Quid enim perverſius & magis alienum, quàm Romanum Pontificem contra illius Sedis traditionem, Lateranenſis Canonis Sacerdotem proprium velle facere? Deinde oſtendere Vaſquezianas rationes falſo inniti fundamento, illas omnes ad plenum & perfectum confutare eſt. Sed eò major apparet confutatio, quòd de proprio & alieno Sacerdote diſputet ad arbitrium, & ut ſeorſum à Lateranenſis Canonis fine, & circunſtantiis diſputet, de theſauro ſuo nova profert, non vetera: & quia multùm ſcripſit, multùm quoque erravit: Errata non omnia, ſed graviora tantùm perſtringimus.

I. Errat approbans ſententiam Joannis Medinæ, qui de fide ait eſſe proprii Sacerdotis nomine, non Parochum modò, ſed etiam diœceſanum Epiſcopum & Papam intelligi. Abſurda enim eſt & plena ignorantiæ ſententia. Ex ea ſequitur contra fidem peccaſſe illos omnes & Pontifices, & Epiſcopos, & Doctores, qui proprii Sacerdotis nomine Parochos duntaxat intelligunt in Lateranenſi Canone, *Omnis utriuſque ſexus.* Quinam & quales & quanto in numero illi fuerint, docet noſtra obſervatio II. His autem ita conſtitutis Medina & Vaſquez pergant dicere, Romanos Pontifices non errandi privilegio gaudere.

II. Medina & Vaſquez errant neſcientes vel neſcire ſe ſimulantes, quæ conditiones ad ſanciendum fidei Catholicæ dogma requirantur. At certum eſt, conditiones ad illud requiſitas, huic rei convenire non poſſe Catholicum quippe dogma id eſt, auctore Vincentio Lirinenſi, *quod ubique, quòd ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè propriéque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratióque declarat, qua omnia verè univerſaliter comprehendit, ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: ſequemur verò univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos majores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt:*

* Ugolini non Hugolini; Tractatus ſic inſcribitur: *Tractatus de Officio & poteſtate Epiſcopi.* Secundam editionem recenſet Launoius.

conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè pæne omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiáſque ſectemur. At quis unquam apud antiquos Patres & Synodos factam vidit mentionem Sacerdotis proptii, qui Parochus diœceſanus Epiſcopus & Romanus Pontifex diceretur? Quis unquam talem hujus nominis expoſitionem vidit, quam tota per orbem terrarum confiteretur Eccleſia? Quis unquam unanimem hujus nominis ſenſum ac definitionem vidit, quam omnes vel pœne omnes in ipſa vetuſtate Sacerdotes ac Magiſtri ſequerentur? Et profectò dum Medinæ & Vaſquis opinionem hanc conſidero attentiùs, pronunciare cogor, neſcire me, an inſulſitatis, & ignorantiæ majoris exemplum ullum dari poſſit.

III. Martino V. tribuit, quod Martino IV. tribuendum eſt, & ptimò quidem dum ait: *Propris Sacerdotis nomine Parochus tantùm intelligitur à Martino V. in quadam Extravaganti.* Deinde dum ait: *Martinus V. idem privilegium concedens in Extravaganti quadam, qua non habetur in corpore juris.* Tum ubi ait, *Ex hoc ergo oſtenditur falſitas ſententia Henrici, etiam poſt Martini V. decretum.* Quartò ubi ait: *Aliud ergo meo judicio voluit Martinus V. ex verbis citatis.* Quintò ubi ait: *Quod conceſſum erat uſque ad Martinum V.* Sextò ubi ait: *Meo ergo judicio loquitur Martinus V. de confeſſione annua.* Septimò ubi ait: *Diſpoſuerat Martinus V.* Octavò ubi ait: *Neque Martinus V. aliud voluit.* Nonò ubi ait: *Sed credo non fuiſſe Martini V.* Poſtremò ubi ait: *Cùm tamen ſucceſſerit Martinus V.* Sic idèm decies repetitum oſtendit, neque præli, neque calami mendum eſſe, ſed auctoris.

IV. Vaſquez neſcire ſe quid ſir extravagans Papæ conſtitutio, apertè docet his verbis: *Martinus V. idem privilegium concedens in extravaganti quadam, qua non habetur in corpore juris.*

V. Vaſques ſignificat Henricum Gandavenſem poſt Mattinum V. vixiſſe: *Ex hoc ergo oſtenditur falſitas ſententia Henrici, etiam poſt Martini V. decretum.* Henricus obiit anno M. CC. XCIII. Marrinus V. anno M. CCC. XXXI. X. Calend. Martii.

VI. Dicit Henricum eundem ſecutum eſſe Joannis Polliaci ſententiam. At Henricus Joannem Polliacum anteceſſit. Henricus, ut mox ſcripſi, mortuus eſt anno M. CC. XCIII. Polliacus vetò vixit Joanne XXII. Pontifice, qui anno M. CCC. XXI. illius propoſitiones damnavit.

VII. In errore pari perſeverat, dum ait: *Quia Joannes de Poliaco tempore Joannis XXII. illud docuit, quo tempore conceſſum erat fratribus audire confeſſiones ſine licentia Parochi, ſed poſtea tempore Martini addita fuit illa clauſula, Volumus autem*, quæ verba ſunt non Martini quinti, ſed quarti.

VIII. Affirmat Martini decretum non extare, quod tamen extat, Integrum illud retulimus in capite III. explicatæ traditionis.

IX. Perpetuò loquitur de Martini conſtitutione, quam teſtatur ſe nunquam vidiſſe: de ſenſu, quem ſibi fingit, illi accommodare conatur, quæ peſſima eſt tractandi tatio. Sic autem ſcribit: *Aliud ergo meo judicio voluit Martinus V. ex verbis citatis. Neque enim decretum illius extat, ut pleniùs mentem illius poſſimus intelligere.*

X. Dicit Martini V. decretum, quod ſuo judicio non extat, obſervatum fuiſſe Pariſiis, quo tempore Joannis Angelii propoſitiones condemnatæ ſunt. Et ſanè non propter Martini decretum, ſed propter Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, condemnatæ ſunt, ut videre eſt in capite IX. explicatæ traditionis: & hoc eſt Vaſqueziani errotis auctarium.

XI. Quomodo intelligendum ſit Alexandri IV. privilegium docet, quamvis aſſerat hoc ſe non vidiſſe: *Sed quomodo*, inquit, *illud privilegium conceſſum eſſet, & ſub qua forma, non vidi.*

XII. De Benedicti XI. conſtitutione ſcribir: *Poſtea verò per Clementinam*, Dudum de ſepulturis, *approbante toto Concilio Viennenſi confirmata fuit conſtitutio Bonifacii, & derogatum fuit conſtitutioni Benedicti, quoad præſentationem.* At conſtitutio ipſa tota abrogata eſt, ut in Clementina, *Dudum*, expreſſè traditur. Verba ſunt: *Dudum à Bonifacio Papa VIII. prædeceſſore noſtro infrà ſcripta edita Decretali, Benedictus Papa XI. prædeceſſor noſter aliam illius revocatoriam promulgavit, qua quia (ut probavit effectus) nedum pacis ab auctore ipſius ſperata fructum non attulit: quinimo diſcordia, pro qua ſedanda proceſſerat, fomentum non modicum miniſtravit: nos eam omnino caſſantes, aliam à præfato Bonifacio editam, ſacro inſtante & approbante Concilio innovamus.* Ecce tibi qua fide Vaſquez de Benedicti XI. conſtitutione diſſeruit.

XIII. Argumentum ſumit ex Benedicti XI. conſtitutione, quæ à Viennenſi Concilio penitus reſciſſa eſt. Si autem conſtitutionem hanc reſciſſam eſſe novit, dedita opera lectores ſuos in errorem inducit, diſputans ex conſtitutione, quæ ad aſſerendum audienda-

rum

rum à fratribus confeſſionum privilegium, ut eſt in eo, nihil habet roboris ac firmamenti: Si ſcivit reſciſſam eſſe, quod ex officio diſputatoris ſcire debuit, cur ex ea diſputat? In diſputatione prætermittenda fuit. Vide nunc ac circumſpiſce, num homo tot peccatis oneratus quæſtionem, ut oportet dirimere valuerit. Benedicti X I. Conſtitutione utor non ad auctoritatem, ſed ad hiſtoriam. Primùm ut quo in ſenſu Lateranenſis Canonis Sacerdotem proprium acceperit, conſtaret. Deinde ut oſtenderem, Pontificem hunc primum omnium Can. *Omnis utriuſque ſexus*, derogaſſe.

XIV. Perverſè religioſus eſt Vaſquez, cùm in auctoritatem infumit Benedicti X I. conſtitutionem, *Inter cunctas*, quam ſucceſſores Joannes X X I I. Alexander V. Eugenius I V. Nicolaus V. Calliſtus I I I. Sixtus I V. & alii laudarunt nuſquam, ſed eam perpetuo ſepeliendam eſſe ſilentio duxerunt. Non ignorabant, quod Vaſquez ignorat vel ignorare ſe ſimulat, Benedicti X I. conſtitutionem à Clemente V. & Vienneníi Concilio abrogatam eſſe.

OBSERVATIO VII.

Expenduntur Nicolai Iſamberti rationes, quibus ille Vaſquis ſententiam confirmat.

SUB finem obſervationis IV. jam retulimus eam verborum complexionem, qua ſuam & aliorum ſententiam repræſentat. Verborum illa complexio extra Lateranenſis Concilii Canonem fingitur, & Canoni affingitur. Fingitur quidem, quia duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturæ auctoritate, & Catholicæ Eccleſiæ traditione, qua Lateranenſe Concilium regitur, ſuſtentari non poteſt. Nam ſi quis eſſet Scripturæ locus, qui tali verborum complexioni ſuffragaretur, Joannis eſſet locus, ubi Petro dicitur, *Paſce oves meas.* At minimè ſuffragatur, ſi Eccleſiaſticæ traditioni jungitur, ut jungendum eſſe Tridentinæ fidei profeſſio nos docet: *Item ſacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam. niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor.* Nos Joannis locum *Paſce oves meas*, ut morem Tridentinæ fidei profeſſioni gereremus, Eccleſiaſticæ traditioni junximus, duabus in epiſtolis ad Raimundum Formentinum, quarum unam habet pars ſecunda epiſtolarum noſtrarum, alteram quinta. Hæc autem diſputandi methodus, quæ neceſſariò ſequenda eſt, ei, qua uſus eſt verborum complexioni, Iſambertus, adverſatur, tantùm abeſt ut faveat.

Adde, ſi velis, regendæ Eccleſiæ modum, quem Florentina Synodus Romano Pontifici aſſignat: *Quemadmodum & in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*, ut Blondus Eugenii Papæ I V. ſcriba refert in Decadis I I I. libro X. Et ita citant Marcus Vigerius Cardinalis in Decachordo, chorda X. Joannes Ekius in libri II. de primatu Petri, capite X X V. Joannes Roffenſis in art. X X V. contra Lutheranas aſſertiones, Albertus Pighius in libri IV. de Hierarchia Eccleſiaſt. capite ultimo. Conſentit Græcus textus: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται: *Juxta eum modum, qui eſt in geſtis œcumenicorum Conciliorum & in ſacris Canonibus continetur.* At cùm Florentina Synodus in editione prima octavam ſe inſcribat, & id in editionis privilegio confirmetur à Clemente VII. œcumenica Concilia ſeptem prima intelligit. In horum autem Conciliorum geſtis, vel in ſacris canonibus invenietur nuſquam doctrina hæc: *Summus Pontifex habet curam totius Eccleſia, & ordinariam juriſdictionem in unumquemque fidelium.* Quaſi verò ibi legatur Romanum Pontificem habuiſſe & exercuiſſe ordinariam juriſdictionem in unumquemque fidelium Alexandrinæ, Antiochenæ, Hieroſolymitanæ & Conſtantinopolitanæ diœceſeos, Iſambertus non dixiſſet quod dixit, ſi ad Florentinam definitionem & ad veterem Eccleſiæ diſciplinam attendiſſet.

Deinde cùm paullo pòſt ſubjicit: *Illi omnes & ſinguli* (Summus Pontifex, Epiſcopus, & Parochus, & Prælatus alicujus Ordinis) *ſunt & dicuntur proprii Sacerdotes in iſto Cap.* (Omnis utriuſque ſexus.) deductam à Lateranenſis Concilii tempore Romanæ Eccleſiæ traditionem oppugnat, & oppugnando cauſæ ſuæ jugulum petit, ut videre eſt in obſervatione II.

Tum ubi ait: *Probatur hæc noſtra propoſitio argumentis deſumptis ex ipſo ſtatuto* (Omnis utriuſque ſexus,) parat ſe ad perdendum oleum & operam; cùm ſtatutum hoc non poſſit meliùs intelligere, quàm Romani Pontifices, qui illud de Parochiali tantùm Preſbytero intellexerunt, quàm Patres Conciliorum omnium, quos in obſervatione II. laudavimus.

Quartò, argumentum, quo Papam, Epiſcopum, Curatum intelligendum eſſe colligit, à petitione principii ducitur, & probationis loco adducitur, quod in diſceptationem ve-

nit; immò quod à Canonis ſine alienum eſt. Et Auctor ſibi ſumit, quod fieri non poteſt, ſcilicer, ut Chriſtianus quilibet in Paſchate Summo confiteatur Pontifici, ut Chriſtianus quilibet diœceſeos alicujus in Paſchate diœceſano confiteatur Epiſcopo. At fieri poteſt, ut Chriſtianus quilibet parochiæ alicujus ſuo confiteatur Parocho, vel alii, cui licentiam ex preſcripto Concilii dederit, & ſic apparet convenienter intelligi non poſſe, quod intelligendum eſſe proponit.

Quintò, Argumentum II. pari modo vitioſum eſt: cùm in eo petatur principium, tot eſſe in Can. *Omnis utriuſque ſexus*, deſignatos Sacerdotes proprios, quot enumerat, Papam, Epiſcopum, Curatum & Prælatum uniuſcujuſque Ordinis. Præterea ſibi perſuadet Canonis verba hæc: *Fidelis confiteatur ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, & ſi quis alieno Sacerdoti voluerit confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à Sacerdote proprio, cùm aliter ille ipſe non poſſit abſolvere vel ligare:* membra eſſe duo, quæ totum aliquod perfectè dividant: ſed falſa eſt perſuaſio, cùm membrum illud, quod ſecundum eſſe putat, membrum propriè ſecundum non ſit; à primo enim pendet, & ſub illo penitus continetur. Apud Dialecticos diviſionis bonæ lex eſt, ut membrum unum non comprehendatur ſub altero, ſeu ut membra dividentia inter ſeſe pugnent; quod in relatis verbis non accidit, quia Sacerdos alienus non pugnat cum proprio, qui ſi alieno confitendi licentiam neget, alienus nec ſolvere, nec ligare poterit. Atque ex hoc adhuc capite vitioſum eſt argumentum, quod à falſa propriorum Sacerdotum enumeratione quæritur.

Sextò, Argumentum III. non diſſimili vitio laborat. Iſambertus ſibi ſumit Paſchalis confeſſionis, quæ Canone noſtro decernitur, præceptum in disjunctione poſitum eſſe; non eſt enim vera & propria disjunctio, cùm alienus Sacerdos nec ſolvere, nec ligare poſſit, niſi à proprio Sacerdote ſolvendi ligandíque licentiam poſtulaverit & obtinuerit; ut in Can. præcipitur: Et mirum eſt iſtud à perſpicaci Magiſtro diſſimulatum eſſe.

Septimò, Argumentum IV. ponit duo, quæ manifeſtè falſa ſunt, & primùm quidem damnatum eſſe Joannem Poliacum, quòd Lateranenſis Canonis Sacerdotem proprium Parochum eſſe ſolum docuerit: deinde Joannem XXII. crediddiſſe Romanum Pontificem in illo Canone non minùs ac Parochum deſignatum eſſe. Ex utroque ſequitur plures Romanos Pontifices cum Joanne Poliaco damnatos eſſe, & Joannem ipſum XXII. in Extravaganti ſua ſecum pugnaſſe. Quidquid id eſt, noſtra, demonſtrat ſecunda, & tertia obſervatio.

His ita conſtitutis, liquet Iſamberti Argumentum eſſe nullum, quòd adverſùs legitimum diſſerendi modum peccet, & culpa in Dialecticam commiſſa ſordeſcat; Dolenter hoc dico, ſed amico Platone veritas carior & magis amica. Adde quòd à Magiſtri ſui Philippi Gamachæi, & ipſius Facultatis Theologicæ ſententia receſſerit, qua de re aliàs.

OBSERVATIO VIII.

Expenditur Iſamberti Reſponſio ad Quaſtionem hanc, Utrum dè licentia ſolius Summi Pontificis, vel ſolius Epiſcopi proprii, aliquis poſſit etiam ſine licentia ſui Curati confiteri alieno Sacerdoti.

ANTEQUAM veniamus ad expendendam reſponſionem, quæ eſt in Cap. XIII. explicatæ traditionis, operæpretium eſt referre quid priùs notandum eſſe cenſeat: *Notandum eſt*, inquit, *praſentem difficultatem poſſe moveri duobus modis. I. conſiderando ſolum jus praſcindendo ab eo, quod magis expedit & eſt utilius. Deinde conſiderando quod eſt utilius & magis expedit. Praſenti articulo agimus de hac difficultate propoſita, priori tantùm modo conſiderata.* Hoc ita notato ſic concludit: *Attendendo ſolùm ad jus poteſt parochianus aliquis de licentia ſolius Summi Pontificis, vel ſolius ſui Epiſcopi, vel ſuperioris ſui juriſdictionem ordinariam in eum habentis, validè confiteri alieno Sacerdoti, etiam parocho renitente. Ita omnes, quos citavimus pro noſtra propoſitione art. I. hujus diſputationis.*

Et primùm quidem abſurda eſt quæſtio in ea ſententia, quam Iſambertus tuendam ſuſcepit. Nam ſi Lateranenſis Canonis Sacerdos proprius eſt Summus Pontifex, diœceſanus Epiſcopus, Parochus, & uniuſcujuſque Ordinis Prælatus, ut Parochus Summi Pontificis conſenſu non requiſito, alii juſta de cauſa licentiam confitendi dare poteſt, ſic & Summus Pontifex, vel diœceſanus Epiſcopus, alii juſta de cauſa licentiam confitendi dare poteſt, non requiſito Parochi conſenſu, quid ita? Quia in Iſamberti opinione unuſquiſque utitur jure communi, quod in Lateranenſi Concilio ſancitum eſt, ut Iſambertus ipſe in articulo IV. docet. Illius verba referuntur in capite XIII. explicatæ traditionis.

Dein-

Deinde abſurda eſt quæſtionis propoſitio hæc: *Utrum de licentia ſolius Summi Pontificis, vel ſolius Epiſcopi proprii aliquis poſſit etiam ſine licentia ſui Curati confiteri alieno Sacerdoti.* In Lateranenſi Canone Curati non fit mentio, ſed Sacerdotis proprii, qui & in Canone alieno Sacerdoti non tam ſimpliciter opponitur, ut ſuprà notavimus, quàm extra eum Canonem alieno Sacerdoti opponitur. Curatus proprius apud Iſambertum opponitur alieno Curato, non Sacerdoti proprio, quem auctor tamen putat in Lateranenſi Concilio, ad Summum Pontificem, & diœceſanum Epiſcopum extendi & ſi Lateranenſis Canonis Sacerdos proprius eſt Curatus, ut Curatus, ſic & Romanus Pontifex & diœceſanus Epiſcopus Curati vocabuntur, quæ locutionis novitas?

Tum quæſtio fallaciter proponitur, quia ex Lateranenſi Canone proponi videtur, & tamen non proponitur: Nam ex Canone ſic proponenda erat, utrum de licentia ſolius Summi Pontificis, vel ſolius Epiſcopi proprii aliquis poſſit juſta de cauſa, etiam ſine licentia ſui Curati confiteri alieno Sacerdoti. Canonis verba ſunt: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa confiteri peccata.*

Quartò, quæſtio adhud fallaciter proponitur, quia indefinitè de confeſſione omni, non definitè de Paſchali confeſſione proponitur. Quis autem neſcit, aliam eſſe quæſtionem de confeſſione qualiber indefinitè propoſitam, aliam de confeſſione Paſchali definitè propoſitam? Prior quæſtio univerſalis Concilii Canone nullo determinatur. Poſterior univerſalis Concilii Canone certo determinatur. At prior quæſtio ſinceris concepta verbis difficultatem nullam patitur. Nam Summus Pontifex, vel diœceſanus Epiſcopus confitendi facultatem juſta de cauſa Sacerdoti aliàs idoneo dare poteſt, etiamſi Parochorum natio tota renitatur. Juſta inquam de cauſa, quia Romano Pontifici; vel diœceſano Epiſcopo ſolvendi & ligandi facultas data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Poſterior quæſtio difficultatem nullam quoque pati debet, quia Romani Pontificis, vel diœceſani Epiſcopi poteſtas, Lateranenſis Concilii, quod univerſam repræſentat Eccleſiam poteſtate minor eſt, non major, & hanc eſſe Sedis Apoſtolicæ traditionem alibi docuimus, in qua difficultas illa ſic explicaretur. Si Parochianus aliquis alieno Sacerdoti facultatem confitendi juſta de cauſa peteret à Sacerdote proprio, qui in obſervatione 11. Parochus eſt ſolus, & hic negaret, tunc diœceſanus Epiſcopus malè negatam à Parocho facultatem concederet, & ſi (juris fictione) diœceſanus Epiſcopus eandem facultatem à Parocho malè negatam, negare adhuc pergeret, tunc Romanus Pontifex concederet. Quid ita? uterque Lateranenſis Canonis aſſertor, vindex & executor eſt, diœceſanus Epiſcopus in ſua diœceſi, & Romanus Pontifex in orbe toto. Hoc autem in diſciplinæ genere Lateranenſis Canon cuſtoditur, & fidelium ſaluti conſulitur. Hoc unicum ſpectant ſacri Canones, & Romanorum Pontificum Decreta ex iiſdem Canonibus promulgata, ut Romani Pontifices ipſi & Gallicani apud Hincmarum & alibi loquuntur.

Quintò, in annotatione jus ab eo quod eſt utile, præſcindit, quo nihil eſt abſurdius. Jus eſt, ut hic debet accipi, poteſtas ſeu facultas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad uſum rei, vel ad aliquam functionem, vel negationem functionis, cujus violatio ſine juſta cauſa facta injuriam conſtituit. Unde poteſtas illa ſeu facultas, ſi ab eo quod eſt utile & expedit, ſe jungatur, nihil hîc præter inferendæ injuriæ poteſtatem ſeu facultatem remanebit, in locum juris ſufficietur injuria. & tamen jus remanere ponitur: quæ inter ſe pugnant.

Sextò, hypotheſis eſt quæ ſeipſam deſtruit, & Scripturæ ſacræ adverſatur, ubi poteſtas in ædificationem data dicitur, quis iſtud thema pateretur? Conſiderando ſolùm poteſtatem. præſcindendo ab ædificatione, in quam datá eſt Scriptura teſte, Parochianus aliquis poteſt de licentia ſolius Summi Pontificis vel diœceſani Epiſcopi, &c. Cartuſiani poſſunt apud Carmelitas renitente Cartuſianorum Priore, Prædicatores apud Jeſuitas renitente Prædicatorum Priore, & Jeſuitæ apud Prædicatores renitente Rectore vel Superiore, & ſic de aliis Fratribus & Monachis, confiteri. Hoc dicitur conſiderando ſolùm poteſtatem, præſcindendo ab ædificatione, in quam à Chriſto data eſt: Quis unquam jus ſeu poteſtatem Regum definiit non habita ratione ad utilitatem populorum, quibus Reges præſunt?

Septimò, convenienter annotationi ponenda erat altera concluſio, in qua res ſtatueretur, *Conſiderando quod eſt utilius & magis expedit.* Sed Iſambertus concluſionem nullam iſtiuſmodi poſuit, quia nullam ponere potuit, quæ primam funditus non everteret, Sic auctor ſecum dimicaret & in dimicatione periret.

Octavò, quæ aſſertio [illegible], ſeu ſpeculationi cæcæ ſuperſtruitur, eò tendit, ut perſuadeatur Papam, vel diœceſanum Epiſcopum ad venditationem auctoritatis ſuæ dare poſſit privilegium, quo Parochianus aliquis relicto ſine cauſa Sacerdote proprio, con-

ſeſſus alieno in Paſchate ſatisfaciat Canoni, *Omnis utriuſque ſexus.* Sic Eccleſiaſtica poteſtas in dominatum pluſquam ſæcularem vertitur, quem errorem beatus Bernardus olim confixit in libri II. de conſider. ad Eugenium capite V. *I ergo & tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum, planè ab alterutro prohiberis: Si utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque: forma Apoſtolica hæc eſt: dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplo Legiſlatoris. Ego in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* Igitur multùm abeſt Papæ, vel Epiſcopi munus à dominatu, quem ponit hypotheſis. Uterque Eccleſiæ præſidet, non ut plus auferat lucri, non ut regnet, non ut illi plus liceat, ſed ut plus proſit. Ad hæc ſi propter bonum & diſciplinam Eccleſiæ conſideretur Papæ, vel Epiſcopi auctoritas, hæc in ſanciendo Canone Lateranenſi jam demonſtrata eſt luculenter; jam in actum erupit.

Reliquum eſt modò, ut conditus ob ſalutem fidelium Canon à Parochialibus cuſtodiatur Presbyteris, & ſinceræ executioni demandetur. Hæc res eſt in qua potiſſimum, & Papæ & Epiſcopi auctoritas poteſt, & debet elucere, illi gloriam adepti ſunt primam; quæ in ſtatuendo Canone, adipiſcantur ſecundam, quæ in eo exequendo conſiſtit. Hæc illa major eſt: Canonem cùm in Synodo ſtatuunt, multis eandem in ſententiam conſpirantibus, atque ita facilè ſtatuunt. Canonem verò dum exequuntur, extra Synodum exequuntur, eóque tempore quidquid eſt virium & roboris impendendum eſt ad vincendas difficultates, quæ maximæ nonnunquam occurrunt, & quæ niſi vincantur, ſperata ex Canone utilitas evaneſcit, univerſalis Synodi labor perit, iſque fruſtra & ſine cauſa ſuſceptus creditur. Exinde lites, diſſenſiones naſcuntur variæ, turbatur pax Eccleſiæ, quæ neglectis Canonibus retineri non poteſt. Hoc quotidiana teſtatur experientia, hoc docet nobile par Pontificum, Leo I. & Gregorius I. ille in epiſtolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum capite IV. *Univerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reverentia intemerata ſervetur.* Hic in libri XI. epiſtola XLIV. ad Joannem Panormitanum Epiſcopum: *Tunc ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſet injuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas.* Si quis igitur Papa, vel Epiſcopus, quod non credo, negligeret exequi, quod exequendum incumbit, dedecus ſibi, non gloriam compararet, auctoritatem, cujus efferendæ videretur præter modum cupidus, infuſcaret, non ornaret, deprimeret, non attolleret; ſed hoc non eſt metuendum de Papa, vel Epiſcopo qui gloriam Chriſti, non ſuam quærit, qui tum demum in curanda ſtatutis legibus gregis ſibi commiſſi ſalute felicitatem ſuam conſtituit.

In ſumma ut quæſtioni reſpondeam, de Lateranenſi Canone mihi pronuntiandum videtur, quod Leo magnus de Nicænæ Synodi decretis pronuntiat in epiſtola LV. ad Pulcheriam contra Anatolii ambitum capite II. *Quoniam contra Statuta paternorum Canonum, quæ ante longiſſima ætatis annos in urbe Nicæna ſpiritualibus ſunt fundata decretis, nihil* CUIQUE ADDERE CONCEDITUR: *Ita ut* SI QUIS DIVERSUM ALIQUID DECERNERE VELIT, SE POTIÙS MINUAT, QUAM ILLA CORRUMPAT, *quæ ſi, ut oporteret, à cunctis Pontificibus intemerata ſerventur, per univerſas Eccleſias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de menſuris harum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus* (dicamus de Paſchali confeſſione) *lites, nulla de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de illarum uſurpatione certamina, ſed ea quæ jure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſervabitur unanimitas.*

Observatio IX.

Expenditur ratio hæc, privilegium audiendi confeſſiones fratribus datur, non in Sacerdotum præjudicium, ſed in fidelium gratiam.

THEOLOGI ſunt plures, qui ratione iſta utuntur: ſed non ſatis adverterunt, quouſque pertineret.

Alenſis in capite I. explicatæ traditionis primus utitur; *Prædicatoribus, ut opinor, data eſt poteſtas audiendi confeſſiones, non in præjudicium Sacerdotum, ſed potiùs in favorem fidelium.* Alenſem ſequitur.

Albertus in eodem cap. *Dicendum, quòd nullum præjudicium in hoc fit alicui, quia etiam Sacerdos, vel alius Prælatus non habet aliquam juriſdictionem in ſuos ſubditos, niſi in quantum deſcendit à capite, & ideo ſi alii vocantur, & privilegiantur in adjutorium ejus, non eſt præjudicium, ſed ſolatium præcipuè, cùm fructus proventuum ex hoc ſibi in illo diminuantur.* Albertum ſequitur.

Beatus Thomas in capite II. *Dicendum, quòd præjudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur*

hatur

batur quod eſt in ſavorem ejus indultum. Juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis & honorem Dei.

Durandus in capite v. *Dicendum, quòd non ſit præjudicium alicui, niſi ſubtrahatur ei, quod eſt in favorem ejus introductum. Poteſtas autem audiendi confeſſionem non eſt introducta in ſavorem alicujus Prælati vel Curati, ſed in utilitatem plebis & honorem Dei.*

Major in cap. x. *Non poteſt aliquod privilegium indulgeri in præjudicium alterius.* Et quibuſdam interpoſitis: *Nego, quòd hoc ſit in præjudicium Curatorum. Reſpicit enim Pontifex ad utilitatem plebis ſubjectè Curato.*

Gemmingenus in eodem cap. *In hoc nullum ſit præjudicium Plebanis ſeu propriis Sacerdotibus, eò quòd juriſdictionis poteſtas non eſt alicui conceſſa in ſavorem ſuum, ſed in utilitatem plebis & honorem Dei.*

Celaia in cap. xi. *Privilegium Dominorum Mendicantium non eſt in præjudicium Dominorum Rectorum, ſive Curatorum, imò eſt in ſavorem Dominorum Rectorum.*

Suares in cap. xii. *Addit verò Divus Thomas ſuper hanc ipſam extenſionem Ordinarii juris revera non eſſe ii ullum præjudicium Parochorum. Tum quia ipſi non privantur juriſdictione ſua, & ſemper illum habuerunt ſuperiori ſubordinatam: ergo ſi ſuperior utatur jure ſuo, illud non eſt in injuriam & præjudicium inferioris. Tum etiam quia illi non habent juriſdictionem propter ſuam utilitatem, ſed propter utilitatem ovium. Et ideo ſi propter eandem utilitatem ſuperior provideat ovibus, ut pluribus confiteri poſſint, non eſt illud reputandum præjudicium inferioris.*

Gamachæus in cap. xiii. *Neque verò Curati idcirco conqueri poſſunt inferri ſibi injuriam, quando ex hypotheſi procuratur honor divinus & ſalus fidelium, ſed potiùs vehementer gratulari. Non enim Chriſtiani ſunt propter Curatos, ſed Curati è contrario propter Chriſtianos, nec poteſtas conceſſa fuit Paſtoribus in ſavorem ipſorum, ſed in utilitatem plebis.*

Hæc eſt ſeu reſponſio, ſeu ratiocinatio, qua Magiſtri plures utuntur. Sed non advertunt eam pſeudographi ſyllogiſmi vitio laborare; ſiquidem in ea videntur fere omnes ſupponere, Eccleſiam abſoluta auctoritate, non Canone gubernari, quod ab antiqua Romanæ Eccleſiæ traditione vehementer recedit & abhorret, ut oſtendimus in epiſtola ad Thomam Rullandum Pariſienſem Theologum, quam habet pars tertia epiſtolarum noſtrarum. Ignorata traditione illa contingit, ut nonnulli id docuerint, quod perſpecta & animadverſa non docuiſſent. Nam ſi Canonibus regitur Eccleſia, non regitur privilegiis, quæ in ſacrorum Canonum tacita vel expreſſa derogatione conſiſtunt.

Deinde non juriſdictionis ſolùm, ſed etiam Ordinis poteſtas data eſt in utilitatem plebis: Id teſtatur ſacramentorum Gregorii Papæ liber, ubi ſic legitur in conſecratione Epiſcopi: *Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis, tribuas ei Domine cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam & plebem univerſam.* Et paullo pòſt in Miſſa, quæ die Ordinationis Romani Pontificis celebratur, ubi oratio hæc dicitur: *Deus qui non propriis ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabilis gratia largitate me familia tua præeſſe juſſiſti, tribue tibi perſolvere miniſterium Sacerdotalis officii, & Eccleſiaſticis convenienter ſervire miniſteriis, plebémque commiſſam, te in omnibus protegente, gubernare concede.*

Sic Gregorius ii. in epiſtola ad Leonem Iſaurum: *Utinam*, inquit: *Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus, tametſi ob plebis utilitatem, vivere volumus & ſupervivere.* Igitur poteſtas quælibet, ſeu Ordinis, ſeu juriſdictionis data eſt in utilitatem plebis vel Eccleſiæ, non in ſavorem & commodum eorum, quibus data eſt. Epiſcopo uni in alterius diœceſi ſine illius conſenſu, non licet baptizare, Clericos, Subdiaconos, Diaconos & Presbyteros ordinare. Pæne infiniti ſunt Canones, quibus id vetatur, etiamſi qui Epiſcopus in alterius diœceſi baptizaret & ordinaret, affirmare poſſet, ita baptizare infantes & Ordinare ſe Clericos, ut plebi ſerviret & alienum Epiſcopum baptizandi & Ordinandi onere levaret.

Metropolitano uni in alterius provincia ſine illius concenſu non licet miniſtros, & Epiſcopos conſtituere: & cùm Meletius Lycopolis Epiſcopus id in Alexandrina diœceſi ſine Alexandrini Antiſtitis conſenſu attentavit, ſchiſma conflavit; & dedit occaſionem Nicæni Canonis vi. quod Meletii ſchiſma ſublatum eſt: Canon ita ſe habet: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteráſque Provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis. Illud autem generaliter clarum eſt, quòd ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus*

Epiſco-

Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non poſſe. Quis verò non videt potuiſſe Meletium, ſed fruſtra, uti ratione, qua Alenſis, Albertus, Thomas, Durandus, Major, Gemmingenus, Celaia. Suares, Gamachæus & alii [illegible] utuntur?

Huc ſponte id accurrit, quod Pariſienſis Cancellarius Eccleſiæ & Academiæ nomine pronuntiat in cap. VII. explicatæ traditionis. *Ponatur*, inquit, *in forma, jus prædicandi & confeſſiones audiendi eſſentialiter & principaliter ſpectat ad Prælatos & Curatos, ſequitur expediens non eſſe, ut jus hoc in illis auferatur, aut turbetur directè ſive indirectè, ſicut Papæ aut alius nollet ſibi turbationem fieri in illo, quod ad eum ſpectat.* Quaſi verò Romanus Epiſcopus patienter toleraſſet olim, Alexandrinum, Antiochenum, aut Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui Romana in Provincia ſine illius conſenſu primi & ſecundi ordinis Sacerdotes ordinaſſet? Quaſi verò idem nunc patienter toleraret ullum Epiſcopum, vel Metropolitanum eadem in provincia ſine illius licentia id genus miniſterii obire, etiamſi Metropolitanus, vel Epiſcopus ſic proteſtaretur: Ego Papæ præjudicium nullum infero, quia ordinandi poteſtas non eſt data in favorem Papæ, ſed in favorem plebis, vel Eccleſiæ. Ego in Papam obeundis partibus ſuis adjuvo, dum per Romanam Provinciam Antiſtites & primi & ſecundi ordinis inſtituo. Quæſo te, Papa Metropolitanum vel Epiſcopum ita differentem animo æquo ſuſtineret? Ad me quod attinet, non dubito quin Metropolitanus vel Epiſcopus ſic faciens, ſic diſputans, Nicænorum Canonum & Decretorum Sedis Apoſtolicæ ex iiſdem canonibus promulgatorum reus ageretur, & infinitis anathematibus perculſus amandaretur in Morboniam, nec immeritò. Violanda non eſt Eccleſiæ, ſacrorum Canonum, & Decretorum Sedis Apoſtolicæ ex canonibus promulgatorum diſciplina. Huc Innocentius III. qui Lateranenſi Concilio præſuit, ſpectat, cùm in libri I. epiſtola ad Rectores Thuſciæ ait: *Sicut jura noſtra nobis volumus ſervari, ſic aliorum jura volumus illibata ſervare.* Id per traditionem à Gregorio VII. acceperat, cùm hic Pontifex in lib. I. epiſtola XXIV. ad Brunonem Veronenſem Epiſcopum ſcribit: *Sicut Romana Eccleſia debitum honorem impendi à ceteris Eccleſiis, ita unicuique Eccleſiæ proprium jus ſervare deſideramus.* Id quoque per traditionem à Gregorio I. acceperat in libri II. indict. XI. epiſtola XXIX. ſcribente ad Presbyteros & Diaconos Mediolanenſis Eccleſiæ: *Sicut ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua jura ſervamus.*

Tum quo tempore beatus Leo, beatus Gregorius Papa in Orientem miſit Epiſcopos & Presbyteros, quorum illi per ſingulas Antiochenæ diœceſeos Eccleſias Clericos ordinarent, hi tinguerent, & pœnitentium confeſſiones exciperent? quo tempore uterque, vel alteruter in Ægyptum miſit Epiſcopos & Presbyteros, quorum illi per ſingulas Ægypti Eccleſias Clericos ordinarent, hi tinguerent, & pœnitentium confeſſiones exciperent? quo tempore uterque, vel alteruter in Italiam, cujus caput eſt Mediolanum, in Gallias, in Hiſpanias, in Germaniam & in Angliam miſit Epiſcopos & Presbyteros, quorum illi Clericos inſtituerent, hi pueros tinguerent, tametſi hæc omnia deputentur utilitati fidelium, & dici poſſit inſuper, quod Alenſis, Albertus, Thomas, Durandus, Major Gemmingenus, Celaia, Suares & Gamachæus dicunt?

In his igitur ſpectandum eſt præjudicium, quod ſancitæ ad utilitatem fidelium diſciplinæ, & conſtitutæ per eam diſciplinam paci & concordiæ inferretur. Ad hoc momentum oculos non adjiciunt, qui relato argumento utuntur. Non ſatis eſt, quòd Parochis præjudicium nullum fiat, ſed præjudicium inſuper nullum fieri debet canoni, quem univerſalis per Lateranenſe Concilium ſanxit Eccleſia. Hæc enim cenſuit fidelium ſaluti tutiùs conſuli non poſſe ac ſecuriùs, quàm ſi fideles Parocho ſuo ſaltem ſemel in anno peccata ſua confiterentur, & ab eo in Paſchate Euchariſtiam acciperent.

Hinc Parocho nonnihil fit præjudicii, nonnihil infertur injuriæ, cùm turbetur in eo munere, quod ei univerſalis Eccleſia ſancito ad perpetuam fidelium utilitatem Canone, perficiendum commiſit. Exinde Lateranenſis Canonis obſervationem iis urgemus argumentis, quibus Leo in epiſtolæ LIII. capite III. & IV. ad Anatolium Nicænorum Canonum obſervationem urgebat: *Temetipſum, quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris, accuſas; ſuperfluè non concedenda appetens, & inſalubriter tibi contraria concupiſcens, quæ nullum unquam poterunt noſtrum obtinere conſenſum. Abſit enim à conſcientia mea, ut tam prava cupiditas meis ſtudiis adjuvetur, ac non potiùs & meo, & omnium qui non alta ſapiunt, ſed humilibus conſentiunt, opere ſubruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt, & ſiquid uſquam aliter, quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt,*

ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum; quæ ad bonum ſunt commune præfixa, & manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum. Hæc ille de canonibus Nicæni Concilii, cui Patres interfuerunt tantùm CCCXVIII. Quid verò non dixiſſet de canonibus Lateranenſis Concilii cui Patres interfuerunt M. CC. LXXXIII. ex quibus erant Epiſcopi CDLXXIII. Poſtremo univerſale Concilium illa omnia, quæ Suarez ex beati Thomæ dictis colligit, ſapienter prævidit, & iis pari modo providit, ſcilicet ut fideles pluribus, non uni tantùm confiteri poſſint: *Si quis*, inquit, *alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à Sacerdote proprio, cùm aliter ille ipſe non poſſit abſolvere vel ligare.* At quoniam veritas non erubeſcit, niſi abſcondi, ſimpliciter animadvertendum eſt beatum Thomam quæſtionem hanc non ita tractare, ut illi convenire poſſit Theologiæ ſeu doctrinæ ſacræ definitio, quæ eſt in part 1. quæſt. I. art. II. & art. VIII. ad ſecundum: Prioris loci verba ſunt: *Sacra doctrina eſt ſcientia, quæ procedit ex principiis notis lumine ſcientiæ ſuperioris, quæ ſcilicet ſcientia eſt Dei & beatorum. Unde ſicut Muſica credit principia ſibi tradita ab Arithmetico, ita doctrina ſacra credit principia ſibi revelata à Deo.* Poſterioris: *Sacra doctrina utitur auctoritatibus Canonicæ Scripturæ propriè ex neceſſitate argumentando, auctoritatibus verò aliorum Doctorum Eccleſiæ, quaſi argumentando ex propriis, ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra revelationi Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſiqua fuit aliis Doctoribus facta.* Hæc ergo ſcholaſticæ Theologiæ definitio aptari non poteſt iis, quæ in explicatæ traditionis capite II. ex beato Thoma decerpſimus, quod animadvertere pretium fuit operæ, cùm aliàs jutaverim in beati Thomæ doctrinam omnem, quæ convenienter definitæ hoc in loco Theologiæ traditur.

OBSERVATIO X.

Expenditur certa quædam beati Thomæ objectio, ſeu ratio, quæ ex privatis Presbyterorum utilitatibus comparatur.

OBSERVATIONIS hujus materia ſuperioris obſervationis materiæ affinis eſt; ſed eam tamen ſeorſum tractandam ſuſcepi: peculiarem involvit difficultatem, quæ ibidem non potuit dilui commodè. Beatus ergo Thomas in cap. II. laudatus ait: *Juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, ac honorem Dei, & ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promovendum, quòd aliis, quæ ſunt juriſdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui gregi præſunt non ut paſcant, ſed ut ab eo paſcantur.* Objectioni huic ſeu rationi qua poſt Thomam, quidam ſunt uſi, Armacanus in cap. VI. explicatæ traditionis ita reſpondet: *Item quòd perſona Ordinarii ſit parochiano ſuo ſecurior, aliter ſuadetur. Scilicet quia de ejus perſona rationabiliter parochianus poterit judicare, quòd quoad hoc ſcilicet per pœnitentiam congruam, & utilem ſibi imponendam pro ſuis peccatis eſt judex ſibi minùs ſuſpectus ſeu æquior, quoniam quæſtum ſubſidii temporalis per confeſſionis ſuæ auditionem in ſuo Ordinario non habet ſupponere, aut aliqualiter ſuſpicari, cùm neceſſaria vitæ de lege Dei & ſuæ Eccleſiæ Ordinarii miniſterio ſint annexa. De perſonis verò fratrum è contrà: Quoniam, ut in appellatione quam contra me fecerunt in Anglia, continetur, ex ſua fundatione ad mendicitatem, & paupertatem arctiſſimam aſſerunt ſe conſtrictos, nonobſtante in eis facultate audiendi confeſſionet omnium ſibi confiteri volentium. Unde quæſtum relevationis mendicitatis in eis cauſam auditionis confeſſionis hominis extranei probabiliter Parochianus poterit ſuſpicari, & rationabiliter in animo ſuo arguet: Cur iſte Mendicus hic meam confeſſionem audiendo & à neceſſariis in victu ſibi acquirendis deſiſteret, niſi de me tale ſuffragium expectaret. Unde cùm egeſtas ad peccatum, cujus meditatione indigentiæ ſuccurratur, impellat juxta illud Salomonis Proverbiorum* XXX. *cap. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi; ſed tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum te, & dicam, quis eſt Dominus? & egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei. Conſequitur, quòd pro omni genere peccatorum eleemoſynam applicando: quæ poterit ejus mendicitas relevari, velit mihi imponere, & ita non ero ſpiritaliter bene ſanatus. Salvator enim ſuis diſcipulis quærentibus, quare non potuimus ejicere dæmonium illud, reſpondet: Hoc autem genus dæmoniorum non ejicitur, niſi per orationem & jejunium Matth.* XVII. *cap. Ex quo dicto colligitur quòd ſicut cuicunque morbo corporali diverſo diverſa congruit medicina: ſic ſpirituali morbo cuilibet eſt providenda propria medicina, qualem iſte mendicus circa ſua intentus,*

ut ſuſpicor, mihi nullatenus miniſtrabit. Confirmatur hæc ratio: Quoniam ſatis apparet in facto: quòd iſti fratres ubique per orbem poſt privilegium de confeſſionibus audiendis obtentum Monaſteria pulcherrima, & regalia palatia conſtruxerunt. Cujus rei evidentia, ſive cauſa præcipua illa eſt confeſſiones audiendi facultas; quoniam antequam illam facultatem haberent, nullatenus talia conſtruere potuerunt. Item nunquam auditur, quòd fratres ad refectionem defectuum Parochialis Eccleſiæ, aut ſtratæ communis, ſeu ad pontium reformandos defectus, tales eleemoſynas largiendas confeſſis imponunt: Nec Minores, ut eas Prædicatoribus, aut Prædicatores, ſeu quicunque de aliis Mendicantium Ordinibus Minoribus largiantur: ſed imponunt cuncta ſibi & Ordini ſuo applicantes. Unde veriſimiliter poterit judicari, quòd quæſtus proprius eſt in cauſa, quare talis Mendicus pro perſona extranea eſt ita ſollicitus, quòd tempus mendicationis negligit, illi extraneo totus intentus. Rogerius qui Armacano reſpondit, hæc omnia cùm ſolvere non poſſet, diſſimulanda ſibi eſſe duxit. Neque memini me legere è fratribus quemquam alium, qui ſolverit aut repercuſſerit. Joannes Major, in cap. x. laudatus, qui fratrum partes omnino tuetur, id non diſſimulat: *Reſpicit Pontifex ad utilitatem plebis ſubjectæ Curato: & multò melius eſt plebi habere hos religioſos cum Curatis admiſſos, quàm ſolos Curatos. Et ſic ſi religioſi tollant aliquos denarios, qui dati fuiſſent Curato, tollunt etiam laborem.*

Observatio XI.

Expenditur ejuſdem ſancti Thomæ reſponſio ad objectionem, quæ petitur ex Cap. contra Statuta SS. Patrum.

BEATUS idem Thomas in cap. II. laudatus ita diſputat: *Ad ea verò, quibus probare nituntur, quòd nec ex privilegio Papæ religioſi prædicare, nec confeſſiones audire poſſunt, nunc reſpondendum eſt. Quod ergo primò objicitur, quòd Romanæ Sedis auctoritas non poteſt aliquid condere vel mutare contra ſtatuta ſanctorum Patrum. Dicendum quòd verum eſt in illis, quæ ſtatuta ſanctorum Patrum determinaverunt eſſe de jure divino, ſicut articuli fidei, qui determinati ſunt per Concilia: ſed illa, quæ determinaverunt eſſe de jure poſitivo, ſunt relicta ſub diſpoſitione Papæ, ut poſſit ea mutare vel diſpenſare ſecundùm opportunitates temporum & negotiorum.* Si ſanctus Doctor ſpectaſſet *perſonam, à qua id dicitur, propter quid & de quo dicitur*, non reſpondiſſet, quod reſpondit, & fortè reſpondiſſet, quod non reſpondit. Perſona maximè à qua dicitur, *Romanæ Sedis auctoritas*, &c. Romanus eſt Antiſtes nomine Zoſimus: propter quid dicitur, *honor eſt & reverentia beati Trophimi*, quem Romana Sedes Arelate in primum urbis hujus Epiſcopum deſtinavit: de quo dicitur, *ſunt certa quædam privilegia*, quæ ſancti Patres Arelatenſi Epiſcopo conceſſerant. Quidquid id eſt, luculenter conſtat ex epiſt. VII. Zoſimi, quæ in tom I. Conc. Gall. ſic ſe habet, ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ provinciæ: *Multa contra veterem formam Proculus uſurpare detectus eſt in ordinationibus indebitè celebrandis, quas proximè univerſa cognitione diſcuſſimus.* Infrà: *Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas Concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta Patrum, & ſancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ex hac Sede directus eſt, concedere* (apud Juonem, Gratianum & Thomam *concedere*) *vel mutare ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Sic igitur Zoſimo vis infertur, cùm verba illius ad deciſionem rerum fidei detorquentur. Pontifex de Metropolitanorum privilegiis agit ſeu juribus, quæ Nicæni Patres Canone ſpiritu Dei condito & totius mundi reverentia conſecrato firmarunt, & contra quem ille nihil à Romana Sede concedi aut mutari fatetur ingenuè. Rationem egregiam ſubjungit: *Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Beatus Doctor nonnullis præjudiciis, quæ ex antiquitate illa minimè ducuntur, occupatus, ad jus divinum tranſtulit Zoſimi verba, quæ ad jus poſitivum transferenda erant, & tranſlatione hac Zoſimo contradicit. Nam Pontifici tribuit, quod Pontifex ſibi denegat. Sic enim Thomas ait: *Quæ ſancti Patres determinaverunt eſſe de jure poſitivo, ſunt relicta ſub diſpoſitione Papæ, ut poſſit ea mutare vel diſpenſare, ſecundùm opportunitates temporum & negotiorum.* At Zoſimus ait contrà: *Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas Concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta Patrum* (Nicænorum) *& ſancti Trophimi reverentiam aliquid concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas.* Et ratio eſt: *Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Quòd autem Pontifex expreſſioribus verbis uti non potuerit, judicem facimus Thomam ipſum, qui cum

non

non de jure poſitivo, ſed de jure divino & de fidei articulis intellexit. Ponamus igitur, quod nec inconditè nec inordinatè poni poteſt, Zoſimum de jure Presbyterorum à Lateranenſis Concilii Patribus aſſerto ſcripſiſſe, quod de jure Metropolitanorum à Nicæni Concilii Patribus firmaro ſcripſit. Comperta re Thomas reſponſurus quò ſe reciperet? Intrà Romanæ Sedis fines captus eſt, extra nullus. Ad me quod attinet, Romanæ Sedis finibus me ſemper continebo. In iis qui me quæret, inveniet, ſeorſum ab iis ſi quis me quæret, non inveniet.

Porrò cùm Thomas aberrat à Zoſimi propoſito, & Sedis Apoſtolicæ in obſervandis Canonibus traditione, aberrat, ut ita dicam, in melius. Quis enim apud ſe & æquales ſit judex controverſiarum fidei, ſatis perſpicuè demonſtrat: nempe Concilia, non ſolus Romanus Pontifex. *Dicendum*, inquit, *quòd verum eſt in illis, quæ ſtatuta ſanctorum Patrum determinaverunt eſſe de jure divino, ſicut articuli fidei, qui determinati ſunt per Concilia.*

OBSERVATIO XII.

Expenditur certa quadam Bonaventura ratio, qua habetur in tractatu ſic inſcripto, Quare Minores prædicent, & confeſſiones audiant.

RETRACTANDUS eſt mihi tractatus iſte, in quo ratio eſt ejuſmodi: *Summus Pontifex ubique habet poteſtatis plenitudinem, ita & commiſſam ſibi gerit omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, ut ea, qua ſingulis neceſſaria probantur, ipſius providentia ſuppleantur: alioqui vana eſſet apud ipſum tanta poteſtas, quam executionis efficacia non comitaretur.* Et primùm num rractatus iſte Bonaventuræ ſir, valde dubito, quia cum illius ſcriptis aliis, quæ in medium adduxi, non ſatis cohæret. Deinde veræ Theologiæ principiis duobus Scriptura & Catholicæ Eccleſiæ traditione non explicat, qua in re ſita Pontificiæ poteſtatis plenitudo, quam Romano Pontifici attribuir. Tum videtur illam poteſtatis plenitudinem ita concipere, ur concipienda foret, ſi quomodo Gregorius Magnus putat Joannem Conſtantinopolitanum univerſalem dictum fuiſſe Epiſcopum, Romanus Pontifex univerſalis Epiſcopus diceretur. Rem de tribus Gregorii epiſtolis notamus.

Prima eſt in libro IV. trigeſima octava ad Joannem Conſtantinopoliranum Epiſcopum: *Quid enim fratres tui omnes univerſalis Eccleſia Epiſcopi, niſi aſtra cæli ſunt? quorum vita ſimul & lingua inter peccata erroréſque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent? Quibus dum cupis temetipſum vocabulo elationis præponere, eorúmque nomen cui comparatione calcare, quid aliud dicis, niſi in cælum conſcendam: ſuper aſtra cæli axaltabo ſolium meum? An non univerſi Epiſcopi nubes ſunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce & miraculis coruſcant? Quos dum veſtra fraternitas deſpiciens ſub ſe premere conatur, quid aliud dicit, niſi hoc quod ab antiquo hoſte dicitur: Aſcendam ſuper altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cùm flens conſpicio, & occulta Dei judicia pertimeſco, augentur lachrymæ, gemitus ſe in imo corde non capiunt, quòd ille ſanctiſſimus Dominus Joannes tanta abſtinentia atque humilitatis ſuorum familiarium ſeductione linguarum ad tantam ſuperbiam erupit, ut in appetitu perverſi nominis illi conetur eſſe ſimilis, qui dum ſuperbè eſſe ſimilis Deo voluit, etiam donatæ ſimilitudinis gratiam amiſit, & veram beatudinem perdidit, quia falſam gloriam quæſivit. Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſia eſt, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſia, atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris ſunt Eccleſia conſtituti; & nemo ſe unquam univerſalem vocare voluit.*

Altera eſt in libro VII. indict. I. trigeſima ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum: *Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia adhuc arca Dei inſunt tabulæ Teſtamenti, in qua quia ſpiritalis doctrina viget, proculdubio tabulæ legis jacent. Indicare quoque veſtra beatitudo ſtuduit, jam ſe quibuſdam non ſcribere ſuperba vobula, quæ ex vanitatis radice prodierunt; & mihi loquitur dicens: ſicut juſſiſtis. Quod verbum juſſionis, peto, à meo auditu removete, quia ſcio quis ſum, qui eſtis, loco enim mihi fratres eſtis, moribus patres. Non ergo juſſi, ſed quæ utilia viſa ſunt indicare curavi. Non tamen invenio veſtram beatitudinem hoc ipſum, quod memoria veſtra intuli, perfectè retinere voluiſſe. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid ſcribere debere: Et ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, univerſalem me Papam dicentes, imprimere curaſtis. Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra ultra non fa-*

ciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt univerſalis Eccleſiæ. Meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſcunque honor debitus non negatur; ſi enim univerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum.

Tertia eſt in eodem lib. VII. indict. II. ſeptuageſima ad Euſebium Theſſalonicenſem, & alios Epiſcopos: *Hortor atque ſuadeo, ut nullus veſtrûm hoc nomen aliquando recipiat, nullus conſentiat, nullus ſcribat, nullus ubi fuerit ſcriptum admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adjiciat: ſed ſicut omnipotentis Dei miniſtros decet, integrum ſe ab hujuſmodi venenata infectione cuſtodiat, & callido inſidiatori in ſe locum non præbeat: Quoniam & hoc in totius Eccleſiæ injuriam ac diſciſſionem, & ſicut diximus, in omnium veſtrûm deſpectum ſit. Nam ſi unus, ut putat, univerſalis eſt, reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis.*

Gregorius igitur ferre non poteſt, ut Joannes Conſtantinopolitanus univerſalis vocetur Epiſcopus; ferre quoque non poteſt, ut ipſemet univerſalis ab Eulogio Alexandrino Papa nominetur. At quibus rationum momentis factum ſuum confirmat, hæ Bonaventuræ (ſi tamen illius) aſſertionem funditus evertunt, ut mutua docet contentio. Vera non eſt, ſed falſa Romani Pontificis imago & ſpecies, quam efformat. In eo ſita non eſt poteſtas Romani Pontificis, ut primi & ſecundi Ordinis ſacerdotum partes obeat, per ſe vel per ablegatos homines exerceat miniſterium, quod illi ſecundùm Scripturam, & Eccleſiaſticos Canones debent exercere. In ſumma, primi & ſecundi Ordinis Sacerdores vicariam Romani Pontificis præfecturam minimè gerunt.

Sed ut ad rem cominus accedam, quis ante Bonaventuræ ſæculum Papa per ſingulas orbis Chriſtiani Provincias, Diœceſes, Parochias, miſit unquam monachos, qui fidelium confeſſiones exciperent, & iis pœnitentias imponerent? Hoc autem ſi nullus fecerit, aut reperiatur feciſſe, quis muneris ejuſmodi functionem Romano Pontifici jure tranſcribet? Quæ partes illius ſunt, duobus veræ Theologiæ principiis conſtant, ſcripturæ auctoritate, & Catholicæ Eccleſiæ traditione. Quæ verò functionem illam traditio ſcripturæ interpres per annos à Chriſto mille ducentos ſuſtentat? Quæ diſciplina exemplo vel unico confirmat?

Fortaſſe dices, obcundæ functionis ejuſmodi neceſſitatem ſummam, quæ ſe ad futurum tempus extenderet, Bonaventutæ ætate Romano Pontifici obveniſſe. Si hoc ita eſt, non renuo, neceſſitati ſummæ parendum eſt. Sed ut dicam liberè quod ſentio, eum qui aptè probaret hoc, quàm qui gratìs & ſine ratione diceret, audirem libentiùs. Res ponderis tanti non quæſitis ex Academia volatica diſtinctionibus, ſed teſtimoniis ac monumentis fidelibus aſſerenda eſt. Aliud fingere, quæ propoſitis ad arbitrium lemmatibus ſerviant, aliud proferre, quæ hiſtoricæ veritati conſentiant, nec diſciplinam veterem laceſſant.

Gregorius jam beatum Bonaventuram, & alios ſimiliter loquentes docuit, Romanum Pontificem eum non eſſe, qualis eſſe deberet, ſi quæ Bonaventura diſputat, admitterentur: nunc eundem docebit, qua in re præſertim munus Pontificium conſiſtat.

Sic autem in libri II. epiſtola XXXVII. ad Naralem Salonitanum Epiſcopum: *Quòd verò dicitis noſtris temporibus debere ſervari, quæ à meis quoque prædeceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt, abſit hoc à me, ut ſtatuta majorum conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam: quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum jura perturbo.*

Deinde in libri IV. epiſtola XXXII. ſcribit ad Mauritium Auguſtum: *Ad vitam ergo rectam revertatur auctor ſcandali, & omnia ſacerdotum jurgia ceſſabunt. Ego autem cunctorum ſacerdotum ſervus ſum, in quantum ipſi ſacerdotaliter vivunt. Nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem, atque contra ſtatuta patrum ſuam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam ſibi nec cum gladiis flectit.*

Tum in ejuſdem libri epiſtola XXXIV. ad Conſtantinam Auguſtám: *Triſte mihi aliquid ſereniſſimus dominus innuit, quòd non eum* (Joannem Conſtanrinopolitanum) *corripuit, qui ſuperbit. Sed magis ab intentione mea declinare ſtuduit, qui in hac cauſa Evangeliorum & Canonum ſtatuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo.*

Præterea in libri IX epiſtola XXXII. ad Romanum Defenſorem Siciliæ: *Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?* Quod de juriſdictione Epiſcoporum dicit, id quoque dici de Presbyterorum juriſdictione poteſt, ſi univerſalium maximè Conciliorum Canonibus aſſerta ſit & definita.

Ex his ergo liquet perſpicuè Romani Pontificis munus eſſe præcipuum, ut & ipſe ſervet Cano-

Google

Canones, & ut à ceteris Epiſcopis & Presbyteris ſerventur, modis omnibus efficiat: Quapropter juxta Gregorii mentem Romanus Pontifex non debet iis, quæ Bonaventura vel alius notat, incumbere; ſed prorſus eniti, ut Lateranenſis canon diligenter obſervetur, & tandem in eos, qui ſeſe gerent negligentiùs, aut contradicent pertinaciùs, animadvertendi jus maximum & præſentiſſimum habere. Huc quidem, non illuc, quò Bonaventura tendit, ſpectat plenitudo poteſtatis quam accepit.

Facundus Hermianenſis Epiſcopus in libri II. capite VI. de poteſtate illa ſic loquitur in perſona Vigilii Papæ: *Ille non in deſtructionem paternæ ſententiæ, ſed potiùs in defenſionem atque ultionem, primam accepit & maximam poteſtatem, nec aliquid contra veritatem, ſed pro veritate plus ceteris ſuis conſacerdotibus poteſt: Paulus enim dixit Apoſtolus: Non enim poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate.* Unde fit, ut hic auctor primum inter primos Chriſtianos ſacerdotes Romanum Epiſcòpum appellet in libri IV. capite III.

Facundum beatus Bernardus excipit in libri III. de Conſider. ad Eugenium Papam capite V. *Supereſt*, inquit, *ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua, ſi plebes clericis, ſi clerici ſacerdotibus, ſi ſacerdotes Deo in ea, qua oportet humilitate ſubjecti ſint, ſi in monaſteriis & religioſis locis ſervetur ordo, vigilet diſciplina, ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat, ſi floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia ſacerdotum, ſi flores fructus parturiant obedientiam fidelium populorum, ſi demum veſtra ipſorum Apoſtolica mandata & inſtituta ea, qua dignum eſt ſollicitudine obſerventur, ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incultum, aut fraude ſurreptum inveniatur.* Apoſtolica mandata & inſtitura intelligit, quibus jubeatur ſacrorum Canonum executio, non quibus per privilegia derogetur in perpetuum, ut ſignificant verba hæc: *Ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incultum, aut fraude ſurreptum inveniatur.* Neutrum invenitur, ubi eſt diligens ſacrorum Canonum executio, utrumque invenitur, ubi eſt antedicta ſacrorum Canonum derogatio.

Hæc autem cùm ita ſint Bonaventura, ſeu quivis alius nonnihil paſſus eſt humani, cùm vel ab inconvenienti concludat: *Alioqui vana eſſet apud ipſum tanta poteſtas, quam executionis efficacia non comitaretur.* Hæc enim concluſio pſeudographæ argumentationis vitio laborat. Poſtrema auctoris verba eò tandem pertinent, ut monachi & fratres quidam id aſſerant, quod Joannes Saresberienſis Carnutum Epiſcopus, & Concilium delectorum Cardinalium graviter reprehendunt.

Joannes quidem Sareſberienſis in libro VII. Polycratici cap. XXI. *Sæcularium poteſtatum implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur, ſiúntque mediatores Dei & hominum, & eos qui venia indigent, ſuis aggregant ſocietatibus, confeſſiones excipiunt, & claves Eccleſiæ uſurpantes, aut ſurripientes Petro ligare præſumunt & ſolvere, & Domino prohibente falcem mittunt in meſſem alienam: potentiores autem & ditiores favore vel mercede recepta, faciliùs exonerant, & peccatis alienis humeros ſupponentes jubent abire in tunicas & veſtes pullas. Quidquid illi ſe commiſiſſe deplorant, amplificant miſericordiam Domini, qui neminem vult perire, quàm ſicut apertam & patentem pœnitentibus, ſic ſolis deſperantibus præcluſam eſſe pronuntiant. Indulgent interim his, qui criminibus ardentiùs & tenaciùs involvuntur, peccare in ſpe, dum ſibi in redemptionem eorum aliquid prærogant, & audacter promittunt veniam, eò quòd ſicut aqua ignem ita eleemoſyna extinguit pecatum. Pœnitentia quoque nunquam ſera eſt, ſi tamen vera. Conſentiunt ergo moribus iniquis, & popularem provocantes affectionem aſſentationibus obturant aures hominum, ne increpationes audiant Prælatorum.* Hæc ille beati Thomæ Cantuarienſis Diſcipulus.

Concilium verò delectorum Cardinalium, qui Paulum III. ſic alloquuntur: *Et quoniam ſanctitas tua ſpiritu Dei erudita probè noverat, principium horum malorum inde fuiſſe, quòd nonnulli Pontifices tui prædeceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coacervaverunt ſibi Magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quòd principatum omnem ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quòd confeſtim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium, ac ideo cùm dominus vendat id quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam. Ita quod voluntas Pontificis, qualiſcunque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: ex quo proculdubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſpera-*

tionem fere ſalutis laboraſſe, & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque. Quæ Joannes Sareſberienſis, & Concilium delectorum Cardinalium ſuis temporibus graviter reprehendunt, noſtris non minùs graviter reprehenderentur, ut notum eſt.

Observatio XIII.

Expeditur ratio hac, Pontifex Romanus & Diœceſani Antiſtites poſſunt permittere, ut Parochianus alieno Sacerdoti ſua peccata confiteatur in Paſchate, quia id Parochialis Presbyter poteſt permittere.

Doctores bene multi ſunt, qui hac ratione utuntur ab initio controverſiæ. Alenſis familiam ducit in capite I. explicatæ traditionis, ubi reſpondet ad argumentum ductum ex capite, *Omnis utriuſque ſexus: Sine prajudicio melioris ſententia Summus Pontifex & alii inferiores poſſunt licentiare aliquem, ut confiteatur, cui voluerit, & abſolvere eum à tentione confitendi Parochiano ſuo, quia ſi poteſt Parochialis dare licentiam Parochiano ſuo confiteri cuicunque voluerit, & ſolvere à tentione confitendi ſibi ſimpliciter, & ad tempus, ſecundùm quod eſt rationi conſonum, cur hoc non poteſt Epiſcopus, cujus eſt Parochianus? Hoc ponere eſſet ponere Epiſcopum non habere omnem poteſtatem in ſubditos, quam habet ſimplex Curatus.*

Durandus in capite V. Marſilius in capite VI. Major in capite X. Gemmingenus in eodem capite Celaia in capite XI. Suares in capite XII. laudatus, & forſan alii eodem argumento utuntur, quod paralogiſmum & fallaciam involvit. Aliud enim eſt Parochum, ſeu Presbyterum à Lateranenſi Concilio ſeparatim ſpectare, atque illum ita cum diœceſano Antiſtite & Romano Pontifice contendere: aliud Parochum, ſeu Presbyterum cum Lateranenſi Concilio conjunctim ſpectare, atque illum ita cum diœceſano Antiſtite & Romano Pontifice contendere. Hæc autem duo, quæ ſunt diverſiſſima non advertunt, vel certè diſſimulant, qui relatum argumentum objiciunt. Dubitari nec licet, nec poteſt, quin auctoritatis majoris ſint diœceſanus Antiſtes & Romanus Pontifex, quàm Presbyter, ſi Presbyter ſeorſum à Lateranenſi Concilio ſpectetur. Et ſic argumentum validiſſimè concludit. At verò Presbyter, ſi conjunctim cum Lateranenſi Concilio ſpectetur, in eo quod Canon, *Omnis utriuſque ſexus*, præſcribit, is ſine dubio auctoritatis majoris eſt, quàm vel diœceſanus Antiſtes, vel Romanus Pontifex, ſiquidem exequitur Canonem, quem univerſale Concilium, id eſt, Romanus Pontifex, & totius orbis Epiſcopi condiderunt, atque ut conderent, poſtulabat ſalus fidelium, & univerſalis Eccleſiæ utilitas, cui, non ſibi ipſis Romanus Pontifex ceterique Epiſcopi conſulere debent, & in Lateranenſi Concilio conſuluerunt. Id quoque beatus Thomas docet in opuſculi XIX. capite IV. *Subjectio alicujus ſubjecti ad Rectorem Eccleſia non eſt ordinata principaliter ad utilitatem præſidentium, ſed ad utilitatem ſubjectorum.* Quo ita poſito argumentum fallaciter concludit. Nam in eo diſtrahuntur, quæ conjuncta oſtendimus ut univerſale Concilium majus eſt qualibet ſui parte, ſive illa ſit diœceſanus Epiſcopus, vel Romanus Pontifex: ſic & Sacerdos proprius, ſeu Parochialis Presbyter, quatenus univerſalis Concilii, & ſingularum illius partium vim & robur continet; at continet dum Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, exequitur. Quid clarius? Univerſalis enim Concilii Patres re in deliberationem poſita judicarunt, omnino neceſſarium eſſe, ut fideles Parochiali Preſbytero, quem Sacerdotem proprium vocant, ſaltem ſemel in anno peccata ſua confiterentur, vel alieno, cui licentiam impertiret. Hoc autem dum Sacerdos proprius, ſeu Parochialis Presbyter exequitur, à Romano ceteriſque Antiſtitibus, qui Concilio aderant, derivatum in ſe jus vendicat & aſſumit, ut hocce modo omnium, quemadmodum Patribus viſum eſt, convenientiſſimo ſaluti fidelium provideretur. Quare Concilium, quod univerſalem repræſentabat Eccleſiam, diſciplinæ huic Romanum alióſque Præſules cùm aſtrinxerit, caſſum & irritum eſt argumentum, quod Doctores noſtri proponunt. Non agitur præciſè de Sacerdotis proprii, ſeu Parochialis Presbyteri auctoritate & jure, ſed de auctoritate & jure univerſalis Concilii, quod ſacerdoti proprio, ſeu Parochiali Presbytero id munus in Paſchalibus feriis exequendum injunxit.

Quidquid hoc loco diſſerimus, ex rebus aliis à Lateranenſi Concilio geſtis optimè confirmatur: Lateranenſe Concilium in cap. LXII. ſtatuit, ne primi Ordinis Antiſtites, qui antea quot dierum volebant indulgentias de injunctis pœnitentiis concedebant, non ultra dies XL. deinceps concederent. Cur ita? ne videlicet pœnitentialis ſatisfactio enervaretur. Adhibendæ per Epiſcopos moderationis hujus exemplum quæritur ab Romano Pontifice, qui licèt poteſtatis haberet plenitudinem, modum tamen ſervare in talibus conſueverat, ne agendæ à peccatoribus pœnitentiæ fibula nimiùm laxaretur. Hoc ita

conſtituto,

conſtituto, qui Epiſcopus poſt Canonem hunc indulgentiam dies XL. excedentem concederet, invalidè concederet; nimirùm concederet indulgentiam, quam concedere non poſſet ampliùs, non quòd non poterit aliàs validè concedere, ſed quòd univerſale Concilium Antiſtitibus ſingulis & quibuſcunque majus & potentius validè concedendi poteſtatem ad dies XL. definierit, ut ſua videlicet ſacramento Pœnitentiæ vis ac robur aſſeratur, & ne impoſita in eo ſatisfactio enervetur. En Canonis condendi ratio, quæ Lateranenſe Concilium ad circumſcribendam Epiſcoporum poteſtatem in dandis indulgentiis coëgit. Hoc autem argumentum ad annuam confeſſionem Parocho faciendam transfertur non difficilè, & diſparilitatem nemo unquam oſtendet. Quidquid à litigioſis dicetur hominibus, reponetur ſemper, & felici ſucceſſu reponetur judicio illorum, qui quæ ſit legitima diſputatio non ignorant.

Quòd autem Innocentius III. qui Lateranenſi Concilio præfuit, Eccleſiaſticæ diſciplinæ adſtringi, & eidem Concilio ſubjici ſe crediderit, planè liquet ex epiſtola quam ſcripſit ad Philippum Auguſtum Francorum Regem, qui volebat cum uxore divortium facere: *Sed in carnali*, ait, *commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò eſt proceſſum, quòd ſi etiam illi tantùm confeſſioni vellemus inſiſtere, quam nuper eadem regina feciſſe proponitur coram Abbate de Trappa, & dilecto filio Roberto de Corzou, nunc titulo ſancti Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, non auderemus ſuper hujuſmodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire, propter illam ſententiam Evangelicam, quam ipſe Chriſtus expreſſit, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, cùm abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo ſuffragentur. Verùm ſi ſuper hoc abſque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam, & mundanam infamiam, forſan Ordinis & officii noſtri periculum immineret.* Poſtrema verba clarè rem explicant, quam propoſuimus. Effulgent luce tanta, ut eam ſophiſticæ diſputationis fuligo nulla poſſit inobſcurare. Odoricus ipſe Raynaldus diſſimulare id non potuit, cùm in tomo XIII. Eccleſiaſticorum Annalium ad annum M. CCXII. fatetur, Innocentium *aliis literis Regi omnem diſſolvendi conjugii ſpem ademiſſe, id nimirum à ſe ſine amittendi Pontificatûs periculo tentari non poſſe.* Cujus verò auctoritate Pontificatum amitteret, niſi Eccleſiæ, niſi Concilii, quod Eccleſiam repræſentat univerſam?

Robertus ille Cardinalis Presbyter, cujus meminit Pontifex in epiſtola, de firmitate rerum à Concilio definitarum ſic loquitur in Summa Theologiæ quæſt. de extrema Unctione: *Dicimus quòd pro aliqua neceſſitate non poteſt vel oleum benedici, niſi ab Epiſcopo, nec inunctio celebrari, niſi à Sacerdote, nec in alio die, quàm in die cœnæ, eſt oleum illud benedicendum, niſi per Concilium generale ampliata eſſet illa benedictio ad alios dies, & niſi per internam inſpirationem.* Quorſum illud, niſi quia ne id aliter fiat, Canonibus ſancitum eſt? Sed majora dicit adhuc quæſtione XXIII. cap. III. *Quia in generali Concilio per inſpirationem Spiritus ſancti à ſanctis Patribus inſtitutum eſt, & à Domino Papa confirmatum, nequis in ſacris Ordinibus conſtitutus contrahat, tam generalis conſtitutio à Domino Papa revocari non poteſt, niſi per eamdem auctoritatem Spiritus ſancti, & convocato Concilio generali.* Hæc ille in Cod. MS. cœnobii ſancti Victoris ad Lutetiam. Doctrina illa de Concilii generalis auctoritate nova non eſt, quæ & ante Innocentium, & Innocentii III. tempore in Romana viguit Eccleſia, & vigebat ætate Clementis IV. ſic diſſerentis in diplomate, quo militum hoſpitalis ſancti Lazari Hieroſolymitani privilegia confirmat: *Adjicimus inſuper, ut ſi eorundem fratrum, qui ad eaſdem fraternitates miſſi fuerint, vel collectas, in quamlibet civitatem, aut caſtellum, vel vicum, aut alium locum devenerint, ſi fortè locus ille fuerit divinis officiis interdictus, in eorum jucundo adventu, ſemel aperta Eccleſia annuatim excommunicatis, & ſemel, interdictis excluſis, divina ibi officia celebrentur, ſalva in omnibus ſupradictis declaratione Concilii generalis.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat, id poſſe à generali Concilio fieri, quod à ſeipſo Pontifice fieri non poſſit. Clemens habito ad generale Concilium reſpectu, id intelligit, quod alii habito ad Sedem Apoſtolicam reſpectu intelligunt dicentes: *Salva Sedis Apoſtolicæ auctoritate.*

Revertor ad argumentum fallax & ſophiſticum, quod varia terminorum ſuppoſitio adornat, & præ me fero, Eccleſiam hiſce Dialecticorum fraudibus non indigere.

Cùm verò antè dixi Parochum, in eo quod Lateranenſis Canon præſcribit, auctoritatis majoris eſſe, quàm diœceſanum Epiſcopum, vel Romanum Pontificem, id non in condendo, ſed in exequendo Canone poſitum eſſe, ut jam indicavi, profiteor. Neque verò ea in re ulla fit injuria diœceſanis Epiſcopis, aut Romano Pontifici: quia univerſale Concilium, cui aderant, communi omnium conſenſu & una voce ſic ſtatuit, exigente

gente

gente univerſalis Eccleſiæ utilitate & fidelium ſalute, cui ſoli debent ex officio incumbere. *Unuſquiſque*, inquit beatus Paulus in epiſtola ad Rom. capite xv. *veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit.* Quidquid igitur Romanus ceterique Antiſtites, qui Lateranenſe habuerunt Concilium, per ſe vel per alios in audienda fidelium confeſſione, & in danda communione Paſchali (nam in can. eadem eſt utriuſque ratio) facere poterant, id totum propter Chriſtianæ religionis bonum Parocho, & iis quibus expedire judicaret Parochus, tranſſcripſerunt, & proximo actu quem Philoſophi ſecundum nominant, & confirendi & communicandi fideles in Paſchalibus feriis veluti ſeſe abdicarunt. Id populi ſalus, & convenientiſſima Eccleſiæ diſciplina poſtulare viſa eſt, ut jam monui. Unde fit, ut qui relatum à comparatione argumentum comparant & proponunt, non tam Parochum Romano aliiſque Epiſcopis, quàm Romanum alióſque Epiſcopos, qui Lateranenſe celebrarunt Concilium, Romano aliiſque Epiſcopis, qui non celebrarunt illud Concilium, opponant. Eóque pacto Theologicam diſputationem non inſtituunt, ſed more Andabatarum in tenebris gladium ventillant, & tandem in eos, quibus blandiuntur, incurrunt. Qua in re judicium prudentiàque Doctorum requiritur, & argumenti, quo perperam utuntur, fallacia demonſtratur. Interim Romanus ceteríque Antiſtites ad Canonis noſtri cuſtodiam advigilant ex munere ſuo, & ſi Parochi non exequuntur Canonem, ut Lateranenſe præſcribit Concilium, tunc ipſimet quod in ſuis, ut ita loquar, deceſſoribus ſtatuerunt, exequentur, aut exequendum aliis committent, & Parochos congruentibus pœnis caſtigabunt. Sic nullus eſt locus adulatoriæ diſputationi. quam qui ſanctam Concilii diſciplinam in factionem convertunt, ſolent inſtituere, dum Eccleſiaſticæ poteſtatis finem faciunt ipſam Eccleſiaſticam poteſtatem, & magnificam poteſtatis hujus, quæ in Romano & aliis Epiſcopis reſidet, oſtentationem. & fidelium ædificationem, propter quam data eſt, in præteritis relinquunt, ſiletur ædificatio, quæ ſemper dicenda & quærenda eſt. Optimè omnium Gamachæus ſcribit in cap. XIII. explicatæ traditionis: *Chriſtiani non ſunt propter Curatos, ſed Curati e contrario propter Chriſtianos, nec poteſtas conceſſa fuit Paſtoribus in favorem ipſorum, ſed in utilitatem plebis.* Sed adulatores nec Romanum Pontificem, nec Epiſcopos in Paſtorum numero collocant, niſi ut prætermiſſa plebis utilitate, datam in favorem ipſorum poteſtatem venditent, ad pompam oſtentent, in odium invidiàmque eos rapiant, qui verum & legitimum Pontificiæ auctoritatis finem & ſcopum per ſcripturam & traditionem exhibent & deſigunt.

OBSERVATIO XIV.

Prædicatores & Minores decreto Martini IV. cùm ſtare nollent, novam in Gallia excitarunt controverſiam, quam niſi Bonifacius VIII. diremit apud Naugium, hac nondum dirempta eſt.

OBSERVATIONIS capita ſunt tria, quæ tractanda ſuſcipio. Unum eſt, fratres illos conſtitutioni Martini IV. cùm ſtare nollent, novam excitaſſe controverſiam propter verba hæc: *Volumus autem, quod ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur.* Quibus exequendum eſſe Lateranenſis Concilii Canonem jubet. Sed Mendicantes cùm noluerint exequi, novas in Gallia lites inſtaurarunt; quinetiam ſuis effecere argutationibus, ut quamvis Pontifex ad ſanciendam inter eos & Presbyteros pacem edixiſſet, ſervandum eſſe Canonem, quomodo ſervandum eſſe præcipit, ſervandus non videretur, aut non neceſſariò ſervaretur. Quo nihil eſt Pontificiæ conſtitutioni magis repugnans. Gallicanus Clerus, Epiſcopi nimirum & Parochiales Presbyteri decreto Martini firmiter adhærere volebant, Prædicatores verò & Minores Philoſophicis potiùs, quàm Theologicis confiſi rationibus adhærere nolebant. Ex tali oppoſitu nata eſt controverſia, quæ poſtquam Clerum & fratres inter ſe diu commiſſos acerrimè tenuit, finem in Gallia nullum habere potuit, ſed uti haberet, ex compacto Romam deducta eſt. Tunc vita functis Martino IV. & Honorio IV. Sedem Apoſtolicam occupabat Nicolaus IV. qui controverſiam invenit, ſenſitque adeo difficilem & arduam, ut eam dirimere non ſit auſus; & quod mireris, Nicolaus Pontifex erat ex Minorum Ordine aſſumptus, qui quòd neutram in partem pronunciare voluerit, non obſcurè ſignificat, Gallicani Cleri, quàm fratrum cauſam longè meliorem ac juſtiorem Pontifici viſam fuiſſe. Sed ille fratrum crabones irritare noluit. Eberhardus Ratiſponenſis Archidiaconus, & Henricus Gandavenſis hiſtoriam latè perſequuntur in capite III. explicatæ traditionis.

Ceterum

Ceterùm cardo, difficultas & momentum rei verſabatur in eo, ut vel exemplo novo, ac proinde formidabili abroganda, vel recepto more vindicanda eſſet conſtitutio, qua Martinus Innocentii IV. & Clementis IV. veſtigia relegens, & ſecundùm Apoſtolici muneris partes & antiquam Romanæ Eccleſiæ traditionem œcumenici Concilii Canonem exequendum eſſe decreverat. Nicolaus igitur IV. ea ſuper re nihil pronunciat. Celeſtinus Nicolai ſucceſſor nihil quoque pronunciat. En primum obſervationis noſtræ caput.

Ad ſecundum venio, & dico Bonifacium VIII. Celeſtini ſucceſſorem ea ſuper re pronunciaſſe, & apud Nangium diremiſſe controverſiam cùm edixit, ut qui fratribus jam confeſſi eſſent, Parochialibus adhuc Presbyteris confiterentur: *Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de audiendis confeſſionibus à Papa Bonifacio irritatur, & decernit idem Papa, ut confeſſus eiſdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio ſacerdoti.* Bonifacii conſtitutio, quam anno M. CC. XCVIII. id eſt, Pontificatus IV. editam eſſe ſcribit Nangius, vel intercidit, vel ſi non intercidit, ad nos nondum pervenit. Exinde fides tota eſt penes Nangium, qui Bonifacio æqualis eſt, Monaſterii ſancti Dionyſii monachus, & auctor minimè ſuſpectus. Hoc autem à Bonifacio ſic geſtum eſſe multa ſuadere poſſunt.

Et primùm quidem Nicolaus IV. ex Ordine Minorum aſſumptus Pontifex, cùm ſuſpenſus incertúſque manſit in finienda controverſia, quæ inter Gallicanum Clerum, & Mendicantes erat, ſatis oſtendit, fratres fuiſſe dignos, qui cauſa caderent, ſi finienda fuiſſet à ſe controverſia. Cur enim ſecundùm fratres non pronuntiaſſet, ſi pronuntiare meritò potuiſſet?

Deinde inter Martinum IV. & Bonifacium intermedius ille Pontifex, de quo Mediavillanus ita ſcribit in explicatæ traditionis capite III. *Præterea Papa in privilegio conceſſo Minoribus & Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis, & Eremitanis, ex privilegio ſpeciali noviter emanato, declarando videtur dicere, quòd in illo ſtatuto, Omnis utriuſque ſexus, intelligitur Parochialis Presbyter ille, qui in communi ſic vocatur in hoc quod dicit; confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri, prout ſtatuit generale Concilium.* Sic Pontifex, qui Eremitanos, fratres ſcilicet ex Ordine Eremitarum ſancti Auguſtini, donavit audiendarum confeſſionum privilegio, decernit, ut fideles iſtis fratribus confeſſi, ſemel in anno ſuis Parochis confiteantur, quia id ſtatuerat generale Concilium. Privilegii hujus, quod videre adhuc non licuit, idoneus & locuples teſtis eſt Mediavillanus, ſive quia tunc vixit, cùm datum eſt privilegium, ſive quia Franciſcanus erat, id eſt homo privilegiorum iſtiuſmodi minimè negligens.

Tum Martinus IV. cujus mox relatum eſt teſtimonium. Hic Bonifacium Cardinalem creaverat, qui & hanc ob cauſam Martinum, Martiníque geſta vix non poterat non venerari & obſervare. Præterea Martini conſtitutum ſimile eſt conſtitutis, quæ Leo Magnus ſervari præcipit in epiſtolæ ad Campaniæ & Piceni Epiſcopos capite V. *Nequid verò ſit, quòd prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium præceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, ut ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.* Quin igitur Bonifacius Martini conſtituto ſimili adhæſerit, nemo dubitabit, qui hæc omnia paullo attentiùs conſideraverit.

Quartò, Clemens IV. in explicatæ traditionis capite II. laudatus, ubi Generalem Miniſtrum, & fratres Ordinis Minorum ſic aloquitur: *Populis Legatis & Ordinariis ſubjectis eiſdem liberè prædicare poteſtis, audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Eccleſiarum ac ſacerdotum Parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſive retentione ab eis ſpecialiter facta, prædictæ Sedis Legatis & Ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur.*

Inter caſus de jure exceptos unus eſt, qui Lateranenſi can. *Omnis utriuſque ſexus* continetur, quo autem animo fuerit Clemens in privilegia, quæ juri divino & humano adverſantur, nos ipſe docet in epiſtola ad Abbatem Caſæ Dei: *Demum ſcire te volumus, quòd monaſterii tui minuere non intendimus libertatem, quod ſincera complectimur brachiis caritatis, ſed ubi privilegia cernimus juri divino contraria & humano, licèt eadem innovare nolimus, ſatis tamen nos reddimus gratioſos, ſi ea non adimimus, quæ rationabiliter annullare poſſemus.* Integram ex codice M S. ſancti Victoris epiſtolam retulimus in Defenſione Sedis Apoſtolicæ adverſus privilegia ſubreptitia.

Quintò, Innocentius IV. in eodem capite laudatus, ubi Religioſos univerſos ſic alloquitur: *Antiqua & moderna jura in medium deducendo univerſitati veſtra, per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientia diſtrictè pracipiendo mandamus, quatenus Parochianos alienos diebus dominicis, & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis, ſeu oratoriis temerè ad divina, nec ipſos ſine ſacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam nullatenus admittatis, cùm ſi quis alieno ſacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm ſtatuta generalis Concilii licentiam priùs poſtulare & obtinere debeat à proprio ſacerdote, vel ſaltem fili primò confiteri & recipere beneficium abſolutionis ab eodem: aliter namque ab ipſo ſolvi non poterit.*

Hæc autem omnia cordato atque erudito viro ſuadere poſſunt, Bonifacium VIII. tot deceſſorum, & cum primis Martini veſtigia relegentem id feciſſe, quod ab eo ſactum Nangius memoriæ prodidit, & eo ita poſito diremiſſe controverſiam, quæ in Gallia ob Martini IV. conſtitutionem inter Clerum, & fratres excitata, & Romam, ut dirimeretur, delata fuerat.

Nunc ad obſervationis caput tertium accedo & præ me fero, controverſiam nondum diremptam eſſe, ſi tunc dirempta non fuit, & primùm quidem dirempta non eſt à Bonifacio, cùm in explicatæ traditionis capite IV. conſtitutionem *Super cathedram* edidit. Boniſacii verba, ſi quæ ad inſtitutum conducerent, hæc ſunt: *Ab olim ſiquidem inter Pralatos & Rectores ſeu Sacerdotes ac Clericos Parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi provincias conſtitutos ex una parte, & Pradicatorum & Minorum fratres ex altera, gravis & periculoſa diſcordia extitit ſuſcitata ſuper Pradicationibus fidelium populis faciendis, eorum confeſſionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipſorum Eccleſias, ſive loca noſcuntur eligere ſepulturam.* In conſtitutione hac quæ per ſaturam edita eſt, prognata apud Gallos ex Martini Papæ IV. conſtitutione diſcordia non repræſentatur. Cui rei fidem facit mutua utriuſque contentio. At non repræſentata controverſia quo pacto ſedaretur? quomodo finem acciperet? Ubinam quæſo Boniſacius nominat generale Concilium, cujus executorem ſe Martinus præſtat? Ubinam nominat Marrini conſtitutionem, qua Lateranenſis Concilii Canonem executioni mandari præcipit? Ubinam nominat diſcordiæ genus illud, quod inter Clerum & fratres in Gallia emerſerat?

Ratum ergo fixúmque ſit, Boniſacii conſtitutionem eam non eſſe, qua inter Clerum & fratres exorta in Gallia, & diſceptata Lutetiæ controverſia terminetur. Quidquid id eſt, diſpoſitio generalis, quæ conſtitutione Bonifacii ſancitur, non comprehendit caſum ſpecialiter definitum; qualis eſt ille, qui decreto Martini Papæ definitur, ut habetur *L. doli clauſula. de ſtipulat. l. cùm in teſtamento.* §. *fin. de hared. inſtitut. l. ſervo manumiſſo. de pecul. leg.* apud Matthæum Grimbaldum in libro II. de ratione ſtudendi.

Deinde dirempta non eſt à Benedicto XI. qui anno poſt editum Martini Papæ decretum viceſimo tertio Romanam capeſſiit Eccleſiam. Benedicti verba, ſi quæ ad inſtitutum conducerent, hæc ſunt in illius conſtitutione, qua Boniſacii conſtitutionem abrogat, in capite IV. explicatæ traditionis: *Excommunicationis verò, vel alias ſententias per Pralatos latas contra hoc, vel in ejus fraudem, denunciamus irritas & inanes, nec confeſſi ipſis fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes de illis ſacerdotibus teneantur, ſicut etiam non tenentur iterum confiteri, non obſtante conſtitutione generalis Concilii.* Sic Benedictus mentionem nullam facit controverſiæ, quæ in Gallia inter Clerum & fratres excitata, & Romam delata eſt, ut dirimeretur, quod noraſſe ſufficit, non enim dirimitur talis controverſia; quæ non refertur. Præterea Benedictus quidem exemplo novo derogat generali Concilio, cujus meminit, ſed non derogat Martini Decreto, cujus non meminit. Apud æquos autem rerum judices non cenſetur legitimè derogari ſtatuto, cujus expreſſa non fit mentio, & præſertim cùm ſtatutum de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Canonum diſciplinis, ut ſuprà beatus Leo loquitur, promulgatur. Nicolaus Iſambertus in explicatæ traditionis capite XIII. dicit, Martini conſtitutionem à Benedicto XI. & Leone X. abrogatam fuiſſe. Sed hac in re Magiſter optimus nonnihil paſſus eſt humani. Pontifex nullus cenſetur deceſſoris ſui conſtitutionem abrogare, niſi conſtitutionem deceſſoris exprimat, quemadmodum Benedictus ipſe XI. Boniſacii VIII. conſtitutionem *Super cathedram*, vel Clemens V. in Viennenſi Concilio Benedicti conſtitutionem revocando, & abrogando expreſſit. At ſiquis diceret Benedictum Canoni generalis Concilii derogando cenſeri decreto Martini derogaſſe, cum generale Concilium Romano Pontifice ſit majus, & qui majori derogat, minori etiamſi minus non exprimat, derogare cenſeatur: Hoc autem ſi quis diceret, non eſſet ex numero illorum fratrum & Magiſtrorum Curialium, qui Concilio generali Romanum Pontificem ſuperponunt. Deinde

de Romani Pontificis decreto ex ſacris canonibus promulgato per philoſophicam ratiocinationem minimè derogatur; alias eſſe Ariſtotelis leges, alias Eccleſiæ quis ignorat?

Tum dirempta non eſt à Clemente V. in Viennenſi Concilio quod anno Chriſti M. CCC. XI. Benedicti conſtitutionem reſcidit,* & Bonifacii conſtitutionem reſumpſit, ſuàmque fecit: ſed nihil addidit, quo memorata controverſia finiretur: pleriſque Concilii Patribus non potuit non eſſe nota: quippe quæ ab anno M. CC. LXXXI. ortum habuerit, atque agitatarum hinc inde quæſtionum rumore Lutetiam & Romam, Galliam, Italiam & Germaniam oppleverit. Quare negari meritò non poteſt, quin ut Bonifacius in conſtitutione *Super cathedram*, ita & Viennenſe Concilium in eadem conſtitutione reperita intactam controverſiam reliquerit, quæ Romæ à Gallicanis Oratoribus ſic propoſita eſt: *Utrum ſtante Martini Papa IV. decreto, quod ex Lateranenſi canone promulgatum fuerat, fratribus confeſſi ſacerdotibus propriis, Parochis videlicet, ſemel in anno confiteri teneantur, necne?* Gallicanus Clerus & Pariſienſis Academia teneri affirmabant, uſque adeò Pontificis decretum reverebantur: Prædicatores verò & Minores teneri poſſe negabant, uſque adeò Pontificis decretum aſpernabantur. Hoc autem controverſiæ momentum in Clementina *Dudum*, quis leget? aut illa per certam rerum & verborum complexionem inferet?

Quartò, dirempta non eſt à Joanne XXII. qui poſt annos à Viennenſi Concilio decem, ab edito Martini decreto quadraginta propoſitam quæſtionem ſolvere potuit, ſed reipſa non ſolvit. In conſtitutione ſua, *Vas electionis*, quæ in explicatæ traditionis capite v. refertur, ita loquitur: *Illi, qui fratribus confitentur, non magis tenentur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti juxta Concilium generale.* Hîc ne verbum quidem de Martini decreto, quod paullo antè retulimus. Quinetiam ſi Joannis XXII. oratio ſpectetur, & orationis ſcopus, ille Martini decretum meminiſſe non debuit. Nam Martinus ſpeciatim, Joannes verò generatim loquitur. Aliud eſt fratribus confeſſos, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneri; quod Martinus decrevit: Aliud fratribus confeſſos non magis teneri eadem peccata confiteri rurſus, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti juxta generale Concilium; quod Joannes definit.

In aſſertione priori ſermo eſt de peccatorum confeſſione, quæ ſemel in anno fiat; in aſſertione poſteriori de peccatorum confeſſione, quæ non ſemel tantùm in anno, ſed pluries fiat, aut fieri poſſit. Deinde in aſſertione priori non decernitur, quæ peccata fideles ſemel in anno Presbyteris confiteri teneantur; in aſſertione poſteriori definitur, quæ peccata confiteri non teneantur.

Dico amplius: Joannes XXII. cùm in definitione ſua ſecundùm Joannis Polliaci articulum non repetat totum, prout ab eo proponitur, noluiſſe videtur illum omni ex parte condemnare. Rem nos mutua docebit contentio. Secundus Polliaci articulus eſt: *Quòd ſtante* Omnis utriuſque ſexus, *edicto in Concilio generali Romanus Pontifex facere non poteſt, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, quem dicit eſſe Parochialem Curatum.* Joannis verò Papæ definitio: *Ideóque ne per aſſertionem, prædicationem, & doctrinam hujuſmodi in errorem, quod abſit, animæ ſimplicium prolabantur omnes articulos, & quemlibet eorum tanquam falſos & erroneos, & à doctrina ſacra devios auctoritate Apoſtolica condemnamus & reprobamus de fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium Catholicum aſſerentes, ſcilicet quòd illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata cofiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti juxta Concilium generale.* Quod igitur Joannes definit, clauſula hæc ultima eſt, ſcilicet *quòd illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs fuiſſent confeſſi eorum proprio ſacerdoti juxta Concilium generale*, perſpicuè demonſtrat. Polliacus verò dicit, *Quòd ſtante*, Omnis utriuſque ſexus, *edicto in Concilio generali Romanus Pontifex facere non poteſt, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteri, hoc eſt Parochiali Curato.* Atenim quis Latinè intelligens, & ſana mente præditus nec ullo diſtentus præjudicio affirmaret, Joannis definitionem cum articulo Polliaci adæquari? Quis Dialecticus oſtenderet, Joannis definitionem Polliaci articulo per ſe ac directè opponi? Quis probaret, id omne, quod Polliaci articulus dicit, definitione Joannis negari? Agitur de certo quodam jure, quod ad ipſius juris apices expendi æſtimarique

oportet. Hoc igitur loco funem contentionis ducerer, qui ex verbis præcedentibus argutaretur: *Joannis Polliaci articulos omnes & eorum quemlibet* condemnare. Sed me vide, *articulos omnes & eorum quemlibet ſecundùm partem ſui quamlibet* condemnare ſe non dicit. Hic rhodus, hic ſaltus.

Deinde quatenus, articulos omnes & eorum quemlibet condemnat, inſequentibus verbis exponit: *Scilicet, quòd illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti juxta Concilium generale.* Appoſitè omnino Tertullianus in libri de baptiſmo capite XIII. ait: *In omnibus poſteriora concludunt, & ſequentia antecedentibus prævalent.* Immo generale juriſprudentiæ axioma eſt, *Ultima prioribus derogare.* L. pacta noviſſima. C. de pactis. apud Matthæum Gribaldum in libro II. de ratione ſtudendi.

Tum Joannes profitetur ſe Alexandri IV. & Clementis IV. veſtigiis inſiſtere, dum articulos Polliaci condemnat, Sed Pontifices illi duo nuſquam condemnarunt articulum, quem Martinus IV. proponit & ſervari jubet. Immo verò non potuerunt condemnare, quia Alexander IV. & Clemens IV. Martinum IV. præceſſerunt. Et ſi quo caſu ſimilem condemnaſſent articulum, quis crederet Martinum IV. approbaſſe articulum, quem Alexander IV. & Clemens IV. condemnaſſent, in auctoritatem admiſiſſe, & ut ſervaretur, ita præcepiſſe: *Volumus autem, quòd ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur.*

Poſtremò Joannis ratio ſuppetebat juſtiſſima, cur Polliaci articulum integrum, & ſuis conceptum verbis non exhiberet. Nam præ ſe fert Polliacus, Romanum Pontificem univerſalibus ſubjacere Conciliis, Eccleſiam canone, non abſoluta auctoritate regi, quod Joannes reprobare noluit, cùm rectè calleret in ea eſſe ſententia vetuſtiores Romanæ Eccleſiæ Pontifices, & cum primis Innocentium III. & Robertum Cardinalem illum Legatum, quorum teſtimonia retulimus in obſervatione XIII.

Porrò ne ſint omnia, quæ de Joannis conſtitutione hactenus diſſerui, apertè liquet, à Joanne diremptam non eſſe Gallicanam controverſiam, quæ ſuis expreſſa verbis & propriis adornata conditionibus in medium non adducitur.

Quintò dirempta non eſt ab Innocentio VI. cùm in explicatæ traditionis capite VI. ad Angliæ Epiſcopos ſcribit. Dirimendæ controverſiæ tunc non defuit occaſio, ſive conſideretur oratio, quam Armacanus coram Innocentio VI. & Cardinalibus habuit, ſive conſideretur Rogerii ad eam orationem reſponſio. Nam Armacanus & Rogerius de Martini IV. decreto multa verba fecerunt, ut in memorato capite legere eſt.

Sextò dirempta non eſt ab Alexandro V. qui in explicatæ traditionis capite VII. Bonifacii VIII. conſtitutionem, *Super cathedram*, & Joannis XXII. conſtitutionem *Vas electionis*, repetit, & inſuper adjicit quædam alia, quæ ad eandem ſpectant materiam. Sed ubique Martini IV. Conſtitutio ſiletur. Vox de confeſſione Paſchali nulla miſſa eſt, confeſſio ſemel in anno ſacerdoti proprio facienda non attingitur. Pontifex in fine diplomatis ſui edicit, ut Bonifacij VIII. ſervetur Conſtitutio, qui neceſſariam, ut vidimus, excitatæ ob Martini decretum à fratribus perperam acceptum controverſiæ deciſionem prætermiſit. Neque verò clauſula hæc derogationis: *Nonobſtante prædicta conſtitutione, quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus, & aliis conſtitutionibus contrariis quibuſcunque:* quicquam juvat. Et primò quidem, quia neque Bonifacius, neque Viennenſis Concilii Patres, qui Bonifacii Conſtitutionem recipiunt & approbant, hac derogationis clauſula utuntur. Deinde iidem Patres dum Benedicti XI. hac clauſula utentis Conſtitutionem refigunt, clauſulam utpote novam & inuſitatam maximè refixiſſe cenſeri debent. Refigente autem clauſulam generali Concilio quibus eam machinis Pontifex unus inſtauraret? Tum ſibi ſumit fuiſſe olim Pontifices, qui conſtitutiones Bonifacii VIII. & Joannis XXII. conſtitutionibus adverſas ediderint. Sed fuere nulli, qui tales ediderint. Quare verberat aërem, dum fictis conſtitutionibus derogat, nec Symmachi Papæ recordatur, qui dicit: *Univerſalis Eccleſiæ concordia tunc maximè adoleſcit, ſi ea, quæ à Patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reverenter obſervat.*

Præterea clauſula hæc pertinere nequit ad Martinum IV. qui quòd Bonifacium VIII. & Joannem XXII. præceſſerit, his contraria decernere non potuit. Quò fit, ut intactum adhuc remaneat Martini decretum, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque quòd Silveſter II. Seguino Senonenſium Archiepiſcopo ſcribat, *Sit lex communis Eccleſiæ Catholica, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones ſpiritu Dei conſtituti & totius mun-*

di

di reverentia conſecrati, *& decreta Sedis Apoſtolica ab his non diſcordantia.* Silveſter inquam II. quia quæ ante Pontificatum ſcripſit, ei tribuuntur, ut Gregorio I. & Innocentio III. tribui ſolent opera, quæ ante Pontificatum ediderunt. A canonibus igitur non diſcordat Martini decretum, quod ex ipſo Lateranenſi canone promulgatur. In Pontificum autem decretis quæ ex ſacris promulgantur Canonibus, derogandi non eſt locus, aut ſi quando locus ſit, pro facti extraordinarii ratione decreta ejuſmodi nominatim exprimi debent.

Septimò dirempta non eſt ab Eugenio IV. Nicolao V. & Calliſto III. quorum conſtitutiones in explicatæ traditionis capite VIII. recenſentur. Hi enim tres Pontifices Bonifacii, ſeu quod idem eſt, Viennenſis Concilij & Alexandri V. Conſtitutiones retexunt, nec mentionem faciunt ullam decreti, quo Martinus IV. ſtatuit, ut qui eſſent fratribus confeſſi rurſus ſemel in anno Parochialibus Presbyteris confiterentur. Deinde Calliſtus III. videtur minimè legiſſe Clementinam *Dudum*, cùm ibidem ita ſcribit: *Quòdque ob hoc prædicti Parochialium Eccleſiarum Rectores eiſdem perſonis Euchariſtiam & alia ſacramenta Eccleſiaſtica denegare nequeant, harum ſerie decernimus, nec non ſi prædicta perſona ſemel in anno eiſdem fratribus Mendicantibus confeſſa fuerint, peccata dictis fratribus confeſſa, non ampliùs prædictis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus confiteri teneantur, eadem auctoritate juxta eandem Clementinam declaramus.* Hæc Clementina eadem eſt cum Bonifacii VIII. Conſtitutione, *Super cathedram*: in qua Pontifex, ut vidimus de iteranda juxta Martini decretum, vel non iteranda ſemel in anno confeſſione neutiquam tractavit. Quare Calliſti Conſtitutio ſeu privilegium non poteſt non eſſe ſubreptitium, in quo Clementinæ tribuit, quod illi tribuendum non eſt.

Octavò dirempta non eſt à Sixto IV. cujus privilegium *Mare magnum* dictum refertur in cap. IX. explicatæ traditionis. Meminit quidem Conſtitutionum Joannis XXII. Eugenii IV. & Nicolai V. qui declarant, neceſſe non eſſe, ut fratribus confeſſi iterum confiteantur Parochialibus, Preſbyteris, ſed non meminit conſtitutionis in qua Martinus IV. declarat neceſſe eſſe ut *Fratribus confeſſi Parochialibus Presbyteris confiteantur ſemel in anno prout generale Concilium ſtatuit*, eóque pacto vindicem ſe, cuſtodem & aſſertorem Concilij præbet. Non meminit quoque ortæ in Gallia ex occaſione Conſtitutionis Martini controverſiæ, quam terminare velit. Quinetiam Sixtus aliquot poſt annos ad ſe reverſus, decretum edidit ex Lateranenſi canone promulgatum: *Quòd ipſi Mendicantes*, inquit, *deſiſtant prædicare*, *quòd Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti*, *quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti*: *Per hoc tamen ipſi fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi*, *quominus ſecundùm juris communis & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem confeſſiones audire & pœnitentias injungere valeant.* Dum loquitur de Paſchali confeſſione proprio facienda ſacerdoti, ad Lateranenſem reſpicit Canonem, quo id præſcribitur: Dum Mendicantes ſecundùm juris communis & privilegiorum diſpoſitionem confeſſiones fidelium audire poſſe dicit, ad Clementinam *Dudum* reſpicit, qua Prædicatores & Minores certis quibuſdam conditionibus ad excipiendas pœnitentium confeſſiones admittuntur: Cùm verò: ait *Per hoc tamen ipſi fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi*: ſignificat, quòd etiamſi Paſchalis confeſſio non deponatur apud fratres, ſed apud ſacerdotem proprium, ii tamen temporibus aliis confeſſiones audire poſſint.

Nonò dirempta non eſt à Leone X. cujus conſtitutio deſcribitur in capite X. explicatæ traditionis. Pontifex in conſtitutione ſua dicit quidem: *Fratribus confeſſos ſatisfeciſſe Conſtitutioni*, *qua incipit*, *Omnis utriuſque ſexus.* Sed non dicit derogare ſe Decreto, quo Martinus IV. præcipit, ut *fratribus confeſſi iterum ſemel in anno confiteantur Parochialibus Presbyteris*, *prout ſtatuit generale Concilium.* Deinde non innuit velle ſe finem imponere controverſiæ, quæ in Gallia ex occaſione Conſtitutionis Martini Clerum inter & fratres excitata & Romam deducta olim fuerat ut ibi terminaretur.

Decimò dirempta non eſt à Paulo III. & Paulo IV. quorum Conſtitutiones recenſentur in cap. XI. explicatæ traditionis, quia neuter Pontifex meminit decreti, quo Martinus IV. ſpeciatim decernit, *Ut fratribus confeſſi ſaltem ſemel in anno confiteantur ſuis Parochialibus Presbyteris*, *prout ſtatuit generale Concilium.* Neuter quoque meminit excitatæ apud Gallos, & Romam ut ibi finiretur, delatæ controverſiæ.

Undecimò dirempta non eſt à Clemente VIII. cujus conſtitutio refertur in cap. XII.

 expli-

explicatæ traditionis. Pontifex fortaſſe & Martini IV. decretum & ortam ob decretum in Gallia controvetſiam ignorabat. Ac proinde non potuit cauſam illam injudicatam non relinquere,

His autem omnibus ſic conſtitutis res eò deducitur, ut ſi excitatæ in Gallia & maximè Pariſiis inter Clerum & fratres ob Martini conſtitutionem controverſiæ Bonifacius finem non dedit apud Nangium, neque ipſe poſtea, neque ullus Pontifex alius vel Concilium dederit. Si Bonifacius finem dedit, fratres lite cadunt, & Parochiales presbyteri cauſam obtinent: Si nec Bonifacius nec ullus Pontifex alius, vel Concilium finem dedit, ut mox probatum eſt, Martini IV. viget adhuc conſtitutio, cui ſi fratres obediant, capti ſunt ſi non obediant, nulli, quia contra promulgatam ex Lateranenſi canone conſtitutionem pugnabunt, nec aliam poterunt ullius Pontificis conſtitutionem opponere, quæ ex generalis Concilij canone promulgetur. Opponent fortè privilegia, ſed paris non erunt efficaciæ, ut ſuo loco poſtea obſervabimus.

OBSERVATIO XV.

Nonnulla ad Durandi diſputationem annotata.

IN cap. v. explic. traditionis integram propoſitæ quæſtionis ſolutionem à Durando certa de cauſa exſpectabam. Sed mea me fefellit exſpectatio.

Et primùm quidem habito ad canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, ubi de proprio ſacerdote agitur, reſpectu ait: *Papa poteſt diſpenſare in ſtatuto juris poſitivi, cùm ipſe ſit Juris conditor, non ſic Epiſcopus.* Bene eſt, ſi Papa ſolus condidiſſet illum canonem, ſed non ſolus condidit, quia univerſale Concilium cui præfuit, condidit. Ac proinde in eo diſpenſare univerſalis eſſet Concilii, & ſic deſtruit quod ædificare vult.

Præterea de Pontificia diſpenſatione perinde diſputat, ac ſi nullis illa legibus conſtringeretur. Quantò prudentiùs Pontificiæ diſpenſationis materiam beatus Thomas duobus in locis explicat? Prior eſt in opuſculi contra impugnantes religionem cap. IV. & ſic ſe habet: *Illa, quæ ſancti Patres determinaverunt eſſe de jure poſitivo, relicta ſunt ſub diſpoſitione Papæ, ut poſſit ea mutare vel diſpenſare ſecundùm opportunitates temporum & negotiorum.* Et paullo pòſt: *Nec tamen Papa, quando aliter facit, quàm à ſanctis Patribus ſtatutum ſit, contra eorum verba facit, quia ſervatur intentio ſtatuentium, etiamſi non ſerventur verba ſtatutorum, quia non poſſunt in omnibus caſibus, & omnibus temporibus obſervari ſervata intentione ſtatuentium, quæ eſt utilitas Eccleſiæ.*

Poſterior in quod lib. IV. quæſt. VIII. art. II. *Reſpondeo, quòd Papa habeat plenitudinem poteſtatis in Eccleſia, ita ſcilicet, quòd quæcunque ſunt inſtituta per Eccleſiam vel Eccleſiæ Prælatos ſunt diſpenſabilia à Papa. Hæc enim ſunt, quæ dicuntur eſſe juris humani vel juris poſitivi. Circa ea verò, quæ ſunt juris divini vel juris naturalis diſpenſare non poteſt, quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione divina.* Et paullo pòſt: *Unde circa hoc* [bigamiam] *poteſt diſpenſare, licet diſpenſare non debeat, niſi ex magna & evidente cauſa.* Sic non apud Durandum, ſed apud Thomam Pontifex in jure humano vel poſitivo non diſpenſat, niſi cùm intervenit utilitas Eccleſiæ, aut magna & evidens cauſa, quæ non ſemper intervenit. Sic ceſſat diſpenſandi ratio, cùm opportunitates temporum & negotiorum ceſſant, cùm Eccleſiæ utilitas non apparet, cùm magna & evidens cauſa non ſuppetit, quod non convenit privilegiis, in quibus perpetua fit diſpenſatio, quæ tunc diſſipationis nomen accipit, diſcordias & lites generat, & pacem fidelium conturbat.

Ceterum diſpenſandi ratio non tam à diſpenſatore pendet, quàm ex quæſtione juſta, quæ de opportunitatibus temporum & negotiorum, de utilitate Eccleſiæ, de magna & evidenti cauſa inſtitui neceſſariò deber. Inſtitui verò debet quæſtio ab iis, qui opportunitates temporum & negotiorum, utilitatem Eccleſiæ, & magnam atque evidentem cauſam poſſunt certò cognoſcere. Hi autem vix ſunt alij, quàm qui privatis diœceſibus & parochiis præſunt, & ſi res exſeipſa penſetur, in privilegiis vix aliter vitaretur ſubreptio, vel obreptio.

Deinde metaphyſicas hypotheſes ſtatuit, in quibus & ſeorſum à Lateranenſis Concilii canone concludit, & quia poteſt aliquid ſublatis circunſtantiis abſolutè fieri, id vel factum, vel poſſe poſitis circunſtantiis omnibus fieri docet: quo diſputandi genere vix ullum eſt fallacius.

Tum à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter procedit: *Ergo Epiſcopus poteſt audire*

audire confeſſiones omnium ſubditorum in Epiſcopatu ſuo, imò plus pro utilitate ſubditorum poteſt prohibere Sacerdotem parœcialem à confeſſionibus audiendis. Nempe quando cauſa juſta occurrit, ſi verbi gratia Parœcialis Sacerdos non eſſet diſcretus & cautus, ut ex præſcripto Concilii diſcretus & cautus eſſe debet. Nam ſi ex præſcripto Concilii diſcretus & cautus eſſet, conditiones ſi adeſſent ceteræ, ab audiendis Parochianorum confeſſionibus jure prohiberi non poſſet.

Quartò, de audiendæ confeſſionis genere omni indiſcriminatim, non de Paſchali confeſſione diſcriminatim verba facit. In Parochialis Presbyteri cenſum ab univerſali Concilio deputatur Paſchalis ſeu annua confeſſio: Confeſſiones reliquæ non item, & ſic vitioſè diſputat, quia in diſputatione alia atque alia eſt terminorum ſuppoſitio, ut cum Dialecticis loquamur.

Quintò, non diſſimili culpa ſotdeſcit propoſirio hæc: *Epiſcopi tale officium* (audiendarum confeſſionum) *poſſunt committere aliis.* At quoniam Epiſcopus univerſali Concilio Lateranenſi ſuperior non eſt, ſed inferior, ab eo Concilio commiſſum Parochis audiendæ confeſſionis annuæ ſeu Paſchalis officium in alios transferre non poteſt, niſi Parochi ſuo deſint muneri, quia tunc Epiſcopus ut Concilii vindex, cuſtos & executor in ſua diœceſi faciet, quod jure faciendum eſt, caſtigabit Parochos, & Parochianorum ſaluti providebit. Et ſic locus erit Canoni, non abſolutæ auctoritati, qua non regitur Eccleſia, ſed qua Durandus regendam eſſe ſignificat, quæſitis aliunde rationibus, quæ ad annuam ſeu Paſchalem confeſſionem minimè pertinent. In aliis aliorum temporum confeſſionibus Antiſtes ea ſe geret prudentia, quæ ad bene beatéque regendam diœceſim ſuam neceſſaria eſt. Hæc autem omnia Durandus in eadem ratiocinationum ſuarum naſſa fraudulenter includit, ut legenti conſtabit.

Sextò, dicit Clementem IV. confirmaſſe Alexandri IV. decretum quod minimè confirmavit: *Hoc eſt*, inquit, *expreſſè declaratum per Alexandrum Papam, quòd de licentia & commiſſione Epiſcoporum Legatorum Domini Papæ, & quorumcumque Ordinariorum licitum eſt Prædicatoribus & Minoribus audire confeſſiones, inferiorum aſſenſu minimè requiſito. Et idem confirmatum eſt per Clementem Papam.* At iſtud falſum eſt, ut Clementis verba reſtantur in capire 11. explicatæ traditionis: *Liberè*, inquit, *prædicare poteſtis* (Fratres) *audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Eccleſiarum ac Sacerdotum Parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione eis ſpecialiter facta prædicta Sedis Legatis & Ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manum extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur.* Exceptio hæc in Alexandri Papæ IV. conſtitutione non habetur.

Septimò, ſi quæ de Pœnitentiariis in obſervatione v. expoſuimus, conferantur cum iis quæ Durandus de iiſdem ſcribit Pœnitentiariis, liquebit Durandum fœdè imponere: *Papa habet pœnitentiarios, qui pro nunc ſunt omnes religioſi. Epiſcopi verò habent pœnitentiarios tam ſæculares, quàm religioſos, qui abſolvunt omnes ad ſe venientes ſine licentia Sacerdotum parœcialium, non ſolùm de majoribus retentis à Papa vel Epiſcopis, ſed de omnibus quæcunque voluerint confiteri.* Ar pœnitentiarii pœnitentes remittunt ad Preſbyteros pro confeſſione & abſolutione criminum, quæ vel Papæ, vel Epiſcopis reſervata non ſunt.

Octavò, cùm ait: *Ad ſecundum dicendum, quòd abſoluti ab illis, qui habent privilegium vel commiſſionem, ſunt verè abſoluti, nec tenentur iterato eadem confiteri proprio Sacerdoti, nonobſtante conſtitutione Omnis utriuſque, cui præjudicare poteſt per ſpeciale privilegium, quod derogat juri communi.* Id quidem verum eſſet, ſi tunc datum fuiſſet privilegium cui apponeretur derogandi clauſula. Sed quo tempore Durandus ſcribebat, nullus adhuc Pontifex, audiendæ in Paſchate confeſſionis privilegium, in quo Lateranenſi Concilio, vel Canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, expreſſè derogaretur, uti derogandum eſſet ex Romanæ Cutiæ Juriſprudentia, quam alio in loco exponam. Benedictus quidem XI. derogaverat, ſed illius conſtitutio à Clemente V. approbante Concilio Viennenſi abrogata eſt. Quo pacto dicere potui nullum adhuc Pontificem Lateranenſi Concilio vel Canoni, *Omnis utriuſque ſexui*, expreſſè derogaſſe, quia abrogata in loco tam ſplendido & illuſtri conſtitutio, non eſt ampliùs conſtitutio. Privilegium autem juri communi contrarium, cui apud Romanam Curiam derogandi clauſula nulla apponitur, ut ſuppoſititium, vel ſubreptitium habetur, atque ita jus commune ſemper eminet, integrum & incolume remanet.

Nonò, Durandus κρίνεσθαι accuſari, & reus peragi meritò poteſt, quia multa diſſimulat, quæ ut ſincerè tractetur quæſtio, diſſimulanda non ſunt.

1. Diſ

I. Diſſimulat Innocentium IV. edidiſſe conſtitutionem, in qua ſic habetur: *Antiqua & moderna jura in medium deducendo univerſitati veſtra per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientia diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus Parochianos alienos diebus dominicis & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis, ſeu oratoriis temerè ad divina, nec ipſos ſine ſacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis, cùm ſiquis alieno ſacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm ſtatuta generalis Concilii licentiam priùs poſtulare & obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel ſaltem ſibi primò confiteri, & recipere beneficium abſolutionis ab eodem: aliter namque ab ipſo ſolvi non poterit.* Sic Religioſos fratres alloquitur, qua de re altum eſt apud auctorem ſilentium.

II. Diſſimulat, quæ mox ex Clementis IV. conſtitutione retulimus.

III. Diſſimulat, quæ Martinus IV. in conſtitutione *Ad uberes* ita decernit: *Volumus autem, quòd ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur*, qua de re altum eſt apud auctorem ſilentium.

IV. Diſſimulat exortam in Gallia propter Martini decretum controverſiam, quæ Romam, ut ibi finiretur, delata eſt; de ea tamen altum apud auctorem ſilentium.

V. Diſſimulat Bituricenſe Concilium anno M. CC. LXXXVI. celebratum, quod in explicatæ traditionis capite III. Clementis IV. & Martini IV. conſtitutiones executioni demandari præcipit, qua de re apud auctorem ne verbum quidem.

VI. Diſſimulat, quæ Honorius IV. vel Nicolaus IV. Martini ſucceſſor conſtituit in privilegium, quod fratribus Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini dedit apud Mediavillanum: *Papa in privilegio conceſſo Minoribus & Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis, & Eremitanis ex privilegio ſpeciali noviter emanato, declarando videtur dicere, quòd in illo ſtatuto*, Omnis utriuſque ſexus; *intelligitur parochialis Presbyter ille, qui in communi ſic vocatur in hoc, quod dicit: confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris parochialibus confiteri, prout ſtatuit generale Concilium.* Et hoc apud auctorem noſtrum pertinaciter ſiletur.

VII. Diſſimulat, quæ Bonifacius VIII. apud Nangium decrevit hoc modo: *Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de confeſſionibus audiendis à Papa Bonifacio irritatur, & decernit idem Papa, ut confeſſus eiſdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio ſacerdoti.* Hac de re apud auctorem noſtrum ne γρῦ quidem.

VIII. Diſſimulat Bonifacii ejuſdem VIII. conſtitutionem, quæ *Super cathedram* incipit. In hac enim conſtitutione traduntur multa, quæ Durandi placitis non bene conveniunt: *Magiſtri*, inquit Pontifex, *Priores, & Provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii, & Generales, & Provinciales, Miniſtri, & Cuſtodes Minorum, Ordinum prædictorum ad præſentiam Prælatorum eorumdem locorum ſe conferant per ſe, vel per fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri, ut fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus & diœceſibus confeſſiones ſubditorum ſuorum confiteri ſibi volentium audire liberè valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundùm Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem abſolutionis beneficium impendere de licentia, gratia, & beneplacito eorumdem.* Item infrà: *Numerus aſſumendarum perſonarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout univerſitas Cleri & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem.* Item infrà: *Per hujuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm in eo Curatis, vel parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.* Hoc eſt poſitum à Bonifacio trifinium, quod apud Durandum nuſquam invenies.

IX. Diſſimulat Clementem V. & Viennenſe Concilium habenas adduxiſſe, quas Benedictus XI. remiſerat, Bonifacii conſtitutionem inſtauraſſe, quam Benedictus abrogaverat, & fratres in iiſdem continuiſſe finibus & terminis, quos Bonifacius ſtatuerat.

Durandus, qui ad annum M. CCC. XXXIII. migravit, hæc omnia vel certè omnia ingenti ſtudio partium non potuit non diſſimulare, ac reticere: & ob id in varios errores incidit, & fidem ſibi hac in materia detraxit.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

Innocentius VI. & Cardinales curatam ab Armachano inter Martini IV. Conſtitutionem, Ad uberes, *& Joannis XXII. Conſtitutionem,* Vas electionis, *concordiam audierunt, nec improbarunt: Exinde Pariſienſis Academia Armachanum ſecuta eſt, & Sixtus IV.*

IN explicatæ traditionis capite VI. certam quandam orationis, quam Ricardus Armachanus coram Innocentio VI. & Cardinalibus habuit, partem retuli, ubi inter cetera Martini IV. & Joannis XXII. Conſtitutiones conciliare nititur; quod eſt optimum optimi Doctoris conſilium. Adſcribo verba: *Item Dominus Martinus Papa IV. qui fratribus Minoribus facultatem audiendi confeſſiones conceſſit, in ipſius fine ſic dicit: Volumus autem, quòd hi qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis parochialibus Presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout, generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur, quòdque iidem fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter ſecundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo: &c. Hæc ibi. Unde iſte Dominus Papa mandat apertè, quòd nonobſtante confeſſione facta fratri, confitens teneatur juxta Concilii generalis Statutum eadem peccata ſuo Presbytero Parochiali confiteri. Sed huic decreto videtur hæc Conſtitutio Joannina, Vas electionis, juxta ſenſum quem fratres de ea concipiunt, obviare, & populum eo modo informant in publico ſeipſos, ut videtur, & illos damnandos, ſi præmiſſum mandatum Domini Martini ſit fixum, ſicut firmum eſſe videtur juxta rationes* (quas antè expoſuerat.) *Ideo Pater ſanctiſſime, ne tantum diſpendium continuetur in populo Chriſtiano, amore Crucifixi illa conſtitutio cum celeritate poſſibli declaretur. Mihi enim videtur, quòd ita poteſt intelligi, & ſic intelligo: Quòd nullus confeſſus fratribus tenetur propter defectum poteſtatis abſolvendi in fratribus, eadem peccata confiteri ſuo proprio ſacerdoti; cujus contrarium Magiſter Joannes de Polliaco intellexiſſe videtur.*

Item videtur valde mirabile, qua fronte fratres audent aſtruere, quòd ſimul ſtare non poſſunt, ut quis ſit confeſſus fratribus de ſuis criminibus, & quòd eadem teneatur ſuo Ordinario, ſive ſuo ſacerdoti proprio confiteri: cùm econtrà in ſua Regula, ut communiter affirmatur, habeant, quòd quicunque in Ordine ipſorum profeſſus, ſeu habitum ipſorum aſſumens in ſua profeſſione, aut in ſuo ingreſſu, nonobſtante quacunque confeſſione priori facta, tenetur uni ipſorum omnia ſua crimina confiteri. Cur ei abnegant de nobis poſſe ſervari, quod de ſeipſis obſervatur, videtur mirabile.

Item Dominus Benedictus XI. in conſtitutione ſua revocatoria conſtitutionis Bonifacij, Super cathedram, quæ incipit, ſi bene recordor, ad perpetuum fratribus mandat; quòd ipſi hortentur eis confeſſos, quòd eadem ſua peccata confiteantur ſuo proprio ſacerdoti. Ipſe ergo ſenſit, ut videtur, quòd una confeſſio obligationem ad alteram omnino non tollit. Quoniam ſi inſimul ſtare poſſunt, poteſt alterum præcipi, altero libero remanente, ut mihi videtur juxta adducta ſuperiùs.

Item ſanctus Auguſtinus in libro de vera & falſa pœnit. capite IX. & ſanctus Thomas, & Bonaventura, & alii Doctores, & Gloſſatores Catholici ſæpe affirmant, quòd expedit eadem peccata ſæpiùs confiteri. Cur igitur illud ſub præcepto venire non poſſit propter meritum in populo, non video, cumulandum.

Hæc eſt igitur apud Armachanum inter duorum Pontificum Martini, & Joannis conſtitutiones duas conciliatio, ita ut nec pugnantia locuti, nec invicem de errore ſuſpecti, Pontifices videantur. Joannes Religioſos ad audiendam uniuſcujuſque fidelis confeſſionem habiles & aptos reddidit, & ita *nullus confeſſus fratribus tenetur propter defectum poteſtatis abſolvendi in fratribus eadem peccata confiteri ſuo proprio ſacerdoti, cujus contrarium Magiſter Joannes de Polliaco intellexiſſe videtur.* Hoc autem Armachanus contendit non impedire, quominus Martini decreto pareatur à fidelibus: atque ita eorumdem peccatorum confeſſio iterari meritò poterit: quod Regulæ, quam fratres profitentur, teſtimonio, & Benedicti XI. Auguſtini, Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum plurium auctoritate ineluctabili confirmat.

Innocentius VI. audita Armachani oratione neutram in partem qnoad juris quæſtionem pronuntiat, & cùm neutram in partem pronuntiet, Armachano potiùs, quàm fratribus favere mihi videtur. Siquidem Armachanus Martinum & Joannem in quæſtione juris concordes facit, Religioſi, & qui pro eis dimicant, Martinum & Joannem in eadem juris quæſtione diſcordes faciunt, cùm Martini conſtitutioni Joannis conſtitutionem opponunt, & hanc illi præponderare contendunt; quis modò quod mihi lemma ſumo, in dubium vocaret, Innocentium Armachaoo potiùs, quàm fratribus

in neutrali conditione ſua favere? Utriuſque, vel certè alterutrius Pontificis honor agitur & dignitas, quam Armachanus tuetur, & in qua tuenda Innocentium adverſantem, opinor, & repugnantem non ſentiret. Sed videnda eſt neutralis conditio, quam Pontifex ille amplectitur in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ, capite VI. explicatæ traditionis: *Nos igitur æquum & congruum reputantes, quòd hujuſmodi lite pendente nihil per alterutram partem in ipſarum partium, & litis præjudicium debeat innovari, univerſitatem veſtram monemus & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus fratres in prædictis confeſſionibus, prædicationibus & ſepulturis, ac eleemoſynis non impediatis, nec per veſtros ſubditos impediri etiam permitatis. Per prædicta autem non intendimus liti prædicta aliquod præjudicium generari, nec ea pendente quicquam, ut præmittitur, volumus innovari.* In eam litem Pontifex Cardinales quoſdam cognitores dederat, ſed neſcio hactenus num ullum tulerint judicium, & ſi quod tulerint, quodnam illud fuerit. Sed ſcio, non potuiſſe oblatam ab Armachano Pontificum duorum concordiam damnari in fratrum gratiam, quin alter ſimul Pontifex Martinus erroris damnaretur: & proh nefas! ob id damnaretur, quòd deceſſorum Innocentii IV. & Clementis IV. veſtigiis inſiſtens Lateranenſe Concilium generale exequendum eſſe decerneret.

Deciſam non fuiſſe litem docent nos Auctores duo, quorum unus in capite VI. laudatur: *Duravit*, inquit, *quæſtio per aliquod tempus, ſed tandem indeciſa remanſit propter Armachani obitum qui ſupervenit.* Alter ab Odorico Raynaldo laudatur tomo XVI ad annum M. CCC. LVIII. num. VI. *Quis porro hujus controverſiæ fuerit exitus, narrat ſuprà Auctor memorati MS. Vaticani, dum ait vita functum Armachanum, nondum lite deciſa, quam cùm nemo urgeret, ſopitam fuiſſe.*

Thomas Walſingamus Monaſterij ſancti Albani Monachus in Eduardo III. ad annum M. CCC. LVIII. ſcribit, *Clero Anglicano ſibi* (Armachano) *ſubtrahente promiſſa, & exuberante in Curia fratrum ſatis magna pecunia, adhuc lite pendente fratres ſua privilegia, ſicut per antè ſub data nova obtinuiſſe.* In Walſingami opinionem non facilè concedo, ſi præter id, quod ex relata Innocentii VI. epiſtola colligitur, aliudquidpiam intelligat; nempe fratres ſua obtinuiſſe privilegia, quòd anno Chriſti M. CCC. LVIII. qui epiſtolæ Innocentii VI. adſcribitur, pendente lite abrogata non fuerint. At nova non obtinuiſſe privilegia, quæ Martini decreto adverſarentur, hinc manifeſtum redditur, tum quòd nulla reperiantur hujuſmodi, nec ulla Rogerius citet in capite VI. citaturus ſine dubio, ſi qua tunc data eſſent: tum etiam quòd Pariſienſis Academia Gerſone auctore Armachani ſententiam comprobavit. Gerſonis verba ſunt in capite VII. explicatæ traditionis: *Sequitur non eſſe repugnans, perſonam aliquam obligari ad confitendum ſibi aliquid quod jam confeſſa eſt, ſive ſit ex propria obligatione ſui ipſius, ſive per modum pœnitentiæ, aut obedientiæ, vel ordinationis, ut in compluribus Religionibus, ſive per defectum aliquem, aut incertitudinem primæ confeſſionis, aut per Superioris reſervationem, ut in caſibus reſervatis. Sequitur, quòd confeſſus fratribus manere poſſet obligatus denuò proprio confiteri Curato, ſive virtute Concilii hujus generalis, Omnis utriuſque ſexus, ſive aliquovis modo. Nota multos Doctores & gloſſam ordinariam tenuiſſe, quòd obligaremur denuò confiteri, poſtquam fratribus fuiſſemus confeſſi. Sanctus Thomas, Bonaventura, Henricus Gandavenſis, & Prælati diverſorum Regnorum. Præterea hanc conſiderationem advertens Armachanus poſtremò coram Urbano* (dicere debuit Innocentio) *tenuit poſt revocatoriam de Polliaco, & ſe fundat in hoc, quòd duæ affirmativæ poſſunt eſſe ſimul poſſibiles*, & cetera, quæ eodem capite VII. deſcribuntur.

Ægidius Carlerius in capite VIII. explicatæ traditionis ſcribit adverſùs Franciſcanum illum, qui Tornaci prædicaverat, *Curatos non debere alicui negare Euchariſtiam, quamvis Parochiani ipſorum nunquam confiterentur eis in Eccleſiis ſuis parochialibus.* Et ſic diſputat: *Frater iſte ſe mittit in labyrinthum, in contentionem antiquam, ſi Parochiani confeſſati alicui habenti poteſtatem à Papa audiendi confeſſiones & abſolvendi, teneantur confiteri ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, ſcilicet parochiali eadem peccata, ut dicebat Magiſter Joannes de Polliaco; vel alia ſaltem venialia, ſi nulla mortalia ex pòſt commiſerint, præſertim propter Canonem, Omnis utriuſque ſexus.* Hæc ille ad annum M. CCCC. LII. quo ſapientior factus erat, quàm anno M. CCCC. XV. cùm in Magiſtrum ſententiarum Commentarios ederet, & quæ in capite VII. retulimus, dictaret.

Triennio pòſt Pariſienſis Academia Calliſti III. Bullæ interceſſit, in qua declarat neceſſe non eſſe, ut qui peccata ſua confeſſi ſunt fratribus, eadem parochialibus Presbyteris confiteantur. Hanc Bullam vocat Academia, *ſcandoloſam, turbativam pacis & con-*

concordia, ſubverſivam Hierarchici ordinis Eccleſia, ac ſubreptitiam: ab ea provocat maximè, *in quantùm derogat juri communi, Decretali, Omnis utriuſque ſexus, & Clementina, Dudum de ſepulturis.* Hiſtoria hæc pluribus narratur in capite VII. explicatæ traditionis.

Sixtus IV. in capite IX. ut Lateranenſis canon obſervetur, ita ſtatuit: *Quòd Mendicantes deſiſtant pradicare, quòd Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.*

Facultas Theologiæ Pariſienſis in eodem capite Joannis Angelii propoſitionem hanc: *Parochianus confeſſus fratribus ſatisfecit Decretali, Omnis utriuſque ſexus, nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo petere licentiam*, hac nota confixit: *Hac propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Pralatos debita obedientia, & reverentia obſervantia publicè revocanda.*

Facultas eadem in capite X. Claudii Cuſini propoſitionem eandem: *Quando Parochianus aliquis memoratis fratribus Epiſcopo praſentatis confitetur, Decretali Omnis utriuſque ſexus ſatisfacit, nec tenetur ſiſtere ſe, neque confiteri Curato Parochiali, neque licentiam petere, quamvis de Paſchali confeſſione agatur*, eadem nota confixit: *Iſta propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Pralatos debita obedientia, & reverentia obſervantia publicè revocanda.*

Pariſienſes in ea, quæ præ manibus eſt materia, intelligebant duo, quorum primum eſt, Lateranenſe Concilium decernente Martino IV. unumquemque fidelem ad faciendam fratribus confeſſionem, quæ ſemel in anno ſacerdoti proprio, ſeu Parochiali Presbytero facienda eſt, inhabilem reddidiſſe, niſi Parochialis ipſe Presbyter conſentiret. Alterum eſt, Joannem XXII. fratres ad audiendam fidelium confeſſionem habiles tantùm reddidiſſe; quod cùm negaret Polliacus, Armachano jure damnandus apparuit. Eundem verò Pontificem fratres ad audiendam fidelium confeſſionem Paſchalem non potuiſſe habiles reddere ex eo perſuaſi erant majores noſtri, quòd firmiter crederent Romanum Pontificem generali Concilio ſubjectum eſſe. Et ſic non inconſequenter philoſophabantur, & Pontifices duos Martinum & Joannem inter ſe conciliandos ſibi eſſe ducebant. Hanc autem Facultatis noſtræ prudentiam & doctrinam haud diſplicuiſſe Innocentio VIII. colligimus ex literis, quas ad ejuſdem Magiſtros dedit anno M. CCCC. LXXXVI. *Dilectis filiis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus non ſine magna cordis noſtri latitia ſinceram animorum veſtrorum devotionem, quam ad nos, ſanctámque Romanam Eccleſiam, & fidem Catholicam habetis, cùm omne ſtudium & curam veſtram pro ejuſdem fidei defenſione & hareſeon extirpatione, ſicut probatiſſimos quoſque Chriſtianos decet, inceſſanter adhibueritis.* Hæ literæ exaratæ ſunt annis poſt damnatam Angelii propoſitionem quatuor, & ante damnatam pariter Cuſini propoſitionem triginta; quo temporis intervallo Pariſienſes Theologi Innocentio VIII. viſi ſunt idonei, qui relato elogio decorarentur.

OBSERVATIO XVII.

Nonnulla ad Rogerii diſputationem annotata.

LITERIS proditum eſt, ex omnibus Mendicantium Ordinibus fuiſſe Theologos quatuor, qui Armachano reſponderint. An Theologorum illorum ſcripta perierint, nec ne, quia res perſpecta mihi & animadverſa non eſt, pronuntiare non poſſum. Franciſcani unius nempe Rogerii ſcripta in lucem prodierunt, & certa quædam illorum fragmenta retulimus in cap. VI. explicatæ traditionis. Ad illa nunc annotamus, quæ ſequuntur.

I. Rogerius reſponſionem incipit ab ingenti diſtinctionum multitudine, quæ materiæ tenebrarum plus, quàm luminis importat. In ipſa luminis copia oculorum acies perſtringitur, hanc perſtringi volebat Rogerius, ne veritas appareret. Verborum & orationis ambiguitatem tollere ſe velle ſignificat, non tollit, ſed auget, ut ipſa commentariorum Rogerii nos docet lectio.

II. Has inter diſtinctiones ait de ſolvendi & ligandi materia, *quam ſolus Papa mediatè vel immediatè tribuit Sacerdotibus vel aufert, ſicut ſua placuit voluntati, tanquam ille, in quo ſolo eſt hujuſmodi plenitudo poteſtatis, extrà de uſu pallii, ad honorem.* Hîc imponit, quia *extrà de uſu pallii, ad honorem* non habetur: In ſolo Pontifice Romano eſt plenitudo poteſtatis, quæ in ligando & ſolvendo conſiſtat. Sic autem habetur: *Ad honorem omnipotentis Dei, & beata Maria ſemper Virginis, atque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non Eccleſia N. tibi commiſſa, tradimus tibi*

pallium de corpore beati Petri ſumptum , in quo eſt plenitudo Pontificalis officii. Et in cap. v. Lateranenſis Concilii IV. pallium dicitur *plenitudinis officii Pontificalis inſigne.* Hæc autem Pontificalis officii plenitudo eminet præſertim inter Miſſarum ſolemnia, quæ qui celebrant, ſumpto de corpore beati Petri pallio utuntur & ornantur. Apud Gregorium Magnum multus eſt multis in epiſtolis de hoc pallii genere ſermo, ſed nuſquam vel plenitudo Pontificalis officii, vel plenitudinis Pontificalis officii inſigne nuncupatur, tantùm abeſt ut per illud colligi poſſit, in ſolo Pontifice Romano eam eſſe plenitudinem poteſtatis, quæ in ligando & ſolvendo conſiſtat.

III. Dum ſibi ſumit, *Romanum Pontificem ſolum mediatè vel immediatè ligandi & ſolvendi materiam Sacerdotibus tribuere*, id profectò ſibi ſumit, quod Sedis Apoſtolicæ traditioni vehementer repugnat, ut viſum eſt in obſervatione III. Hoc jampridem à me confirmatum eſt duabus ad Raimundum Fromentinum epiſtolis, quarum prima eſt, in parte ſecunda epiſtolarum noſtrarum, altera in parte quinta.

IV. Dum ait, *Romanum Pontificem ſolum ſolvendi & ligandi materiam Sacerdotibus auferre, ſicut ſua placuit voluntati*, perperam exiſtimat abſoluta auctoritate, non Canone regi Eccleſiam. Quod Sedis Apoſtolicæ tradirioni prorſus adverſatur, ut oſtendimus in epiſtola ad Thomam Rullandum, quæ extat in parte tertia epiſtolarum noſtrarum.

V. Cum Sedis Apoſtolicæ traditione, quam in obſervatione II. expoſuimus, apertè pugnat, dum ſcribit : *Iſte terminus, proprius, in ſtatuto* (Omnis utriuſque ſexus) *nec Papam nec Epiſcopos excludit, quominus ſint proprii Sacerdotes ad mentem ſtatuti.* Itane verò Lateranenſe Concilium, ut Papa & Epiſcopi ſint proprii Sacerdotes *diſcreti & cauti*, præcipit? Nempe Lateranenſis Concilii Patres, ut Sacerdos proprius ſit *diſcretus & cautus*, præcipiunt. Præterea iſtud in obſervarione IV. confutatum eſt.

VI. Romanis Pontificibus, qui Lateranenſis Concilii Sacerdotem proprium de Parocho ſolo intelligunt, non mediocrem facit injuriam dum ſcribit: *Quòd ſoli Parochiales Presbyteri vel Curati ſunt parochianorum proprii Sacerdotes ad mentem ſtatuti fuit fundamentum Magiſtri Joannis de Pelliaco quantùm ad errores ſuos.* Præterea iſtud nec probat nec probare poteſt Rogerius. Qua in re Polliacus erraverit, Armachanus & alii poſt ipſum indicarunt.

VII. Uſitatam in Romana & aliis Eccleſiis diſciplinam, quæ in reſervatorum & non reſervatorum criminum ſervabatur à Pœnitentiariis, ignorat, vel diſſimulat, cùm ait: *Primò ſequitur, quòd parochiani committentes tam gravia, quòd non poſſunt abſolvi niſi à Papa & Epiſcopis, vel Pœnitentiariis eorundem, non tenentur ex vi ſtatuti ejus conſiteri Papæ peccata illa vel Epiſcopis, ſuppoſito illo, quòd non habeant copiam eorundem, quia nullus parochianus ex vi hujus ſtatuti prædicti tenetur conſiteri niſi proprio Sacerdoti.* Ductum ab inconvenienti argumentum hoc ſponte ſua diſſilit, ut conſtat ex iis, quæ in obſervatione v. de Pœnitentiariis & de reſervatis & Papæ & Epiſcopis criminibus diſſerui. Hic fingit hypotheſes, quibus uſus Eccleſiæ perperam repræſentetur, & interturbetur, ut carpendi adverſarii anſam capiat: quæ perverſa eſt diſputandi ratio.

VIII. Feſtivus eſt ac lepidus, cùm ſcribit: *Ampliùs ponitur, quòd aliquis parochianus ſit irretitus peccatis Deo, Papæ & Epiſcopis reſervatis.* Quaſi verò ut Papa & diœceſanus Epiſcopus, ſic & Deus peccata ſibi reſervaret.

IX. Multipliciter fallitur, vel fallere vult argumentatus hoc modo: *Ampliùs ſequitur, quòd Papa & Epiſcopi non poſſunt ſtante ſtatuto prædicto quemquam ſolvere, vel ligare ſibi confeſſum ſine licentia parochialis Presbyteri vel Curati, quia ex hoc quòd non poſſunt hanc poteſtatem dare alienis Sacerdotibus.* Et primò quidem ut ſuis ſerviat placitis & commoditatibus, Pontificiæ & Epiſcopalis auctoritatis finem facit ipſam Pontificiam & Epiſcopalem auctoritatem, non Chriſtianæ plebis utilitatem & ſalutem, & hoc eſt frequentiſſimum vitium eorum, qui contra jus commune privilegiis utuntur, aut uti volunt. Deinde de uſu poteſtatis ligandi & ſolvendi promiſcuè atque indefinitè loquitur, ut fallaci diſputatione includat uſum poteſtatis ligandi & ſolvendi, qui in Paſchali ſeu annua confeſſione ſervandus eſt ex præſcripto Concilii hoc Papæ & Epiſcoporum, qui celebrarunt Concilium. Non ſemel diſpuncta eſt hæc fallacia, ſed maximè in obſervatione XIII. Tum inconveniens fingit ubi nullum eſt, cùm univerſale Concilium Papa & quolibet Epiſcopo majus id ita ſtatuerit, & communi omnium qui aderant Concilio, nimirum Papæ & Epiſcoporum conſenſu ſtatuerit. Sic non tam parochialem Presbyterum Romano & aliis Epiſcopis, quàm Romanum alioſque Epiſcopos ſeorſum à Concilio extantes, Romano aliiſque Epiſcopis in Concilio extantibus opponit. Poſtremò Papa & Epiſcopi Lateranenſis Canonis vindices cùm ſint & exe-

executores, ligandi & ſolvendi poteſtatem alienis dabunt Sacerdotibus, cùm Sacerdotes proprii juſtam id agendi cauſam dederint. Atque ita Eccleſiaſticæ poteſtatis finis non erit ipſa poteſtas Eccleſiaſtica, ſed Chriſtianæ plebis utilitas & ſalus.

x. Ruinoſo & malè materiato fundamento nititur, dum ita diſputat. *Concilium generale non poteſt legem præfigere Papa, extrà de elect. & electi poteſt. Significaſti.* Textum hunc corrumpit. Sic ille ſe habet, ubi Paſchalis Papa II. loquitur: *Aiunt in Conciliis Statutum non inveniri, quaſi Romana Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint.* Non ibi dicitur: *Concilium generale non poteſt legem præfigere Papa.* Deinde Romanam Eccleſiam confundit cum Papa, quaſi Papa & Romana Eccleſia idem eſſent, quaſi dum Papa moritur, Romana moreretur Eccleſia. Tum Paſchalis ex incerto rumore loquitur, non ex Romanæ Eccleſiæ traditione, qua conſtat Romanum Pontificem univerſalibus Conciliis ſubeſſe, ut tribus in epiſtolis aliàs oſtendimus. Prima eſt ad Hieronymum Sambœuvium in prima parte epiſtolarum noſtrarum: altera ad Ludovicum Cuſinum in eadem parte; tertia ad Felicem Phelippæum Broſſam Pariſienſem Theologum in parte ſecunda epiſtolarum noſtrarum: Ad extremum, nonne Arelatenſis Synodus prima Romano Antiſtiti præfixit legem hanc? *Primo loco de obſervatione Paſcha Dominici, ut uno die, uno tempore per orbem totum à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Nonne quos Nicæna Synodus Canones edidit, ad Romanam & alias Eccleſias juxtà pertinent; Nonne Romanus Pontifex ſubeſt Canoni huic III. *Interdixit per omnia magna Synodus non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem;* Dicetne Rogerius id Romano Pontifici licere, quia Concilium generale non poteſt legem Papæ præfigere?

xi. Lugdunenſe Concilium generale pro Viennenſi accipit: *Ampliùs Capitulum, Dudum, in Concilio generali Lugdunenſi fuit eodem ſacro inſtante & approbante Concilio innovatum.* Hallucinatio hæc, quàm parum verſatus ſit in hiſtoria Eccleſiæ, demonſtrat.

xii. Martinum IV. ſic perſequitur: *Adjecit*, inquit, *prout generale Concilium ſtatuit, & conſtat, quòd Concilium generale nunquam ſtatuit confeſſionem factam fratribus, vel alienis de licentia proprii Sacerdotis, vel aliunde legitimè factam quoad eadem peccata ſeu crimina iterandam: alioqui ſequeretur, quòd confeſſi alienis de quacunque licentia proprii Sacerdotis, & confeſſi Papa vel Epiſcopis, ſeu Pœnitentiariis eorundem tenerentur eadem peccata iterum confiteri.* Hæc eò ſpectant, ut Martinum IV. erraſſe demonſtrent. Sit ita, Martinus erraverit, dum Lateranenſis Canonis executorem ſe præſtitit. Quomodo probabit alios Pontifices non errare, dum Canonis ejuſdem executores ſe non præſtant? Scilicet Pontifices non errant, dum fratribus ſuffragantur; errant verò dum minimè ſuffragantur & eos in ordinem & Eccleſiæ diſciplinam cogere volunt.

xiii. Innocentium IV. ſibi opponit, & paullo pòſt quæ ſtatuerat Innocentius, Alexandrum IV. revocaſſe ſcribit, nec advertit, quid de tali revocationum genere cenſuerint Romani Pontifices duo Symmachus & Gregorius I. Ille in epiſtola I. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum: *Huc accedit, quòd ne ſit ſententiarum varietas, ad ipſam ſacroſanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus poteſtas omnis infringitur, niſi univerſa, qua à Domini Sacerdotibus ſemel ſtatuuntur, perpetua ſint. Quod aliàs contingere non poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando qua geſta ſunt, faciat rata eſſe, qua geſſerit. Quanta enim Vicariis beatiſſimi Petri Apoſtoli judicabitur eſſe reverentia, ſi qua in ſacerdotio præcipiunt, eiſdem tranſeuntibus diſſolvantur.* Hic in libri I. epiſtola XII. ad Montanam & Thomam: *Juſtitia ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem & ſtatuta cuſtodiat.* Iterum in libri VII. Indict. I. epiſtola XVII. ad Bonifacium defenſorem: *Nimis eſt aſperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, niſi quempiam quacunque rationis excuſatione, & qua bene ſunt ordinata, reſcindere, & exemplo ſuo docere ceteros ſua quandoque poſt ſe conſtituta diſſolvere.* Nunc videat Rogerius, quid ſecundùm Symmachi, & Gregorii doctrinam Alexandri IV. revocatione fiet?

xiii. Armachanum iniquè vexat Rogerius, quod Armachanus ipſo referente Rogerio, Joannem XXII. cum Martino IV. conciliare voluerit. *Tertii* inquit, *fuerunt, qui tenuerunt eundem errorem, ſcilicet, quòd fratres habentes licentiam generalem audiendi confeſſiones, &c. non poterant ſibi confeſſos ſolvere, vel ligare ſine licentia proprii Sacerdotis, ex hoc motivo, quòd, quamvis fratres hujuſmodi poſſint parochianorum audire confeſſiones, & eoſdem abſolvere, quantum eſt ex parte poteſtatis fratribus collata:*

Digitized by Google

latæ, ipſi tamen parochiani non poſſunt eiſdem confiteri ſine licentia proprii ſacerdotis. Et ideo fratres non poſſunt eos abſolvere, obſtante impedimento ex parte confitentium quamvis nullum ſit impedimentum ex parte poteſtatis fratrum; & hujus opinionis eſt: iſte Dominus Reverendus in capite v. ſui tractatus in ſecunda reſponſione ad cap. Vas electionis. Sic judice Rogerio error eſt, Martinum IV. & Joannem XXII in conſtitutionibus ſuis concordes facere, error non eſt diſcordes facere, & alterum alteri de errore ſuſpectum reddere. Quæ fratris in Romanos Pontifices benevolentia? Quænam delatorum à Pontificibus Ordini ſuo; & aliis officiorum remuneratio? Quodnam erga benefactores animi grati indicium; Rei magnitudo ſilentio premenda eſt. Rogerius & qui Rogerio aſſentiuntur, extrema fortuna confligunt, & contra Pontifices duos acerbiſſima quæque experiuntur & ultima.

Ceterùm omittere non poſſum diſcrimen, quod inter Armachanum & Rogerium, alióſque fratres, qui adverſus Armachano reſponderunt, & dicam erroris, ſcripſerunt, intercedit. Angliæ & Hiberniæ ſcriptores mandarunt literis Armachanum fuiſſe ſanctiſſimæ vitæ Antiſtitem, & miraculorum gloria claruiſſe. Id quoque in Eccleſiaſticis Henrici Spondani, & Oderici Raynaldi Annalibus celebratum reperio. Bellarminus in notis Eccleſiæ ponit ſanctitatem vitæ auctorum Chriſtianæ religionis, & gloriam miraculorum; ſed Angliæ & Hiberniæ hiſtorici, nec à ſanctitate vitæ, nec à miraculorum gloria commendant Rogerium alióſque fratres, qui calamum adverſus Armachanum ſtrinxerunt.

Observatio XVIII.

Nonnulla ad Joannis Majoris diſputationem annotata.

QUÆ Joannes Major philoſophatur in capite x. explicatæ traditionis, ſunt in duplici differentia: Nonnulla ſunt, cum pleriſque Theologis communia, quæ jam expendimus: alia ſunt privata, quæ mox expenſum imus.

I. Joannes Major annuam, ſeu Paſchalem confeſſionem ſpeciatim non attingit, & tamen iſtud eſt rei momentum, quod tractamus, & quidquid de conceſſa fratribus audiendarum confeſſionum facultate differit, ſtare poteſt, modò, ad Paſchalem, ſeu annuam confeſſionem non flectatur, quia nonniſi per fallaciam flecteretur. Nam Paſchalis confeſſio munitur Lateranenſi canone, quo reliquæ confeſſiones, mea quidem ſententia, non muniuntur.

II. Diſputationem propoſitioni huic, *Romani Pontificis diœceſis eſt tota Chriſtianitas,* ut fundamento certo ſuperſtruit. Si Romani Pontificis diœceſis eſt Chriſtianitas tota, Romanus Pontifex, ut olim Romæ Diaconos & Presbyteros, & in Romana provincia Epiſcopos, ſic & Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymis, Conſtantinopoli, & ſubjectis provinciis Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos jure communi ordinabat: auctoritate forſan Nicænorum canonum, & Sedis Apoſtolicæ decretorum ex iiſdem canonibus promulgatorum, quæ Major legerat? Hoc autem ob oculos ſtatuere, quid aliud eſt, quàm Majoris fundamentum evertere, & quidquid fundamento inædificatur? Præterea ſi Romani Pontificis diœceſis eſt Chriſtianitas tota, cur olim Romanus Pontifex non ſe inſcripſit Chriſtianitatis totius Pontificem? Cur ſe nunc urbis Romæ, nunc Romanæ Eccleſiæ, nunc Sedis Apoſtolicæ, nunc primæ Sedis Epiſcopum & Præſidem inſcripſit? Fortaſſis urbs Roma, vel Romana Eccleſia, vel Sedes Apoſtolica, vel prima Sedes Majori erat tota Chriſtianitas, cujus cùm eſſet tanquam propriæ diœceſeos Epiſcopus, diœceſani Epiſcopi Vicariam illius præfecturam gerebant, & ut generales Vicarii ad nutum & arbitrium Epiſcopi ſui mutabantur.

III. Cùm ait, *Nemo confiteretur, ſi ſciret ſe debere iteratò confiteri ſuo proprio Curato ſua peccata propria*, cum Innocentio IV. cum Martino IV. cum illo Pontifice, de quo Mediavillanus loquitur, cum Boniſacio VIII. apud Nangium pugnat, & fovet Antimoniam, quæ à Rogerio inter illorum Pontificum & Joannis XXII. decreta defenditur adverſus Armachanum. Deinde non recordatur diſciplinæ, quæ in confeſſione & abſolutione reſervatorum, & non reſervatorum in eodem pœnitente criminum ſuo tempore ſervabatur.

IV. Seipſum deſtruit, cùm ita ſcribit: *Ex his concluſionibus reſponſio patet ad titulum quæſtionis, nec reſpondendum eſt ad verba gloſſa in Decretali præfata, Omnis utriuſque ſexus, quia cujus eſt condere, ejus eſt interpretari.* Seipſum - inquam, deſtruit, cùm Romanus Pontifex ſolus non condidit canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, ſed univerſale Concilium, cujus proinde eſſet canonem illum intetpretari, ſi qua interpretatione in-

Digitized by Google

indigeret. Quare Major falſum poſuit, ut reſponderet, uti reſpondit, & fratribus ita reſpondendo patrocinaretut, quod non potuiſſet facere, ſi poſuiſſet id quod verum eſt, ſcilicet; Canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, ab univerſali Concilio, quod univerſalem repræſentabat Eccleſiam ſancitum eſſe.

Cur autem non potuiſſet aliter patrocinari fratribus, cauſa hæc eſt, quòd Romanum Pontificem univerſali ſubjectum eſſe Concilio ſententiâmque ſuam magnis Theologicarum rationum molibus confirmet.

Portò autem axioma, quo Major poſt Durandum utitur, utenti plurimùm incommodat. Nam ſi ejus eſt Lateranenſis Concilii Canonem interpretari, qui condidit, Lateranenſe, aut aliud Concilium Lateranenſem Canonem interpretabitur: & ſic Major & ante Majorem Durandus cauſa & intetpretatione ſua cadent, quia Romanus Pontifex ſuis, ut putant, privilegiis non interpretabitur.

Deinde ſi Romanus Pontifex interpretetur, Durandus & Major lucrabuntur nihil.

Nam Innocentius IV. in capite II. explicatæ traditionis ſic interpretabitur: *Si quis alieno Sacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm Statuta generalis Concilii, licentiam priùs poſtulare, & obtinere debeat à proprio Sacerdote, vel ſaltem ſibi primo confiteri, & recipere Beneficium abſolutionis ab eodem.*

Clemens IV. in eodem eap. ſic interpretabitur: *Nos igitur volentes aſſertionem tam temerariam penitus confuſcare, & elucidare in talibus veritatem, deliberatione prævia declaramus, quòd ſi vobis detur licentia. committatur, ſeu concedatur à Legatis prædictæ Sedis, aut Ordinariis locorum, nedum à Romano Pontifice, (de quo proculdubio erroneum eſſet dubitare, an in omnes ſine alicujus conſenſu, immò invitis quibuſlibet hujuſmodi poſſit concedere poteſtatem) populis Legatis & Ordinariis ſubjectis eiſdem, liberè prædicare poteſtis, audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares: aliorum inferiorum Prælatorum & Rectorum Eccleſiarum, Sacerdotum parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, ipſis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta, prædictæ Sedis Legatis, & Ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur.* At inter caſus jure exceptos ſi Paſchalis non retinetur confeſſio, caſus nullus excipitur: quod Clementi IV. injurioſum eſſet dicere.

Martinus IV. in explicatæ traditionis capite III. ſic interpretabitur: *Volumus autem quòd ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Presbyteris parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout Concilium generale ſtatuit, nihilominus teneantur.*

Martini IV. ſucceſſor quiſquis ille ſit, cujus Mediavillanus in eodem capite meminit, ſic interpretabitur: *Præterea Papa in privilegio conceſſo Minoribus & Prædicatoribus ſuper confeſſionibus audiendis, & Eremitanis ex privilegio ſpeciali noviter emanato, declarando videtur dicere, quòd in illo Statuto, Omnis utriuſque ſexus, intelligitur parochialis Presbyter ille, qui in communi ſic vocatur, in hoc quod dicit, confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Presbyteris parochialibus confiteri, prout ſtatuit generale Concilium.*

Bonifacius VIII. apud Nangium ſic interpretabitur: *Privilegium datum Prædicatoribus & Minoribus de confeſſionibus audiendis, à Papa Bonifacio irritatur, & decernit idem ut confeſſus eiſdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio Sacerdoti.*

Sixtus IV. in explicatæ traditionis capite IX. ſic interpretabitur: *Quòd etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti.*

Innocentius VIII. in eodem capite, ſic interpretabitur: *Ne igitur ejuſmodi ſcandala propterea invaleſcant, volumus, ut iiſdem & univerſis Dei Prædicatoribus, qui pro tempore erunt in civitate & diœceſi prædictis, auctoritate noſtra inhibeas, ne de cetero talia prædicare, neve Parochianos à confitendo eorum peccata Rectoribus prædictis abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri prædicare præſumant, privilegio, quod eis ſuffragari nolumus, nononobſtante, & quacunque appellatione remota.*

Hos autem interpretes ſi Major audiat, captus eſt; ſi non audiat nullus. Ad hominem diſputo, qui Romanos Pontifices Canonis, *Omnis utriuſque ſexus*; interpretes eſſe ſcribit, *quia cujus eſt condere, ejus eſt interpretari.*

v. Oblitus ſuorum de Papa univerſalibus Conciliis ſubjecto placitorum ſcribit, *Papa eſt principaliſſimus Sacerdos proprius, Curatus infimus in Ordinariis, & dum præcipiunt oppoſita, ſuperiori obediendum eſt ex regula Auguſtini.* Oblitus inquam ſuorum placitorum ita ſcribit. Nam ſi Papa non convenienter Later. Concilio præciperet,

&

& Curatus convenienter eidem Concilio præciperet, tunc potiùs Curato, quàm Papæ obediendum eſſet, non quia Curatus ſimpliciter præciperet, minimè verò: ſed quia convenienter Concilio, cui Papa in opinione Majoris ſubjicitur, præcipetet. Deinde non Concilio ſolùm, ſed etiam Romanis Pontificibus quinque mox enumeratis convenienter præciperet. At Curatus Concilio, & tot Pontificibus conjunctus non poteſt non eſſe major, & ſuperior Pontifice uno, qui ſeorſum à Concilio, & tot ſuis deceſſoribus, aliquid, puta, Parocho confitendum non eſſe in Paſchalibus feriis præciperet? Huc ni ſallor, ſpectat Gelaſius I. Pontifex in epiſtola IV. ad Fauſtum: *Nobis*, inquit, *opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur, contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quòd primæ Sedi ſanæ rectǽque ſuadenti parere fugiunt.* Quibus verbis innuit, aliquando fieri poſſe, ut prima Sedes nec ſana nec recta ſuaderet.

VI. Extra chorum ſaltat dum ita ſcribit: *Dico quòd jura humana ſunt mutabilia, & ſi Pontifices ordinarent oppoſitum iſtorum, qua dicimus, ſententiæ eorum antiquioribus Statutis relictis acquieſceremus.* De Romanorum Pontificum decretis ſermo non eſt præcipuus, ſed de canone, *Omnis utriuſque ſexus*, quem Lateranenſe Concilium edidit, & quem in ſe multi Pontifices Romani receperunt, executionique mandari juſſerunt Innocentius IV. Clemens IV. Martinus IV. Honorius IV. vel Nicolaus IV. à Mediavillano indicatus, Bonifacius VIII. apud Nangium, Sixtus IV. & Innocentius VIII. Deinde hi Pontifices ſunt numero ſeptem, quorum alii vetuſti, recentiores alii. Sed omnes in contrariam Majoris ſententiæ ſententiam abierunt, & ita Major ſuam obliterare debet ſententiam, & in contrariam tranſire dummodo ſuis verbis ſtare velit.

VII. In capite X. cùm Majoris concluſionem ſecundam deſcriberem, nonnulla prætermiſi, quæ nunc ita reſumo: *Alexander V. manutenuit Clementinam, Dudum, addendo aliqua in ſua extravagante, qua incipit, Regnans in excelſis: qua extravagans fuit petita revocari in Concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi, ſed nihil obtentum eſt.* Hic Alexandri conſtitutionem non examino, alibi examinabo commodiùs, ſed examino quæ ad Conſtantienſe & Baſileenſe Concilium pertinent. Id Major ex incerto rumore accepit, quem fratres, ut cauſæ ſervirent ſuæ, jactarant. Ante Majorem probatæ fidei ſcriptor nullus eſt, qui factum hujuſmodi literis conſignarit. Quis porrò, ut Conſtantienſe Concilium Alexandri V. conſtitutionem reſcinderet, petiit? qua in ſeſſione qui petiit, repulſam paſſus eſt; Ex quo Joannes Gerſo contra conſtitutionem, ſeu Bullam, Epiſcopi & Academiæ Pariſienſis nomine, palam dixit, illa pro derelicto haberi cœpit, & jam in deſpectum venerat, quando Conſtantienſis Synodus coacta eſt. Et quoniam Alexander in ſua Bulla canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, id eſt, Lateranenſi Concilio derogat, ſiquis de Bullæ injuria expoſtulaſſet apud Conſtantienſem Synodum, admiſſa fuiſſet expoſtulatio, tantùm abeſt, ut illius rejiceretur æquitas. Derogatio hujuſmodi certum eſt indicium Pontificis, qui ſe univerſali Concilio ſuperiorem eſſe ſentit. Hanc autem ſententiam à Conſtantienſi Synodo damnatam eſſe quis ignorat?

Ad Baſileenſe propero Concilium, cui, quod Conſtantienſi affictum eſt, affingitur, & ſimiliter diſpellitur. Et ſanè ſi Alexandri Bulla huic delata eſſet Concilio, Patres illam minimè toleraſſent: de pluribus Concilii locis, & maximè de quatuor conjectura fieri poteſt.

Primus eſt in ſeſſ. XXI. *Et ſi, quod abſit, Romanus Pontifex, qui præ ceteris univerſalium Conciliorum exequi, & cuſtodire canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizes, generali Concilio deferatur.*

Alter in ſeſſ. XXVI. *Sed quod heu dolentiſſimè referimus, ille qui primus hoc exequi debuerat, quémque & Chriſti præcepta, & canones ſacrorum Conciliorum præ ceteris ſervare oportuerat, imò ceteros ad horum obſervantiam efficaciter inducere, nulla unquam monitione, nulla exhortatione induci tam longo tempore potuit, ut aliquam morum emendationem Chriſto placentem, aut notiſſimorum abuſuum correctionem in Eccleſia ſancta Dei efficere ſatageret.*

Tertius in ſeſſ. XXVII. *Tantam reverentiam ſacris canonibus generalium Conciliorum ſancti Patres cenſuerunt adhibendam ut violatores eorum voluntarios graviſſimè vindicarent, & unumquemque in ſui ipſius deſtructione agere arbitrarentur, ea deſtruere conantem, qua univerſali conſenſu fuerant inſtituta. Gravis quoque exinde jactura toti Eccleſiaſtico imminet Ordini, ſi decreta Synodalia Conciliorum generalium, quibus nervus regulæ Eccleſiaſticæ ac diſciplinæ ſalutaris innititur, per cujuſpiam voluntatem, & maximè ſedenti adhuc univerſali Synodo abrumpi ſinerentur.*

Quartus ibidem, ſed quibuſdam interpoſitis: *Et cùm fruſtra hæc ſancta Synodus jura con-*

conderet, niſi ſua auctoritate, quam ex Chriſti dono immediatè ſuſcepit, eadem tueretur, utque Gelaſius Papa profitetur, & nullum jam veraciter Chriſtianum ignorare credit uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſia probavit aſſenſus, nullam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quàm primam.

Hæc Baſileenſis Synodus, cui tunc præerat Ludovicus Alamandus Cardinalis Arelatenſis, quem propter vitæ ſanctimoniam & miraculorum gloriam Clemens VII. Medicæus inter æternæ vitæ candidatos retulit. Quis modò verum id eſſe crederet, quod Major narrat de Baſileenſi Concilio? Quaſi verò Baſileenſe Concilium, quo tempore Romanum Pontificem univerſali Concilio & ſacris canonibus ſubjicit, oblatam ſibi tolerafſet bullam, qua hinc Alexander V. generali Concilio Lateranenſi derogat, hinc fratres ſupra illud Concilium erigit?

VIII. Marjor pugnat pro Alexandri V. bulla, quam deſerit cùm ita ſcribit. *Dico quòd jura humana ſunt mutabilia, & ſi Pontifices ordinarent oppoſitum iſtorum quæ dicimus, ſententia eorum, antiquioribus ſtatutis relictis, acquieſceremus.* Relinquat igitur Alexandri V. conſtitutionem, & Sixti IV. & Innocentii VIII. qui poſt Alexandrum vixerunt, ſententiæ acquieſcat. Sixtus in cap. IX. laudatus ita decernit. *Quòd ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.* Innocentius in eodem cap. ita quoque decernit: *Ne igitur ejuſmodi ſcandala propterea invaleſcant, volumus ut iiſdem & univerſis Dei Prædicatoribus, qui pro tempore erunt in civitate & diœceſi prædictis, auctoritate noſtra inhibeas, ne de cetero talia prædicare, neve Parochianos à confitendo eorum peccata Rectoribus prædictis abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri prædicare præſumant, privilegio (quod eis ſuffragari nolumus) nonobſtante, & quacunque appellatione remota.*

OBSERVATIO XIX.

Nonnulla ad Suaris diſputationem annotata.

FRANCISCUS Suarez in cap. XII. laudatus ſuos quoque hac in materia nævos habet. Et primùm quidem committit fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, cùm ex Clementina *Dudum. de ſepulturis.* Philoſophatur. Romanus Pontifex hac in conſtitutione, non abſolutè, ſed uno duntaxat in caſu Prædicatoribus & Minoribus audiendarum confeſſionum veniam impertitur. Caſus autem hic eſt in Clementina ipſa expreſſus. *Quòd ſi fortè jam dicti Prælati quemquam ex dictis fratribus præſentatis iiſdem, ad hujuſmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum, eo amoto vel ſubtracto, loco ipſius ſimiliter eiſdem præſentandus Prælatis poſſit & debeat alius ſubrogari: Si verò iidem Prælati præfatis ad confeſſiones, ut præmittitur, audiendas electis hujuſmodi exhibere licentiam recuſaverint, nos ex nunc ipſis, ut confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè licitéque audire valeant, & eiſdem pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri gratioſè, concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.* Sic autem Suarez abſolutè & ſimpliciter philoſophatur: *Circa ſecundum punctum de eo, qui poteſt hanc juriſdictionem delegare, generalis regula eſt, poſſe delegare hanc juriſdictionem omnes qui illam habent Ordinariam. Ratio eſt, quia delegatio eſt unus ex propriis actibus juriſdictionis Ordinariæ. Item quia non eſt cogendus Paſtor ſemper per ſeipſum exequi officium ſuum, ergo poteſt vices ſuas delegare. Hæc autem poteſtas cum proportione reſidet in Ordinariis ſuprà memoratis. Nam Pontifex habet illam univerſaliſſimam, & ideo poteſt delegare hanc facultatem cuilibet perſonæ, pro quolibet loco, & pro quibuſcunque peccatis. Clementina, Dudum. de ſepulturis.* Clementina, ut apparet, in caſu loquitur, atque ex accidenti. Suarez verò in omni caſu ſine accidenti ullo, abſolutè & ſimpliciter, quæ manifeſta eſt fallacia.

Deinde eandem iterat fallaciam, dum ait, *cuilibet perſonæ*: In Clementina enim ſermo tantùm inſtituitur de duobus perſonarum generibus, id eſt, de Prædicatoribus & Minoribus, ut Clementinæ verba ipſa teſtantur, quæ cap. IV. retulimus, & ſic ſe habent: *Ab olim ſiquidem inter Prælatos, Rectores, ſeu ſacerdotes, & Clericos Parochialium Eccleſiarum per diverſas mundi provincias conſtitutos ex una parte, & Prædicatorum & Minorum fratres ex altera, pacis æmulo ſatore zizania procurante gravis & periculoſa diſcordia extitit ſuſcitata.*

Tum Clementinam, *Dudum. de ſepulturis*, & Extravagantem, *Super cathedram*, proinde laudat, ac ſi diverſæ conſtitutiones duæ forent: Sic enim ſcribit: *Et ideo poteſt delegare hanc facultatem cuilibet perſonæ, pro quolibet loco, & pro quibuſcunque peccatis: Clementina Dudum. de ſepulturis, & in extravaganti, Super cathedram.*

Hoc autem citationis genus indiligentiam ſat magnam importat. Una eadémque eſt Bonifacii VIII. conſtitutio, quam Benedictus XI. reſcidit: & quam Clemens V. in Viennenſi Concilio reſtituit, ipſo comprobante Concilio; ex quo tempore Clementinæ nomen accepit.

Quartò dicit in eodem titulo haberi Clementinam, *Dudum de ſepulturis*, & extravagantem, *Super cathedram*. Quod falſum eſt, ſi *Dudum* & *Super cathedram*, pro duabus diverſis conſtitutionibus reputet, ut eum reputare mox vidimus. Nam Clementina *Dudum*, refertur lib. III. Clementinarum, tit. VII. de ſepulturis cap. II. Extravagans verò, *Super cathedram*, refertur lib. III. extravagantium communium tit. VI. de ſepult. cap. II.

Quintò argumentum deſumit ab extravaganti, *Inter cunctas*, de privilegiis: quam Benedicti XI. conſtitutionem Clemens V. & Viennenſe Concilium abrogarunt. Quod eſt malæ in diſputando fidei ſymbolum. Abrogata conſtitutio non eſt ampliùs conſtitutio, quæ ad auctoritatem uſurpetur; Ego illam ad teſtimonium hiſtoriæ in cap. IV. explicatæ traditionis refero.

Sextò ait: *Quòd Papa contra Epiſcoporum & Parochorum voluntatem poſſit hanc juriſdictionem & uſum illius delegare*, idque indefinitè pronuntiat *ex ſuprema poteſtate Papæ*. At hoc illud ipſum eſt, reſcindendæ conſtitutioni, quam Benedictus XI. fecerat, cauſam dedit. Adhæc Suarez, Eccleſiam abſoluta auctoritate, non ſacris canonibus, & Sedis Apoſtolicæ decretis, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus & canonum diſciplinis promulgentur, ſed privilegiis, quibus & ſacris canonibus & decretis illis derogetur in perpetuum, gubernari gratuitò ſibi ſumit, demonſtràtque ignorare ſe, qua in re ſuprema Romani Pontificis poteſtas conſiſtat. Neque enim in eo conſiſtit, ut regulis ad perpetuam univerſalis Eccleſiæ diſciplinam & pacem editis pro arbitrio deroget, ſed ut regulas ejuſmodi ſervari curet & eos, qui negligunt, vel obſiſtunt, pœnis ipſe coërceat, *forma facti gregis*. Errat ſine dubio Suarez, ſi putet Pontificiæ auctoritatis finem eſſe ejuſdem auctoritatis venditationem.

Septimò, ut auctor per adulationem gratificetur Epiſcopis, his derogandi univerſalibus Conciliis poteſtatem tribuit, atque ita non modò Romanum, ſed etiam reliquos Antiſtites ſupra Concilia omnia ſtatuit. Hoc autem quid aliud eſt, quàm Eccleſiaſticas regulas ſurſum deorſum verſare, & omnia motui proprio uniuſcujuſque Antiſtitis tribuere?

Octavò *falſam* atque *erroneam* eſſe ſcribit opinionem illam, quæ canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, per Innocentii IV. Clementis IV. Martini IV. Pontificis à Mediavillano indicati, Bonifacii VIII. Sixti IV. & Innocentii VIII. conſtitutiones explicato innititur, & continuò Summos Pontifices ſeptem erroris arguit, quòd placitis ſuis non ſerviant. Non auro contra carum emerim hoc genus argutationis in eo, qui Romano Pontifici non errandi privilegium tribuit.

Poſtremò cùm Suarez de fide certum eſſe dicit, poſſe Pontificem cuicunque fideli concedere facultatem confitendi alteri abſque ulla alia licentia ſui Epiſcopi vel Parochi, demonſtrat perinde ac Vaſquez neſcire ſe, quænam conditiones ad ſanciendum fidei Catholicæ dogma requirantur.

Deinde neſcire ſe Catholicæ fidei dogma veræ Theologiæ principiis duobus, ſcripturæ & traditioni inniti: per ſcripturam & traditionem fidei dogmata non traduci ad id quod fieri poteſt, ſed ad id quod utroque principio factum comprobatur. Deinde non mediocrem infert injuriam Viennenſi Concilio & Clementi V. illius præſidi, à quibus reſciſſa eſt Benedicti XI. conſtitutio, in qua hic Pontifex declarat, neceſſarium non eſſe, ut Prædicatores & Minores habita Sedis Apoſtolicæ licentiâ, conſenſum Prælatorum & Rectorum ad audiendas fidelium confeſſiones exigant.

Tum malè meretur de Benedicto XI. ex cujus conſtitutione argumentum deprompſit.

Hinc redaccendit ignem diſcordiarum illarum, quas Benedicti conſtitutio excitarat.

Præterea hierarchicum ordinem convellit totum, inducto in Eccleſiam dominatu, quem ab ea Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Paulo III. jubente conſcriptum, abigendum eſſe cenſuit, & in quo Paulum eundem Patres ſic alloquuntur: *Et quoniam ſanctitas tua ſpiritu Dei erudita probè noverat, principium horum malorum inde fuiſſe, quòd nonnulli Pontifices tui prædeceſſores prurientes auribus, ut inquit Apoſtolus Paulus, coacervaverunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quid facere deberent, ſed ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum eſt, præterquam quòd principatum omnem ſequitur*

ſequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúſque ſemper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quòd confeſtim prodirent Doctores, (quibus ſimilis eſt Suarez) *qui docerent Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium, ac ideo cùm Dominus jure vendat id quod ſuum eſt, neceſſariò ſequitur, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam: ita quòd voluntas Pontificis, qualiſcunque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur. Ex quo proculdubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, ſancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Eccleſiam Dei tot abuſus, & tam graviſſimi morbi, quibus nunc conſpicimus eam ad deſperationem fere ſalutis laboraſſe, & manaſſe harum rerum famam ad infideles uſque. Credat ſanctitas tua ſcientibus, qui ob hanc præcipuè cauſam Chriſtianam religionem derident; adeò ut per nos, per nos inquimus, nomen Chriſti blaſphemetur inter gentes. Tu verò, ſanctiſſime Pater & verè ſanctiſſime, edoctus à ſpiritu Dei præter veterem illam tuam prudentiam, cùm totus in hanc curam incubueris, ut ſanatis ægritudinibus Chriſti Eccleſia tuæ curæ commiſſa bonam valetudinem recuperaret, vidiſti ac probè vidiſti, unde incipiendam medicationem, unde primùm ortus eſt morbus; ſecutúſque doctrinam Apoſtoli Pauli, vis eſſe diſpenſator, non dominus, & fidelis inveniri à Domino: Imitatus etiam ſervum illum, quem in Evangelio Dominus præfecit familiæ ſuæ, ut det illis in tempore triticia menſuram, ac propterea decreviſti nolle quod non liceat, nec vis poſſe, quod non debes.* Et quibuſdam interpoſitis: *Illud verò ante omnia, beatiſſime Pater, putamus ſtatuendum eſſe, ut dicit Ariſtoteles in Polit. ſicut in unaquaque republica, ita & in hac Eccleſiaſtica gubernatione Eccleſiæ Chriſti hanc præ omnibus legem habendam, ut quoantum fieri poteſt, leges ſerventur. Nec putemus nobis licere diſpenſare in legibus, niſi urgenti de cauſa & neceſſaria. Nulla namque pernicioſior conſuetudo in quavis republica induci poteſt, quàm hæc legum inobſervantia: quas ſanctas majores noſtri eſſe voluerunt, earúmque poteſtatem venerandam & divinam appellarunt.* Concilio ſubſcribunt Gaſpar Card. Contarenus, Joannes Petrus Card. Theatinus, Jacobus Card. Sadoletus, Reginaldus Card. Anglicus, Fredericus Archiepiſc. Salernitanus, Hieronymus Archiepiſc. Brunduſinus, Joannes Matthæus Epiſcop. Veronenſis, Gregorius Abbas ſancti Georgii Venet. frater Thomas Magiſter ſacri Palatii. Deſcribitur hic & rejicitur dominatus, quo Suarez Romanum Pontificem beate intendit. Sed quod mirificum eſt, auctor ille ſibi ſumit in hoc lemmate, Romanum Pontificem abuti non poſſe auctoritate ſua, & in ſuis conſtitutionibus non errandi privilegio gaudere, & id ſibi ſumit, qua in diſputatione Summos Pontifices quinque, erraſſe affirmet neceſſe eſt, ut jam monuimus; & hæc eſt ultima linea ἀπεργασίας.

Observatio XX.

Nonnulla ad Gamachæi diſputationem annotata.

IN explicatæ traditionis capite XIII. Philippi Gamachæi placita ſatis prolixè retulimus, ubi annotanda quædam eſſe nobis videntur. Inprimis probationès ſunt nonnullæ, quæ aſſertioni ſecundæ non conveniunt: probationes aſſertioni huic propriæ ſic ſe habere debent, ut actum, quo univerſalis Concilij Lateranenſis canoni derogetur (ſi derogandum ſit) disertè importent; qualem derogationem non importat ratio, quæ ex Clementina *Dudum. de ſepulturis*, depromitur. Id apertè liquet ex Clementina ipſa, ubi derogationis nulla eſt mentio, & ubi diſciplina alia præſcribitur.

Deinde argumentum ex Benedicti XI. conſtitutione quæſitum ad theſim quidem attinet, ſed nihilominus caſſum & irritum eſt, quia Viennenſe Concilium illam conſtitutionem abrogavit. Me planè fugit, quomodo iſtud non viderit, qui Clementinam *Dudum*, legere debuit, niſi forſan confiſus aliorum oculis ex Clementina rationem duxerit, quam ſi ſuis expendiſſet momentis, non duxiſſet.

Tum ratio, quæ ducitur ex conſtitutione Joannis XXII. longè eſſet aptior, quàm eſt, ſi ab omnibus Armachani & Pariſienſium apud Gerſonem argumentis expedita prodiiſſet, & ſi Gamachæus notaſſet, quo pacto Facultas Theologiæ Joannis Angelii & Claudii Cuſini aſſertiones damnavit. Gamachæus ab citatarum aſſertionum cenſura recedere non debuit, ſeu quia Pariſienſis ſit Theologus, ſeu quia Theologiæ Facultas aſſertiones unanimi conſenſu damnarit.

Quartò theſim ad hypotheſim revocat in probatione IV. Nunc enim quæſtio non eſt quid feciſſet Pontifex, aut facere potuiſſet ante canonem editum à Concilio, quod univerſalem repræſentabat Eccleſiam, ſed quid faciendum ſit poſt editum canonem, quo univerſalis Eccleſiæ diſciplina ſancitur, & publica fidelium utilitas & ſalus procuratur.

Unde Facundus Hermianenſis Epiſcopus appoſitè ſcribit in libri v. capite ultimo: *Et ideo non idem modus eſſe debet, atque ordo quærendi poſt definitionem Concilii totius Eccleſiæ conſenſione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poſcebat*, ut ſi fidelium ſaluti probaretur expedire, deponendam eſſe apud Pontificem peccatorum confeſſionem, illico deponeretur: *Nunc autem ratio poſcit*, ut ſi expedire viſum Concilio non fuiſſe probetur, *Concilii definitioni ſtandum eſſe judicetur.* Gamachæus quæſtionem hanc philoſophicè magis, quàm Eccleſiaſticè tractat. Hinc attendit, quid ex ſe præſtare poſſit Romanus Pontifex, inde fideles ſpectat ac ſi nati eſſent omnes, ut qualis illa ſit Romani Pontificis auctoritas, oſtentent. Sed hæc eſt meditatio philoſophica, non Theologica, non Eccleſiaſtica. Pontificia poteſtas univerſa refertur ad fidelium ſalutem, quæ optimè procurari viſa eſt: quomodo procurandam eſſe judicarunt Romanus ceterique Antiſtites, qui Lateranenſe Concilium celebrarunt: & hæc eſt vera tractandæ quæſtionis hujus ratio, cui Theologus ex artis ſuæ principiis debet incumbere: quamobrem vitioſa eſt diſputatio in qua theſis revocatur ad hypotheſim, & terminorum ſuppoſitio mutatur. Quis olim poſt Nicænos canones de peragendis à Romano Pontifice in Oriente, & in Ægypto ſacerdotum ordinationibus hominem tuliſſet ita diſputantem: ut Gamachæus poſt generale Concilium Lateranenſe de audiendis in Paſchate à Romano Pontifice fidelium confeſſionibus diſputat? Par eſt apud Dialecticos diſputandi methodus, par eſt ratio ſervandi, vel non ſervandi canones, qui totius mundi reverentia conſecrantur, & qui ad perpetuam Eccleſiæ utilitatem eduntur. Gamachæus tamen metaphyſicam quæſtionem ita temperavit: *Summus Pontifex propter graves & pias rationes in eo* (Lateranenſi canone) *potuit & poteſt diſpenſare. Neque verò Curati idcirco conqueri poſſunt inferri ſibi injuriam, quando ex hypotheſi procuratur honor divinus & ſalus fidelium, ſed potiùs vehementer gratulari. Non enim Chriſtiani ſunt propter Curatos, ſed Curati econtrariò propter Chriſtianos, nec poteſtas conceſſa fuit Paſtoribus in favorem ipſorum ſed in utilitatem plebis.* Sic Chriſtiani ſimiliter non ſunt propter Summos Pontifices, ſed Summi Pontifices propter Chriſtianos. In hoc temperamenti genere ſalva res eſt, quam ſalvam eſſe cupimus. Nam ſalvo Lateranenſis Concilii canone, & canonis fine ſalva pax eſt, quæ alioqui ſalva non eſſet. Temperamentum iſtiuſmodi apud Gelaſium mox citandum in exequendo magis, quàm in relaxando canone verſaretur. Quo autem tempore, & quomodo juſta fieri poſſit hæc diſputatio, de qua loquitur, nonnihil diſſeruimus in obſervatione xv. ad Durandi diſputationem. Hic cum eruditis & cordatis hominibus pugnandum non eſt, ſed cum Romanæ Curiæ adulatoribus, & cum opinione, qua nonnulli perverſè religioſi tenentur.

Denique Gamachæus cùm hæc ſcribit, *Epiſcopus cavere debet maximè ne aliquid agat contra jus commune, & contra leges Eccleſiæ univerſales. Non enim in iis diſpenſare poteſt, ſicut ſupremus Pontifex, ſed illis eſt ſubditus*, non meminit, ſe Pariſienſem eſſe Theologum, & in ea nutritum Academia, de cujus placitis ita loquitur Carolus Cardinalis Lotharingius in Commonitorio, quod Romam ad Secretarium ſuum miſit anno M. D. LXIII. ad XIX. Calend. Februar. Gallica ſunt verba, quæ aliàs ſic Latinè reddidimus: *Nunc ſupereſt titulorum ultimus è Florentina Synodo depromptus, quem beatiſſimo Patri noſtro tribuere volunt. Ego negare non poſſum, quin Gallus ſim, & Pariſienſis Academiæ alumnus, in qua Pontificem ſubeſſe Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Conſtantienſe Concilium in omnibus partibus ſuis generale habetur, Baſileenſe in auctoritatem admittitur, Florentinum perinde ac nec legitimum, nec generale repudiatur. Atque idcirco Galli de vita potiùs, quàm de ſua ſententia decederent.* Et paullo pòſt: *Privilegia ſeu libertates regni in hac veritate poſita ſunt univerſa.* Sic loquebantur in Tridentino Concilio, qui Gallicanam ibi repræſentabant Eccleſiam. At rectè loquebantur, quia convenienter Sedis Apoſtolicæ traditioni, quam multis in epiſtolis expoſuimus. Tres ſunt in parte prima epiſtolarum noſtrarum, una eſt ad Hieronymum Samboeuvium, altera ad Ludovicum Cuſinum, tertia ad Chriſtophorum Fauvæum; una in parte II. ad Nicolaum Parvipedium: accedunt epiſtolæ omnes, quas habet pars ſecunda epiſtolarum noſtrarum: caput XV. & XIX. epiſtolæ ad Thomam Fortinum in parte V. epiſtolarum noſtrarum.

Ceterùm ut Romanus Pontifex in univerſa Eccleſia, ſic & Epiſcopi in ſua quiſque diœceſi vindices atque executores ſunt canonum, ut Gelaſius I. confirmat in epiſtola XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Quibus ex paterna traditione perpenſis confidimus, quòd nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem præ ceteris oportere,*

oportere, quàm primam, qua & unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat, & continnata moderatione cuſtodit pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet. Hæc eſt Sedis Apoſtolicæ doctrina & traditio, ad quam, ut ad columnam & ſaxum adhæreſco, & à qua nemo poteſt, niſi per miſerabilem diſceſſionem abire, quia explicatum à Gelaſio beati Petri Apoſtoli primatum non agnoſcit.

OBSERVATIO XXI.

Pariſienſes Magiſtros quoſdam objicientibus Academia & Theologica Facultatis Decreta univerſim opponuntur.

IN hac obſervatione præſtanda ſunt mihi duo. Et primùm quidem ultro fatendum, Pariſienſes eſſe Theologos, qui canonem *Omnis utriuſque ſexus*, in fratrum gratiam expoſuerint, ut in multis explicatæ traditionis capitibus videre eſt. Deinde oſtendendum, illos Theologos communi cauſæ non admodum nocere, quia ſacris canonibus, & Sedis Apoſtolicæ decretis iiſdem canonibus promulgatis, non ſingularium Magiſtrorum placitis regitur Eccleſia.

Hinc Magiſtris illis oppono & Academiæ & Theologicæ Facultatis decreta, quæ hac ſuper re condita fuerunt. Et primùm quidem quod in Academia geſtum eſſe narratur in capite VIII. explicatæ traditionis, & ſic ſe habent: *Noverint univerſi, quòd anno Domini* M. CCCC. LVI. *die Sabbati* XXII. *menſis Maii alma Univerſitate ſtudii Pariſienſis apud ſanctum Maturinum ſolemniter congregata, & ſpecialiter convocata ad audiendum copiam cujuſdam Bulla per quoſdam fratres de Ordine Carmelitarum Officiali Pariſienſi præſentata, inter cetera concluſum extitit unanimiter, ipſis auditis, quòd diſplicebat impetratio hujuſmodi Bulla, & videtur, quòd ſit ſcandaloſa, turbativa pacis & concordia & ſubverſiva ordinis Hierarchici Eccleſia, ac ſubreptitia: placet formare appellationem in quantum derogat juri communi. Decretali, Omnis utriuſque ſexus.*

Deinde Theologicæ Facultatis decreta, quæ in explicatæ traditionis capite IX. & X. recenſentur, lata in Joannis Angelii, & Claudii Cuſini propoſitiones.

Angelii propoſitio II. damnata hæc eſt: *Parochianus confeſſus fratribus ſatisfacit Decretali, Omnis utriuſque ſexus, de pœnit & remiſſ. nec tenetur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo licentiam petere. Hac propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia, & reverentia obſervantia publicè revocanda.*

Cuſini propoſitio V. damnata hæc eſt: *Quando Parochianus aliquis memoratis fratribus Epiſcopo præſentatis confitetur, Decretali, Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. ſatisfacit, nec tenetur ſiſtere ſe, neque confiteri Curato parochiali, neque licentiam ab eo petere, quamvis de confeſſione Paſchali agatur. Iſta propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia, & reverentia obſervantia publicè revocanda.*

Hæc ſunt Academiæ & Theologicæ Facultatis decreta, quæ Iſamberto, Majori & aliis quibuſdam privatis Magiſtris opponimus, & in hac oppoſitione Vincentium Lirinenſem ſequimur, cujus verba ſunt in libri I. Commonitorii I. capite IV. accommodatè tamen ad hanc materiam, quæ paris non eſt omnino momenti cum illa, quam vir pietate & doctrina clariſſimus pertractat. In diſpari materia parem diſputandi methodum adhiberi nihil vetat. *Quid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſia* (dicamus Academiæ & Theologicæ Facultatis) *particula, ab univerſalis fidei communione* (dicamus ab univerſæ Academiæ & Theologicæ Facultatis decretis) *præciderit?* Quid utique, niſi *ut corrupto peſtiferóque* (dicamus minùs bene valenti) *membro ſanitatem univerſi corporis anteponat?* Et paullo poſt: *Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum error deprehendatur, tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inſcitia, ſi qua ſunt univerſaliter antiquitus, univerſalis Eccleſia* (dicamus univerſæ Academiæ & Facultatis) *decreta præponat.* Hic inter extrema duo, quæ conciliari nequeunt, verſamur. Judicium unius, vel alterius vel certè paucorum, Academiæ & Theologicæ Facultatis totius judicio, aut judicium Academiæ & Theologicæ Facultatis totius, judicio unius, vel alterius, vel certè paucorum anteponendum eſt. Quis verò primum ex his duobus reciperet? Et ſi recipere non poſſit, alterum recipiat neceſſe eſt. Sic quod Vincentius in rejiciendis privatorum hominum ſententiis, cùm de fidei dogmate agitur, faciendum eſſe præſtituit, nos ad Eccleſiaſticam diſciplinam pro conditione rei

tranſcrimus. Hoc diſſimulat Jacobus Vernantius, vir alioqui doctus, ſed ſuis occupatus præjudiciis, cùm Academiæ & Theologicæ Facultatis noſtræ decretis privatorum quorumdam Magiſtrorum ſententiam præponit, eáque regendam Eccleſiam eſſe cenſet. Sed ita cenſeat, & toto aberret cælo ſi velit: caveat tamen, quia pari methodo fidei dogmata ſubverteret.

Ceterùm miramur & ſuſpicimus Romanam & noſtro melioris ævi conſtantiam, qua & Academia & Facultas Theologiæ pro Conciliorum auctoritate, & pro ſacrorum canonum vi ac robore, ut pro patria, pro aris & focis dimicaruot. His adde vehemens ſtudium, quo Academia & Facultas ſimul erga Sedem Apoſtolicam feruntur. Nam ſuis in decretis Armachanum magni nominis Theologum ſequuntur, interpretem pacis & concordiæ, ad quam ille Innocentium IV. Martinum IV. & Joannem XXII. adduxerat, ut alibi viſum eſt; & ſiquis Academiæ & Facultatis factum ſecùs acciplat, de Sede Apoſtolica peſſimè meretur; dicendum enim eſſet, quod nonniſi ſumma in neceſſitate dici debet, vel Innocentium & Martinum, vel Joannem in ſuis conſtitutionibus erraſſe. Huc forſan ſpectabat Innocentius VIII. cùm poſtea Pariſienſes Theologos ab orthodoxia, & inſigni erga Sedem Apoſtolicam pietate laudavit.

Observatio XXII.

Quo ſenſu Theologia Facultas dicit æquivocum eſſe proprii *nomen, explicatur.*

Theologiæ Facultas in cenſura, quæ in explicatæ traditionis capite x. refertur, *proprii* nomen æquivocum eſſe dicit, non quòd æquivocum ſit in Lateranenſi canone, ſed quòd illius interpretes quidam æquivocum fecerint, cùm proprio ſacerdoti varios ſignificatus adſcripſerunt. Illorum interpretum verba in prioribus obſervationibus retuli, expendi & rejeci. Exinde nata eſt homonymia, cùm *ſacerdos proprius* avulſus à loco ſuo, & conditionibus ſingulis, quibus hoc in canone afficitur, deſtitutus, & ſubtilitati vanæ argutantium expoſitus fuit. Ad hos Facultas reſpectum habuit non ad ipſum ſacerdotem proprium, quatenus in canone continetur, & Eccleſiaſticis partibus illigatur. Nam ibi *ſacerdotem proprium*, gaudere ſignificatu ſimplici, & omnis homonymiæ expertem eſſe ſatis ſupérque confirmavimus in obſervatione II. Unum eſt, quod iterata commentatione & meditatione urgere placet. Lateranenſe Concilium præcipit, ut *ſacerdos proprius* ſit *diſcretus & cautus*. At præceptum hoc nec in Romanum, nec in alios quadrat Antiſtites, quos ad perfectionis, & ſcientiæ acquiſitæ ſtatum provectos eſſe nemo neſcit. Siquidem hoc in ſtatu Romanus, vel quilibet alius Antiſtes jam *diſcretus & cautus* ſumitur, & niſi ſumeretur *diſcretus & cautus*, nunquam ſumeretur. Siquidem ſtatus nullus fingi poteſt alius, in quo Romanus, vel diœceſanus Epiſcopus *diſcretus & cautus* ſumi poſſit. Ad hæc, Lateranenſis Concilii præceptum in Romanum, & alios quadrare Antiſtites fingamus. Quis utrum Romanus, vel diœceſanus Antiſtes *diſcretus* ſit *& cautus Sacerdos proprius*, judicabit? Provinciale cogendum eſſet Concilium, quod utrum diœceſanus Epiſcopus *diſcretus & cautus eſſet ſacerdos proprius*, inquireret. Regionale vel univerſale cogendum eſſet Concilium, quod utrum Romanus Pontifex *diſcretus & cautus eſſet ſacerdos proprius*, inquireret. Quis autem non facilè proſpicit, hoc fieri non poſſe, quia vix fieri poteſt, & eam ob cauſam Lateranenſe Concilium, nec Romanum Pontificem, nec diœceſanum Epiſcopum *ſacerdotis proprii* nomine intellexiſſe, ſed Parochialem Presbyterum, in quem Lateranenſis Concilii præceptum facilè cadit? Nam Romanus Pontifex, vel diœceſanus Epiſcopus, dum Presbyterum Parochiæ, vel vici cujuſdam Eccleſiæ præficiunt, num ille ſit *diſcretus & cautus* ſine dubio inquirunt, quia ut inquirant, munus proprium exigit, cui, ut quotidiana nos docet experientia, non deſunt, quia presbyter in perfectionis & ſcientiæ acquirendæ ſtatu dumtaxat verſatur. Nam ſi deeſſent, plenæ vituperationum negligentiæ ultorem ac vindicem Deum aliquando ſentirent. Ezechielis Prophetæ vox eſt decretoria: *Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Si ſacerdos enim proprius, diſcretus non eſſet & cautus, commiſſorum illi populorum ſalus in diſcrimen ultimum adduceretur.

Et verò ſiquis contenderet, homonymiam à Facultate quoque transferri ad ſacerdotem proprium, prout ille à generali Concilio deſcribitur, id profectò gratis, & ſine ratione contenderet. Quinetiam Facultati fœdè imponeret, quæ homonymiâ futili & gratuitâ relictâ ad rem ipſam ſic aggreditur, & propoſitionis v. cenſurâ mentem ſuam ſic omnino patefacit: *Quando Parochianus aliquis memoratis fratribus Epiſco-*

Epiſcopo præſentatis confitetur, Decretali Omnis utriuſque ſexus, ſatisfacit, nec tenetur ſiſtere ſe, nec confiteri Curato parochiali, neque licentiam ab eo petere, quamvis de paſchali confeſſione agatur. Iſta propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa & juri communi contraria, & pro ſubditorum ad Prælatos debita obedientia, & reverentia obſervantia publicè revocanda.

Præterea ſiquis homonymiam ad ſacerdotem proprium, prout ille à Lateranenſi Concilio deſcribitur, tansferret, ipſi Concilio graviſſimam faceret injuriam. Quaſi verò Concilium verbis, quæ varios ſignificatus objicerent, uteretur, ut ſic cautos perinde atque incautos, doctos indoctóſque juxtà falleret, & implicaret. Plana & aperta eſſe debent verba canonum, quibus præſertim communis omnibus diſciplina ſancitur. At ſiqua unquam Eccleſiæ regula, ſiquis unquam canon, hocce modo, id eſt, ſimplici, abſoluto, & ſine ulla ſpecie homonymiæ concipi, exararíque debuit, hic Lateranenſis unus fuit.

Observatio XXIII.

Pariſienſis Academiæ modus in temperandis fratrum privilegiis perquàm notandus & gravis.

ANNUS volvebatur circiter milleſimus quadringenteſimus quinquageſimus ſextus, cùm Pariſienſis Academia ſic temperaret fratrum privilegia, quibus juri communi, nempe canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, derogari credebat, & quibus fratres ſe ſupra Parochos inſolenter extollebant. Cùm Romani Pontifices circumventi privilegia concedebant hujuſmodi, ab Academia quidem cogi non poterant, ut ea reſcinderent, ſed cogebantur fratres, ut reſcindi curarent: & niſi tandem reſcinderentur, aut revocarentur, Mendicantes fratres cuncti ſegregabantur ab Academia, etiamſi unus tantùm è quatuor Mendicantium Ordinibus privilegia, de quibus erat quæſtio, impetraſſet. Una erat omnium cauſa, & in uno communis fortuna vertebatur. Mendicantes qui malebant talibus carere privilegiis, quàm excludi ad Academiæ conſortio, quod permultas & ſenſibus magis ſubjectas opportunitates Magiſtris fratribus importabat, revocari à Pontifice curabant privilegia iſtiuſmodi, vel ſi non revocabantur, iis ſe non uſuros quàm poterant ſanctiſſimè promittebant. Tranſactæ rei inſtrumentum conficiebatur, quod Pariſienſis Epiſcopus aſſervabat. Mendicantes poſtea ſupplicabant Academiæ, ut in eam redintegrarentur. Academia redintegrationem concebat. Quòd ſi procedente tempore promiſſa non implerent, vel ab iis nonnihil recederent, continuò ab Academia iterum reſecabantur. Pœna eadem ſontes eoſdem excipiebat. Res iſta copiosè tractatur in capite VIII. explicatæ traditionis, ubi fratres apud Regem & regni proceres omnem movent lapidem, ut certis quibuſdam conditionibus, quæ fraudem redolent, Academiæ reſtitui poſſint. Pro fratribus hoc in negotio interpoſuit ſe Comes Regii ſtabuli, & randem cauſa cognita fratres ad conſentiendum placitis Academiæ inclinavit, non malè dicerem, coëgit. Tanta erat Academiæ apud Regem & aulicos proceres & gratia & auctoritas.

Observatio XXIV.

De argumentis, quibus fratres & alii pro fratribus utuntur, generale judicium.

ARGUMENTA, quibus fratres, fratrùmque opitulatores utuntur, ad genera quinque revocari commodè poſſunt.

In primo genere conſtituuntur ea, quibus docetur, convenientiſſimum eſſe, ut audiendarum confeſſionum licentia fratribus propter ſcientiam & vitæ meritum impertiatur. Id argumentorum genus non probatur omnibus, quibus Paſtorale munus incumbit. Teſtes ſunt Anglicani & primi & ſecundi ordinis Antiſtites, qui de admiſſis ad excipiendas fidelium confeſſiones fratribus conqueruntur. in cap. I. explicatæ traditionis. Accedunt Alenſis, Albertus & Bonaventura qui temporariam, non perpetuam cauſam adferunt, cur Prædicatoribus & Minoribus conceſſa ſit confitendi facultas, negligentiam, ignorantiam & malitiam Sacerdotum parochialium. Quòd ſi negligentia in ſedulitatem, ignorantia in ſcientiam, & malitia in vitæ probitatem converteretur, cauſa illa ceſſaret, & copiis vix ullus locus eſſet auxiliaribus, ubi ordinariæ & legitimæ ſufficerent. Sufficerent autem, ſi Alenſis, Alberti & Bonaventuræ ratio diſputandi conſideretur. Salisburgenſis provinciæ Epiſcopi, poſtquam experti ſunt, quid fratres

tres in excipiendis fidelium conſeſſionibus valeant, iis excipiendarum conſeſſionum poteſtatem auferunt. in cap. II.

☞Ricardus Armachanus Archiepiſcopus & Hiberniæ Primas argumenta illa fratrum oppugnat coram Innocentio VI. Pontifice & Cardinalibus, nec ab iis reprehenditur in cap. VI. Huc proinde ſpectant axiomara: *Qui tacet conſentire videtur: etiam error cui non reſiſtitur, approbatur.* Quod Celeſtinus I. ita confirmat in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos: *Quid illic ſpei eſt, ubi magiſtris tacentibus, hi loquuntur: qui ſi ita eſt, eorum diſcipuli non fuerunt? Timeo ne connivere ſit hoc tacere. Timeò ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas; quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret, meritò namque nos cauſa reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.* Quamobrem ne Pontifex Innocentius VI. & Cardinales dicantur ſuo ſilenrio faviſſe errori, neceſſariò dici debet, Armachanum protuliſſe nihil, quod à vero manifeſtè abhorreret. In ſumma, generis hujus argumenta, quæ è ſcientia & vitæ merito fratrum petuntur, non omnibus ſæculis & ætatibus conveniunt. Nam de ſcientia & vitæ merito ſic loquitur Concilium delectorum Cardinalium: *Alius abuſus corrigendus eſt in Ordinibus Religioſorum, quòd adeò multi deformati ſunt, ut magno ſint ſcandalo ſæcularibus, exemplóque plurimùm noceant.* Et quibuſdam interpoſitis: *Hoc etiam animadvertendum & corrigendum cenſemus in prædicatoribus & confeſſoribus conſtituendis à fratribus, quòd ab eorum præfectis primùm adhiberetur magna diligentia, ut idonei eſſent, deinde ut præſentarentur Epiſcopis, quibus præ omnibus cura eſt Eccleſiæ demandata, à quibus examinarentur per ſe, vel per viros idoneos, nec niſi eorum conſenſu admitterentur ad hæc peragenda.*

Alterius generis ſunt argumenta, quibus docetur, nedum utile, ſed neceſſarium eſſe, ut facultas audiendarum confeſſionum fratribus concedatur. Id argumentorum genus ex eo plurimùm infirmatur, quód non pauciores ſint poſt Lateranenſe Concilium Parochiales Presbyteri, quàm antè fuerint. Et tamen, qui antè fuerunt Parochiales Preſbyteri, atque Antiſtites excipiendis fidelium confeſſionibus ſuffecerunt. Quapropter Mendicantium Ordinum fratres & alii poſtea ſecuti non commiſerunt, ut quæ non extitit ante Concilium verſùs Apoſtolorum ætatem neceſſitas, poſt Concilium extiterit. Hîc agitur de diſciplina, quæ per annos mille ducentos & viginti ſeptem in Eccleſiis Dei omnibus ſervata eſt. Affirmari poſſe mihi videtur in iis, quæ numerum miniſtrorum ſacramenri Pœnitentiæ attinent, neceſſarium fuiſſe aliquid, quo tunc Eccleſiæ Dei omnes caruiſſent, aut Pontifices, & maximè Romanos in obeundo Paſtorali munere tam indormiviſſe diu, ut de multiplicandis ſacramenri hujuſce miniſtris nihil penitus curaſſent. Deinde id argumentorum genus non omnibus probatur Pontificibus, quorum plures, ut Lateranenſis canon obſervetur, & Paſchalis confeſſio ut & communio in Parochia fiant, edixerunt. Illuc quoque ſpectat Clementina *Dudum.* ubi dicitur: *Numerus autem perſonarum* (è fratribus) *aſſumendarum ad hujuſmodi officium exercendum eſſe debet, prout univerſitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit.* Fratres ii, de quibus Clementina *Dudum.* loquitur, alii non ſunt, præterquam Prædicatores & Minores: & falluntur oppidò, qui ceteros ibi fratres nominari vel comprehendi putant. Quod diligenter notandum eſt, ut ſi quando univerſitas Cleri vel populi judicet, nullos aut paucos exigi, plures non exigantur.

In tertio genere collocantur argumenta, quæ fallaciam accidentis involvunt, & in quibus variatur terminorum ſuppoſitio. Hoc tamen genere argumentorum ineſcantur, efferuntúrque facilè, qui Eccleſiaſticæ poteſtatis finem faciunt ejuſdem poteſtatis oſtentationem, non Chriſtianæ plebis ædificationem & ſalutem, non recordantur Epheſinæ Synodi, in cujus actione VII. jubetur, *Ne Patrum canones prætereantur, neve ſub ſacerdotii prætextu mundanæ poteſtatis faſtus irrepat.* Antiquum eſt, ut apparet, vitium, quod idenridem expellitur, & identidem recurrit. Alii torquentur, qui intextas ad perniciem veritatis fraudes nec proſpiciunt, nec poſſunt diſcindere, quia Dialecticarum legum informationem nullam habuerunt, vel ſi quam habuerint, progreſſu temporis amiſerunt. Apud utroſque regnant, qui profeſſionem ſanctam in adulationem fœdum crimen ſervitutis convertunt. Scientiæ clavis, ut cum Theologis loquar, hac in diſceptatione magis requiritur, quàm clavis juriſdictionis & poteſtatis.

Ad quartum genus pertinent argumenta, quibus docetur, Sacerdotis proprii nomine Romanum alióſque Epiſcopos, & ab iis delegatos intelligi. Sed non ſunt argumenta vera, ſed potiùs ſophiſtica, quæ petitis è Scriptura & traditione, aut ex Lateranenſi canone ſecundùm quamlibet ſui partem accepto ſubſidiis non ſuſtentantur. Aliud eſt fucum oculis animiſque legentium immittere, quod ii faciunt, qui ſic diſputant;

aliud

aliud ratione vera confirmare, quod affirmes. In Academia fixa, non volatica Theologi verſantur, ubi qui ratione palam invalida utuntur, ii deceptos ſe fuiſſe demonſtrant.

In quinto genere ponuntur argumenta, quibus docetur, Papam ſupra generale Concilium eſſe. Sic Mediavillanus in explicatæ traditionis capite III. diſputat: *Cùm ergo Epiſcopus non ſit ſuper ſtatutum, confeſſi ſibi vel alicui auctoritate ejus, tenentur eodem anno ſuo Curato inferiori ſemel confiteri: non autem ſic dicendum de confitentibus Papæ, vel habentibus ejus auctoritatem abſolutè, quia Papa eſt ſuper Concilium generale.* Hic autem diſputandi modus ſcopum ferit maximè: ſed reſiſtit repugnâtque contra veritatem, & Sedis Apoſtolicæ traditionem, quæ à Pariſienſi Academia fortiter propugnatur, ut in ſuperiori obſervatione viſum eſt.

Deinde Mediavillanus inconſequenter diſputat. Quæ ratio diœceſanum Epiſcopum univerſali ſubeſſe Concilio probat, eadem & Romanum eidem Concilio ſubeſſe confirmat, quia licèt Romanus Pontifex ſit caput, id eſt primum membrum, Concilii, eſt nihilominus membrum, & eam ob cauſam minus & inferius Concilio. Ut Metropolitanus & decretis, quæ Provinciale Concilium edit, & Provinciali Concilio ſubjicitur, etiamſi Provincialis Concilii caput ſit & illi præſit: ſic & Romanus Pontifex & canonibus, quos univerſale Concilium edit, & univerſali Concilio ſubjicitur, etiamſi univerſalis Concilii caput ſit & illi præſit. Par eſt utrobique ratio; & ratio hæc alia nulla eſt, vel poſſet eſſe; quàm quæ mox allata eſt, & ſi diluenda eſſet, eo non poſſet modo dilui, quem ad utrumque, Metropolitanum ſcilicet & Romanum Pontificem quis non flecteret, aut principium peteretur; & ſemper ab uno in alterum retorquebitur, quidquid diſcriminis adferri poſſet. Gregorius I. ratiocinationis hujus materiam ſuppeditat in libri IV. epiſtola XXXVIII. ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Certè*, inquit, *Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capita? & tamen ſub uno capite* (Chriſto) *omnes membra ſunt Eccleſiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis aſtringam. ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti.* Epheſina Synodus actione V. in relatione ad Imperatores, Cyrillum Alexandrinum, qui illi præfuit, *congregatorum Epiſcoporum caput* nominat. Et tamen quis Cyrillum univerſali Concilio ſubjacere iret inficias?

Quidquid id eſt luculenter explicat & confirmat Petri Ribadeneiræ locus in libri III. de vita ſancti Ignatii capite XXII. *Si quid gravius accidat, ſi acerbus ille* (Præpoſitus generalis) *plus æquo, ac violentus, ſi bonorum collegiorum profuſus ac præpoſterus diſtributor fortaſſe ſit, ſi doctrina depravatus vel moribus* (*homines enim ſumus*,) *congregationem generalem, quæ quoniam univerſalem ſocietatem repræſentat, ipſo etiam Præpoſito generali ſuperior eſt, indicendi penes aſſiſtentes jus eſt, in qua veritas earum rerum & pondus examinatur, & pro modo culpæ pœna imponitur: privari enim generalatu Præpoſitus generalis poteſt, ſi res exigat, & gravioribus etiam ſuppliciis affici.* Et paulo pòſt: *Quæ pericula* (mox enumerata) *in utroque genere* (Monarchico & Ariſtocratico) *ut vitaret, & unitatem hæc ſocietas à monarchia accepit, & ab optimatibus conſilium, & ita utrumque temperavit, ut Præpoſitus generalis præſit omnibus, & ipſe quodammodo ſubſit.* Hæc ad Rom. Pont. facilè transferri poſſunt, & tranſlata trabali clavo ibidem figentur in perpetuum.

Tum inutilis eſt Mediavillani quæſtio, quia Parochialis Preſbyter, dum alieno preſbytero ſeu ſacerdoti licentiam confitendi tribuit, auctoritate propria non utitur, ſed (quod rixandi gratiâ diſſimulandum non eſt) auctoritate univerſalis Concilii, cui diœceſanum Epiſcopum ſubeſſe ingenuè fatetur.

Poſtremò vana eſt comparatio. Quid enim ad ſeipſum, vel cum ſeipſo comparari poteſt? Parochialis Preſbyter, cùm Lateranenſis Concilii canonem pro Paſchali confeſſione & communione exequitur, Lateranenſi jungitur Concilio, ab eo minimè ſejungitur, & ita Parochialis Preſbyter Lateranenſis Concilii canonem exequens cum Romano & aliis Epiſcopis, qui ſuis in deceſſoribus Lateranenſe celebrarunt Concilium vivunt vel debent vivere, comparari non poteſt, quia comparatio duorum inter ſe diſtinctorum eſt comparatio. Innocentius III. qui Lateranenſe coëgit Concilium & illi præfuit, in terras ſi rediret, nobis ſtatim veniret ſuppetias, & de Lateranenſi Concilio id diceret, quod Leo I. de Nicæno ſcribit in epiſtolæ LIII. ad Anatolium Conſtantinopolitanum cap. IV. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis Conſtitutionibus*

Digitized by Google

vivunt, & ſiquid uſpiam aliter, quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa, & manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, ſed intra fines proprios atque legitimos quantum valuerit, in latitudine ſe charitatis exerceat, cujus ſatis uberes fructus Conſtantinopolitanus poteſt Antiſtes acquirere, ſi magis humilitatis virtute nitatur, quàm ſi ſpiritu ambitionis infletur. Innocentius Leonis ſermone uſus præ ſe ferret duo, quorum unum ad diœceſanos Epiſcopos attinet, & illud ipſum eſt, quod de Conſtantinopolitano Antiſtite præ ſe fert: alterum ad Romanum Pontificem; quem ut intra fines proprios atque legitimos, prout ille valuerit, in latitudine ſe charitatis exerceat, moneret. In his autem propriis atque legitimis finibus nos & vivimus, & movemur & ſumus. Hos extra fines adulator, vel Curialis Magiſter quis vivet? quis movebitur? quis erit?

OBSERVATIO XXV.

Fratres non admodum obſervant, quod illis obſervandum Pontifices multi præcipiunt.

NIſi cum hominibus mihi res eſſet, ego vehementer mirarer, quòd fratres, qui tam audacter venditant privilegia ſua, & in his habitant toti, non exequantur ea, quæ præcipiunt Romani Pontifices, dum placitis & opportunitatibus ſuis non ſerviunt.

Innocentius IV. hæc præcipit in capite II. explicatæ traditionis: *Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus quatenus Parochianos alienos diebus Dominicis & feſtivis non recipiatis de cetero in veſtris Eccleſiis, ſeu oratoriis temerè ad Divina, nec ipſos ſine Sacerdotis ſui licentia ad pœnitentiam ullatenus admittatis, cùm ſiquis alieno ſacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata, ſecundùm ſtatuta generalis Concilii licentiam priùs poſtulare & obtinere debeat à proprio ſacerdote, vel ſaltem ſibi primò confiteri, & recipere beneficium abſolutionis ab eodem: aliter namque ab ipſo ſolvi non poterit.* Quis autem Religioſos exequentes iſta vidit?

Clemens IV. hæc præcipit in eodem capite: *Liberè poteſtis audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Eccleſiarum, ac ſacerdotum Parochialium aſſenſu nullatenus requiſito, illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſive retentione ab eis ſpecialiter facta, prædicta Sedis Legatis & Ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manum extendere, niſi ſpecialiter committatur.* Quis autem Religioſos, ea, quæ ad caſum de jure exceptum pertinent, exequentes vidit? caſus de jure exceptus eſt Paſchalis confeſſio & communio.

Martinus IV. hæc præcipit in capite III. *Volumus autem, quòd ii, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Parochialibus Presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout Concilium generale ſtatuit, nihilominus teneantur: quódque iidem fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter ſecundùm datam eis à Domino gratiam exhortentur.* Quis autem Religioſos iſta exequentes vidit? Quis eos populum ad confeſſionem annuam Parochis faciendam exhortantes audiit?

Pontifex, quiſquis ille ſit, in conceſſo Eremitanis privilegio hæc apud Mediavillanum præcipit in eodem capite: *Quòd in illo ſtatuto, Omnis utriuſque ſexus, intelligitur Parochialis Preſbyter ille, qui in communi ſic vocatur in hoc quod dicit: confeſſi fratribus teneantur ſemel in anno ſuis Preſbyteris Parochialibus confiteri, prout ſtatuit generale Concilium.* Quis autem Religioſos iſta ex Mediavillano referentes, & exequentes vidit?

Bonifacius VIII. apud Nangium hæc præcipit in capite IV. *Decernit idem Papa, ut confeſſus eiſdem fratribus confiteatur eadem peccata proprio ſacerdoti.* Quis autem Religioſos Bonifacii decretum iſtud publicantes audiit?

Benedictus XI. hæc præcipit in eodem cap. *Ceterùm licèt, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre, diſtrictè injungimus, ut fratres ipſis confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quòd ſuis ſacerdotibus ſaltem ſemel in anno confiteantur, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.* Quis autem Religioſos iſta exequentes vidit? Quis eos populum ad confeſſionem annuam Parochis faciendam exhortantes audiit?

Six-

Sixtus IV. hæc præcipit in capite IX. *Quòd ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd Paræciani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti, quia de jure tenetur Paræcianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri ſacerdoti.* Quis autem Religioſos concionantes audiit, præceptum tale ſibi ab Sixto IV. impoſitum eſſe?

Innocentius VIII. hæc præcipit in eodem capite: *Ne igitur ſcandala propterea invaleſcant, volumus, ut iiſdem & univerſis Dei prædicatoribus, qui pro tempore erunt in civitate, & diœceſi prædictis, auctoritate noſtra inhibeas, ne de cetero talia prædicare: neve Parochianos à confitendo eorum peccata Rectoribus prædictis abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri prædicare præſumant, privilegio, quod nolumus eis ſuffragari, nonobſtante, & quacunque appellatione remota.* Quis autem Religioſos concionantes audiit, præceptum tale ſibi ab Innocentio VIII. impoſitum eſſe?

Scio quidem alios eſſe Pontifices, qui fratribus præceptum tale non imponunt, ſed illi præceptum tale non eſſe impoſitum, minimè negant, neque fratres ab illo liberant & ſi qui liberarenr, plures qui non liberarent, paucioribus qui liberarent, anteponerentur. Nec poſſent non præponderare, qui ſe Lateranenſi Concilio adiungerent, iis qui ſe ab eo per derogandi clauſulam disjungerent. Quo enim in caſu quis Pontifex ſe Concilio adjungit ſimul ſunt Pontifices duo, Innocentius III. qui Concilio præfuit, & Pontifex qui ſe Concilio adjungit: ſed quo in caſu quis Pontifex ſe à Concilio disjungit, ſe continuò ab illis duobus Pontificibus disjungit; & in disjunctione tali minùs habet virium, quia vis conjuncta eſt fortior ſeipſa disjuncta. Ad hæc ſtatim intervenirent Symmachus & Gregorius, qui comparatum ex Sedis Apoſtolicæ opportunitatibus argumentum profetrent, quod Achilleum vocari non immeritò poſſet. Symmachus in epiſtola I. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum: *Huc accedit, quòd ne ſit ſententiarum varietas, ad ipſam ſacroſanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus poteſtas omnis infringitur, niſi univerſa, quæ à Domini ſacerdotibus ſemel ſtatuuntur, perpetua ſint: quod alias contingere non poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribueris firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt, faciat rata eſſe quæ geſſerit. Quanta enim Vicariis beatiſſimi Petri Apoſtoli judicabitur eſſe reverentia, ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt, eiſdem tranſeuntibus diſſolvantur?* Gregorius in libri I. epiſtola XII. ad Montanam & Thomam: *Juſtitia ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem & ſtatuta cuſtodiat.* Deinde in libri VII. indictione I. epiſtola XVII. ad Bonifacium Defenſorem: *Nimis eſt aſperum, & præcipuè bonis ſacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacunque rationis excuſatione, & quæ bene ſunt ordinata reſcindere, & exemplo ſuo docere ceteros ſua quandoque poſt ſe conſtituta diſſolvere.* Documenra hæc non poſſunt ſatis repeti, infigi & inculcari, quia documenta ſunt æternæ veritatis & utilitatis, cujus jactura bonis omnibus metuenda eſt.

Ceterùm quid temporibus noſtris fratres quidam de annua confeſſione prædicaverint, aut ſcripſerinr, & quomodo relatis ſuprà Pontificibus obtemperaverint, nos docet Romanæ Inquiſitionis dectetum, quod in explicatæ traditionis capite XIII. recenſuimus. Et ſanè tantum abeſt ut præſtiterint, quod præſtandum eſſe tot Pontifices vel juſſerant, vel monuerant, ut contrarium omnino præſtiterint.

OBSSRVATIO XXVI.

Recentiores fratres ſummoperè cavent, ne doceant, quod antiqui docuerunt, Alenſis, Albertus, Bonaventura, & Thomas, unuſquiſque fratrum primipilus.

HÆc obſervatio in quæſtione facti tota conſiſtit, in commentariis frattum, qui poſterioribus ſcripſerunt ſæculis. Quod ſcilicet Alenſis, Albertus, Bonaventura, & Thomas memoriæ prodiderunt, dum jura Parochialium ſacerdotum attigere, quidquid id eſt, breviter perſtringo ex capite I. & II. explicatæ traditionis.

Alenſis: *Talibus data eſt poteſtas audiendi confeſſiones, non in præjudicium ſacerdotum & maximè bonorum, ſed potiùs in favorem fidelium, & excitationem audiendi verbum Dei, & propter ignorantiam & negligentiam & alios defectus ipſorum ſacerdotum. Non credo, quòd Presbyteri jure ſuo priventur. Unde exiſtimo, quòd Parochiani quantumcunque & quotieſcunque talibus confiteantur, tenentur ſacerdotibus propriis confiteri, ſi ab illis requirantur, nec aliter ſint contenti, & hoc dico ſemel in anno:* nempe, ut canoni *Omnis utriuſque ſexus*, ſatisfiat. Priorem Alenſis periodum recentiores fratres docent, poſtetiorem non docent.

Albertus: *Firmiſſimè credendum eſt, propter nimiam Sacerdotum negligentiam hoc* (pri-

vilegium audiendi confeſſiooes) *Summus Pontifex dedit, quia peccatis noſtris creſcentibus in hoc fine ſæculi perpauci inveniuntur Sacerdotes, qui veri ſint Paſtores, ſed potiùs Vicarij conducti pretio vili, & quod admirabilius eſt, nec ſunt perpetuati in multis terris, ſed conducti ad annum, vel etiam ad dimidium, vel menſem: & hæc omnia ſcio, quia vidi: Ita ut videatur impleri illud Ezechielis* XIII. *pro fragmento panis & pugillo hordei corrumpebant me & meum populum. & ideo ſatis neceſſarii ſunt, qui vita & ſcientia populum abſolvant: tamen propter officium Paſtorale & reverentiam Sacerdotum, & quia non eſt detrahendum eis coram ſubditis, videtur, quòd abſolvens privilegiatus deberet injungere confeſſo ſibi, quatenus ad minus in generali oſtendat ſe proprio Sacerdoti, ſi Paſtor eſt, vel etiam perpetuus Vicarius.* Id autem cùm Albertus dicat de iis, qui quocunque tempore confitentur fratribus, quid non dixiſſet de confeſſione; quæ ſemel in anno, vel in Paſchate Sacerdoti facienda eſt proprio, ut generale Concilium decrevit? Hæc Alberti ſententia recentiorum fratrum obruitur ſilentio, cùm de iſta materia tractant.

S. Bonaventura: *Cùm ergo pœnitens confitetur nobis, & abſolvimus eum auctoritate domini Papæ vel Epiſcopi, non tenetur iterum à Plebano ſuo de iiſdem abſolvi, cùm ſit abſolutus: ſed propter ſtatutum Eeeleſiæ, quo quilibet ſemel ad minus in anno jubetur confiteri omnia peccata ſua proprio Sacerdoti, quod plerique referunt ad Plebanos ſpecialiter, dicitur ei ſi velit iterum confiteri, ne ſcandalizetur, & ut meliùs agnoſcat eum, cui corpus Domini debeat porrigere, vel negare, niſi de licentia ejus alteri ſit confeſſus, vel ratum habeat, ſi eſt factum.* Item alibi: *Si Parochianus non habet excuſationem, & ipſo* (Presbytero Parochiali) *exigente nolit confiteri, vix crederem talem perſonam eſſe verè pœnitentem. Ideo omnibus ſanum conſilium eſt, quòd remittant ad proprios Sacerdotes, ut ſi non ſint contenti illa confeſſione, iterum audiatur.* Hæc omnia quis in recentiorum fratrum commentariis inveniet? Quinetiam quot Bonaventuræ verba, tot ſunt pene fulmina, quibus commentarii iſtiuſmodi deflagrarent.

S. Thomas: *Ad quartum dicendum, quòd nullus tenetur confiteri peccata, quæ non habet, & ideo ſi aliquis Pœnitoutiario Epiſcopi, vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti confeſſus fuerit, cùm ſint ſibi dimiſſa peccata & quoad Deum & quoad Eccleſiam, non tenetur ea confiteri proprio Saeerdoti, quantumcunque petat: ſed propter ſtatutum Eccleſiæ de confeſſione facienda proprio Sacerdoti ſemel in anno, eodem modo ſe debet habere, ſicut ille, qui habet ſolùm venialia. Is confiteri debet, ut quidam dicunt, vel profiteri ſe à peccato mortali immunem eſſe, & Sacerdos ei in foro conſcientiæ credere debet & tenetur: Si tamen iterum confiteri teneretur, non fruſtra primò confeſſus fuiſſet, quia quantò pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tantò ei plus de pœna remittitur, tum ex erubeſcentia confeſſionis, quæ in pœnam ſatisfactoriam computatur, tum ex vi clavium unde toties poſſet aliquis confiteri, quòd ab omni pœna liberaretur. Nec iteratio facit injuriam ſacramento, niſi in illo, in quo ſanctificatio adhibetur, vel per characteris impreſſionem, vel per materiæ conſecrationem, quorum neutrum eſt in pœnitentia. Unde bonum eſt, quòd ille, qui auctoritate Epiſcopi confeſſionem audit, inducat confitentem ad hoc, quòd confiteatur proprio Sacerdoti, quod ſi noluerit, nihilominus eum abſolvere debet.* Beatus Thomas, quamvis ſancto Bonaventura ſit paullo remiſſior, ea tamen docet, quæ in recentiorum fratrum libris inculcata non invenies. Præ duobus aliis Theologis Bonaventura & Thomas hoc habent, quòd rationes aggerant & cumulent idoneas quibus quod in conſilio poſitum eſſe credunt, iteratam ſcilicet eorundem peccatorum confeſſionem, id ſub præceptum cadere poſſit.

Hactenus ex Ordine Mendicantium fratrum Theologi exiſtimationis magnæ quatuor, quorum teſtimonia ſi cum recentiorum fratrum ſcriptis conferantur, luculenter apparebit, poſteros à majorum inſtitutis deſciviſſe. Majores illi generalis Concilii canonem utcunque ſervare, & pacem eum Sacerdotibus propriis volebant inire: poſteri canonem inſuper habent, & pacem cum ſcuto petunt, & io Eccleſia [illegible]. Porro autem ubi de poſteris loquor, non omnes, ſed magnam tantùm partem intelligo. Fortaſſe nonnulli ſunt, qui Lateranenſem canonem omnino ſervari vellent, vel ſaltem Alenſis, Alberti, Bonaventuræ & Thomæ dictatis adhærent, & ſcribendo cum his antiquioribus Magiſtris conteſſerant.

OBSER-

Observatio XXVII.

Magni videtur eſſe ponderis ratio, quam Doctores multi deſumunt ex prudentia, quæ in negotio ſalutis adhibenda eſt, & quam plerique fratres diſſimulant.

IN ſcriptis Doctorum plurium, qui Paſchalem confeſſionem Parochis aſſerunt, invenitur certum quoddam argumentum, quod in negotio ſalutis magni eſſe momenti videtur. Comparatur ex morali prudentia, quæ conſulit, in dubiis partem tutiorem eligendam ſemper eſſe. Sic autem argumentum illud ſe habet apud Eberhardum Ratiſponenſem Archidiaconum in cap. III. explicatæ traditionis: *Dicebant ipſi Prædicatores & Minores, quòd confeſſi ipſis non tenerentur ſuis Parochialibus Presbyteris eadem peccata in numero iterum confiteri; cujus tamen contrarium Archiepiſcopi & Epiſcopi aſſerebant per idem privilegium, & per Decretalem extrà de pœnit. & remiſſ. Omnis utriuſque ſexus, cujus in eodem privilegio mentio facta fuit. Quæ quæſtio per Doctores, ſeu Magiſtros Theologiæ & Juris canonici multipliciter fuit Pariſius diſputata, & validiſſimis oſtenſum fuit rationibus per Magiſtrum Henricum de Gandavo, quòd eadem peccata in numero, quæ aliquis confeſſus fuerit Prædicatori vel Minori, vel alias privilegiato, teneretur iteratò confiteri ſaltem ſemel in anno ſuo proprio Sacerdoti; cujus tamen contrarium cùm fratres multis rationibus niterentur oſtendere, tale conſilium dederunt Magiſtri, & ſapientes Pariſiis à ſcholaribus requiſiti, quòd quandiu hæc quæſtio eſſet dubia Pariſiis, ubi magis, quàm alibi in mundo eſt copia peritorum, tandiu deberent confiteri ſuis Parochialibus Presbyteris, de quorum certa auctoritate nulli ſacræ Scripturæ vel canonum ſapientes dubitaverunt hactenus; qui in locum* LXXII. *diſcipulorum, ſicut Epiſcopi in locum Apoſtolorum, certiſſimè ſucceſſerunt.*

Hæc eadem ratio ſic explicatur ab Henrico Gandavenſi in eodem cap. III. *Sunt autem ad idem rationes ex tribus regulis canonicis, quas in confirmatione ſententiæ ſuæ induxerunt prædicti domini Epiſcopi: quarum prima eſt, quòd in dubiis, maximè ubi verſatur periculum animæ, ſemper tutior via tenenda eſt ac conſulenda. In propoſito autem verſatur periculum animæ, quia ſi intentio domini Papæ eſt ſecundùm quod videtur prætendere litera ſua in prædicto privilegio, quòd confeſſus fratri iterum teneatur confiteri confeſſa fratri, tunc periculum eſt illi tranſgreſſionis præcepti, & ita mortalis peccati, ſi illa non confiteatur iterum ſuo proprio Sacerdoti; & ſimiliter ex parte illius confeſſoris, qui non hortatur ad hoc confeſſum ſibi ſecundùm admonitionem à domino Papa ſibi factam in dicto privilegio, maximè ſi dehortetur dicendo, quòd non tenetur reverti ad ſuum Sacerdotem ad iterum eadem confitendum. Si verò intentio domini Papæ fuerit, quòd non tenetur confeſſa fratri iterum confiteri ſuo Sacerdoti, nullum tamen eſt periculum, ſi eadem illi iterum confiteatur, imo profectus eſt ſecundùm cap. prææallegatum. Quem pœnitet.* infrà.

Secunda regula eſt, quia cùm aliquod dubium oritur in privilegio, quouſque fuerit declaratum, recurrendum eſt ad jus commune, & illud obſervandum, & ſecundùm illud privilegium interpretandum. Jus autem commune ad quod in propoſito caſu eſt recurrendum, non eſt niſi illud, quod contentum eſt in illo ſtatuto, Omnis utriuſque ſexus. pro quanto ergo dubia eſt dicta clauſula dicti privilegii, niſi aliud ſuper hoc fuerit declaratum, tenendum eſt jus commune illius ſtatuti, ac ſi nunquam fuiſſet fratribus conceſſum privilegium. Sic autem tenendo ipſum, omnia confeſſa fratribus tenetur iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti.

Tertia eſt, quòd quando dubia ſunt jura partium propter teſtes dubios, vel inſtrumenta dubia, quæ in hoc æquiparantur, ſemper judicandum eſt contra petitorem. extrà de fide inſtrum. & cetera, quæ latè traduntur in cap. III. explicatæ traditionis.

Ricardus Armachanus eandem rationem ſic urget in cap. VI. *Dixi & dico ſecundò principaliter, ſi quæratur, quæ perſona eſt eligibilior pro confeſſione parochiani ſui ſingulariter facienda, ſcilicet an perſona fratris, vel Ordinarii ſui perſona, quòd Ordinaris perſona eligibilior eſt cenſenda fratrum perſonis, quia ſecurior & utilior, & quia confeſſio ſibi facta ſingulariter vitat plura incommoda & diſpendia. Dico primò quòd Ordinaris perſona eſt ſecurior, quia eſt perſona à Deo præcepta & à ſua Eccleſia de lege communi, & fratris perſona de lege prohibita. Unde conſequitur, quòd Ordinaris perſona eſt ſecurior. Item perſona Ordinarii eſt parochianis ſuis perſonis fratrum ampliùs obligata. Unde rationabiliter poteſt de ea confidere, quòd ſolicitior erit ad providendum eis, quàm frater, qui eſt ſibi perſona extranea. Sicut perſona medici corporalis eſt ægroto magis carnaliter ſecura, quæ eſt ægroto magis obligata.*

Joan-

Joannes Gerſo Pariſienſis Cancellarius in ſermone, quem Eccleſiæ & Academiæ nomine habuit contra bullam Mendicantium, in cap. VII. explicatæ traditionis: *Sequitur, quòd ceteris paribus perfectior res eſt confiteri ſuo Curato, quàm alteri privilegiato, tum propter obedientia virtutem, tum propter majorem ſecuritatem, & alias complures rationes. Nota quòd Decretalis, Omnis utriuſque ſexus, in Concilio generali edita, vult unumquemque confiteri peccata ſua ſaltem ſemel in anno proprio ſuo Presbytero, aut alieno de ſua facultate: alioquin enim parochianus abſolvi non poſſet. Et fuit opinio antiquorum & gloſſatorum & Doctorum, per proprium Presbyterum Curatum intelligi eum, qui adminiſtrare debet ſacramenta.*

Hæc eſt ratio, quæ mihi pluribus de cauſis magni eſſe momenti videtur. Et primo quidem, quia naturæ lumini & æquitati ſic congruit, ut vel ab invito conſenſum extorqueat. Deinde quia qui hac utuntur ratione, non parvam in Eccleſia auctoritatem & vitæ ſanctimoniam cum ingenti doctrina conjunctam præ ſe ferant. Tum rationem hanc fratres & fratrum opitulatores diſſimulant, tantum abeſt, ut ei ſatisfaciendum eſſe curent. Quartò ineluctabilis eſt ratio, ſi apud Nangium Bonifacius VIII. ortam ob Martini IV. decretum inter Clerum & fratres controverſiam diremit, & ſi non diremit, vel ullus Pontifex alius: ex eo rationi magnum pondus accedit. Idem quoque dicendum eſt de mora inter Armachanum & fratres Anglicanos lite, quæ à delegatis judicibus finem nullum accepit. Poſtremò rationem auget defectus clauſulæ, qua Lateranenſi Concilio ex Romanæ Curiæ Juriſprudentia derogetur, ut mox oſtendemus.

OBSERVATIO XXVIII.

Qua à fratribus Lateranenſis Concilii canoni, Omnis utriuſque ſexus, *opponuntur privilegia hac, vel falſa, vel ſubreptitia demonſtrantur ex Romana Curia Juriſprudentia.*

NEc fratribus, ut puto, nec mihi quicquam timendum eſt, dum Romanæ Curiæ Juriſprudentiam, eàmque à religioſis hominibus aſſertam & vindicatam appello in hac materia. Hæc autem Juriſprudentia ſancitur ab Honorio III. tit. de Capellis Monachorum cap. III. ad Venetenſem Epiſcopum: Sic ergo Pontifex Venetenſem Epiſcopum alloquitur: *Ex parte tua fuit propoſitum. & infrà. Abbas & Conventus Rivenenſis, Venetenſis diœceſis occaſione literarum Apoſtolica Sedis aſſerunt, ſibi eſſe conceſſum, ut in ſingulis ipſorum Prioratibus ſinguli Monachi commorentur, ſi pluribus facultates non ſuppetunt eorundem. Cùm autem id obviet Lateranenſi Concilio, de quo nulla eſt mentio in antedictis literis, fraternitati tua breviter reſpondemus, quòd hujuſmodi literas ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe. Quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto.* In hac igitur Romanæ Curiæ Juriſprudentia, cùm Pontifex univerſali Concilio expreſſè non derogat in privilegio, quod contra univerſale Concilium impertitur, privilegium vel ſuppoſititium, vel ſubreptitium cenſendum eſt. E pluribus ſeu Theologis ſeu Juriſperitis, qui diſciplinam iſtam recipiunt, tres omni exceptione majores adſeram, qui pro ceteris ſpondebunt.

Primus eſt Henricus Henriquez è Societate Jeſu Theologus in tom. I. Moralis Theologiæ lib. VII. cap. XXVI. *Expreſſa*, inquit, *mentio requiritur, ut derogetur decreto generalis Concilii, ut oſtendit praxis*, quæ ſine dubio inſtar eſt infinitorum auctorum. Henriquez unus eſt ex auctoribus, quos R. P. Antonius Eſcobar in materia legum ſequi ſe ſcribit in tractatu I. ac proinde cùm gravis ſit auctor, is ſolus probabilem opinionem hanc redderet Eſcobaris judicio.

Alter eſt Aſcanius Tamburinus Valliſombroſæ Monachus in tom. I. juris Abbatum diſp. XV. quæſt. XV. *Concilio generali non cenſetur derogatum per clauſulam generalem, niſi expreſſa mentio fiat Concilii generalis, dicendo, nonobſtante quavis conſtitutione, ſeu lege in generali Concilio edita.* De re ut apud omnes recepta loquitur.

Tertius eſt Auguſtinus Barboſa in Commentario tituli de Capellis Monachorum cap. III. *Collige*, inquit, *ex textu, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto, ſpeciale privilegium contra jus commune eidem non derogare, ſi de eo mentio non habeatur. Tradit. gloſſ. Abb. num. II. & reliqui Doctores in præſenti gloſſ. verb. noſcatur. ubi Domini. num II. & alii in c. I. de Conſt. lib. VI. gloſſ. verbo, mentione. in c. I. de exceſſibus Prælatorum. eodem lib. gloſſ. verbo, non permittitur. in c. quominus de fluminibus. Barth. in c. ult. num. IV. c. ſi contra jus Abb. in c. nonnulli per text. ubi num. X. de Reſcript. Rip. in c. I. à num. XXXVI. illo tit. reſolvunt. Xuar. alleg. XII. num. XLIV. & alleg. XXVIII. à num. XV. Gom. in reg. de impetrantibus quaſt. I. Covarr. var. lib. IV. c. XVI. num. VI. Padil. in c. ult. num. XVII. c. de diverſis Reſcriptis. Sarmient. lib. III. ſelect. c. XIV.*

à

à num. III. *Roland. contr.* V. *à num.* LIV. *l.* I. *Intellige tunc ſufficere clauſulam generalem, ſi jus non habuerit clauſulam derogatoriam. Contrà verò ſi prædicta clauſula in eo reperiatur, tunc ejus ſpecialis mentio deſideratur. Patet, ſi expendas Papam non intendere inadvertenter facere contra jus, quod facere videtur, ſi in privilegio mentio ſuprædicta non reperiatur. Idque inſinuare videtur Pontifex in præſenti, ibi non credimus emanaſſe, quæ verba denotant defectum intentionis. Non obſtat, quòd in privilegio major ratio reperitur, quàm in lege poſteriori, cùm lex poſterior in totum contrariam præcedentem ſoleat abrogare, licèt de illa mentio non habeatur, juxta text. d. c.* I. *de Conſtit. libro* VI. *Reſpondetur ibi magnam eſſe differentiam inter legem & privilegium: nam lex ſumma cum deliberatione, conſultatione & evidenti neceſſitate promulgari ſolet, ac proinde in illius conſtitutione princeps facilè circumveniri non poteſt. l.* I. *de Conſtit. princip. Non ſic tenendum in privilegiis, quæ quòd cum faciliimo negotiò concedantur propter ſupplicantium importunas preces, facilè princeps poteſt circumveniri. Advertit poſt alios Sarmient. d. c.* XIV. *num.* II. *qua de cauſa in privilegio mentio juris eſt facienda: aliàs enim per ignorantiam privilegium præſumeretur concedi.* Hæc ille

Jure madens, varióque toga limatus in uſu.

In his omnibus Barboſa primùm idem dicit, quod Henriquez & Tamburinus. Deinde in medium adducit nubem teſtium & auctorum, qui communem & uſitatam confirmant ſententiam. Tum inter legem & privilegium, quo de agitur, diſcrimen ſtatuit cognitu neceſſarium, quo convincitur derogatoriæ clauſulæ neceſſitas, eùm per privilegium de jure communi, & de univerſalium Conciliorum canonibus deceditur.

Quibus ita poſitis videndum eſt, utrum Romani Pontifices in privilegiis per explicatam Eccleſiæ traditionem relatis Lateranenſis Concilii canoni quoad Paſchalem confeſſionem derogaverint. Nam ſi derogarunt, uti derogandum eſſe Honorius III. & Juriſconſulti docent, hoc pacto ſtare poterunt privilegia: ſi non derogatur, ſtare nullatenus poterunt; quinetiam pro falſis, ſeu ſubreptitiis habebuntur.

Hic miſſos facio Romanos Pontifices ſeptem, Innocentium IV. Clementem IV. Martinum IV. anonymum Pontificem à Mediavillano indicatum, Bonifacium VIII. apud Nangium, Sixtum IV. & Innocentium VIII. qui omnes Sacerdotem proprium Lateranenſis canonis de Parocho tantùm intelligunt, eúmque canonem exequendum eſſe in Paſchate decernunt Canonis executio & derogatio inter ſe opponuntur.

Miſſum quoque facio Gregorium IX. qui derogandi cauſam nullam habuit, cùm in audiendarum confeſſionum privilegio Prædicatoribus conceſſo de Paſchali confeſſione non agat, ut in capite I. explicatæ traditionis, & in obſervatione I. viſum eſt.

Miſſum etiam facio Alexandrum IV. qui in cap. II. hæc tantùm dicit: *Cùm ergo de licentia vel commiſſione aut conceſſione Romani Pontificis, ſeu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licitè poſſint prædicare populis & confeſſiones audire, ac pœnitentias injungere ſalutares, venerabilibus fratribus noſtris Turonenſi & Rotomagenſi Archiepiſcopis & Epiſcopo Pariſienſi in virtute obedientiæ per noſtras injungimus literas, ut omnes Magiſtros, Doctores & alios, ſive qui in ſcholis, ſive qui in prædicationibus, ſive alibi præmiſſa dicere attentaverint, ex parte noſtra monere procurent, ut infra certum terminum ab ipſis præfigendum eiſdem, dictum ſuum in his revocent.* De Paſchali confeſſione verbum nullum facit, de confeſſione apud fratres facienda indefinite loquitur. Sic intra Pontificis inhibitionem remanere poteſt Paſchalis confeſſio, quæ ex Lateranenſi canone fiat parochiali Preſbytero, aut alteri de ipſius licentia.

Quòd ſiquis Alexandri conſtitutionem ad Paſchalem etiam confeſſionem extenderet, tunc advocatus Honorius nobis cum ea ſuper re conſulentibus diceret. *Cùm id obviet* Lateranenſi Concilio (IV.) *de quo nulla eſt mentio in antedictis literis*, (Alexandri IV.) *breviter reſpondemus, quòd hujuſmodi literas ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe. Quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto.* Sic ſpeciale privilegium contra jus commune eidem non derogat, niſi de illo fiat mentio. Atque eo pacto Alexandri literæ non poſſent non exiſtimari ſubreptitiæ, ſi ad Paſchalem confeſſionem, quæ Lateranenſi canone ad Parochos ſpectat, extenderentur.

Hoc ipſum reponeretur litigioſis hominibus, qui Bonifacii VIII. conſtitutinnem, *Super cathedram*, contra Pontificis intentionem ad Paſchalem confeſſionem detorquerent. Si quidem Bonifacius in ea conſtitutione Lateranenſis Concilii, aut canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, nuſquam meminit, ut videre eſt in cap. IV. explicatæ traditionis.

tionis. Deinde litigioſi homines obſervationem xiv. in qua de Bonifacio latè tractatur, niſi concoquant, devorent neceſſe eſt.

Succeſſor Bonifacii, Benedictus XI. in cap. iv. explicatæ traditionis derogandi clauſulam adhibet, dum in ſua conſtitutione ait: *Nec confeſſi ipſis fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes de illis, Sacerdotibus propriis teneantur (ſicut etiam non tenentur) iterum confiteri, nonobſtante conſtitutione generalis Concilii*, Lateranenſis ſcilicet. Ex Romanæ Curiæ Juriſprudentia ſtandum eſſet derogandi clauſulæ huic, niſi Clemens V. Benedicti conſtitutionem reſcidiſſet Viennenſi approbante Concilio. Poſt reſciſſionem hujuſmodi conſtitutio Benedicti non poteſt in aliam, quàm hiſtoriæ auctoritatem admitti; & quoad ſanciendam Eccleſiæ diſciplinam perinde ſe habet, ac ſi edita fuiſſet nunquam.

Bonifacii conſtitutio, quæ abrogata Benedicti conſtitutione inſtaurata eſt à Clemente V. in Viennenſi Concilio, naturam & conditionem ſuam minimè mutavit, etiamſi poſtea Clementinæ nomen acceperit. Sic Bonifacianæ conſtitutionis cautio Clementinæ cautio eſt, nec alia contra litigioſos homines quærenda.

Joannes XXII. in conſtitutione, *Vas electionis*, nullam ponit clauſulam qua Lateranenſi Concilio, vel canoni, *Omnis utriuſque*, ſpeciatim deroget. Et inde fit, ut illa conſtitutio non poſſit opponi Lateranenſi Concilio, niſi qui opponeret, adverſarium haberi vellet ipſum Joannem XXII. qui ait: *Optantéſque veritatis vias notas eſſe fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent errores, felicis recordationis* Alexandri IV. & Clementis IV. *Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis innitendo, univerſis & ſingulis diſtrictiùs inhibemus, ne quiſque*, &c, Igitur cùm Joannes Alexandri IV. & Clementis IV. veſtigiis innitatur, de Lateranenſis Concilii derogatione non cogitat. Pontificum iſtorum neuter Lateranenſi Concilio derogat, & Joannes pugnaret ſecum ſi derogaret & auctoritatem omnem conſtitutioni ſuæ detraheret. Alexander ſermonem nullum inſtituit de Paſchali confeſſione; propter quam deroget, & Clemens Lateranenſem canonem ſervari præcipit, tantùm abeſt, ut ei derogare velit. Id jam notatum eſt.

Innocentius VI. pro permittenda fratribus Paſchali confeſſione laudari non poteſt, quia de Lateranenſi Concilio & ejus canone non meminit, tantùm abeſt ut ei ſpeciatim deroget.

Alexander V. cujus conſtitutio in explicatæ traditionis capite vii. refertur, ſubreptionem quidem evitat, cùm derogandi clauſula utatur ad finem conſtitutionis, ſed in obreptionis vitium incurrit. Non meminit Pontificum ſeptem ſuprà nominatorum, qui Lateranenſis canonis Sacerdotem proprium de Parochiali Preſbytero interpretantur & in eum ſenſum canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, ſervari præcipiunt. Sic veritatem tacet, quæ tacenda non erat. At in tacita veritate conſiſtit obreptio, quæ triplici adhuc modo confirmatur. Primùm quidem, quòd Bonifacii conſtitutionem, *Super cathedram*, & quod idem eſt, Clementinam petat, *Dudum, de ſepulturis*, laudet, ubi nulla eſt Lateranenſis canonis derogatio. Deinde, quòd Joannis XXII. conſtitutionem, *Vas electionis*, citet, ubi cum Joanne XXII. Alexandri IV. & Clementis IV. veſtigiis inſiſtens decernere ſe putat, quod decernit. At qui Alexandri IV. & Clementis IV. veſtigiis inſiſtit, Lateranenſi non derogat canoni, quia Alexander & Clemens non derogarunt, ut mox oſtenſum eſt. Tum controverſiam, quæ Avenione coram Innocentio VI. & Cardinalibus agitata eſt, & miſſas ea ſuper re ad Epiſcopos Angliæ literas Innocentii prætermittit. In prætermiſſione veritas abſconditur, quæ ad plenam & perfectam rei deciſionem ſcitu pernecceſſaria eſt.

Adhæc ſtatim atque Alexandri conſtitutio ſeu bulla in lucem prodiit, ei ab Epiſcopo & Academia Pariſienſi vehementer reclamatum eſt. Reclamationis cauſas ab exedra dixit Joannes Gerſo Pariſienſis Cancellarius, de quo non multò pòſt in Conſtantienſi Concilio, cùm illum ut judicem Huſſitæ rejicerent, Franciſcus Zabarella Cardinalis affirmare non eſt veritus: *Uſque adeò ſuperexcellentem Doctorem eſſe, qualis in tota Chriſtianitate vix reperiri queat.* Apud Joannem Cochlæum in libro ii. hiſtoriæ Huſſitarum. E pluribus quæ in dicto capite vii. hic celebris auctor diſſerit, refero pauca hæc: *Turbatio accidit propter ſcripturam quandam in forma bullæ, quam aliqui Ordinum quatuor Mendicantium impetrarunt, aut, ut verius dicam, extorſerunt, vel per cautelam, vel per inadvertentiam ſancti Patris noſtri. Sanctus enim Pater noſter, qui magnus eſt Theologus, nunquam rem talem admiſiſſet, ſi eam examinaſſet, ſed ut per ſolemnes in Univerſitate relatum eſt magiſtros, omnia facta fuerunt ipſo ignorante, & ipſo invito ſaltem ſine judicio & deliberatione, ſicut homines occupati concedunt per*

im:

importunitatem, *aut per cautelas aut aliquam conſcientiam, plures res aliis.* Pariſienſes magiſtros teſtes oculatos adducit, ut ſubreptirium probet eſſe privilegium. Quid quæſo validius? quid certius? quo modo extortum illud eſſe recipir, privilegii exordium palam demonſtrat: *Regnans in excelſis triumphans Eccleſia*, *cui Pater eſt æternus Pater*, *cuique ſanctorum miniſtrant agmina*, *& laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicarium conſtituit Eccleſiam militantem*, *unigenito filio Dei vivi Domino noſtro Jeſu Chriſto*, *ineffabili commercio copulatam*, *in hac quidem ipſe Chriſtus à Patre progrediens per illuſtrationem Paracleti*, *qui ab utroque procedit*, &c. Hæc autem involuta & intricata quis evolveret & extricaret? Et primùm quidem quid ſibi vult, *Regnans in excelſis triumphans Eccleſia*? nonne *regnans & triumphans*, rem candem ſonant? Ubinam ſimilis reperitur locutio? Deinde à regnante in excelſis triumphante Eccleſia ſejunguntur *agmina Sanctorum & chori Angelorum*. *Cui* (regnanti in excelſis triumphanri Eccleſiæ) *Sanctorum miniſtrant agmina*, *& laudis gloriam Angelorum chori decantant.* Sejunctis à regnante in excelſis triumphanre Eccleſia Sanctorum agminibus & Angelorum choris, quid quæſo in illa præter Deum unum & trinum & Chriſtum remanebit Eccleſia? Tum ſpectara eo modo Eccleſia hæc *in terris Vicarium ſibi conſtituit militantem Eccleſiam.* Quæ ſcriptura, quæ traditio id docuit unquam? Denique clauſula hæc: *In Eccleſia militante Chriſtus à Patre progrediens per illuſtrationem Paracleti*, mulra comprehendit, quæ non decet Theologia. Ubinam in ſcripturis & apud Patres legitur: *Chriſtus à Patre progreditur per illuſtrationem Paracleti*? Ubinam Chriſtus a Parre procedit, Filius non Chriſtus à Patre in ſcripturis & in Symbolo, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit. Iraque non Alexander qui Pariſ. Theologus erar egregius, ſed alius confecit privilegium, cui exordium hujuſmodi præfigirur. Cererùm qui Alexandrum V. ſecuti ſunt Pontifices Eugenius IV. Calliſtus III. Sixtus IV. in privilegiis fratribus conceſſis inſtauratam à Clemente V. Bonifacii VIII. conſtitutionem, *Dudum*. Joannis XXII. conſtitutionem, *Vas electionis*, laudarunt, ſed Alexandri V. conſtitutionem, *Regnant in excelſis*, illaudatam reliquerunt, & perpetua oblivione delendam eſſe cenſuerunt. Ego laudavi ad hiſtoriam, non ad auctoritatem.

Eugenius IV. in conſtitutione quæ cap. VIII. explicatæ traditionis recenſetur, cùm Bonifacii VIII. conſtitutionem: *Dudum*. & Joannis XXII. conſtitutionem, *Vas electionis*, laudet, niſi moleſtum eſſet repeterem, quod ad Bonifacii & Joannis conſtitutiones animadverti: Deinde Eugenius non adjicit ſe Lateranenſi Concilio derogare. Quocirca ſi Eugenii conſtitutio ad Paſchalem confeſſionem flectatur, illa poterit ut ſubreptitia repudiari.

Quod de Eugenii conſtitutione ſcribimus, ſcribendum eſt quoque de Nicolai & Calliſti conſtitutionibus ſeu privilegiis, quæ eodem in cap. recenſentur. Præterea Calliſtus in priori privilegio dicit: *Nec non ſi prædicta perſona ſemel in anno eiſdem fratribus Mendicantibus confeſſa fuerint*, *peccata dictis fratribus confeſſa non ampliùs prædictis Parochialium Eccleſiarum Rectribus confiteri teneantur eadem auctoritate*, *juxta eandem Clementinam declaramus.* Sed in Clementina non agitur de iteranda vel non iteranda confeſſione: & ſic cùm Calliſtus Clementinæ tribuit, quod illi tribuendum non eſt, ut ſola docet lectio, ſubreptum ſibi fuiſſe luculeoter oſtendir.

Sixtus IV. in privilegio, quod in cap. IX. explicatæ tradirionis refertur, clauſulam nullam adhibet, qua vel Lateranenſi Concilio, vel canoni, *Omnis utrinſque ſexus*, expreſſè deroget, ut expreſſè derogandum eſſet juxta Romanæ Curiæ Juriſprudentiam: quæ per ſuos auctores in aditu veſtibulóque obſervationis noſtræ exponitur. Sic privilegium ad Paſchalem confeſſionem relatum pro falſo vel ſubreptirio haberetur. Deinde quidquid paulò antè ad Joannis XXII. & Eugenii IV. conſtitutiones animadvertimus, hoc in loco poſſet repeti, cùm Sixtus conſtitutiones illas ſibi vindicet. Tum demum qua d[illegible]ennio pòſt Sixtus in conſtitutione, *Vices*, ibidem deſcripra mentem ſuam ira patefecit: *Quòd ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare*, *quòd Parochiani non ſint obligati ſalsem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti*, *quia de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.* Quibus verbis privilegium, *Mare magnum* dictum in iis quæ ad Paſchalem ſeu annuam confeſſionem pertinent, ſiccaretur univerſum. Piſcantes inibi fratres nihil caperent, etiamſi retia longè latéque expanderentur.

Leo X. cùm in cap. X. explicatæ traditionis ait, *poſſintque illi fratres per eoſdem Epiſcopos & Prælatos ſuper ſufficienti literatura*, *& aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari*, *talibúſque præſentatis admiſſis*, *vel etiam indebitè recuſatis confitentes conſtitutioni qua incipit*, *Omnis utriuſque ſexus*, *quoad confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe cenſeantur.* Non addit Paſchalem, in qua voce cardo rei vertitur. Deinde

Lateranenſi Concilio derogare ſe non dicit, nec ullam derogandi clauſulam adhibet, quomodo adhibenda eſt ut derogare judicetur, & removeatur ſubreptio. Tum Leonis conſtitutioni obſtiterunt Epiſcopi octo, Melfitanus, Iporegienſis, Bellunenſis, Verdonenſis, Cæſenatenſis, Vincientis, Foretinenſis & Senogallienſis. Atque ita ſummo omnium conſenſu in Lateranenſi Concilio recepta non eſt conſtitutio, & cùm in ſeſſione XI. lecta eſt pauci erant Epiſcopi, & nec unquam ad centum pervenerunt.

Quanti porro ſit in urbe conſenſus omnium ex iis diſcimus, qui Romanam Tridentini Concilii editionem curarunt. Etenim ne conſtaret fuiſſe tres Epiſcopos, qui actorum confirmationem à Pontifice noluerunt petere; in Romana editione ſublatum eſt, quod in Pariſienſi ann. M. D. LXIV. apud Jacobum Macæum; in Antverpienſi eodem anno apud Guillelmum Silvium; in Colonienſi eodem quoque anno apud Maternum Cholinum, ita legitur in fine Concilii: *Verba illuſtriſſimi Legati Moroni; Placuit omnibus Patribus finem huic Concilio imponi, confirmationémque à Domino noſtro peti, tribus duntaxat exceptis, qui confirmationem ſe non petere dixerunt. Ideòque nos Apoſtolica Sedis Legati & Præſidentes eidem Concilio finem imponimus: confirmationem verò quamprimùm à ſanctiſſimo noſtro petemus. Vos autem illuſtriſſimi et Reverendiſſimi Patres poſt gratias Deo actas, ite in pace.* Idem habetur in Gallica Concilii verſione Pariſ. ann. M. D. LXXXIV. apud Robertum Fizelierium. At major eſt Epiſcoporum octo, qui conſtitutioni Leonis interceſſerunt, ratio, quàm Epiſcoporum trium, qui Tridentini Concilii confirmationem à Papa petere noluerunt. Hoc quia obſervationem noſtram plurimùm juvat, notandum fuit. Diſſenſus iſtis in rebus cùm multùm nocere poſſit, Cardinalis Moroni verba interpolarunt, & trium Epiſcoporum diſſenſum obliterandum eſſe duxerunt, neglectis hiſtoriæ legibus. Nos illas veritatis amantes cuſtodimus, indicem expurgatorium nihil ob hoc reveriti, quia Sedis Apoſtolicæ partes ſequimur & pro viribus tuemur.

Denique Jacobus Merlinus Pariſienſis Theologus dum Concilia & generalia & particularia in lucem edidit ad annum M. D. XXII. Lateranenſe iſtud prætermiſit Concilium, quòd à Gallis pro generali non duceretur. Id quoque externi ſcriptores teſtantur. Melchior Canus in lib. V. de locis capite ultimo, & Dominicus Bannes brevioribus ad ſecundam ſecundæ quæſt. I. art. X. commentariis.

Paulus III. in explicatæ traditionis capite XI. concedit univerſis utriuſque ſexus fidelibus: *Ut cuilibet de Societ. Jeſu confiteri poſſint Rectoris ſui licentia minimè requiſita, cui non teneantur eadem peccata, de quibus confeſſi & abſoluti fuerint, rurſus confiteri. Nec non & omnibus ac ſingulis Chriſti fidelibus tam forenſibus quàm in civitatibus & locis, in quibus ſocii prædicti conſiſtunt, commorantibus aut illuc tranſeuntibus Euchariſtia ſacramentum (quod in Eccleſiis ſuis decenter tenere ſocios præfatos volumus) quocunque anni tempore, præterquam in feſto Paſchatis Reſurrectionis Dominica & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret, eorundem fidelium Parochialium Eccleſiarum Rectorum licentia minimè requiſita.*

Paulus IV. in eodem cap. Minoribus concedit: *Ut fidelibus omni tempore confeſſis Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtrent, præterquam in die Reſurrectioni Dominica.*

Clemens VIII. in cap. XII. *Præſenti*, inquit, *decreto noſtro ſancimus, licere ſecularibus Chriſti fidelibus univerſis liberè miſſas audire*, &c. *Et tam dictis fratribus & Presbyteris dicta ſocietatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis peccata ſua, etiam Quadrageſimali & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe, dummodò tamen iidem ſeculares Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtia die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.* At illi tres Pontifices Paulus III. Paulus IV. & Clemens VIII. in ſuis privilegiis Lateranenſis Concilii ſeu canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, cui derogent, mentionem nullam faciunt. Quare ſi ſuper illis privilegiis conſuli poſſet Honorius III. continuò ita reſponderet: *Cùm illa privilegia obvient Lateranenſi Concilio, de quo nulla eſt mentio in antedictis privilegiis, breviter reſpondemus, quòd hujuſmodi privilegia ab Apoſtolica Sede non credimus emanaſſe. Quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſupradicto.* Henricus Henriquez è Societate Jeſu Theologus advolaret, & graviter contenderet, expreſſam mentionem requiri, ut derogetur decreto generalis Concilii, idque praxim oſtendere Tamburinus & ipſe Monachus claſſicum caneret, & Barboſa vir trebaciſſimus Juriſperitorum Curiæ aciem duceret, quæ à Societate tota nunquam vinceretur. Nimirum illi hinc uſu & exercitatione forenſi muniti, inde ratione ad conſtituendum inter legem & adverſum juri communi privilegium diſcrimen neceſſaria, éaque nunquam enervanda

fulti

fulti in prælium deſcenderent, & reciperent: *Lex ſumma cum deliberatione, conſultatione & evidenti neceſſitate promulgari ſolet: Ac proinde in illius conſtitutione Princeps facilè circumveniri non poteſt. l. 11. de Conſtit. Princip. Non ſic tenendum in privilegiis, quia quòd cum facillimo negotio concedantur propter ſupplicantium importunas preces, facilè Princeps poterit circumveniri: Qua de cauſa in privilegio mentio juris eſt facienda, aliàs per ignorantiam privilegium præſumitur concedi.*

Sic igitur Pauli III. Pauli IV. & Clementis VIII. privilegia, in quibus nulla eſt mentio Lateranenſis Concilii & canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, cui derogetur, non poſſunt non eſſe vel ſuppoſititia vel ſubreptitia.

His accedunt duo, quorum unum ad Paulum III. pertinet, & eſt diploma pro Inquiſitoribus editum, in quo ſic habetur: *In Apoſtolici culminis ſpecula divina gratia munere collocati, nihil magis noſtri officii eſſe duximus, quàm ſedulò ac diligenter omnia circumſpicere, quæ Catholici nobis commiſſi gregis cuſtodiæ ac conſervationi conferunt, illúmque imprimis curam ſuſcipere, ut quæ materiam ſcandali præbere poſſent, penitus ſuccidantur, ac radicitus extirpentur, nec ea uſque pullulare ſinantur.* At quod Paulus III. de audienda Paſchali confeſſione privilegium dedit adverſus canonem, *Omnis utriuſque ſexus*, dediſſet nunquam, ſi recordatus eſſet, quot & quanta ſcandala propter hunc non ſervatum canonem in Eccleſia Dei contigerint. His non minùs diligenter occurriſſet ſcandalis, quàm quibus vult in ſuo diplomate occurrere. Quid quæſo convenientius? Nonne Concilium delectorum Cardinalium fieri juſſit, à quibus diſceret, quid ſibi faciendum eſſet, ut hæc & alias hujuſmodi ſcandala extirparentur.

Alterum ad Paulum IV. qui cùm eſſet Joannes Petr. Card. Theatinus Concilio huic interfuit, & Paulum III. ſic monendum eſſe cenſuit: *Illud verò ante omnia, beatiſſime Pater, putamus ſtatuendum eſſe ut dicit Ariſtot. in Polit. ſicut in unaquaque republica, ita & in hac Eccleſiaſtica gubernatione Eccleſiæ Chriſti hanc præ omnibus legem habendam, ut quantum fieri poteſt, leges ſerventur. Nec putemus nobis licere diſpenſare in legibus, niſi urgenti de cauſa & neceſſaria. Nulla namque perniciosior conſuetudo in quavis republica induci poteſt, quàm hæc legum inobſervantia, quas ſanctas majores noſtri eſſe voluerunt, earúmque poteſtatem venerandam, & divinam appellarunt.* At Paulus IV. non potuit non velle id ſibi dictum eſſe, de quo Paulum III. monitum eſſe voluit. Præterea quandiu Parochus Parochiano ſuo, cauſa ſi juſta ſuppetat, alieno confitendi licentiam dabit in Paſchalibus feriis, tamdiu aberit urgens & neceſſaria cauſa, cur Romanus Pontifex eandem licentiam impertiat. Hoc per Paulum IV. & alios memorati Concilii Patres urgeo & premo. Et ſi ſine urgente & neceſſaria cauſa impertiret illam licentiam, impertiret ea tantùm poteſtate, quæ ſui ipſius eſſet finis, & oſtentatio, non ſalus fidelium. Ad extremum Paulus IV. haud ſibi tribuebat non errandi privilegium, ut anno M. D. L VII. palam dixit in Cardinalium conſeſſu, ubi tractatum eſt, num ipſe Pontifex matrimonium, quod Franciſcus Mommorantius & Joanna Halluyna Piennæa inter ſe contraxerant, poſſet auctoritate ſua diſſolvere. Sic enim inter proponendum quæſtionem dixit: *Non dubito quin ego & deceſſores mei errare aliquando potuerimus, non ſolum in hoc, ſed etiam in pluribus aliis rerum generibus.* Hiſtoriam hanc latè perſequor in epiſtola ad Joannem Gerbaſium, quam habet pars tertia epiſtolarum noſtrarum. Porro autem quod de ſeipſo & deceſſoribus profitetur ingenuè, quominus ad Clementem VIII. & ſucceſſores alios flecti poſſit, nihil impedire videtur. Curialis adulator, qui relatæ profeſſionis teſtem uſque adeò idoneum admitteret, captus eſſet; qui rejiceret, nullus. Quippe non rejiceret, niſi quia teſtis ille graviter erraret. Quidquid id eſt, Pontifex loquitur juxta ſimplicem & minimè fucatam Romanæ Eccleſiæ traditionem, à qua quis prudens & attentus transfugeret, & ad plenam adulatione Curiam devolaret? Marcellus II. qui inter Paulum III. & Paulum IV. vixit, eadem qua Paulus IV. perſuaſione ductus erat, ut Onuphrius ſignificat in illius vita: *Habebátque ſive publicè ſive privatim convivaretur, Anagnoſtem in menſa, qui ſacros libros aut ſanctorum Patrum ſcripta legeret. Poſt longum in prandio ſilentium recordatus aliquando ea Hadriani Papæ IV. verba: Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione ejus nulla miſerior. Totius enim vitæ lætitia & felicitas amaritudo eſt: Cathedra Romani Pontificis eſt ſpecioſa, iter undique conſertum aculeis, pondus tanta molis, ut robuſtiſſimos premat & confringat humeros: Manu menſam percutiens dixit: Non video quomodo qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvari poſſint.* In Colonienſi edit. ann. M. DC. XI.

Alexander VII. obſervationem claudet in confirmatione decreti, quo in explicatæ traditionis capite XIII. Romani cenſores propoſitionem hanc, *Nullus in foro conſcientia*

tia Parochia ſua intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, legem, fidei rudimenta, morùmque doctrinam, qua ibi in Catecheſibus annuntiantur & docentur, condemnaverunt hoc modo: *Quoad primam & ſecundam partem accepta eſt erronea & temeraria, ſuppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis nullam meretur cenſuram*, &c. *Suppoſitis*, inquiunt, *privilegiis*, quæ ſine dubio ſalſa non ſint aut ſubreptitia. Cujuſmodi ſunt privilegia, in quibus vel Lateranenſis Concilii vel canonis *Omnis utriuſque ſexus*, cui expreſſè derogetur, nulla injiciatur mentio. Exinde conſequitur, ut cùm nulla exhibeantur privilegia, in quibus memorata derogandi quoad annuam confeſſionem apponatur clauſula, temeritatis & erroris condemnata remanebit propoſitio.

Ceterùm quin Alexander hoc in argumenti genere ſalſa & ſubreptitia fuiſſe privilegia crediderit, dubitari meritò non poteſt. Id palam oſtendit in propoſitionis III. damnatæ parte ſecunda, quæ eſt ejuſmodi: *Regulares habent poteſtatem abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo auctoritas ipſis indulta non fuerit.* Cenſura. *Propoſitio quoad ſecundam partem eſt falſa, & auctoritati Epiſcoporum & Sedis Apoſtolica injurioſa.* Hìc aut errat Pontifex in re, quæ ad fidelium ſalutem pertinet, aut falſa vel ſubreptitia ſunt privilegia, quorum ope Regulares à peccatis Epiſcopo reſervatis abſolvunt. Id non minùs clarum eſt, quàm ſolem in meridie lucere. Falſa ſunt quidem privilegia, ſi Regulares illa Romano Pontifici ſubjecerint; ſubreptitia, ſi in iis, quæ obtinuerint, nulla fiat mentio Clementinæ, *Dudum. de ſepulturis*, in Viennenſi Concilio editæ, cui diſertis verbis derogetur, juxta Romanæ Curiæ juriſprudentiam, quæ tamen hac in parte non ſufficeret, cùm Alexander propoſitionem *falſam, & auctoritati Epiſcoporum & Sedis Apoſtolica injurioſam* eſſe decernat. Nam Pontifex ad priſtinam traditionem & majorum inſtituta eruditus Apoſtolicam illam Sedem intelligit, de qua beatus Leo in epiſtolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite IV. verba ſic facit: *Quod ab illorum* (Nicænorum Patrum) *regulis conſtitutionibúſque diſcordat, nunquam obtinebit Sedis Apoſtolica conſenſum.* At quæ & qualis fuerit ſitque Sedis Apoſtolicæ juriſprudentia, in obſervatione ſequenti patefaciemus, & eam Romanæ Curiæ juriſprudentiâ nobiliorem eſſe demonſtrabimus.

In hac autem privilegiorum materia injectus eſt ab Alexandro VII. nodus, quem nec Alexander ille magnus, nec vniverſi fratres privilegiarii expedituri ſunt unquam: ſcindere poterunt, non ſolvere, ſed in utroque pereunt: ſi nodum ſolvere, non poſſunt, adulterina eſſe, quibus à reſervatis Epiſcopn peccatis abſolvunt, privilegia, argumentum eſt certiſſimum. Si verò nodum ſcindunt, dicent neceſſariò Alexandrum VII. & Inquiſitores in errorem lapſos eſſe graviſſimum, dum fratrum propoſitionem *falſam, Epiſcoporum & Sedis Apoſtolica auctoritati injurioſam eſſe* pronuntiant.

Observatio XXIX.

Ad Romanæ Curia Juriſprudentiam accedit Sedis Apoſtolica Juriſprudentia multò nobilior, qua ſacrorum canonum derogationem non agnoſcit.

HIc Sedis Apoſtolicæ juriſprudentiam non intelligo antiquam illam, quæ ab heroicis primùm ducta temporibus in Honorio III. conſiſteret, ſed antiquæ illius continuationem, quæ Romanæ Curiæ juriſprudentiam in fratrum privilegiis coæquabit. Incipiam à Gregorio IX. qui primus fratribus privilegia impertivit.

Hic ergo Pontifex in libri I. decret. tit. VI. cap. VII. ad derogationem ſacrarum legum aditum intercludit, aut potiùs Romana per ipſum Eccleſia: *Denique ſtatutum generalis Concilii, quod electionem decernit invalidam, cùm contra ejuſdem Concilii formam in electione peccatur, non debet ad contemptum, & ad alia, qua non ſunt de forma, referri. Undè quod ibi dicitur, quòd aliter electio celebrata non valeat, ea reſpicit tantùm, qua attentantur contra formam Concilii memorati, non autem alia, qua ponuntur ibidem: ſicut & illud, quòd præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe, haberi debeat in electione proceſſus, ne cetera, qua ſuper hoc alibi ſtatuta noſcuntur,* VNO VERBO *videantur everti. Neque enim credendum eſt, Romanum Pontificem, (qui jura tuetur) quod aliàs excogitatum eſt multis vigiliis & inventum uno verbo ſubvertere voluiſſe.* Quot periodi, tot rationum momenta, quibus univerſalium Conciliorum canones tuetur, adeo non illis deroget, aut derogandum eſſe cenſeat. Quinetiam id ſi fieret, ſubreptione vel obreptione fieri non obſcurè ſignificat, dum ait: *Neque enim credendum eſt, Rom. Pontificem, (qui jura tuetur) quod aliàs excogitatum eſt multis vigiliis & inventum uno verbo ſubvertere voluiſſe.*

Deinde

Deinde diſciplinæ genus hoc omni ex parte confirmat in epiſtola ad Regem & Reginam Armeniæ, ubi de antiquis regni conſuetudinibus ita decernit: *Veſtris ſupplicationibus inclinati rationabiles conſuetudines in regno Armeniæ à tempore felicis recordationis beati Silveſtri Papæ prædeceſſoris noſtri, & ſancti Gregorii, à Catholicis ejuſdem regni, qui contemporanei extitiſſe dicuntur, inviolabiliter obſervatas,* QUÆ SANCTORUM PATRUM REGULIS MINIME CONTRADICUNT, ET CANONICIS NON OBVIANT INSTITUTIS, *vobis & per vos eidem regno auctoritate Apoſtolica confirmamus.* Quid clarius, & ad inſtitutum noſtrum efficacius?

Nicolaus III. in epiſt. ad Joannem Brabantiæ & Lotharingiæ, & Robertum Burgundiæ Duces: *Quæ*, inquit, *querelæ cauſa, ſi ſucceſſori Petri & Vicario J. C. quamquam immerito, conſcientia reclamante non libuit, quia nec licuit, ita cujuſquam deferre potentiæ, ut per eum contra juſtitiam alius opprimatur, aut de immutatione ſtatus ipſius Epiſcopi gratiam facere, quam, cùm de ſufficienti ad hoc nobis cauſa non conſtet caſus inſtantis qualitas, ut taceamus abſurditates alias, quæ perinde ſequerentur ab gravi ejus & canonicarum ſanctionum præjudicio, non admittit.* & paullo pòſt: *Non enim credere poſſumus, quòd corda veſtra moleſtet, ſi Apoſtolica Sedes, quæ librum juſtitiæ geſtare dicitur in manibus, obſervantiæ juris obſequitur, & ſtateram judicii non ſubvertit.* Apud Odoricum Raynaldum tom. XIV. Eccleſ. Annal. At ſi Sedes Apoſtolica nihil facit contra juſtitiam, ſi nihil in canonicarum ſanctionum præjudicium admittit, ſi librum juſtitiæ geſtat in manibus, ſi ſtateram judicii non ſubvertit, ſi tandem obſervantiæ juris obſequitur, canonicis ſanctionibus derogatura eſt nunquam in perpetuum, aut ſi derogaſſe inveniatur, per ſubreptionem aut obreptionem derogaſſe meritò dicenda eſt. Hîc de Apoſtolicæ Sedis loquor, non de Romanæ Curiæ Juriſprudentia.

Joannes XXII. titulo quarto de conceſſ. præbend. *Sedes Apoſtolica in ſuis actibus veritatem proſequens & lucem amans libenter evitat nodoſæ ambiguitatis involucrum, illámque ſibi ſemper in ſuis ordinationibus reſervare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum, quòd aliis non immineat detrimentum.* Hæc eſt vera Sedis Apoſtolicæ imago, quæ Romanum Pontificem univerſalium Conciliorum canonibus derogantem minimè repræſentat. Hinc ponderanda ſunt verba hæc: *Sedes Apoſtolica illam ſibi ſemper in ſuis ordinationibus reſervare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum, quòd aliis non immineat detrimentum.*

Joannes perſequitur in tit. v. de Sede vacante: *Si fratrum Coepiſcoporúmque noſtrorum &* ALIORUM QUORUMLIBET *jura illibata ſervari, & ab omni ſore diſpendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter noſtræ ſollicitudinis ſtudium adhibemus, multò fortius equidem pro noſtris & Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ juribus & honoribus conſervandis ex injuncto nobis officii debito Apoſtolicæ proviſionis partes tenemur impendere, ne temporibus noſtris injuriam ſubeant, aut detrimentum cujuſvis derogationis incurrant.* Sic Pontifex ex Apoſtolica Sede philoſophatur, & philoſophando ſincerè progreditur à ſtudio & ſedulitate, quæ in juribus Epiſcoporum & aliorum quorumlibet, Parochialium putà Presbyterorum, ſine jactura ulla conſervandis adhibenda ſibi eſt, ad ſtudium & ſedulitatem, qua in tuendis ſponſæ ſuæ Romanæ Eccleſiæ juribus & honoribus gerere ſe debet. Ut autem Sedes Apoſtolica nollet ſacris derogari canonibus, quibus jura & honores illius firmantur, ſic & nollet Lateranenſis Concilii derogari canoni, quo Parochialium Preſbyterorum jura ſanciuntur. Hæc eſt Sedis Apoſt. optima regula, quam Joannes à ſuis deceſſoribus per traditionem accepit. Quid memorem Innocentium II. in lib. I. epiſt. I. ad Rectores Thuſciæ ſcribentem? *Sicut jura noſtra nobis volumus ſervari, ſic aliorum jura volumus illibata ſervare.* Quid comparem Gregorium VII. in libri I. epiſtola XXIV. ſcribentem ad Brunonem Veronenſem Epiſcopum? *Sicut Romana Eccleſia debitum honorem à ceteris Eccleſiis, ita unicuique Eccleſiæ proprium jus ſervare deſideramus.* Quid referam Gregorium I. in libri II. ind. XI. epiſtola XXIX. ſcribentem ad Presbyteros & Diaconos Mediolanenſis Eccleſiæ? *Sicut ab aliis noſtra exigimus, ita ſingulis ſua jura ſervamus.*

Joannes XXII. abſolvit omnia in extravaganti. *Ad conditorem*, inquit, *canonum non eſt dubium pertinere, cùm ſtatuta à ſe vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potiùs, quàm prodeſſe, ne ulteriùs obeſſe valeant providere.* Quibus verbis prudenter à ſe abdicat derogationem canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, quem non ſolus Pontifex, ſed Lateranenſis Synodus condidit ad publicam Eccleſiæ utilitatem. Pontifex ſtatuiſſe ſibi ante oculos videtur, quod Robertus Corzon Cardinalis docuit in Summa Theologiæ quæſt. XXIII. cap. III. *Quia in generali Concilio per inſpirationem Spiritus ſancti à ſanctis Patribus inſtitutum eſt & à domino Papa confirmatum, nequis in ſacris Ordi-*

nibus Conſtitutus contrahat, tam generalis conſtitutio à domino Papa revocari non poteſt niſi per eandem auctoritatem Spiritus ſancti, & convocato Concilio generali.

Martinus V. Sedis Apoſtolicæ traditionem retinet, cùm exequitur decretum, quod Conſtantienſe Concilium de celebrandis frequenter Conciliis edidit. Et primùm quidem in ſeſſione XLIV. ejuſdem Concilii, ubi futurum indicit Concilium: *Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes decreto hujus generalis Concilii ſatisfacere inter alia diſponenti, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per menſem ante finem hujus Concilii, approbante & conſentiente Concilio deputare & deſignare voluerit, pro loco dicti proximè futuri Concilii celebrandi ſupradicti, eodem conſentiente & approbante Concilio, civitatem Papienſem tenore præſentium deputamus & etiam aſſignamus.*

Deinde anno M. CCCC. XXIII. ſemel atque iterum teſtatur univerſalem Synodum convocaſſe ſe Papiæ, ut Conſtantienſis Concilii decreto ſatisfaciat. Semel quidem in epiſtola ad Othonem Trevirenſem Archiepiſcopum: *Ad hoc enim Deo duce dare operam intendimus, & ſi fortè civitas Papienſis per ſacrum Conſtantienſe Concilium pro loco hujus futuri Concilij deputata aliquo caſu, quem Deus avertat, impediretur, non propterea à tam ſancto opere deſiſtemus.*

Iterum in epiſtola ad Pariſienſe ſtudium: *Non eſt, filii dilecti, dubitandum quin plurimùm profutura ſit, ſicut ſcribitis, Chriſtianæ reipublicæ hæc ſacra Synodus Deo auctore de proximo celebranda, per ſanctam ſuperiorem Conſtantienſem Synodum inſtituta ad ordinandam reformationem Eccleſiaſtici ſtatus.*

Poſtremò in diplomate, quo Baſileenſe Concilium indicit, cùm adhuc Senenſe Concilium celebraretur: *Et ne his omnibus maturè digeſtis & ponderatis ejuſdem Concilii diſſipatio abſque deputatione & aſſignatione loci pro futuro Concilio juxta determinationem ſanctæ Conſtantienſis Synodi ſequeretur, civitatem Baſileenſem pro loco futuri Concilii inde ad ſeptennium auctore Domino celebrandi, de voluntate pariter & aſſenſu Prælatorum Magiſtrorum, Doctorum, Nationum & aliorum prædictorum, ſeu longè majoris partis eorum elegerunt*, &c. Diplomata hæc omnia refero integra in epiſtola ad Joannem Gerbaſium, quam habet pars ſecunda epiſtolarum noſtrarum. In his autem diplomatibus cùm Martinus Conſtantienſi Concilio toties paruit, & illius caput *Frequens* toties executus eſt, luculenter oſtendit, ſe eum non Pontificem, qui univerſalium Conciliorum canonibus ad publicam Eccleſiæ utilitatem editis derogaret. Nec id tam luculenter oſtendiſſet, ſi vetus Sedis Apoſtolicæ non exegiſſet traditio.

Eugenius IV. eandem inſiſtit viam ptimò in literis, quibus Baſileenſis Concilii προεδρίαν Juliano Cardinali tribuit: *Tuos greſſus dirigas ad prædictam civitatem Baſileenſem, & ibi prout opus videris eſſe, juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Conſtantienſi optimè provideas.* Sic executorem ſe præbet, non derogatorem univerſalis Concilii, quod, ut frequenter haberentur Concilia, edixit.

Deinde in bulla, quæ actione XVI. refertur & revocatur: *Si Papa vel Legatus ejuſdem nollet diſponere aliqua, & contrà Concilium affectaret, Papæ ſententia, vel ejus Legati perſonam Summi Pontificis repræſentantis, non Concilii voluntas ſequenda foret, cùm ſuper omnia Concilia habeat poteſtatem Papa, niſi fortè quæ ſtatuenda forent, Catholicam fidem reſpicerent, vel ſi non fierent, ſtatum univerſalis Eccleſiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii ſententia eſſet potiùs attendenda.* Et quamvis Eugenius ſibi ſuffragetur, & in propria cauſa pronuntiet, babere ſe poteſtatem ſuper omnia Concilia, & veritus Concilii poteſtatem, ob id dicat *neſciente ſe* bullam editam eſſe, nihilominus tamen caſus duos excipit, in quibus Conciliorum poteſtatem ſua majorem agnoſcit. Prior eſt is, in quo de fide agitur: tunc ſi Concilium & Papa inter ſe diſſentiant, Eugenio anctore & judice, à Concilio potiùs, quàm à Romano Pontifice ſtandum erit. Poſterior eſt is, in quo de univerſalis Eccleſiæ ſtatu agitur: tunc ſi Concilium & Papa inter ſe diſſentiant, Eugenio auctore & judice, à Concillo potiùs, quàm à Romano Pontifice ſtandum erit. Hoc autem ita poſito, Eugenius quia Apoſtolicæ traditionis memor nunquam derogaret Lateranenſis Concilii canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, quem ad publicam fidelium ædificationem & ſalutem conditum eſſe nemo infitiabitur.

Sed Eugenius, ſeu potiùs Florentinum Concilium rem conficit in fidei definitione, quæ quoad præſens negotium ſic ſe habet: *Item definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi*

in

in beato Petro paſcendi, regendi ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtr Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur. Sic legitur apud Blondum Eugenii Papæ Scribam, qui Florentini Concilii definitionem refert integram in decadis III. libro X. par eſt textus Græcus qui ſic ſe habet: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta eum modum, qui & in actis œcumenicarum Synodorum, & in ſacris canonibus continetur.* Latinam Blondi editionem laudant Marcus Vigerius Card. in Decachordo chorda X. Joannes Ekius in lib. II. de primatu Petri cap. XXV. Joannes Roffenſis in art. XXV. contra Lutheranas aſſertiones, Albertus Pighius in libri IV. de hierarchia Eccleſ. cap. ultimo; atque ita corruptæ verſionis arguitur Florentini Concilii editio prima quam Abrahamus Cretenſis curavit, ubi ſic legitur: *Quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum & in ſacris canonibus continetur;* particula *etiam* Pontificiæ auctoritatis fines dilatat, ſed particula *&*, *&*, καὶ, καὶ, repetita conſtringit. Id quoque exigit præcedens definitionem tractatus. Deinde œcumenica Concilia, quorum Florent. Synodus meminit, ſeptem ſunt prima, ut paſſim in epiſtolis noſtris notavimus, ex prima Synodi illius editione, & editionis privilegio.

His autem ita conſtitutis Sedis Apoſtolicæ traditio publicum in conſpectum venit, & palpatores victrix ſupereminet omnes. Etenim in actis œcumenicorum Conciliorum; & in ſacris canonibus nulla fit mentio clauſulæ, qua Rom. Pontifices univerſalium Conciliorum canonibus derogent. Neutrobi occurrit illud: *Nonobſtantibus canonibus in hoc vel illo generali Concilio editis*, nec poteſt occurrere, ſi verum eſt, quod Eugenius III. in epiſtola X. ad Arnoldum Colonienſem Archiepiſcopum, & Anaſtaſius IV. in diplomate, quo Lateranenſium canonicorum ſtatum reformat, ambo verbis iiſdem ſic affirmant: *In corpore Eccleſiæ Apoſtolica providentia ſecundùm ſacrorum inſtitutiones canonum, univerſas regit Eccleſias.* At ſi Apoſtolica providentia ſecundùm ſacrorum inſtitutiones canonum univerſas regit Eccleſias, eaſdem ſecundùm ſacrorum derogationes canonum regere non poteſt, quia duo illa vehementer inter ſe pugnant.

Sic de ſuppoſitione vel ſubreptione privilegiorum, de quibus actum eſt in ſuperiori obſervatione, meritò dubitari non poteſt ampliùs, poſteaquam ad Romanæ Curiæ Juriſprudentiam Sedis Apoſtolicæ Juriſprudentia multò nobilior acceſſit, in qua univerſalibus Conciliis non derogatur, in qua nullæ derogandi clauſulæ admittuntur, aut ſi admitterentur, per ſubreptionem admitterentur.

OBSERVATIO XXX.

Si Pontifices inter ſe pugnent, alii pro Presbyteris contra fratres; alii pro fratribus contra Presbyteros, ad tollendam è medio diſcordiam & ſtatuendam in Eccleſia pacem, quid opus facto proponitur.

ET primò quidem obſervationi huic locus eſſet nullus apud eos, qui Bonifacium VIII. ortam in Gallia ob Martini IV. privilegium controverſiam ſedaſſe apud Nangium conſentirent, & qui oblatam ab Armachano Martinum IV. inter & Joannem XXII. concordiam acciperent. Quia ut fidelium communio, ſic & confeſſio in Paſchate Parochialibus Presbyteris, tum Lateranenſi canone, tum etiam Romanorum Pontificum decretis ex eodem canone promulgatis aſſereretur.

Deinde obſervationi locus eſſet nullus apud eos, qui in admittendis vel rejiciendis fratrum privilegiis Romanæ Curiæ & Sedis Apoſtolicæ Juriſprudentiam ſequerentur, tum quia Romanæ Curiæ Juriſprudentia poſtulat, ut ſi fratrum privilegia expreſſa Lateranenſis Concilii derogatione careant, ſuppoſititia vel ſubreptitia exiſtimentur: tum etiam quia Sedis Apoſtolicæ Juriſprudentia exigit, ut non minùs ſuppoſititia vel ſubreptitia exiſtimentur, quamvis expreſſa Lateranenſis Concilii derogatione non carerent.

Verùm obſervationi locus erit tantùm apud eos, qui Romanos inter Pontifices diſdiſcordiam inducunt. Hinc alii Innocentium IV. Clementem IV. Martinum IV. anonymum Pontificem cujus Mediavillanus meminit, Bonifacium VIII. apud Nangium, Sixtum IV. Innocentium VIII. ſequentes prædicabunt, fideles ut ad communionem ſic & ad confeſſionem in Paſchate vel ſemel in anno Parochialibus Presbyteris faciendam obligari, & eam quæ facta eſt fratribus, iterandam eſſe: Inde alii Alexandrum IV. Joannem XXII. Alexandrum V. Eugenium IV. Calliſtum III. Leonem X. Paulum III. Paulum IV. & Clementem VIII. ſequentes prædicabunt, fideles ad confeſſionem in Paſchate vel ſemel in anno Parochialibus Presbyteris faciendam non obligari, & eam quæ facta eſt fratribus, neceſſariò iterandam non eſſe. Quo ita poſito utrique de conſcien-

ſcientia & religione ſecuri certabunt inter ſe, publicam in Eccleſia Dei offenſionem mutuò concitabunt: verbo dicam, mera mapalia facient ex auctoritate Pontificum, & inter eos ſchiſma conſtituent.

At niſi propter hominum malitiam conuenientiſſimæ diſciplinæ canon, *Omnis utrinſque ſexus*, abrogetur, quòd fatalis eſſet & abominatiſſima neceſſitas, ibi ſanciendæ pacis inveniendus eſt modus, ubi, quando ita volunt, orta eſt diſſenſio & perturbatio: pax autem hac via ſanciti poteſt. Pars diſcordantium Pontificum, quos mox enumeravimus, prævalere debet, quæ cum antiquiori Sedis Apoſtolicæ traditione concordat. Pars verò prævalere haud debet, ſed potiùs alteri cedere, quæ non concordat. Alexander IV. Joannes XXII. Alexander V. Eugenius IV. Calliſtus III. Leo X. Paulus III. Paulus IV. & Clemens VIII. in ſuis conſtitutionis & privilegiis Lateranenſem non exequuntur canunem, ſed ei potiùs derogant, aut certè videntur derogare. Innocentius IV. Clemens IV. Martinus IV. anonymus Pontifex à Mediavillano indicatus, & Boniſacius VIII. apud Nangium, Sixtus IV. & Innocentius VIII. Lateranenſem exequuntur canonem, nec ei ullatenus derogant: quo pacto hi non illi cum antiquiori Sedis Apoſtolicæ traditione conveniunt, in qua Romani Pontifices ne latum quidem unguem ab obſervatione ſacrorum canonum recedunt, & in qua univerſalibus Conciliis derogandi clauſula penitus ignota eſt. Id breviter demonſtratum imus.

I. Julius I. in epiſtola ad Orientales apud Athanaſium: *Morem, qui in Eccleſia obtinuit, & à Synodo confirmatus eſt, iniquum eſt à paucis abrogari.* Infrà: *Id verè ad Synodi, ad Epiſcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, ſi qua illi tanto ſtudio & cura veluti Deo præſente egiſſent, à nobis ut vana futiliáque abrogarentur.* Infrà: *Quid quæſo nos oportuit facere? An non quod Eccleſiaſtici canonis eſt?* Infrà: *Par autem eſt, ut quæ contra canonem acta ſunt, emendationem accipiant, & Eccleſia pacem habeant.* Hæc ille, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent.

II. Liberius in dialogo quem Mediolani habuit cum Imperatore Conſtantio: *Leges Eccleſiaſticas obſervare pluris faciendum cenſeo, quàm Romæ domicilium habere.* Qui Pontifex ſic loquitur, Eccleſiaſticas leges obſervabit ſemper, nec iis derogaturus eſt unquam.

III. Damaſus quid de clauſula derogandi univerſalibus Conciliis, aut ſacris canonibus cenſeret, perſpicuè ſignificat apud Sulpitium Severum in Hiſtotiæ ſacræ libro II. *Hi* (Inſtantius, Salvianus, & Priſcillianus à Cæſarauguſtana Synodo damnati) *Romam pervenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt.* Si Damaſus erga Cæſarauguſtanam Synodum, quæ univerſalis non erat, ita ſe geſſit, quomodo univerſalibus Conciliis & ſacris canonibus derogandum putaret? Clarior non eſſet complexio, quæ ſolaribus radiis exararetur.

IV. Siricius in epiſtolæ ad Himerium Taraconenſem cap. XII. *Fœminas verò non alias eſſe patimur in domibus Clericorum, niſi eas tantùm, quas propter ſolas neceſſitudinum cauſas habitare cum eiſdem Synodus Nicæna permiſit.* Siricius omni ſtudio & cura laborat, ut Nicænæ Synodi canones obſerventur, tantùm abeſt ut iis derogandum putet, & cur iis non derogandum putet, facilè colligitur ex illius ad Anyſium & alios Illyrici Antiſtites epiſtola: *Accepi literas veſtras de Bonoſo Epiſcopo, quibus vel pro veritate vel moleſtia, noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cùm hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus factis vel cognoſcerent, advertimus quòd nobis judicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrûm eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi vel accuſatoribus vel accuſato copiam dare. Vicem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cum Bonoſus Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Ambroſium, qui ejus ſententiam conſuleret, interdictam ſibi Eccleſiam irrumpere, atque ingredi, reſponſum eſt ei, quòd nihil temerandum foret, ſed omnia modeſtè patienter ordine gerenda, neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis juſtitiæ convenire, ſtatueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum eſt ut ii judicandi facultas eſt data. Vos enim totius, ut ſcripſimus, Synodi vice decernitis: nos quaſi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Verba hæc omnia unicuique non occupato præjudiciis objiciunt, Romanum Pontificem Concilio ſubeſſe, & eam ob cauſam derogandi clauſulam ferre non poſſunt.

v. In-

Google

v. Innocentius I. in epiſtolæ ad Victricium Rotomagenſem cap. vi. *Ut de aliena Eccleſia Clericum ordinare nullus uſurpet, niſi ejus Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus ſtatuit Nicæna, ut abjectum ab altero Clericum altera Eccleſia non recipiat.* Cùm Nicænæ Synodi canones ſic exequitur, ad ſacrorum canonum derogationem aditum intercludere videtur. Id apud Sozomenum lib. viii. cap. xxvi. confirmat in epiſtola ad Conſtantinopolitanos Clericos: *Nos*, inquit, *quantùm ad canonum obſervantiam attinet, illis obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ determinati ſunt, quibus ſolis obtemperare, & ſuum ſuffragium addere Eccleſia Catholica debet.* Sic generalibus Conciliis obtemperandum eſſe judicat.

vi. Zoſimus in epiſtola vii. ad Epiſcopos Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ provinciæ: *Multa*, inquit, *contra veterem formam Proculus uſurpare detectus eſt in ordinationibus indebitè celebrandis, quas proximè univerſa cognitione diſcuſſimus.* Et paullo pòſt; *Indecens auſus & in ipſo veſtibulo reſecandus hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas Concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta Patrum, & ſancti Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ex hac Sede directus eſt, concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis poſſit auctoritas.* Hìc audito Zoſimo infinitæ & Conciliis & ſacris canonibus derogandi formulæ diffugerent qua de re agatur in obſervatione xi. expoſuimus. Porro hanc Zoſimi epiſtolam laudamus, quia eam pro legitima habent, Juo, Gratianus, Romani correctores Gratianus, Baronius, Binius, Sirmondus & alii.

vii. Bonifacius I. in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem de eo quem Patroclus *in aliena provincia prætermiſſo Metropolitano contra Patrum regulas* ordinaverat: *Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes.* Qui Pontifex ſic loquitur, ut ſacrorum canonum aſſertor, non derogator loquitur.

viii. Celeſtinus I. in epiſtola ad Perigenem, Dynatum, Baſilium & alios Epiſcopos Illyrici: *Facilè diſciplina ſubdi ſe patitur, qui ipſam ut conderet, amplectitur diſciplinam.* Infrà: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur, ſimus ſubjecti canonibus, dum canonum præcepta ſervamus.* In Rom. Collect. bipart. At nihil fingi poteſt magis contrarium formulis, quibus & univerſalibus Conciliis & ſacris canonibus derogatur.

ix. Sixtus III. in epiſtola ad Epiſcopos Illyrici: *A canonum præceptis veſtrûm nemo diſcedat, nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apoſtolicæ decrevit auctoritas.* At iſtud omnino cònvenit Lateranenſi canoni, & Innocentii IV. Clementis IV. Martini IV. anonymi Pont. à Mediavillano indicati, Bonifacii VIII. Sixti IV. & Innocentii VIII. conſtitutionibus.

x. Leo I. in epiſtola v. ad Dorum Beneventanum Epiſcopum; *Plenìſſimè noveris, quanta ſolicitudine per omnes Domini Eccleſias paternorum velimus canonum præcepta ſervari, & hanc maximè curam ad Sacerdotes univerſarum plebium pertinere, ut ſanctarum conſtitutionum regula nullis corrumpantur exceſſibus.* Sic excluduntur clauſulæ derogandi univerſalibus Conciliis & ſacris canonibus, qui ab illis eduntur.

xi. Hilarus in epiſtolæ viii. capite ii. *Nec cuiquam licebit à regulis evagari, quas ſibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune præfixerit.* Quis ad ingenium Hilari aptaret derogandi clauſulas, de quibus agimus?

xii. Felix III. in epiſtola vii. ad Vetranionem Epiſcopum: *Unde meritò prædictus Acacius Apoſtolicæ Sedis, quæ executrix ſæpedicti Chalcedonenſis Concilii pro fide Catholica tunc probati non defuit, iterata excommunicatione depulſus eſt.* Cùm Sedes Apoſtolica non minùs ſit executrix univerſalis Concilii pro canonibus, quàm pro fide, univerſali Concilio non derogabit.

xiii. Hormiſda in indiculo, qui datus eſt Ennodio, Fortunato Epiſcopis, & aliis Conſtantinopolim ablegatis: *Quod ad canones attinet, jam antè ſuggeſſimus, canones ſolvere in religionem committere eſt.* Cùm his verbis quomodo ſtaret derogandi clauſula?

xiv. Agapetus I. in epiſtola vi. ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum: *Tanta eſt Deo propitio, & ad ea libentiſſimè concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ fraternitatis affectum noſtra devotio, ut oneroſum nobis nullatenus eſſe judicemus, quod anni veſtris deſideriis poſtulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifeſtiſſima conſtituta, quibus ſpecialiter prohibemur prædia juris Eccleſiæ, cui nos omnipotens præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Quæ in re veſtræ quoque ſapientia credimus eſſe gratiſſimum, quòd in nullo contra priſca definitionis conſtituta*

vel regulas pro qualibet occaſione, vel ſub cujuſcunque perſona reſpectu venire præſumimus. Nec tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis utilitatis cauſa hoc facere nos credatis; ſed divini conſideratione judicii neceſſe nobis eſt, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter cuſtodire. Qui non vult derogare Romano Concilio Provinciali, cui præfuit Symmachus, multò minùs Lateranenſi Concilio univerſali, cui præfuit Innocentius III. derogatet. Inviſæ & inauditæ tunc erant apud Sedem Apoſtolicam derogandi clauſulæ.

xv. Vigilius in epiſtola iv. ad Juſtinianum: *Rationem his, prout Chriſtianitatis meritum veſtra poſtulabat, in quantum valuimus, reddidiſſe ſufficiat, quamvis noſtra nihil contra Synodalia vel prædeceſſorum noſtrorum Præſulum Sedis Apoſtolicæ conſtituta, aut commiſiſſe aliquid, aut tentaſſe quiſquam licèt aſtutus & ſubtilis inveniet.* Sic loquitur ſecurus & de ſeipſo & de obſervatione ſacrorum canonum & Sedis Apoſtolicæ decretorum, quæ, ut loquitur ſanctus Leo I. *de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis*, ubi nulla reperitur derogatio.

xvi. Gregorius I. in libri i. epiſtola xxiv. ad Joannem Conſtantinopolitanum, & alios: *Cunctas verò; quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo, quas venerantur, amplector, quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe non illa deſtruit quiſquis præſumit aut ſolvere quos ligant, aut ligare quos ſolvunt.* Notanda eſt hæc Gregorii ratio, quæ infinitas derogandi clauſulas excluderet.

Deinde in libri ii. epiſtola ad eundem Joannem Conſtantinopolitanum: *Si canones non cuſtoditis, & majorum vultis ſtatuta convellere, non cognoſco qui eſtis.* Hoc non diceretur, opinor, ab eo Pontifice, qui animum ad ſacrorum canonum derogationem intentum haberet.

xvii. Martinus I. in epiſtola v. ad Joannem Philadelphiæ Epiſcopum: *Defenſores divinorum canonum ſumus, non prævaricatores, quandoquidem prævaricatoribus conjunctæ manifeſtè retributiones ſunt.* Deinde in epiſtola ix. ad Pantaleonem: *Canones Eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes canonum ſumus, non tranſgreſſores.* Qui Eccleſiaſticos canones ſolvere ſe non poſſe confitetur, Eccleſiaſticis canonibus derogare ſe non poſſe quoque profitebitur.

xviii. Zacharias in epiſtolæ i. ad Bonifacium Epiſcopum capite v. de illo, qui *viduam avunculi, quæ & ipſa fuit uxor conſobrini ſui, & ſacrum velamen habere monſtrata eſt, & à beata memoria prædeceſſore noſtro ſibi licentiam conceſſam eſſe divulgavit, ut eam in pernicioſo matrimonio aſſumere debuiſſet, abſit ut hoc prædeceſſor noſter ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac Sede Apoſtolica illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum ſive canonum inſtitutis inveniantur.* Verba hæc cedro ſunt digniſſima, quibus Romanæ Eccleſiæ conſuetudo ſanctiſſima & derogationi cuilibet adverſa deſcribatur.

xix. Leo IV. in epiſtola ad Lotharium Aug. *Mandaſtis ut privilegium & pallium altero Epiſcopo concederemus, ut veſtra ſuper hoc magnitudo non indignetur, quoniam quod ab ipſo Gregorio I. uſque ad hæc noſtra tempora factum minimè recordamur, facere non potuimus, neque præfixos Patrum terminos immutare.* Ubinam eſt locus derogandi canonibus, quos univerſales Synodi condiderunt?

xx. Nicolaus I. in epiſtola ix. ad Michaëlem Imp. *Paternos canones non tranſgrediamur, ſacros canones non conculcemus, nec decretalia Sedis Apoſtolicæ conſtituta, quibus Eccleſia tota fulcitur atque munitur, quoquomodo violemus.* Decretalia Sedis Apoſtolicæ conſtituta intelligit, quæ, ut ait Leo I. de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, non quibus factis canonibus derogatur; nam ſacrorum canonum derogatione nec fulcitur, nec munitur Eccleſia; quod & inculcat in epiſtola xxxi. ad Silvanectenſis Concilii Epiſcopos: *Ceterùm de Balduino, de quo jam multa ſcripſiſtis, ſciat beatitudo veſtra nos non regulas atque ſancta decreta velle corrumpere, quibus homo ab uno Epiſcopo excommunicatus, ne recipiatur ab alio Epiſcopo prohibitum eſt.* Sic declarat ſe non derogare Nicænis regulis, ſed ſubjacere.

xxi. Hadrianus II. idipſum non obſcurè ſignificat in epiſtola xxvii. ad Carolum Calvum Regem: *Sed de his*, inquit, *nihil audemus judicare, quod poſſit Nicæno Concilio, & quinque ceterorum regulis, vel decretis noſtrorum deceſſorum obviare.* Non ita loquitur Benedictus XI. in conſtitutione: *Inter cunctas. Non obſtante*, inquit, *conſtitutione generalis Concilii.* Sed Benedicti conſtitutio in Viennenſi Concilio abrogata eſt. Non ita loquitur Alexander V. in conſtitutione: *Regnans in excelſis.* Sub finem: *Non obſtante prædicta conſtitutione, qua incipit, Omnis utriuſque, ac aliis conſtitutionibus quibuſcunque.* putà Innocentii IV. Clementis IV. Martini IV. anonymi Pontificis à Media-

diavillano indicati, Bonifacii VIII. apud Nangium, Sixti IV. & Innocentii VIII.

XXII. Joannes VIII. in epiſtola CCXXXI. ad Carolum Regem: *Eccleſia Dei privilegium nos decet immutilatum ſolemniter conſervare, ne in aliquo Patrum terminos præterire videamur, contra ſtatuta majorum agere nequivimus.* Verba hæc non ſunt Pontificis, qui Lateranenſi derogaſſet Concilio, qui contra ſtatuta majorum egiſſet, ſi Innocentium IV. & alios mox enumeratos ſubſecutus eſſet.

XXIII. Hoc in loco referenda eſt fidei profeſſio, quem olim recèns creati vel electi Pontifices emittebant apud Ivonem in epiſtola LX. ad Hugonem Lugdunenſem Epiſcopum. Ivonis verba ſunt: *In libro quoque Pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de profeſſione Romani Pontificis: Nihil de traditione, quam à probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, ſed ferventer ut eorum diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, obſervare ac venerari profiteor.* Quot Pontifices ante Ivonem ſacramento tali ſe obſtrinxerunt ad ſervandos canones, tot ſunt adverſarii formulæ, qua univerſalibus Conciliis & canonibus derogatur.

XXIV. Stephanus VI. apud Flodoardum in lib. IV. hiſt. cap. I. ubi recenſet eos, pro quibus Fulco Remenſis Archiepiſcopus ad Stephanum Papam ſcripſit: *Item pro Teutboldo Lingonenſi, ſignificans ad ſe hujus Lingonenſis Eccleſiæ querimoniam perveniſſe, quòd obeunte Iſaac Epiſcopo, inconſulto Clero & populo, Egilonem quendam monachum nuper de ſæculo venientem in Epiſcopum Aurelianus Lugdunenſis ordinaverit, eiſque vi illata præpoſuerit nolentibus, quo divina vocatione hominem excedente, ne in idipſum incurrerent, concordi voto Clerus & populus Teutboldum ipſius Eccleſiæ Diaconum eligentes ab ipſo Papa in Epiſcopum conſecrari petierint, ſed ille uniuſcujuſque Eccleſiæ privilegium inconcuſſum ſervare volens id agere diſtulerit, eúmque præfato Aureliano direxerit, ſcribens ad eum, ut ſi Cleri populique vota in eum concordarent, & ſacri canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret. Quod fieri ſi ratio prohiberet, & idipſum ſibi reſcriberet: interim tamen alterum inibi ordinare nullo modo ſe inconſulto præſumeret; ſimúlque & Ottrannum Senogallicenſem Epiſcopum à ſuo latere direxerit executorem, quem deludens Aurelianus ad Lingonenſem præmiſerit urbem, pollicitus ſe citiſſimè ſubſecuturum, quod cùm diu expectaretur, nec ipſe advenerit, nec mora ſua cauſam innoteſcere, vel Papæ remandare providerit. Quocirca iteratò Clerus & populus cum decreto manu omnium roboratò præfatum electum Romam miſerunt, obnixè ſibimet illum conſecrari petentes, ſed nec tunc id agere acquieverit volens Lugdunenſis Eccleſiæ collatum privilegium immutilatum conſiſtere; ideóque jam dicto Aureliano iteratò reſcribens mandaverit, ut quia concordi voto Clerus & populus jam dictum Diaconum expetebat, aut ipſum conſecraret, aut quid in eo reprehenſibile judicaret, ſibi reſcribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non ſolùm oblatum conſecrare, ſeu quid in eo reprehenſibile judicaret ſibi reſcribere contempſerit, verùm etiam contra interdicta, & ſacrorum canonum ſtatuta quendam extraneum & eidem Eccleſiæ ignotum in angulo ordinatum illis ingerere niti præſumpſerit. At hi potiùs laborem ſubire, quàm ſubjici ignoto eligentes, ad ſe redierint, implorantes ne pateretur Eccleſiaſtica jura violari. Nos autem, inquit, qui omnium Eccleſiarum in beato Petro Apoſtolorum Principe curam ſuſcepimus ſcientes, inter Epiſcopos non haberi eum qui neque à Clero electus, neque populo eſt expetitus, ſæpedictum Teutboldum venerandum Diaconum ipſorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopum conſecravimus, condigna ſententia prævaricatoribus illata, licèt & aliis prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus ſanctimoniæ, ut his noſtris Apoſtolicis literis perceptis poſtpoſita dilatione ad Lingonenſem accedas Eccleſiam, & eundem Teutboldum à nobis ſolemniter conſecratum Epiſcopum exinde reveſtias, omnibúſque Archiepiſcopis & Epiſcopis innoteſcas, pro tanta contumacia ultione nos ejuſdem Eccleſiæ ſpecialem ſolicitudinem ſuſcepiſſe pro tanti laboris maceratione, & oppreſſionis illatæ relevatione,* & poſt pauca: *Ad hæc idem præſul Fulco reſcribens gratias agit pro conſolatione literarum ipſius, aſſerens ſe paratum fuiſſe & eſſe, quæcunque ſibi ab ipſius Papæ celſitudine injuncta fuerint, adimplere: præfatam verò præceptionem de Teutboldo Epiſcopo explere ſine mora voluiſſe; ſed Odonis Regis ſui conſultu interim intermiſſum, dum Rex idem ſuos Legatos ad eundem Papam dirigeret, ac per eos juſſionem ipſius certiſſimè cognoſceret: Super his autem; quæ literæ ipſius Papæ proſecutæ ſunt, velle ſcilicet ſe omnibus Eccleſiis ſua inſtituta & privilegia inconfuſo ordine intemerata ſervare, valde gaviſos univerſos Epiſcopos, in quorum præſentia hæc recitari fecerat.* Hæc ille Papa, in quibus quàm abalienato ſit à ſacrorum canonum derogationibus animo, perſpicuè demonſtrat. Res ipſa ad oculos advolat, & Sedis Apoſtolicæ juriſpru-

dentiam, & eminentiſſimam in eminentiſſima ſimplicitate dignitatem commendationi & perpetuæ famæ deſignat.

XXV. Leo IX. in epiſtola v. ad Petrum Epiſcopum: *Terminos, quos Patres noſtri fixerunt, nulli arroganter tranſgreditur.* Nempe Romanus Pontifex terminorum, quos Patres fixerunt, cuſtodem ſe præſtat & vindicem. Quocirca Leo poſt pauca ſubjicit: *Mea humilitas in culmine Apoſtolici throni ideo exaltata eſt, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet.*

XXVI. Nicolaus II. in Romano Concilio, quod contra ſimoniacos præſules habuit: *Tanta talium multitudo eſt, ut dum rigorem canonici vigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit, ut diſpenſativè ad pia condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus, ita tamen auctoritate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis ſucceſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi vel alicui aſſumat, vel præfigat, quia hoc non antiquitas Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit, ſed temporis nimia neceſſitas permittendum à nobis extorſit.* Sic apud Nicolaum ſacris canonibus nunquam derogaretur.

XXVII. Gregorius VII. in libri II. epiſt. L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Quoniam erga reverentiam ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Regiam nobilitatem tuam piæ devotione & amore fervere intelligimus; te & regnum tuum dignis honoribus ſublimari cupimus, & Apoſtolicam benevolentiam non ſolùm in noſtro, verumetiam in quocunque tempore tibi & cauſis tuis ſincera charitatis affectum præbere deſideramus. Ceterùm, quod nos de cauſa Aragonenſis Epiſcopatus & conſuluiſti, & te quodammodo velle ſignificaſti, diu & multum volentes, & cum filiis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertractantes, incongruum fore prævidimus, quoniam in eo canonica decreta nobis obviare cognovimus. Veniens enim ad nos ſicut noſti, confrater noſter Sanctius Aragonenſis Epiſcopus, multa nobis de infirmitate corporis ſui conquerens, deſerendi Epiſcopatum à nobis ſuppliciter licentiam poſtulavit, quòd & morbo confectus, & pæne conſumptus diutiùs competenti miniſterio regere & cuſtodire non poſſit. Atque ut hoc faciliùs impetraret, indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alterum in Epiſcopatum eligi, tuam & ſuipſius voluntatem atque conſilium fore nuntiavit. De quorum vita & converſatione eum interrogantes alia omnia præter quod de concubinis nati erant, bona ſatis & honeſta accepimus: & quia venerandi canones ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non ſatis cautum fore putavimus, ne quicquam à nobis contrarium ſanctis Patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur. Solet enim ſancta & Apoſtolica Sedes pleraque conſiderata ratione tolerare, ſed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus à concordia canonica traditionis diſcedere.* In ſermone tanto quot pæne commata, tot rationum momenta: quibus ſacrorum canonum derogatio procul amandatur à ſancta Sede, *quæ nunquam ſolet in ſuis decretis & conſtitutionibus à concordia canonicæ traditionis diſcedere.* En teſtimonium Romano Pontifice digniſſimum; noverat Felicem III. ad Vettanionem Epiſcopum ſcripſiſſe, Apoſtolicam Sedem univerſalium Conciliorum exſecutricem eſſe, ut ſuo loco vidimus. Ceterùm Gregorii teſtimonium inſtar eſt multorum, cùm ait: *Sancta & Apoſtolica Sedes nunquam ſolet in ſuis decretis & conſtitutionibus à concordia canonica traditionis diſcedere* Antecedentia tempora involvit.

XXVIII Paſchalis II. in epiſt. XXIX. ad Baſilium Hieroſolymitanum Regem: *Unaquaque provincia juſtitia ſua limitibus perfruatur. Nec enim poſſumus manifeſtè ſanctis Patrum noſtrorum conſtitutionibus obviare. Nec enim volumus, aut pro Principum potentia Eccleſiaſticam minui dignitatem, aut pro Eccleſiaſtica dignitate Principum potentiam mutilari, ne apud nos occaſione alterutra, pax turbetur Eccleſia.* Sic ſacrorum canonum derogationibus occluditur janua.

XXIX. Innocentius II. in epiſtola ad Hugonem Rotomagenſem Archiepiſcopum: *Unde & in ſpecula domus Domini divina providentia conſtitutus ſuper commiſſum gregem more boni Paſtoris diligenter invigilas, & te ſeverum in corrigendis vitiis exhibendo Epiſcopale officium verbis & exemplis adimplere contendis. Age nunc chariſſime, & juxta Apoſtoli vocem argue, obſecra, increpa; in omnibus tamen charitate & manſuetudine ac ſanctorum canonum forma ſervata. Nec ullatenus arbitreris, quòd ea, quæ rectè à te ſtatuta ſunt in irritu devocare, & quæ plantaveris diſperdere, aut eradicare velimus; quin potiùs ea quæ ſecundùm Deum & juſtitiam feceris, perpetua firmitate volumus obſervari. Quòd ſi Abbas ſancti Wandregeſili uſque ad proximam Pentecoſtes ſolemnitatem obedire fraternitati tuæ contempſerit, ſententiam, quam in ipſum rationabilem promulgabis Apoſtolica auctoritate ratam habebimus.* Deinde in epiſtola ad Abbatem Monaſterii ſancti Wandregeſili: *Sub prætextu pravæ conſuetudinis, quæ ſacris oraculis & rationi reſi-*

reſiſtit, Archiepiſcopo tuo profeſſionem facere contemnis, & quod ſpectat ad Abbatem divinum non ſuſcipis ſacramentum: Sacramento ergo contempto, profectò vas vacuum es & nomen Abbatis caſſum geris & inane. Quòd ſi homines decipere niteris, Deum utique fallere non poteris. Ideòque per Apoſtolica tibi ſcripta mandando præcipimus, quatenus & benedictionem ſuſcipere, & quod ſtricti juris ratio poſtulat, Prælato tuo irrefragabiliter obedire non differas: Quod ſi hoc adimplere ſubterfugiendo diſtuleris, ſententiam, quam in te & obedientes tibi Monachos prædictus frater noſter Hugo Archiepiſcopus, vir ſiquidem ſapiens & diſcretus dictante juſtitia protuleris, aut etiam promulgaverit, nos auctore Domino ratam habebimus. In Appendice ad Guibertum Abbatem Novigentinum. At neſcio, num aliquid fieri poſſit quod Conciliorum canonum derogationi magis repugnet; Pontifex ſecundùm Sedis Apoſtolicæ traditionem loquitur.

XXX. Eugenius III. in epiſt. VIII. ad Epiſc. Germaniæ: *Contra Deum autem & ſacrorum canonum ſanctiones nulli omninò petitioni poſſumus præbere conſenſum.* Hæc ſcripſit cùm de inconvenienti tranſlatione Epiſcopi ageretur. Sedis Apoſtolicæ traditionem ſequitur, quæ ſacrorum canonum derogationes non agnoſcebat. Ut contra Deum, quia Pontifex ei ſubjicitur, ſic & contra ſacrorum canonum ſanctiones, quia eis quoque Pontifex ſubjicitur, conſenſum præbere non poſſe ultro fatetur.

XXXI. Lucius III. in epiſtola ad Raimaldum Noviomenſem Epiſcopum: *Ex ſuſcepto tenemur adminiſtrationis officio, quæ juri & rationi obviant, prohibere, ne fiant, & ſi temeritate aliqua admiſſa fuerint, ſalubri conſilio revocare, ut Apoſtolici moderaminis auctoritate quaſſentur, quæ contra ſtatuta juris canonici attentata noſcuntur.* In hac Pontificii officii deſcriptione derogandi formula, de qua nunc agimus, tota exſcinditur. Integram Lucii epiſtolam ex Laudunenſi Cod. MS. aliàs edidimus cap. VI. Inquiſitionis in privilegia Præmonſtratenſis Ordinis.

XXXII. Gregorius VIII. in epiſtola III. ad omnes Eccleſiarum Prælatos: *Quoniam ad Epiſcoporum maximè ſpectat officium afflictis & laborantibus ſubvenire, unùmque illorum licèt deficientibus meritis me eſſe voluit, proſpicere tenemur*, &c. Qui Pontifex ſic loquitur de formula derogandi univerſalibus Conciliis, nec cogitat, nec cogitabit unquam, quandiu ſic loquetur, & in Petri cathedra ſedebit majorum veſtigiis inſiſtens.

XXXIII. Innocentius III. in libri I. epiſtola ad Nicolaum Melitenſem Epiſcopum: *Sicut ex officio, quod nobis eſt divina clementia propitiante commiſſum, tenemur his, quæ ritè ac ſecundùm formam canonicam peracta eſſe noſcuntur, robur Apoſtolicæ auctoritatis impertiri: ſic ad ea in irritum reducenda, quæ minùs licitè noverimus attentata, ſtudium nos convenit & operam impendere diligentem.*

Deinde in libri II. epiſt. ad Cantuarienſem Archiepiſcopum: *Quæ in derogationem ſanctorum canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas univerſalis Eccleſiæ, cui præſidemus, ad id nos provocat & inducit.*

Tum in lib. II. Regiſt. XIV. epiſtola CXLIII. ad Abbatem & Conventum ſancti Maglorii: *Cùm ex injuncto nobis Apoſtolatus officio Eccleſiarum omnium ſolicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet, quæ interdum contra ſacrorum canonum ſanctiones in eis per ipſarum miniſtros improvidè attentantur.* Hæc ille, qui Lateranenſe coëgit Concilium eique præfuit, & canones digeſſit. In his tribus locis non modò canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, derogationem procul abjicit, ſed etiam quamcunque illius derogationem, ſiqua fieret, reſcindit.

Hæc eſt igitur à primis Chriſtianæ religionis temporibus uſque ad Innocentium III. derivata Sedis Apoſtolicæ per ſuos Præſules traditio, quæ univerſalibus Conciliis & ſacris canonibus, ac proinde Lateranenſis Concilii canoni, *Omnis utriuſque ſexus*, derogandi clauſula ab ejuſdem Sedis & Romanæ Eccleſiæ uſu longè latéque propulſatur. Addendum eſt iſtis neceſſariò, quod in obſervatione XXIX. de Sedis Apoſtolicæ juriſprudentia ex Gregorio IX. Nicolao III. Joanne XXII. Martino V. Eugenio IV. & Florentinæ Synodi decreto diſſeruimus. Addendum eſt inquam neceſſariò, quia ſejungi non poteſt.

Nunc invento ſanciendæ pacis modo, ubi bellum ortum eſſe volunt, pax facilè ſancietur, niſi forſan res nobis ſit cum hominibus, qui acerbam de bello nunquam profligando cogitationem ſuſceperint. Pacis ergo lex ſit expoſita mox vetus Sedis Apoſtolicæ traditio, in qua ſacri univerſalium Conciliorum canones, qui ad publicam Eccleſiæ utilitatem editi ſunt, accuratè ſervantur, & eorum nulla ſit per ulla privilegia derogatio: ſic Lateranenſis Concilii canon, *Omnis utriuſque ſexus*, à Chriſtianis ſervabitur, prout ſervandum eſſe Innocentius IV. Clemens IV. Martinus IV. anonymus Pontifex à Mediavillano indicatus, Bonifacius VIII. apud Nangium, Sixtus IV. & Innocentius VIII. præcipiunt. Hoc exigit antiquorum Sedis Apoſtolicæ

Præ-

Præſulum Julii I. Liberii. Damaſi, Siricii, Innocentii I. Zoſimi, Bonifacii I. Celeſtini I. Leonis I. Hilari, Felicis III. Hormiſdæ, Agapeti I. Vigilii, Gregorii I. Martini I. Zachariæ, Leonis IV. Nicolai I. Hadriani II. Joannis VIII. Stephani VI. Leonis IX. Nicolai II. Gregorii VII. Paſchalis II. Innocentii II. Eugenii III. Lucii III. Gregorii VIII. & Innocentii III. cum recentioribus Sedis Apoſtolicæ Præſulibus Incentio IV. Clemente IV. Martino IV. Anonymo Papa, cujus Mediavillanus meminit, Bonifacio VIII. apud Nangium, Sixto IV. & Innocentio VIII. concordia & conteſſeratio in obſervandis canonibus, qui ad publicum Eccleſiæ bonum conditi ſunt, ac proinde, canone, *Omnis utriuſque ſexus*, quem Lateranenſe Concilium ob eundem finem ſanxit. Hic antiquioribus conjungo tecentiores Gregorium IX. Nicolaum III. Joannem XXII. Martinum V. Eugenium IV. in Florentina Synodo & extra Florentinam Synodum, quorum ſententias in obſervatione xxix. deſcripſimus, cùm Sedis Apoſtolicæ jutiſprudentiam exequeremur.

Ceterùm hanc pacis legem proponimus ad duritiam cordis illorum, qui conſtitutam ab Armachano aliiſque apud Rogerium Doctoribus nonnullos inter Pontifices in hac materia concordiam, idque propter Sedis Apoſtolicæ honorem, non impatienter tantùm ſed etiam imprudenter ſuſtinent. Imprudenter dico multis de cauſis.

I. Sedis Apoſtolicæ dignitas poſtulat, ut quando fieri ſalva veritate poteſt, illius Præſules adducantur in concordiam, cùm in argumento gravi pugnare inter ſe videntur. At litigioſi homines, pietatis id genus ne ſanctæ Sedi teddatur, impediunt; immò pernicioſam inter Pontifices omni ſtudio & cura fovent diſcordiam.

II. Conciliatoribus Pontificum Armachano & Doctoribus aliis errorem, id eſt, malum factum adſcribunt, quibus bonum factum adſcribi debet. Præceptores optimi damnantur erroris, quòd Symmacho Papæ obtemperent in epiſtola x. ad Epiſcopos Galliæ ita ſcribenti: *Sedis Apoſtolica conſtituta prædicanda ſollicitant, ut de concordia univerſalis Eccleſia, qua toto orbe diffuſa eſt, pervigili cura tractemus, qua tunc præcipuè efficaciùs adoleſcit, ſi ea, qua à Patribus inſtituta ſunt, ætas ſubſequens reverenter obſervet.*

III. Injuriam audacter faciunt Innocentio VI. & conſeſſui Cardinalium, qui audita Armachani oratione & concordia, quam ille inter Pontifices Innocentium IV. & Martinum IV. ex una parte, & Joannem XXII. ex altera conſtituit, improbarunt nihil, ſed concordiæ ſuo potiùs ſilentio faverunt.

IV. Armachani conciliatio confirmari poteſt familiari quodam exemplo; quod rejicere verebuntur, In celebribus Academiis, ut Pariſienſi, Cancellarius Romani Pontificis auctoritate Magiſtro Theologiæ dat poteſtatem ubique gentium docendi, regendi & quoſcunque Magiſterii actus exercendi. Formulæ verba ſunt. Sic qui Magiſter Theologiæ renuntiatur, ad docendum, regendum, & quoſcunque Magiſterii actus exercendos habilis redditur. Sed præter habilitatem hujuſmodi requiritur licentia diœceſanorum Antiſtitum, in quorum civitatibus ille Theologiæ Magiſter palam & publicè docere, regere, & quoſcunque Magiſterii ſui actus exercere inſtituit.

V. Armachani conciliatione abjecta recipiunt ſe neceſſariò, quò tamen inviti & repugnantes recipere ſe nolunt. Affirmant igitur velint nolint, Innocentium IV. & Martinum IV. erraſſe, cùm id decreverunt quod toties retulimus, nec decreverunt oſcitantes, ſed generali Concilio inſiſtentes. Hoc autem poſito, quibus viis & artibus probabunt Joannem XXII. non erraſſe, cùm tacitè vel expreſſè Lateranenſi Concilio & majorum conſtitutionibus derogavit? Quibus machinis ſeſe expedient à quæſita ex propria Romanæ Sedis opportunitate, ac circumſpectiſſimorum Pontificum Symmachi & Gregorii Magni monitis, quæ quia nunquam ſilenda ſunt, jam ſemel atque iterum laudavi, ſemel in obſervatione xvii. iterum in obſervatione xxv.

VI. In rejicienda Armachani conciliatione oleum perdunt & operam, cùm privilegia, quibus contra Innocentium IV. Clementem IV. Martinum IV. Anonymum Pontificem à Mediavillano indicatum, Bonifacium VIII. apud Nangium, Sixtum IV. & Innocentium VIII. utuntur, liberare non poterunt à ſuppoſitione vel ſubreptione, quam juxta Romanæ Curiæ juriſptudentiam expoſuimus in obſeruat. xxviii.

VII. Multominus liberare poterunt ab eadem ſuppoſitione vel ſubteptione, quam juxta Sedis Apoſtolicæ juriſprudentiam aſſervimus in obſervatione xxix. ubi non alios adducimus Pontifices, quàm qui infra explicatæ traditionis epocham claruerunt.

Porro laudati Pontifices utriuſque epochæ ad Sedis Apoſtolicæ traditionem inſtituti probè noverant Leonem I. in ſerm. II. de natali Apoſtolorum Petri & Pauli dixiſſe: *Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipſius fertur æquitate judicium.*

La-

Latum verò ex Petri æquitate judicium, quid aliud eſt, niſi latum ex forma ſacrorum canonum judicium, ut idem Leo in epiſtola I. ad Epiſcopos Campaniæ, Thuſciæ & Piceni capite v. explicat, dum quæ ſint deceſſorum ſuorum ſervandæ decreta ſcribit? ea ſcilicet, *qua de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis.* Sic ergo manet Petri privilegium, ubicunque ex ipſius æquitate fertur judicium. Manere verò Petri priuilegium dum feruntur judicia, quomodo lata nonnunquam in Romana Curia fuiſſe, Hadrianus VI. ſcribit in mandatis Cheregato in Germaniam eunti Legato datis, quis reciperet? Sic enim ſcribit: *Scimus in hac ſancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia demum in perverſum mutata.* Apud Odoricum Raynaldum in Annalium Eccleſiaſticorum tomo XX.

Atqui hæ ſunt cauſæ, quas ad emolliendam cordis litigioſorum hominum duritiam, ad configendam illorum in opinionis ſuæ defenſione imprudentiam differerem. Nec prætereire poſſum ſilentio, me inter eas, quas Bellarminus deſignat, notas Eccleſiæ pleraſque in explicata Sedis Apoſtolicæ per ſuos Præſules traditione hac invenire antiquitatem, ſucceſſionem Epiſcoporum, & in doctrina eandem conſpirationem, doctrinæ & vitæ præſulum ſanctitatem. Quis autem hæc omnia Sedi Apoſtolicæ detracturus, & ſuis eam præſidiis nudaturus eſt unquam? Interim videbimus.

Observatio XXXI. et ultima.

Parochi, ut paci Eccleſia conſulatur, Lateranenſis Concilii canonem, Omnis utriuſque ſexus, *ita debent exequi, ut culpâ ſuâ nullam Epiſcopis vel Papa occaſionem dent id faciendi, quod ex forma Concilii ejuſdem facere poſſunt.*

CUM Romanus cæterique Antiſtites, qui Lateranenſe celebrarunt Concilium, perſpicerent, è re fidelium eſſe, ut Sacerdori proprio, vel alieno de proprii licentia peccata ſua ſaltem ſemel in anno confiterentur, id ita faciendum eſſe decreverunt. Hinc ob certa quædam Mendicantium fratrum privilegia, quiſnam eſſet iſte Sacerdos proprius, inter Theologos & Juriſperitos diſputatum eſt. Nos in obſervatione II. Sacerdotem proprium, cujus in canone fit mentio, Parochialem eſſe duntaxat Preſbyterum triplici modo confirmavimus; Primùm derivata à Lateranenſis Concilii tempore uſque ad noſtrum Romanæ Eccleſiæ per ſuos Præſules traditione; Deinde illata ex verbis canonis & rebus circunſtantibus complexione: Tum Lateranenſis ipſius Concilii, provincialium Conciliorum Lateranenſi ſupparium, & multorum Pariſienſis Theologiæ Facultatis decretorum auctoritate.

Hæc autem confirmatio funiculus eſt triplex, qui vix unquam diſſolvi poterit. In aliis quæ ſequuntur obſervationibus nunc confirmatione prima, quæ ſola ſufficeret, nunc ſecunda, nunc tertia utimur, prout vel aſſerendæ veritatis, vel revincendæ falſitatis ſe præbet occaſio.

In confirmatione II. notandas identidem propono Sacerdotis proprii conditiones duas, nempe ut ille ſit *diſcretus* & *cautus*, ex præſcripto canonis, qui præcipuum eſt operis noſtri argumentum. Conditiones verò hæ duæ, quoniam ab acquiſitæ ſcientiæ ſtatu jam Romano cæterique Epiſcopis ponuntur, omnino impediunt, ne Lateranenſis canon ad eoſdem comprehenſos ibi, ut Sacerdotes proprios extendatur. Quod nonnulli paſſim in explicata traditione Magiſtri cùm neutiquam adverterent, Romanum & alios Epiſcopos, pro Sacerdotibus habuerunt propriis, quos Lateranenſe Concilium non habet, quamvis illi alio in rerum eventu ſic haberi poſſint, ut aliàs monuimus. Conditiones igitur duæ illæ in Parochiali tantùm deſiguntur Preſbytero, qui in acquirendæ ſcientiæ ſtatu verſatur, & quo proinde ut ſit diſcretus & cautus exigi poteſt, & utrum dotibus ejuſmodi ſit præditus, cùm Parochiali præficitur Eccleſiæ, neceſſariò inquiritur. Cùm verò Preſbyter Romanæ vel alteri præficitur Eccleſiæ, utrum ille *diſcretus* ſit & *cautus*, non ampliùs inquiritur, quia jam aliàs inquiſitum eſt. Romano & aliis Epiſcopis relinquitur gloria curandi, ut canon à deceſſoribus, qui debent in ſucceſſoribus vigere, conditus ad plenum & perfectum ſervetur, & pacificæ executioni demandetur. Has Epiſcopalis curæ & officii partes diſcimus ex Gelaſio, qui generatim & per averſionem ita ſcribit in epiſtola XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Quibus ex paterna traditione perpenſis confidimus, quòd nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſia probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quam primam, qua unamquamque Synodum ſua auctoritate confirmat, & continua-*

ta

ta moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet. Aſſertus Presbyteris per Romanos Pontifices nec imminutus canon uſque ad Bonifacium VIII. pervenit. Quo tempore ſi Bonifacius agitatam ob Martini IV. decretum in Gallia, & præſertim Pariſiis inter Clerum & fratres controverſiam non diremit apud Nangium, hanc nec ipſe Bonifacius, nec ullus Pontifex alius, vel Concilium poſtea diremit. Atque ita Martinus IV. velint nolint fratres in poſſeſſione decreti ſui remanſit, & unà cum Martino Parochiales Presbyteri, ut in obſervatione XIV. latiùs declaratum eſt. Hinc Armachanus Martinum IV. cum Joanne XXII. conciliavit, & quam inter utrumque fratres induxere diſcordiam, diſſipavit. Atque ita Sedem Apoſtolicam & Parochos communi beneficio ſibi devinxit, & pacem aſſeruit Eccleſiæ. Hoc in obſervatione XVI. cordatis atque eruditis hominibus conſtare facilè poteſt. Sed quoniam Eccleſia ſacris canonibus, & Romanorum Pontificum decretis ex iiſdem canonibus promulgatis regitur, non canonum & eorum decretorum derogatione, in intercurrentia Mendicantium fratrum privilegia inquiſivimus. Inquirendi lex fuit Romanæ Curiæ & Sedis Apoſtolicæ juriſprudentia. Quibus in privilegiis univerſalibus Conciliis, ſactis canonibus ad publicam Eccleſiæ utilitatem editis, derogatur, hæc Sedes repudiat, ſed Curia Sede paullò remiſſior admittit, modò expreſſa derogandi clauſula adſcribatur: nam ſi non adſcriberetur, ut falſa vel ſuppoſititia repudiaret. In Curia & in Sede Parochiales Presbyteri cauſam obtinent, nec poterant cauſam Romæ, uti piè credo, non obtinere, cùm ibi ante oculos ſucceſſorum Leonis I. & Gregorii I. ſemper obverſentur Pontifices hi duo cognomento Magni, quorum primus in epiſtolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite IV. ait: *Hoc tamen proprium definitionis meæ eſt, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorundam ſubreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum conſtitutionibus inveniatur adverſum, id juſtitiæ conſideratione caſſetur, quoniam univerſa pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua canonibus reverentia intemerata ſervetur.* Quod Leo I. de trecentorum decem & octo Patrum dicit, id ipſe, & Papæ tanti ſucceſſores de Lateranenſis Concilii, cui (Bellarmino teſte) Patres mille ducenti octoginta tres interfuerunt, conſtitutione noſtra, niſi multò magis, perinde certè dicerent, ſi dicendi ſeſe præberet opportunitas.

Alter in libri XI. epiſtola XLIV. ad Joannem Panormitanum Epiſcopum: *Illud autem admonemus, ut Apoſtolica Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, caput fidei nulla pulſet injuria, & canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas.* Id Gregorius & Papæ tanti ſucceſſores dicerent, ſi dicendum eſſet de Lateranenſis Concilii canone, *Omnis utriuſque ſexus*, quo convenientiſſima poſt hominum memoriam diſciplina inſtituitur. Quamobrem Parochiales Presbyteri omne ſtudium & curam adhibere debent, ut quomodo præſcribunt Concilii Patres, canon executioni à ſeipſis mandetur. Hoc in canone decernitur: *Ut ſi cauſa juſta ſuppetat, Sacerdos proprius*, id eſt, Parochus, *alieno confitendi licentiam Parochianis ſuis impertiat.* In hac clauſula, qua prudentius nihil eſt aut ſalubrius, quidquid pro bono diſciplinæ & pacis ſupererat & poterat exigi, continetur. Non majeſtas Sacerdotii, ſed populi ſalus, atque ædificatio potiſſimùm ſpectatur.

Hic extrema vitia duo vitanda ſunt. Sacerdos proprius, neque minùs facilem ſe, neque moroſum præſtare debet, quemadmodum faceret qui muneris oblitus omnia in dominatum & auctoritatem converteret, qui Parochianum gratia ſui, non ſe gratia Parochiani eſſe ſibi ſuperbè perſuaderet. Sacerdos itaque proprius diligenter examinare debet, num juſta Parochiano cauſa ſit, cur ille apud alienum confeſſionem ſuam velit deponere: Sed in hoc quoque nimia adhibenda non eſt juſtitia, Scriptura dicente: *Noli eſſe nimiùm juſtus.* Si verò Sacerdos proprius inaudita Parochiani cauſa det illi confitendi alieno licentiam, Eccleſiaſticæ non ſervit diſciplinæ, corruptor eſt canonis, non cuſtos, ſed dominatur, & dominatus iſtiuſmodi à diœceſano Epiſcopo ſeverè cohibendus & plectendus eſt, & ſi fortè diœceſanus Epiſcopus in hoc Sacerdotis proprii dominatu conniveret, ipſe fieret dignus, qui à Romano Pontifice coargueretur. Deinde ſi Sacerdos proprius ita moroſus ac difficilis ſit, ut Parochiano nolit alieno confitendi licentiam dare, tunc diœceſanus Epiſcopus, ut canonis in ſua diœceſi vindex atque executor, illam dabit licentiam, & ſi diœceſanus Epiſcopus in Sacerdotis proprii moroſitate inutili & odioſa conniveret, Romanus Pontifex, ut canonis in orbe Chriſtiano vindex atque executor, negatam ab utroque licentiam impertiret. Hic eſt ordo canonicæ diſciplinæ, cujus Epiſcopus in ſua diœceſi, & Pontifex in tota Eccleſia vindex, cuſtos & defenſor, non

cor-

corruptor & prævaricator, ut Romani Pontifices ipſi loquuntur. Id confirmat adhuc Stephanus V. apud Ivonem in epiſtola LXI. ad Hugonem Lugdunenſem Epiſcopum, & Romanæ Eccleſiæ Legatum: *Quanta autem*, inquit, *firmitate ſingulis Eccleſiis ſua ſint jura ſervanda, demonſtrat Stephanus V. Papa, ita ſcribens Walberto Patriarchæ: Miramur prudentiam veſtram Cumenſi Eccleſiæ denegare conſecrare Paſtorem, cùm te etiam ad hoc provocatum noveris Apoſtolica exhortatione. Nunc verò iteratò tibi ſcribimus, nolentes alicujus Eccleſiæ privilegium infringere, licèt Apoſtolica prærogativa poſſimus de qualibet Eccleſia Clericum ordinare.* Nimirum Apoſtolicæ prærogativæ locus eſt, ut in aliorum præſulum diœceſi vel metropoli, id à Romano Pontifice fiat, quod Epiſcopi vel Metropolitæ facere perperam & contra canones detrectant. Ivo in epiſtolæ concluſione, Legatum ſic prudenter alloquitur: *Sed non eſt opus, ut multum in dicendo laboremus, quia nihil ultra terminos Patrum veſtram moderationem uſurpare arbitramur.*

His adjicio quæ tradit B. Bernardus in libri III. de conſid. ad Eugenium capite V: *Supereſt ut generaliter ſuper univerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua, ſi plebes Clericis, ſi Clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubjecti ſint: ſi in monaſteriis & religioſis locis ſervetur ordo, vigilet diſciplina, ſi ſuper prava opera & dogmata cenſura Eccleſiaſtica vigeat, ſi floreant vinea honeſtate & ſanctimonia Sacerdotum, ſi flores fructus parturiant obedientiam fidelium populorum. Si demum veſtra ipſorum Apoſtolica mandata & inſtituta ea, qua dignum eſt ſollicitudine obſerventur, nequid in agro Domini tui aut neglectu incultum, aut fraude ſurreptum inveniatur.* In hac Pontificis muneris deſcriptione mentio nullà eſt clauſulæ, qua vel univerſalibus Conciliis, vel ſacris canonibus derogetur: & cùm de Apoſtolicis mandatis & inſtitutis loquitur, Apoſtolica inſtituta & mandata intelligit, quæ, ut ait ſanctus Leo, *de Eccleſiaſticis ordinibus, & de canonum promulgata ſunt diſciplinis.* Non loquitur tandem de privilegiis quibus ſacri canones ad publicam fidelium utilitatem editi ſolvantur, & diſcordiæ & lites in Eccleſiam induci poſſint.

Hæc habui, quæ de Lateranenſis canonis, *Omnis utriuſque ſexus*, hiſtoria, legitimo ſenſu, uſu & obſervantia cùm ex Romanæ Curiæ, tùm ex Sedis Apoſtolicæ juriſprudentia diſſererem: quæ tamen non Eccleſiæ ſolùm, ſed etiam pio & erudito cuicunque per meliores inveniendi aſſerendique veri regulas corrigenda facilè ſubmitto: *Non enim*, ut ait beatus Cyprianus, *vincimur, ſed inſtruimur, dum offeruntur meliora.*

JOANNIS LAUNOII
CONSTANTIENSIS, PARIS. THEOLOGI,
DE SACRAMENTO
UNCTIONIS INFIRMORUM,
LIBER.

Editum anno 1673.

PETRO PROUSTEO
IN PARISIENSI ACADEMIA BACCALAUREO THEOLOGO, ET ECCLESIÆ SS. MARTYRUM GERVASII ET PROTASII
VICARIO.

QUEM *de ſacra infirmorum Unctione, & de vario Unctionis hujus, & Viatici ordine, ac de religioſo moriturorum ſtatu edidi commentarium, ut in tuo appareret nomine, conſtitui,* VIR HONESTISSIME. *Cur autem id ita conſtituerim, cauſa profecto haud una fuit: & primum quidem Eccleſiſticarum rerum peritia, quam tu tibi diuturno labore comparaſti & ſtudio, nec ceſſas conquiſitis identidem libris, in quibus argumenti genus illud tractatur, atque expenditur, comparare. Deinde exornata undequaque ſparta, quæ tibi dudum obtigit in antiqua & illuſtri Lutetiæ parœcia: ſpartam hanc nunquam deſeris, ſed aſſiduè & vigilanter adminiſtras, in omnes officioſiſſimus, ſervis atque egentibus ſuccurris æque ac dominis & divitibus. Horum & illorum cura te tangit pariter, & in ſermone cuncto unicuique humanum te præbes & affabilem. Tum vetus illa, quæ nos jampridem mutuò conjunxit amicitia & familiaritas. Petrus Pithæus, Nicolaus Faber, & Jacobus Sirmondus eruditorum & ſapientium virorum trias præſtantiſſima, ſolebant dicere, vel nuncupandos non eſſe libros cuiquam, vel amicis & familiaribus nuncupandos eſſe, præterea fere nemini. Qui vero nomine hujuſmodi non cenſentur, ut optimates & proceres ſuperiores ordine inferioribus fortuna obverſi, plerumque librorum nuncupationem, vel* τῶν ἀδιαφόρων *numero adſeribunt, vel deſpiciunt, vel ſibi penitus, quia tales ſunt & audire volunt, deberi putant, & officioſos labores, quibus in ære ſunt alieno, nuſquam aut infrequenter de hoc titulo agnoſcunt, rati ſe quidquid id eſt, diſſolvere, ſiqua exiſtimationis & benevolentiæ ſigna verbo vel ſcripto tenus obiter ſolum, & demiſſo tantiſper ſupercilio dederint. Amici, ſed qui nondum evaſerunt in dominos, & familiares contrario ſe modo gerunt. Librorum nuncupationem prolixo libentique animo ſuſcicipiunt magni æſtimant, & in beneficii loco & gratia ponunt. Hæc non iſta ſcribo, quaſi quid agere te oporteat ſubmonere velim; minime vero, abſit a me, abſit cogitatio hæc: ſed uti duntaxat obſervem, quid illi tres ſummi, omnibuſque modeſtia ac prudentia titulis pares viri nos ſcire voluerint, & quid ea ſuper re ſenſerint: nempe & illorum dicta & monita poſterorum documenta ſunt maxima, & veluti regula ad quas iſti ſuas actiones dirigant. Hoc igitur in commentario ſeu ſyntagmate, quod tibi dicandum eſſe cenſui, nihil propemodum reperies, quod ſit meum: omnia ſunt beati Jacobi Apoſtoli cum primis: deinde Patrum, tum Eccleſiaſticæ Traditionis, quam & variis rituum codices, tam editi, quam inediti ac nonnulli veteres e Schola Theologi ſubminiſtrant. Hoc ipſum ejuſdem Scholæ verbis quoad ejus fieri licet, accommodo, nequi ſunt iis aſſueti, vana tractandi methodo faſtidii capiant aliquid, & defatigentur. Tædium in legendo nullum objiciet ſeſe, quod devorare ſit neceſſe. Quinetiam rerum argumenta per diverſas ætates atque epochas diſtribuo, ut quidquid in ſingulis expoſitum eſt, agnoſcatur facilius, ſatietati lectoris occurram, & lector ipſe quietem cum voluerit capiat, & animum relaxet. Uniuſcujuſque rei, nunc inſtitutionis ſacræ, nunc materiæ, nunc formæ, nunc pſalmorum & precum multiplici inter ſe diſcrimine collocatarum, nunc Unctionis & Viatici ſacramentorum ſibi mutuo in diverſis temporibus ſuccedentium per auctores ſuos explicatur Traditio, nec ullis ea laceſſitur impetitionibus, aut quæſitis ad arbitrium parergis interrumpitur. Obſervationes identi-*

identidem ſubnecto nonnullas, quibus quidquid inter explicandam unamquamque Traditionem difficultatis intervenire potuit, diluitur ac diſſertur. Conſulto illa prætermittimus, quæ alii ad Ariſtotelica Philoſophiæ gyros ac ſpiras eruditis varias in partes, capita & articulos verſarunt. In quæſtionibus enim, quæ extra Scripturam & Traditionem veræ Theologiæ principia duo in tractationem veniunt, multiplicandis, nec modus agnoſcitur, nec terminus invenitur. Exemplum inutile, nec factum ſalutare Religioni, cujus eminentiſſima & nobiliſſima ſimplicitas & inſtitutiones divinæ Philoſophorum rationibus & argutiis ſubjici non debent. Porro autem id nuſquam contingeret, & adeo perverſa docendæ Theologiæ methodus e Scholis Chriſtianorum exularet, ſi Gregorius IX. in Conſtitutione, quam ad Pariſienſes Magiſtros & Scholares direxit, audiretur, cum non ex alta, quam ex ſua, id eſt, Petri cathedra, ſic pronuntiat: Magiſtri vero & Scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur, ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtentent; ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Azotica confundentes; ſed de illis tantum in Scholis quæſtionibus diſputent, quæ per libros Theologicos & SS. Patrum tractatus valeant terminari. *Diſputationes longas non inſtitueremus, inquiunt, ſi ad Gregorii IX. normam & præſcriptionem diſputaremus, nec auditorum ex Academia palæſtra venientium otium oblectaremus: & hæc ſunt exquiſita præſidia, quorum oppoſitu Pontifici huic juſta & ſana præcipienti detrectatur obſequium, etiam ab iis nonnunquam, qui Pontificibus non errandi privilegium attribuunt; ſic facta dictis, aut dicta factis ſinceriſſime reſpondent. Accedit hominum jamjam moriturorum ſtatus, in quo quæcunque pietas eximia, pœnitentia, & exquiſitior apud Chriſtianos humilitas excogitare potuerunt ac decernere, & ſimul & ſemel, verbo dicam uno acervatim congeſta perſpicies; ſed omnino miraberis dum in moriturorum numero & ſorte non diſpari Galliæ Reges collocatos, atque ut dignitate, ſic & virtute Chriſtianorum prima, ſecunda & tertia prælucentes ceteris manifeſto deprehendes, contrectabis, & mox feliciter migrantes in cælum veneraberis. At ſtatim diſciplina hujus, quæ ſanctorum Antiſtitum documentis aſſerta, Regum exemplis nobilitata, innumerabilium Chriſtianorum, & præcipue Monachorum, moribus atque edictis confirmata quondam fuerat, interitum tacita pietate deplorabis. Nam tempus atrocitate ſua ſacro non pepercit ritui, hunc identidem conſumpſit: conſumpſiſſe omnibus in locis ubi viguit, affirmare non audeo. Quinetiam optarem poſſe me plane præcidere; ſed uti præciderem, diſquiſitione nimia mihi opus eſſet. Quidquid id eſt, non memini legere me in poſteriori ſæculo fuiſſe, qui nefario temporis iſtius conatui interceſſerint, ut oportuit, & rem chriſtianæ patientiæ, humilitatis & pœnitentiæ pleniſſimam ab exitio vindicaverit: ſic & in ipſis ſacris ritibus pauca ſunt admodum, quæ non experiantur vices rerum, atque ætatum detrimenta non ſentiant. Hæ ſunt precipua libri noſtri capita, hæc argumenta, in quæ tua ſeſe poterit laudabilis curioſitas exercere, & quæ publicæ pietatis & Fidelium ſalutis intererunt pervidere. Interim quod in amici tui opere bonum reperies, tuum eſſe pro jure amicitiæ exiſtimabis. At ſi quid in eodem opere non bonum, quod abſit, occurreret, non tuum, ſed meum tantum erit, (quia vitii cum virtute nulla eſt ſocietas) & hoc ipſum, ut primum a pio eruditoque juxta viro monitus agnoſcam, meum eſſe deſinet. Corrigam imitatus Sedem Apoſtolicam, quæ auctore Innocentio I. in epiſtola ad Rufum, Euſebium, & ceteros Macedoniæ Præſules capite ultimo latam ſecundum Photinum ſententiam mutavit.* Veniam, *inquit*, nunc ad maximum quaſi quoddam thema Photinum, & quod mihi anxium eſt ac difficillimum, majorum meorum revolvam ſententias. Fuerat de illo quoquo pacto, ut etiam ipſi commeminiſtis, aliquid utique gravius conſtitutum. Verum quoniam id per rumorem falſum, ut adſeritis, ſubreptum huic ſedi, & elicitum per inſidias demonſtratis, quia res ad ſalutem rediit, veniam nos hanc in tantum, vobis adnitentibus, poſt condemnationem more Apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus, vobiſque tam bonis, tam caris non dare conſenſum, omnibus duris rebus durius arbitramur. Pro veſtra ergo approbatione, fratres cariſſimi, ſententia ac poſtulatione Epiſcopum Photinum habetote licitum ita conſtituere, ut deprecamini, & noſtram in melius converſam ſententiam labore vel teſtimonio veſtro compotes voti ſuſcipite. *Corrigam tum demum imitatus Gregorium VII. qui in libri* IX. *epiſtola* XXXI. *ad Haganonem Epiſcopum de ſe ita ſcribit:* Unde in hac cauſa, quod profecto minime recordamur, ſiquid forte ſubreptum fuit, optat magis animus corrigere, quam ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.

JOANNIS LAUNOII

CONSTANTIENSIS, PARIS. THEOLOGI,

DE SACRAMENTO

UNCTIONIS INFIRMORUM,

LIBER.

CAPUT I.

Explicata per Scripturam & Traditionem Sacramenti Unctionis Infirmorum Inſtitutio & Uſus.

SCRIPTURA & Traditio Theologiæ veræ ſunt principia duo, quibus explicari poteſt Unctionis infirmorum inſtitutio & uſus. Ad Scripturam quod attinet, præſto eſt locus ex epiſtola beati Jacobi cap. v. *Si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hic locus adeo eſt perſpicuus, ut alio, quam quo verba ipſa ſpectent, referri nequeat; & niſi beatus Jacobus præcipiat, certe conſulit, ut erga infirmum id fiat a Presbyteris, quod faciendum eſſe ſcribit. Non præciperet vero vel conſuleret, niſi gratum Chriſto acceptumque id fuiſſe noviſſet. Momenti res eſt tanti, ut Domini conſilium & approbatio rectiſſime præſumatur.

Traditionis, quod eſt alterum Theologiæ veræ principium, monumenta Patres antiqui ſuppeditant.

Origenes: qui ad annum CCXX. claruit, illorum familiam ducet. Sic autem ſcribit in homilia II. ſuper Leviticum: *Eſt adhuc ſeptima, licet dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait: Dixi, pronunciabo adverſus me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud, quod & Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc Origenes Alexandriæ docuit. Verba hæc, *impletur & illud, quod Apoſtolus dicit*, ſignificant duo: alterum eſt peccatorum remiſſio, quæ laborioſa pœnitentia, & confeſſione Sacerdoti facta obtinetur, & hoc obſervandum adhuc quomodo Jacobus præſcribit: alterum vero implendum eſſe quod Jacobus præſcribit, & illud eſt certa quædam pars pœnitentiæ.

*Victor Antiochenus, qui circa Juliani Imperatoris ætatem vixiſſe creditur, in caput VI. Marci. *Interim quæ Jacobus in ſua canonica narrat, ab his non diſſentiunt; ſcribit enim: Infirmatur quis in vobis,* &c. *Oleum autem inter alia, & laborum moleſtias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur quod in ſacra Unctione adhibetur, & Dei miſericordiam, & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat: Dei tamen poteſt orationem hæc omnia efficere; oleum autem eorum omnium quæ fiunt externum tantum ſymbolum eſſe.* Hæc ille Antiochiæ in Orientis capite docuit. Infirmorum Unctionem, quæ tunc in uſu eſſet, interpretatur atque exponit: uſus autem quis initium longe poſt Apoſtolos oſtenderet?

Joannes Chryſoſtomus in libro III. de Sacerdotio. *Parentes nos in præſentem, Sacerdotes in vitam æternam generant, atque illi certe ne corporalem quidem interitum e liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare, cum hi jam laborantem, ac jam jam morti propinquam animam identidem ſervarint, aliis remiſſiorem pœnam reddentes, alios prorſus labi non permittentes, non doctrina ſolum atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio: neque enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam, condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis, accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obſecra*

* Obiit anno 441.

Digitized by Google

oratio fidei ſalvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Jam vero naturales parentes, ſi quos eorum liberi principes magnateſque offenderint, opem certe illi nullam adferre poſſunt, cum Sacerdotes, non Principes, non Reges, ſed ipſum Deum vobis inſenſum ſæpe numero concilient. Hæc ille anno CCCLXXXII. Chriſti cùm annum ætatis vigeſimum ſecundum ageret, ſcripſit Antiochiæ, quæ ſecum importavit Conſtantinopolim, cùm urbis hujus Antiſtes evaſit. Porro autem ſimilitudines, quas Chryſoſtomus adhibet, omnino forent ſuperfluæ & inutiles, ſi quod apud Jacobum de Infirmorum Unctione Eccleſiaſtica conſuetudo non teneret, haud vindicaret.

Innocentius I. ad Decentium ſcribens Eugubinum Epiſcopum ait in epiſtolæ præfatione: *Si inſtituta Eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Domini Sacerdotes, nulla diverſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus ac conſecrationibus haberetur. Sed dum unuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc exiſtimat eſſe tenendum, inde diverſa in diverſis locis, vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur: ac fit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi aut Eccleſiis non convenire, aut ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris contrarietatem inductam.* Et poſt alia: *Sæpe dilectionem tuam ad urbem veniſſe, ac nobiſcum in Eccleſia conveniſſe non dubium eſt, & quem morem, vel in conſecrandis myſteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat cognoviſſe: quod ſufficere arbitrarer ad informationem, Eccleſiæ tuæ vel reformationem, ſi prædeceſſores tui minus aliquid, aut aliter tenuerint, ſatis certum haberem, niſi de aliquibus conſulendos nos eſſe duxiſſes. Quibus idcirco reſpondemus, non quo te aliqua ignorare credamus, ſed ut majori auctoritate vel tuos inſtituas, vel ſiqui a Romana Eccleſia inſtitutionibus errant, ut commoneas aut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſint, qui aut novitates inducunt, aut alterius Eccleſiæ, quam Romanæ exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam.* Et poſt alia, cap. VIII. *Sane quoniam de hoc, ſicuti de ceteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Celeſtinus Diaconus in epiſtola ſua eſſe a tua dilectione poſitum illud, quod in beati Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt: Si infirmus aliquis in vobis eſt, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt: quod ab Epiſcopo confectum non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut in ſuorum neceſſitate ungendum. Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Ceterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere: nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti. Nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi? His igitur, Frater cariſſime, omnibus, quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, reſpondere curavimus, ut Eccleſia tua Romanam conſuetudinem, a qua originem ducit, ſervare valeat atque cuſtodire.* Et paullo poſt: *Data* XIV. *Calend. April. Theodoſio Aug. VII. & Palladio V. C. Conſulibus*, hoc eſt ad annum CCCCXVI. Chriſti.

Ex his autem omnibus facile conſtat Unctionis infirmorum ſacramentum a beato Jacobo expoſitum fuiſſe; deinde illud in Romana obtinuiſſe Eccleſia, cum illam regeret Innocentius; tum Unctionis hujus ritum a primis Eccleſiæ Romanæ fundatoribus & magiſtris deſcendere: nam initium longe poſt illos accepiſſe quis probaret?

Poſſidius in libri de vita beati Auguſtini capite XXVII. *In viſitationibus modum tenebat ab Apoſtolo definitum, ut nonniſi pupillos & viduas in tribulationibus conſtitutas viſitaret; & ſi forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præſenti Deum rogaret, eiſque manus imponeret, ſine mora pergebat.* Quibus verbis reſpectum habet ad duo; ad Marci Evangelium, ubi ægrotis manus imponunt Apoſtoli; & ad Jacobi epiſtolam, in qua pro infirmis oratur. Et quamvis auctor omittat Unctionem, Auguſtinus tamen eam non omittebat, quoniam quod ægrotis impendebat officium, ad Apoſtolorum exemplum, & Jacobi præſcriptum impendebat.

Quæ Poſſidius de Auguſtino dicit, & quæ adnotavimus, Auguſtini ſermonem CCXV. de tempore ipſimet Auguſtino confirmant. *Quotiens aliqua infirmitas ſupervenerit,*

corpus

corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Videte, Fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & indulgentiam peccatorum merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona poſſint in Eccleſia inveniri, quare per præcantatores per fontes, & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres, & aruſpices, & divinos, & ſortilegos multiplicia ſibi mala miſeri homines conantur inferre?

Cyrillus Alexandrinus in libro VI. de adoratione & veritate. *Ceterum cum incantatio turpiſſima ſit & vitioſiſſima, tamen neſcio quonam modo eam nonnulli admirantur, atque illud aiunt, Dominum Sabaoth nuncupare, cum ſuper infirmis carmen incantant, qui ejuſmodi artes exercent.* Et poſt alia: *Non igitur committendum eſt, ut illorum pravis conſiliis abducamur, ſed potius ab illis quam longiſſime diſcedendum, neque malis medicis ac portentorum auctoribus dæmoniis auſcultandum, ſuarum in nos ludificationum nefarias has laudes mercedis cujuſdam inſtar exigentibus: tu vero, ſi qua ſibi pars corporis dolet, & vere credis hæc verba, Dominus Sabaoth, & alias hujuſmodi appellationes, quas Deo, qui ſecundum naturam eſt, divina Scriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro teipſo preces fundens, hæc verba pronuntia: ſic enim rectius quam illi facies, neque impuris ſpiritibus, ſed Deo gloriam tribues. Commemorato etiam divinitus inſpiratam Scripturam, quæ ait: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, &c. Hæc ille ad annum CCCCXX. in quibus deprehenduntur preces & unctio a beato Jacobo tradita, quam Cyrillus in locum neſcio quarum incantationum ſubſtituit, neque ſubſtituit tanquam novum aliquid, quod illud ex Scriptura ſacra repetit, ut antiquiores Patres repetierant.

Gregorius Turonenſis in libri I. hiſtoriæ capite XLI. *Igitur apud Arvernos ſanctus Nepotianus quartus habebatur Epiſcopus. A Treveris vero Legati in Hiſpaniam mittebantur, ex quibus Artemius quidam admirabilis ſapientia atque pulcritudinis, & prima ætate florens, vi febrium eſt correptus; præcedentibus vero aliis, hic apud Arvernos ægrotus relinquitur: nam eo tempore apud Treveros ſponſali erat vinculo nexus. A ſancto autem Nepotiano viſitatus atquè oleo ſancto perunctus, tribuente Domino, redditur ſanitati, qui cum ab eodem Sancto verbum prædicationis accepiſſet, oblitus tam ſponſam terrenam, quam facultates proprias, ſanctæ copulatus Eccleſiæ, factuſque Clericus in tanta prælatus eſt ſanctitate, ut beato Nepotiano ſucceſſor exiſteret, ad regendas gregis dominici caulas.* Gregorius quidem Nepotiani tempore non vixit, ſed ea narrat, quæ Nepotiani tempore contigerant. Artemius igitur cum infirmatur, a Nepotiano Antiſtite viſitatus eſt, & oleo ſancto perunctus: atque hæc ad priora Gallicanæ Eccleſiæ ſæcula pertinent, in quibus ſacramentum Unctionis infirmorum miniſtrabatur, & ungendorum infirmorum ritus ſacer vigebat. Sed dices: Artemius poſt acceptam Unctionem ſanitati redditus eſt, quid tum? hoc ne a verbis Apoſtoli abhorret? nonne etiam Artemio remiſſa ſunt peccata, ſi quæ remittenda habuerit?

Vita ſancti Eugendi Abbatis, quæ ab æquali ſcripta creditur. *Cum*, inquit, *ultra ſexagenariam ætatem fere ſex menſibus prædictus Pater, inæqualitate corporea laboraret; ſic tamen quod nunquam canonico uſque ad horam defuiſſet Curſui, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de fratribus, cui cum libertate peculiari olim perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, perungi.* Sic in Galliis infirmos ungendi mos obtinuerat, quo tempore Chilpericus Chlotarii filius regnabat: * Eugendus enim diſcipulus erat Lupicini viri ſanctiſſimi, qui Jurenſi Monaſterio præerat; Lupicinus vero æqualis eſt Chilperici, ut teſtatur Gregorius Turonenſis in libri I. de vita Patrum capite I. *Lupicinus Romanuſque germanus ejus accedentes ſimul inter illa Jurenſis deſerti ſecreta, quæ inter Burgundiam Alemaniamque ſita Aventicæ adjacent civitati, tabernacula figunt.* Et paullo poſt: *Lupicinus jam ſenex factus, acceſſit ad Chilpericum Regem, qui tunc Burgundiæ præerat.*

Gregorius primus, qui ad annum DC. claruit, in ſacramentorum libro conferendæ Unctionis ordinem ita præſcribit apud Grimoldum Abbatem, qui librum illum editioni primæ reſtituit.

Ora-

* Eugendus, inquit Mabillonius T. I. Actorum SS. ordinis S. Benedicti p. 576. annum Chriſti prope 510 attingere potuit.

Orationes ad viſitandum infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechia ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum ill. a lecto ægritudinis, tua potentia erigat ad ſalutem, Per, &c.

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum, Per, &c.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pie ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ill. adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratia præſta medicinam. Per, &c.

Alia.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti; conſerva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, &c.

Alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat, Per Dominum, &c.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum ill. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporea infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtina ſanitatis perfecta reparetur, Per Dominum, &c. Hæc tantum habentur tom. II. Liturgicon Pamelii.

Si Grimoldus in recenſione libri ſacramentorum Gregorio reſtituit, quæ reſtituenda erant, huic libro non multo poſt Gregorium ſuccreverunt, quæ Grimoldus non eſſe Gregorii notavit, eaque hic notanda eſſe duxi.

Orationes.

Ad viſitandum infirmum, ſive ungendum oleo ſancto. Ingrediens Sacerdos in domum infirmi, dicat hanc orationem:

Deus, qui famulo tuo Ezechia, &c. *Reſpice, Domine, famulum tuum*, &c. *Deus, qui facturæ tuæ*, &c.

Poſtea facias ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hac perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis.

Alia oratio.

Ad infirmum ungendum:

Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuël David in Regem & Prophetam: operare; creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi. & Spiritus ſancti, Per, &c.

Et perungit eum, dicens Antiphonam hanc:

Sana me, Domine, Pſal. Domine, ne in furore. Item Antiphona: Cor contritum, Pſal. Miſerere mei, Deus. deinde dicit; Oremus, Deus, qui humano generi, &c. *Virtutum cæleſtium Deus*, &c. *Domine ſancte, Pater omnipotens*, &c. ut ſupra.

Eſt & alius ſacramentorum Gregorii liber, quem anno MDCXLII. Hugo Menardus Lutetiæ edidit, in quo plura adhuc reperiuntur; ſed ea neceſſe non eſt hic inſerere, quæ alibi inſeremus. Hæc ad retinendæ traditionis teſtimonium ſufficiunt.

Venerabilis Beda, qui ad annum DCCXX. floruit, in cap. v. epiſtolæ beati Jacobi, ſuper jam relata verba: *Hoc & Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur a Presbyteris. & oratione comitante ſanentur: nec ſolum Prebyteris, ſed, ut Innocentius Papa ſcribit, etiam omnibus Chriſtianis uti licet eodem oleo in ſua, aut ſuorum neceſſitate ungendo; quod tamen oleum, nonniſi ab Epiſcopis, confici licet.* Hic Beda Eccleſiæ conſuetudinem appellat, qua qui morbo laborant, cum precibus a Presbyteris unguntur.

Concilium Nicænum Arabicum, quod Alfonſus Piſanus Latinitate donavit, can. LXIX. *Tranſacto anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non ſicut benedicitur in baptiſmo, ſed ut oleum infirmorum*, hoc eſt, oleum, quo infirmi juxta beati Jacobi tra-

traditionem unguntur. Hoc Concilium Arabicum laudo, non quod credam omnia, quæ in eo reperiuntur, in vero Concilio Nicæno edita eſſe; ſed quod in pleriſque repræſenter diſciplinam illius temporis, quo Concilium Nicænum Arabicum, ita ut legitur, comparatum eſt: id autem eveniſſe circa ſeptimum ſæculum mihi videtur.

Capitulare Epiſcoporum Galliæ, quod anno DCCCII. editum eſſe ſignificat tomus II. Conciliorum Galliæ, can. XXII. *Ut ſecundum definitionem ſanctorum Patrum, ſi quis infirmatur, a Sacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter ungatur.*

Alcuinus ſeu quivis alius in libro de divinis Officiis ſub finem. *Jacobus Apoſtolus dixit: Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei: quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ab Epiſcopo confectum non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut in ſuorum neceſſitate ungendum,* & cetera apud Innocentium in epiſtolæ ad Decentium capite VIII. quibus ſubnectit quæ ſequuntur: *Hac auctoritate promulgata quotieſcunque fidelis infirmatur, ingrediantur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, & cum cereis ſive incenſo ante oleum ſanctum, & peragant omnia, ſicut in ſacramentorum libro continetur: ita ergo talium neceſſitati auxiliandum eſt, ut nec ratio illius pœnitentia, nec communionis gratia denegetur,* Sic auctor Eccleſiaſticæ traditioni inſiſtit, & ritum Unctionis infirmorum pie ac religioſe retinendum eſſe præſtituit.

Liber VII. Capitulatium cap. CIII. *Secunda vice propter ampliorem obſervantiam, apoſtolica auctoritate, & multorum ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque Canonum regulis edocti, conſenſu videlicet omnium nobilium noſtrorum, noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo, vel tres tantum Epiſcopi electione ceterorum, propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentias dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne ſine Viatico quis de ſæculo recedat.*

Concilium Cabilonenſe, quod anno DCCCXIII. celebratum eſt, cap. XLVIII. *Secundum beati Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a Preſbyteris ungi debent.*

Aquiſgranenſe Concilium II. quod anno DCCCXXXVI. celebratum eſt, can. V. *Si infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione ſacerdotali, necnon unctione ſanctificati olei per ejus negligentiam careat: denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam chriſtianam Domino Deo ſuo more ſacerdotali, cum acceptione ſacræ Communionis.*

Jonas Aurelianenſis Epiſcopus lib. III. de Inſtitutione laïcali cap. XIV. *Sunt item plerique, qui dum infirmantur, aut ipſi, aut eorum parentes & propinqui, non ſibi Preſbyteros Eccleſiæ induci, ſeque ſanctificato oleo ſecundum Traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ Eccleſiæ morem perungi, ſed magis divinos & divinatrices, immo in illis diabolum conſulere expetunt, ſibique divinari, quo caſu morbum infirmitatis incurrerint, & utrum eandem infirmitatem evadere poſſint, necne.* Et poſt alia: *Quod vero hujuſcemodi divinationes ab omnibus prorſus vitandæ ſint, & unctio ſanctificati olei expetenda, Marcus Evangeliſta indicat: Et exeuntes, inquit, prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant. Unde patet; ut Beda ſcribit, hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali benedictione conſecrato. Docet quoque Jacobus Apoſtolus, dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fide ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Et poſt alia: *Si ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc Presbyteris Eccleſiæ confeſſi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim ſine confeſſione emendationis peccata queunt dimitti: multis namque propter ignorantiam, multis propter incuriam hæc olei unctio ab uſu receſſit; quibus autem in uſu non eſt, neceſſe eſt ut in uſu veniat.*

Auctor ille, qui libros de viſitatione infirmorum duos Auguſtino ſuppoſuit, hic ſedem habere poſſe mihi videtur. Is in libri II. capite IV. ſic loquitur: *Nec prætermittendum eſt*, inquit, *illius Apoſtoli Jacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine* JESU,

&

& oratio fidei ſalvabit infirmum. Ergo ſic roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Jacobus, imo per Apoſtolum ſuum Dominus: ipſa videlicet olei ſacrati delibutio intelligitur, Spiritus ſancti typicalis unctio. Illud etiam vivificum dominici corporis ſupplementum ſuſcipere, fili mi, non renuas, quin potius illud avidiſſime quæras, fideliter comedas: cibus ille etenim incomparabilis & ineffabilis viaticum tibi erit ſaluberrimum, redemptionis tuæ pretium, redemptoris monumentum, & redempti munimentum. Hæc receptam in Eccleſia diſciplinam important.

Ad tempus hocce pertinere videtur Græcorum Euchologium, quod Jacobus Goar ex Ordine Prædicatorum Theologus * in lucem emiſit. In eo cum referatur ſancti olei officium, quin apud Græcos in uſu fuerit infirmorum Unctio, ſecundum beati Jacobi traditionem, dubitari merito non poteſt. Hoc autem officium proferetur commodius, dum Traditio Eccleſiæ circa formam ſacramenti hujus explicabitur: id tamen hoc in loco monendum fuit, ne quid expoſitæ circa inſtitutionem & uſum illius deſideraretur.

Concilium Regiaticinum, quod anno DCCCL. habitum eſt, cap. VIII. *Illud quoque ſalutare ſacramentum, quod commendat Jacobus Apoſtolus, dicens: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei; ſolerti prædicatione populis innoteſcendum eſt, magnum ſane ac valde appetendum myſterium, per quod, ſi fideliter poſcitur, et remittuntur & conſequenter corporalis ſalus reſtituitur. Sed quia frequenter contingit ut ægrotus aliquis aut ſacramenti vim neſciat, aut minus periculoſam reputans infirmitatem, ſalutem ſuam operari diſſimulet, aut certe morbi violentia obliviſcatur, debet eum loci Presbyter congruenter admonere, quatenus ad hanc ſpiritalem curam, ſecundum propria poſſibilitatis vires, vicinos quoque Preſbyteros invitet. Hoc tamen ſciendum, quia ſi is qui infirmatur publica pœnitentia mancipatus eſt, non poteſt hujus myſterii conſequi medicinam, niſi prius reconciliatione percepta communionem corporis & ſanguinis Chriſti meruerit. Cui enim reliqua ſacramenta interdicta ſunt, hoc uno nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis eſt, ut per ſeipſum viſitandum & ungendum dignum exiſtimet Epiſcopus, ab ipſo quam plurimum competenter fieri valet, a quo ipſum chriſma conficitur, & cui peccata remittendi officio privilegii poteſtas conceſſa eſt.*

Amolo Lugdunenſis Epiſcopus in epiſtola ad Theodboldum Lingonenſem Epiſcopum: *Unaquaque*, inquit, *plebs in parœchiis & Eccleſiis, quibus attributa eſt, quieta conſiſtat, atque ad ea ſanctuaria accedat, ubi ſacrum baptiſma accipit, ubi corpus & ſanguinem Domini percipit, ubi Miſſarum ſolennia audire conſuevit, ubi a Sacerdote ſuo pœnitentiam de reatu, viſitationem in infirmitate, ſepulturam in morte conſequitur.* Et paullò poſt: *Si autem & languores aliqui, ac debilitates accidunt, juxta Evangelicum & Apoſtolicum præceptum, præſto habet unuſquiſque, ut inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.*

Herardus Archiepiſcopus Turonenſis in capitulis anni DCCCLVIII. num. XXI. *Ut in infirmitate poſiti abſque dilatione reconcilientur, & Viaticum viventes accipiant, & benedictione ſacrati olei non careant.*

Paſchaſius Radbertus in vita Adelhardi Cordeïenſis Abbatis. *Interea cum cœpiſſet Idus Epiſcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Apoſtolo ſancitum eſt, deberet perungi, interrogavimus eum, utrumne vellet, quem procul dubio ſciebamus, peccatorum oneribus non detineri: quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominus obſecrabat, ut fieret.*

Idem lib. de corpore & ſanguine Chriſti cap. VIII. *Unde ſecundum Apoſtolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda eſt confeſſio, deinde oratio plurimorum poſt ſanctificationem unctionis.*

Hincmarus Remenſis Epiſcopus epiſtola L. *Nuper in parochia noſtra, quidam mihi notus homo, nomine Bernoldus, infirmatus, & poſt confeſſionem & reconciliationem, atque ſancti olei unctionem, & corporis Chriſti ac ſanguinis communionem, ingraveſcente valetudine, pene uſque ad mortem pervenit.*

Idem in opuſculo de Fulcherii & Hardoiſæ ob inceſtas nuptias excommunicatione. *Et dicente*, inquit *Domino: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; ſi antequam ſe ab hoc inceſtu ſeparent, quiſquam eorum in infirmitatem deciderit, & vel ſic jam in deſperationem de vita temporali devenerit, ſi vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo & Sacerdote ac fidelibus hominibus confeſſus fuerit, & fidejuſſo-*

* Pariſiis anno 1647 in fol.

res dederit, vel ſi de ipſa infirmitate convaluerit, ulterius ad illam inceſtam conjunctionem non redeat. cum aliis peccatis ſuis de hoc inceſtu puram confeſſionem ſaciat, & a Sacerdote reconcilietur, & ſancto oleo ungatur, & communio corporis & ſanguinis Chriſti ei largiatur.

Namnetenſe Concilium, quod anno DCCCXCVI. celebratum eſt, cap. IV. de viſitandis infirmis: *Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quam citius ad eum pergat*; & cetera, quæ referentur poſtea, cum Traditio de forma ſacramenti hujus exponetur.

Sanciti ſub Edgaro Rege, & Dunſtano Cantuarienſi Epiſcopo Canones num. LXV. *Docemus, ut Sacerdos ægrotis (prout opus fuerit) Euchariſtiam præbeat, & (ſi deſideretur) unctionem.*

Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis in Excerptionibus Canonum, cap. XXI. *Ut ſecundum definitionem ſanctorum Patrum, ſi quis infirmatur, a Sacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter ungatur.*

Riculfus Sueſſionenſis Epiſcopus in Conſtitutione ſua num. X. *Item oportet, ut Presbyteri infirmos ſuos poſt confeſſionem & reconciliationem, oleo ſancto perungant, & tunc eos communicent.*

Sermo ſynodalis habitus in Auguſtana diœceſi anno MIX. ad Parochianos. *Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & juxta Apoſtolum, oleo ſancto inungite, & propria manu communicate.*

Alfricus Epiſcopus, qui * ad annum MXL. claruit, in ſuis ad Wlfinum Epiſcopum Canonibus num. XXXII. *Habebit etiam Presbyter conſecratum oleum duplex, hoc infantibus, illud ægrotis paratum, & ægrotos ſemper unget jacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine ſua ſe non concedunt ungi. Dicam quid de iis docuit Jacobus Domini Apoſtolus, qui credentibus ait: Triſtatur aliquis veſtrum? oret; æquo animo eſt? pſallat. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Hæc locutus eſt Jacobus de ungendis ægrotis. Ægrotus autem priuſquam inungatur, confitebitur ab intimo corde, ſi quid peccati commiſerit, pro quo dignam non contulerit ſatisfactionem, ſicut Apoſtolus hic jam ſupra eum monuit, nemo enim præſumat ungere, niſi exoratus, & poſt peractam confeſſionem.*

Petrus Damianus Oſtienſis Epiſcopus & Cardinalis, in ſermone LXIX. de dedicatione Eccleſiæ. *Tertium ſacramentum eſt unctio infirmorum. Infirmantibus nobis, & uſque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus ſpiritus pietatis aſſiſtit, & recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus; ait enim divus Jacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, remittentur ei. Solennis unctio, liquor excellens, quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Videſne qualiter ſacerdotalis manus infirmantis corpus alleviet, & illecebroſam ſenſuum motionem ſacratiſſima mitiget unctione? unde & ſancti Patres hanc unctionem ſacramentum eſſe ſanxerunt*, id eſt, ſuis ſanctionibus declararunt.

Theophylactus Achridæ in Bulgaria Archiepiſcopus: *Et egreſſi prædicabant ut reſipiſcerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant. Quod unxerint oleo Apoſtoli, ſolus Marcus narrat, quod & frater Domini Jacobus in catholica epiſtola dicit: Infirmatur quis inter vos, advocet Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper illum, ungentes eum oleo. Eſt igitur oleum & ad labores utile, & ad lucis fomentum, & hilaritatis effectivum, ſignificatque miſericordiam Dei, & gratiam ſpiritus, per quam a labore liberamur, & lucem ac gaudium, hilaritatemque ſpiritualem accipimus.*

OEcumenius in cap. ultimum epiſtolæ beati Jacobi ad illud: *Affligitur aliquis inter vos. Afflictionem comitatur oratio, ut ei qui affligitur, lenior fiat exitus afflictionum ſive tentationum. Deinde ubi precatione placaverit ea, quæ nobis moleſta ſunt, & ad ſuum ſtatum ac tranquillitatem perveneris anima, tunc pſallat, ut quæ ſibi commoda ſunt, multiplicentur, ac delectetur ſpirituali exultatione: ſiquidem hilaritas ac jucunditas rectus animi ſtatus eſt; juxta magnum quoque Baſilium; hymnorum, ſive divinarum laudum conſolationes gratiam conferunt. Itaque qui non ita proceſſit, neque ad hujuſmodi ſtatum pervenit, quem & David ſanctitatem vocat: Pſallite, inquiens, Domino Sancti ejus;*

* Alfricus ſeu Ælfricus obiit anno 1006. vide Hiſt. Litter. Cave p. 506.

ejus; magnas agit nugas, vane & inutiliter pſallens; quemadmodum etiam proverbio dicunt: Ungentes oleo. Hoc etiam Domino inter homines adhuc converſante, faciebant Apoſtoli, ungentes ægrotos oleo. & ſanantes. Deprecatio efficax. Efficax eſt juſti oratio, quando is pro quo precatur, ſpirituali afflictione juverit eum qui precatur: ſi enim aliis pro nobis orantibus, nos vacemus deliciis ac diſſolutionibus vitaque plenæ transgreſſionibus, diſſolvimus per hoc vehementiam orationis, quæ certat pro nobis.

Petrus de Honeſtis lib. II. Regulæ Clericorum cap. XXII. *Hi ergo ſi febrem continuari, vel languorem increſcere perſenſerint, tunc advocato Priore ſeu Præpoſito, & Presbyteris ad hoc officium deputatis, plenam de peccatis ſuis confeſſionem faciant, ſicque præmiſſa de præteritis culpis, ſecundum Prioris juſſum, ſatisfactione, & in futuro ſui emendatione, ſuſceptaque ab omni Conventu benedictione, & peccatorum abſolutione, fideliter per eos, quibus injunctum eſt, cuſtodiantur.* Et poſt alia: *Quod ſi languor magis magiſque increverit, per Presbyteros aqua benedicta aſperſi, oleo ſancto perungantur, & Christi corporis & ſanguinis perceptione muniantur.* * Hæc ille, qui Paſchali II. Pontifice vixit.

Goffridus Vindocinenſis Abbas in libri II. epiſtola XIX. ad Ivonem Carnotenſem Epiſcopum. *Unctionis ſacramentum B. Innocentius Papa adeo magnum dicit, quod pœnitentibus, quibus cetera ſacramenta negantur, nulla ratione putatur poſſe concedi.*

Deinde in opuſculo IX. *Inunctio infirmorum magnum ſacramentum eſt, & ideo nulla ratione iterandum. Sicut enim cetera ſacramenta per Apoſtolos Chriſtiana Religio ſuſcepiſſe creditur, ita & iſtud ſuſcepiſſe ab Apoſtolica Traditione minime dubitatur.*

Ivo Carnotenſis Epiſcopus in epiſtola CCLV. ad Radulfum Monaſterii ſancti Fusciani Abbatem. *Unctionem, quam ſemel accepiſti, non æſtimo repetendam, quia ſecundum inſtitutum Apoſtolicæ Sedis genus eſt ſacramenti.* De Unctionis infirmorum ſacramento, quod a majoribus per Traditionem acceptum fuerat, non diſputabatur, ſed de certa quadam ſacramenti circumſtantia diſputabatur. Hæc autem diſputatio ſacramentum confirmat.

Hugo de ſancto Victore in Summa ſent. tract. VI. cap. XV. de ſacramento Extremæ-Unctionis. *Hoc ſacramentum*, inquit, *inſtitutum fuit ab Apoſtolis; unde in epiſtola Jacobi: Si quis infirmatur in vobis*, &c. Idem lib. I. de Sacramentis, cap. XXVII. *Unctio infirmorum ab Apoſtolis eſt inſtituta; unde Jacobus: Infirmatur quis in vobis.* Iterum lib. II. de Sacramentis, quinta parte, cap. II. *Sacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur; Jacobus enim Apoſtolus in epiſtola ſua ſcribens, ſic ait: Infirmatur quis in vobis*, &c.

Magiſter ſent. lib IV. diſt. XXIII. *Hoc ſacramentum*, inquit, *Unctionis ab Apoſtolis inſtitutum legitur; ait enim Jacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ*, &c.

Petrus Corbolius Pariſienſis Theologus, Innocentii III. magiſter, & poſtea Senonenſis Archiepiſcopus, in quæſtionibus ſcholaribus MMSS. de Extrema-Unctione. *Quæritur unde habuit initium hæc inungendi inſtitutio. Dicunt aliqui, quod a Jacobo ex illo verbo primum poſito*, (Infirmatur quis in vobis) *ſed manifeſte convincitur per textum Marci, quia ab Apoſtolis habuit initium.* Hic vero Petrus qualis fuerit, Robertus Autiſſiodorenſis teſtatur in Chronico ad annum MCC. *Idem præterea Legatus Petrum de Corboilo. qui literatura ſæculari, & Theologica prærogativa famoſus in ſcholarum regimine Pariſius diu claruerat, & de cathedra magiſtrali ad Cameracenſis Eccleſiæ cathedram nuper aſſumptus fuerat, tam de aſſenſu Regis. quam domini Papæ, Clero licet, præter paucos, invito, in Senonenſem Eccleſiam inthronizat.*

Robertus Corceon Pariſienſis Theologus, & Sedis Apoſtolicæ in Gallia Legatus, in Summa, quæſt. de Extrema-Unctione. *Fuit autem hoc ſacramentum inſtitutum, ut plerique aſſerunt, primo a Jacobo Hieroſolymitano Epiſcopo poſt miſſionem Apoſtolorum, ut habetur in epiſtola canonica capite ultimo.* Hæc Summa aſſervatur MS. in Bibliotheca Cœnobii ſancti Victoris.

Alanus Monſpelienſis lib. I. contra Valdenſes. *Dicunt etiam*, inquit, *prædicti hæretici, extremam olei unctionem, quæ datur infirmis, nec eſſe ſacramentum, nec aliquem habere effectum, quia hoc ſacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum non legitur. Ad hæc dicimus, quod ſacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur; ait enim Jacobus Apoſtolus: Infirmatur quis in vobis*, &c.

Albertus in quartum diſt. XXIII. art. I. *An Extrema-Unctio ſit ſacramentum. Reſponſio. Dicendum, quod abſque omni dubio Extrema-Unctio eſt ſacramentum, quod à*

* Obiit. anno 1119.

Domino & Apoſtolis habuit ortum ſua inſtitutionis. Iterum art. XIII. *An ſacramentum Extrema-Unctionis ab Apoſtolis, aut a Chriſto ſit inſtitutum. Reſponſio. Dicendum, quod dupliciter poteſt ad hoc reſponderi. Quidam enim dixerunt, quod Apoſtoli a Deo inſpirati, & divina auctoritate, & voluntate Dei inſtituere potuerunt ſacramenta quadam, quia non ipſi, ſed Deus inſtituit; & per hoc ſolvunt rationes inductas, & dant ſimile, quod formam baptiſmi ad tempus ſic inſpirati mutaverunt, ut fieret in nomine Chriſti & Dei. Sed his non videtur conſentiendum, quia aliud eſt mutare, aliud inſtituere totum ſacramentum de novo celebrandum: poſſet enim homo habens auctoritatem, aliquod interpretari dubium in ſacramentis, & homo habens auctoritatem, & notam toti Eccleſia inſpirationem, ſicut habuerunt Apoſtoli, aliquid ad tempus aliqua de cauſa mutare poteſt, ſed totum inſtituere, non credo quod poſſit, niſi Deus; & ideo videtur primis rationibus eſſe conſentiendum,* quibus ſcilicet probatur a Chriſto inſtitutum eſſe ſacramentum Extremæ-Unctionis.

Ad primum in contrarium dicendum, quod Magiſter loquitur de inſtitutione Canonis, non auctoritate perſona, quia Jacobus primo edidit Canonem & regulam hoc ſacramentum obſervandi.

Beatus Bonaventura in quartum diſt. XXIII. art. I. quæſt. II. *Reſponſio ad argumenta. Ad horum intelligentiam notandum eſt quod aliqui dicere voluerunt omnia ſacramenta inſtituta fuiſſe a Chriſto, quoniam ipſe fuit legiſlator: unde quamvis non expreſſe legatur de Confirmatione, & Extrema-Unctione; tamen credendum eſt ipſum inſtituiſſe. Et hoc aliquomodo innititur de Confirmatione, cum manus pueris impoſuerit; de Extrema-Unctione, cum diſcipulos ad prædicandum miſit, qui oleo ungebant infirmos, & curabantur, ſicut dicitur: nec dubium eſt, quin per mandatum ipſius hoc fecerint. Si autem Apoſtoli dicuntur aliqua inſtituiſſe, hoc eſt quia inſtitutionem promulgaverunt, ſicut beatus Jacobus Confeſſionis & Unctionis. Sed tamen cum in Evangelio ſufficienter lex evangelica exprimatur, & evangelica lex contineat Chriſti ſtatuta & facta, & magis ſtatuta quam facta, quomodo probabile eſt, ut omnes Evangeliſta ſic ſub ſilentio tam nobilia ſacramenta pertranſiſſent, ſi Chriſtus inſtituiſſet, cum ex his noſtra ſalutis adminiculum eliciatur? Et ideo probabilius alii dicunt, & magiſter videtur hoc ſentire, imo aperte dicit, quod Spiritus ſanctus per Apoſtolos hoc ſacramentum inſtituit, ſicut ſupradictum eſt de ſacramento Confirmationis; & quod hoc potuerit eſſe, manifeſtum eſt, cum ipſe ſit doctor pracipuus, ſicut & Chriſtus.* Et quibuſdam interpoſitis: *Et quod ita fuerit congruum, manifeſtum eſt, ſi attendatur diverſitas ſacramentorum; quadam enim ſunt ſacramenta communia legi veteri & nova quadam propriiſſima legi nova, quadam medio modo. Communia ſunt illa, qua ſunt quodammodo ex dictamine natura quod quia ſemper idem manet, illa ſacramenta ab initio cucurrerunt, ut Matrimonium & Pœnitentia, ſecundum quod Deo reconciliat; & hac quidem Dominus* JESUS *conſummavit, & confirmavit in lege nova, non evacuavit. Quadam ſunt propriiſſima legi nova, & hac ſunt, qua ſignant gratiam in tali ſtatu, qua proprie competit legi nova: hac autem duo ſunt, Confirmatio & Unctio, ubi ſignatur gratia Spiritus ſancti, ſecundum quam inungitur quis in pugilem, ut pro Chriſto audeat mori; & in Regem, ut in regnum calorum poſſit introire tanquam in ſuum. Hoc eſt nova legis proprium, ideo in veteri Teſtamento non habuerunt certam figuram hac duo ſacramenta, quia ſignant Spiritus ſancti gratiam cum aliqua abundantia, & Spiritus ſanctus abundanter non fuit datus, quouſque* JESUS *non fuit glorificatus, ſicut dicitur. Ideo hac duo ſacramenta a Chriſto fuerunt inſinuata, ſed poſtea fuerunt a Spiritu ſancto inſtituta. Quadam ſunt ſacramenta media, qua in veteri lege non fuerunt in veritate; fuerunt tamen in figura & ſignificatione, ſicut Baptiſmus, Euchariſtia & Ordo. Et quia Chriſtus legem implevit, & figuras evacuavit, hac tria ſacramenta per ſeipſum inſtituit; ſic patet quomodo congruentiſſime ſtatuta & inſtituta ſunt eccleſiaſtica ſacramenta, ut nihil ſit geſtum per oblivionem, ſed ſecundum inenarrabilem Dei diſpenſationem. Concedenda igitur ſunt rationes probantes Spiritum ſanctum per Apoſtolos hoc ſacramentum inſtituiſſe. Et ad illud, quod objicitur, quod hoc eſt legiſlatoris, dicendum quod Spiritus ſanctus ſupplevit hoc, quod Dominus dimiſerat in doctrina, ſicut dicitur: Multa habeo vobis dicere, qua non poteſtis portare. Et poſt: Cum venerit,* &c. *Unde ſicut ſupplevit quod deerat de doctrina, ſecundum Dei ordinatam diſpenſationem, ita etiam de inſtitutione ex cauſa congrua, quod dimiſſum erat. Nec ſunt duo legiſlatores, Chriſtus, & Spiritus ejus.*

Sanctus Thomas in Supplemento quæſt. XXIX. art. III. *Utrum ſacramentum Extrema-Unctionis fuerit a Chriſto inſtitutum. Reſpondeo dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod ſacramentum illud & Confirmationis Chriſtus*

non

non inſtituit per ſe, ſed Apoſtolis inſtituendum dimiſit, quia hæc duo propter plenitudinem gratiæ, quæ in eis confertur, non potuerunt ante Spiritus ſancti miſſionem pleniſſimam inſtitui; unde ſunt ita ſacramenta novæ legis, quod in veteri lege figuram non habuerunt. Sed hæc ratio non multum cogit, quia ſicut Chriſtus ante paſſionem ſuam promiſit plenam Spiritus ſancti miſſionem, ita potuit inſtituere hæc ſacramenta: & ideo alii dicunt, quod omnia ſacramenta Chriſtus inſtituit per ſeipſum, ſed quædam per ſeipſum promulgavit, quæ ſunt majoris difficultatis ad credendum; quædam autem Apoſtolis promulganda reſervavit, ſicut Extremam-Unctionem & Confirmationem, & hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia ſacramenta ad fundamentum legis pertinent, & ideo ad legiſlatorem pertinet eorum inſtitutio; & iterum, quia ex inſtitutione efficaciam habent, quæ eis nonniſi divinitus ineſt.

Manuel Caleca ex Ordine Prædicatorum Theologus, natione Græcus, in libro de principiis Fidei Catholicæ, cap. VI. *Homo, quod arbitrii facultate præditus eſt, peccare poteſt, cum extra rationis metas: ac ſecus eſt, ſuadeat, myſteriorum quibus impartitus eſt, puritas atque ſanctitas aliquid egerit: ſiquidem igitur ægritudo hæc ac perverſio in animo ſolum contigerit, per pœnitentiæ ſacramentum emendatur; ſin autem a peccato, quo laborat animus, ægritudo ad corpus tranſit, quod ſic illi conducit, qui peccatum commiſit, (ſæpe enim contingit ægritudine laborare aliquem propter peccata, ut erudiatur) emendatur per unctionem ſancti olei, quam Extremam-Unctionem vocant.* Et poſt alia: *Quia vero, ut dicebamus, ex animi ægritudine, morbus quidam in corpus diffunditur, ob eorum (animi ſcilicet & corporis) mutuam habitudinem ac neceſſitudinem; qui utique morbus utili Dei conſilio provenit: etenim caſtigatio eſt ob eam, cujus homo reus eſt, pœnam, ſi modo ejus morbi vim cum gratiarum actione ſuſtinuerit; haud raro tamen per eam ægritudinem impeditur homo, ne bonum operetur, ac ne operando ſpiritalem ſalutem conſequatur. Idcirco Extremæ-Unctionis ſacramentum (olei ſcilicet junctis precibus inuncto) datur, eſtque ſpiritalis hæc curatio, ut a corporis morbo liberemur, qui impedimento eſt, ne ſpiritalia opera præſtemus, de quibus divinus Apoſtolus ſcribit: Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit ægrotum, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Sin autem aliqui hujus vi ſacramenti a corporis morbo minime liberantur, haud tamen id illi daudum vitio ſit: ſæpe enim etiam corpore ſanari, vel ſi digne ſacramentum aliqui ſuſceperint, ad ſpiritalem ſalutem non conducit; forte enim nec pro eo ac utile eſt, corporis illa ſanitate utentur, non tamen inani conatu, nulloque fructu ſacramentum ſuſcipiunt, tametſi corporis ſanitas non ſequatur: juvat enim ſecundum alium modum. Incorporei namque morbi (pronitas ſcilicet ad malum, bonique præſtandi neglectus) pœnitentiæ medicamine, uti diximus, curandi ſunt. Quia tamen homo, qua vel laborat ſegnitie, vel quibus ſæculi variis curis diſtrahitur, quas dicebam ægritudines in ſeipſo perfecte non ſanat. Sacramentum hoc ad ſalutem homini datum eſt, quo nimirum ejus ſuſceptione id impleat, quod ad illius curationis, quam præſtat pœnitentia, perfectionem deſiderabatur; ejuſque damnationis reatu liberetur, cui idcirco obnoxius eſt, quia pœnitentiæ canonem non peregit, ut ſcilicet nihil in eo reſiduum ſit, quo animus excedens futuram gloriam conſequi impediatur. Præterea contingit nec meminiſſe, nec vero noſſe, quæ quis commiſit omnia peccata, ut per pœnitentiam illa delere poſſit; quin & quotidiana peccata ſunt, ſine quibus fieri non poteſt, ut vita hæc tranſigatur: quibus omnibus neceſſario per hoc ſacramentum emundatur. Unde & addit: Et ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Unde liquet, ſacramentum hoc extremum eſſe, velut ſcilicet ſpiritalis omnis ſanationis ſignaculum, eſſeque his, qui morbo laborant, adhibendum, ac præcipue illis, qui eum, cujus rei ſunt, canonem non expleverunt, eſſeque adeo iterum illis adhibendum, ſi in eandem neceſſitatem devenerint: nihil enim vetat: ob naturæ infirmitatem, quin homo in eadem delicta relabatur, ut & ſæpius eodem curationis genere indigeat, uti etiam contingit in vita corporali, in qua eadem accidunt ægritudines, eademque rurſus illis curandis adhibenda remedia ſunt.* Hæc ille, qui & Unctionis infirmorum ſacramentum probe confirmat, & difficultatibus, quæ fieri poſſent, univerſis occurrit.

Joannes Scotus in quartum diſtinct. II. quæſt. I. de Extrema-Unctione. *Dicitur Jacobi V. Infirmatur quis in vobis; ſed licet ibi promulgaverit illud ſacramentum, eſt melius dicere, quod fuerit inſtitutum a Chriſto. Legimus enim Marci VI. quod Apoſtoli ungebant oleo multos infirmos, & ſanabantur; & conſtat quod hoc non fecerunt, niſi in virtute Chriſti, qui inſtituerit eam virtuoſam unctionem.*

Joannes

Joannes Baconus in quartum diſt. XXIII. de ſacramento Extremæ-Unctionis. *Primus articulus, qua ſit inſtitutio ſacramenti, ubi dico, quod a Chriſto fuit inſtitutum, Marci* VI. *ubi dicitur, quod Chriſtus miſit diſcipulos ſuos, & ungebant oleo, & ſanabant. Poſtmodum Jacobus in canonica ſua exercitium ejus promulgavit, dicens: Infirmatur quis in vobis.*

Eugenius IV. in decreto quod poſt abſolutam Synodum Florentinam edidit pro inſtructione Armenorum. *Quintum*, inquit, *ſacramentum eſt Extrema-Unctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui ungendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum; in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus ſacramenti eſt hæc: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum,* &c. *& ſimiliter in aliis membris; effectus vero eſt mentis ſanatio, in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento habetur Jacobi* V.

Stephanus Bruliferus Pariſienſis Theologus, qui ad annum MCCCCLXX. claruit, in quartum ſent. diſt. XXIII. quæſt. II. *Reſpondetur, licet aliqui voluerint dicere, quod Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit; tamen Bonaventura & Scotus, & omnes quaſi Doctores moderni concordant in hoc, quod Chriſtus non inſtituit,* (ſacramentum Extremæ-Unctionis) *ſed poſt Aſcenſionem ejus, Spiritus ſanctus per Apoſtolos hoc ſacramentum inſtituit, ſicut ſupradictum eſt de ſacramento Confirmationis, nec etiam Apoſtoli inſtituerunt, ſed ſolum promulgarunt.*

Senonenſe Concilium, quod anno Chriſti MDXXVIII. habitum eſt, decreto X. inter decreta Fidei. *Ad Unctionis autem extremæ ſacramentum Chriſtus manuduxiſſe primum videtur, cum Apoſtoli oleo ungerent multos infirmos, & ſanarentur: neque enim id ſuo ſenſu, ſed præceptoris inſtituto feciſſe putandi ſunt. Sed ne hic noſter ungendi infirmos ritus Chriſti præceptum, non tamen ſacramentum eſſe videretur: Si quis infirmatur (inquit Jacobus) in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Quibus liquido conſtat, Extremam-Unctionem, non ægritudinis tantum corporalis medicamentum eſſe, ſed etiam ceterorum ſacramentorum inſtar, remiſſionem peccatorum efficaciter operari, ac proinde nec a Jacobo quidem fuiſſe inſtitutam, ſed ab eo tantum, cui peculiare eſt, ut gratiam & gloriam conferre poſſit.*

Martinus Pereſius Aiala Guidixienſium Epiſcopus, qui Tridentino Concilio interfuit, in tertia parte de divinis Traditionibus, conſideratione VI. *De extrema*, inquit, *Unctione fit quodammodo apud Marcum mentio, cap.* VI. *ubi dicitur, quod exeuntes Apoſtoli prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabantur; expreſſius tamen divus Jacobus hoc ipſum ſacramentum promulgavit, ſeu per Spiritum ſanctum inſtituit, de quo ſic loquitur in ſua canonica cap.* V. *Infirmatur quis in vobis.* Hæc ille anno MDXLVIII.

Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. de doctrina ſacramenti Extremæ-Unctionis. *Viſum eſt autem ſanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de pœnitentia adjungere ea quæ ſequuntur de ſacramento Extremæ-Unctionis, quod non modo pœnitentiæ ſed etiam totius chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus.* Et poſt alia cap. I. *Inſtituta autem eſt ſacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere & proprie ſacramentum novi Teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum; per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur*, inquit, *quis in vobis.* Deinde can. I. *Si quis dixerit Extremam-Unctionem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

Hæc habui, quæ de inſtitutione ſacramenti Unctionis infirmorum per Scripturæ auctoritatem, & Catholicæ Eccleſiæ Traditionem ſimpliciter depromerem, ubi Traditionis ratio ex auctoribus primæ, mediæ, & poſtremæ ætatis, ad plenum & perfectum dignoſcitur.

CAPUT II.

RELIQUUM eſt modo, ut per obſervationes aliquot occurramus certis quibuſdam difficultatibus, quæ circa explicatam Eccleſiæ Traditionem moveri poſſent: non quod valde ſit neceſſarium, (nam ædificara ſemel veritate, difficultates quælibet oppoſitæ extenuantur eodem rempore, atque evaneſcunt) ſed quia non omnia omnibus facile patent, & veritas ἐνάργειαν ſui, perſpicuitatem, illuſtrationem, evidentiam nullam refugit.

OBSERVATIO I.

Perpetuus Unctionis infirmorum uſus.

IN iis quæ ſacramenti alicujus condirionem penitus aſſerunt & confirmant, ſæculorum omnium uſus maxime elucet. Id de ſacra infirmorum Unctione nobis objicir explicata Eccleſiæ Traditio, in qua præſcriptam apud Jacobum infirmos ungendi diſciplinam contemplari licet. Eam apud Græcos Origenes, Victor Antiochenus, Joannes Chryſoſtomus, & Cyrillus Alexandrinus: apud Latinos Innocentius I. Auguſtinus, Gregorius I. & Beda Jacobo Apoſtolo acceptam referunt. Eam apppellat Gregorius Turonenſis nec uri novam, ſed ur a Patribus antiquis derivaram appellat. Eam inſequentes ætates frequentarunt, & frequentando ſe id quod Jacobus Apoſtolus in epiſtola fieri jubet, facere crediderunt, & conceptis verbis tradiderunt. In ceteris licet diverſa inveniatur ratio, in hoc uſu ſumma fuit concordia, ſumma conſenſio. Quod cum ita ſir, nihil eſt admodum, cur qui a nobis ſeorſum per religionem ſentiunt, infirmorum unctionem ſacram, ut humanum figmentum, abjiciant, vel faciant id, quod eos facere ſcribit Martinus Pereſius ſua in conſiderationem de veneratione Sanctorum præfatione. Verba ſunt: *Hoc enim ſemper fuit hæreticorum ingenium, abuſus hominum cum dogmatibus veritatis, quaſi emblemata quadam interſerere, quo facilius nomen veritatis, cui obſiſtunt, apud ſimplices magis odioſum reddant.*

OBSERVATIO II.

Diſciplina ungendorum infirmorum primis Eccleſiæ ſæculis infrequentior fuit, quam poſterioribus; & quare.

DISCIPLINÆ hujuſmodi non una poreſt aſſignari ratio; & ptimum quidem unctio non dabatur iis, qui publicam agebant pœnitentiam, cum in morbum inciderant. Id relatis ſupra verbis tradit Innocentius I. ita ſcribens: *Pœnitentibus iſtud* (chriſma) *infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramenti: nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Deinde non dabatur iis, qui variis agirati perſecutionibus, ad Eccleſiæ vulnera perveniebant: quis enim numeraret Chriſtianos omnes, in quos ſævitum eſt a tempore Neronis uſque ad Conſtantini imperium? Denique non dabatur iis, qui viram ſumma cum virtute conjunctam, & a peccatis immunem egerant. Id ex Adelhardi Corbeïenſis Abbatis vita, quam Paſchaſius Radbertus edidit, colligitur. *Interim cum cœpiſſet idem Epiſcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Jacobo ſancitum eſt, deberet perungi, interrogavimus eum, utrumne vellet, quem proculdubio ſcieramus, peccatorum oneribus non detineri.* Stulta & inanis fuiſſet interrogatio, ſi tunc temporis obtinuiſſet mos Eccleſiæ, ut qui credebantur peccatorum oneribus non detineri, unctionem infirmorum acciperent. Hinc, opinor, factum eſt, ur antiquiorum Confeſſorum acta ritum hunc non paſſim exhibeant: certum quidem eſt morem Eccleſiæ, quo de agimus, obtinuiſſe quondam; ſed unde, & quo tempore obtinere cœpit, incertum: atqui ea ſuper re, malo judicium ſuſpendere, quam quod neſciam, temere pronuntiare. Ne mireris igitur, ſi ſacramentum hoc communi quondam in uſu, atque hominum more ac ſermone poſitum haud invenias, cum inde pœnitentes multi fuerint, quia tunc lapſi multi; inde martyres innumeri, quorum cruore orbis infectus eſt; inde homines multi vitæ ſanctimonia excelluerint. Sed omnino cave ne ex unctionis infirmorum uſu rariori, uſum nullum colligas; id certum quoddam genus eſſet ſophiſticæ fuliginis, quæ perſpicuis Origenis, Victoris Antiocheni, Joannis Chryſoſtomi, Poſſidii, Auguſtini, Cyrilli, Gregorii teſti-

teſtimoniis mala fide aſpergeretur. Cave quoque ne ex diſciplina ſtrictiori laxiorem, quæ poſtmodum obtinuit, coarguas. Sed audi quid Tertullianus in libri de velandis virginibus capite 1. doceat. *Regula quidem fidei una omnino eſt ſola immobilis, & irreformabilis.* Et paullo poſt: *Hac lege fidei manente, cetera jam diſciplina, & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei.*

Observatio III.

An ſacramentum Extremæ-Unctionis inſtitutum ſit a Chriſto, vel ab Apoſtolis, diſputatum ſerius.

QUI rexerunt olim Eccleſiam, in ungendis oleo ſacro infirmis cum precibus, quam in indaganda ſubtiliter hujuſce ritus origine, plus operæ poſuiſſe ac ſtudii, noſtra explicata ejuſdem Eccleſiæ Traditio demonſtrat. Antiqui Patres & Tractatores Unctionem infirmorum a Jacobo derivatam dixerunt omnes; ſed utrum eam Jacobus a Chriſto inſtitutam acceperat, vel Jacobus ipſe inſtituerat, docenre cum primis ſancto Spiritu, non inquiſierunt. Amolo Lugdunenſis Epiſcopus, qui annis abhinc octingentis claruit, cum de tradenda infirmis Unctione ſacra loquitur, Chriſtum & Jacobum conjungit; hic enim diſertè ſcribit, *dari Unctionem infirmis, juxta evangelicum & Apoſtolicum præceptum*, ac ſi Chriſto & Jacobo præceptum hujuſce adminiſtrandi ſacramenti deputaret. Hinc ad Evangelium Marci, inde ad epiſtolam Jacobi reſpectum habet. Sed recentiores plerique omnes, & Synodi præſertim duæ, Senonenſis & Tridentina, præceptum illud Evangelio abjudicant: ei quippe tribuunt dumtaxat certam quandam ad Extremæ-Unctionis ſacramentum *manuductionem* & *inſinuationem*, quibus verbis, ut rem explicent, utuntur. Poſt annum Chriſti milleſimum a Magiſtris quæri cœpit, utrum Chriſtus Unctionem infirmorum inſtituerit, an Jacobus. Huic autem quæſtioni qui reſponderunt primi, Unctionis hujus inſtitutionem Jacobo frequentius, & Apoſtolis apud Marcum rarius tranſſcribunt. Hugo Victorinus, Magiſter Sententiarum, Petrus Senonenſis Archiepiſcopus, Robertus Corzon, Sedis Apoſtolicæ Legatus, Alanus Monſpelienſis, qui & an Apoſtoli id ſuo ſenſu, non præceptoris inſtituto, & an Jacobus id ſuo quoque ſenſu, non per Spiritum, qui Apoſtolos docturus erat, omnia fecerint, aut conſtituerint, nihil affirmant. Non multo poſt Theologicæ quæſtiones cum agitatæ ſunt argutius, & adhuc ſubtilius, a Magiſtris itum eſt in diverſas ſententias: tunc enim alii Chriſto, alii Jacobo Unctionis hujus inſtitutionem aſſerunt. Id quod Alberti, Bonaventuræ, Thomæ, Scoti, & Bruliferi ſcripta declarant, & declarando ita pugnant inter ſe, ut etiamſi poſſent in unam convenire ſententiam, nollent. Cui diſſenſioni fidem eadem ſcripta, quæ ante retulimus ſuo loco, faciunt certiſſimam, nec ullus negabit unquam, niſi qui ſcripta illa inter ſe non contenderit, & ingenuitatem cum fronte amiſerit.

Observatio IV.

Cauſa diſquiritur, & forſan reperitur, cur Scholaſtici de inſtitutione ſacramenti Extremæ-Unctionis diſputantes, in varias opiniones conceſſerint.

VIDIMUS modo varias eſſe de auctore ſacramenti Unctionis infirmorum ſententias inter eos Scholaſticos, qui & ſanctitate & doctrina claruerunt; diſſimulari vero nec poteſt, nec debet, quin hæc diverſitas, qualis in eorum ſcriptis legitur, nonnihil offenſionis importet. Hic neque ſecundum Bonaventuram, & ſequaces, neque ſecundum Thomam, & diſcipulos pronuntio; ſed hiſtoricè loquor, præ me fero e Traditione, duobus Theologiæ veræ principiis, alterum apud eos non comparere: pro Traditione, quæ ex antiquis Patribus, vel ex perpetuo Eccleſiarum uſu derivetur, nudæ & pugnantes inter ſe rationes comparent; nudæ quidem, quia nativis illis coloribus, & ornamentis carent; pugnantes vero, cum id quod una Thomæ ratio ædificat, altera Bonaventuræ deſtruit, ut mutua utriuſque docet contentio. At quæ ratio legitimæ Traditionis præſidio munita foret, concidere, & labefactari non poſſet. Quæ rationum nuditas, quæ pugna non compareret, ſi quomodo Gregorius IX. Pontifex ſummus Theologicas quæſtiones tractari juſſit, tractatæ tunc eſſent. Gregorii verba ſunt hæc in epiſtola ad Pariſienſes Magiſtros miſſa, anno circiter MCCXXXI. *Magiſtri verò & Scholares Theologiæ*

in

in Facultate, quam profitentur; ſe ſtudeant laudabiliter exercere, nec Philoſophos ſe oſtendent, ſed ſatagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebraam cum Aſotica confundentes; ſed de illis tantum in Scholis quaſtionibus diſputent, qua per libros Theologicos (Scripturas quippe ſacras) *& ſanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Et poſt alia: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtra proviſionis, conſtitutionis, conceſſionis, prohibitionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani, Pontificatus noſtri anno v. menſe Aprili.* Qua de re videndus eſt libellus noſter de varia Ariſtotelis in Academia Pariſienſi fortuna.

OBSERVATIO V.

Scholaſtici veteres iſti, licet de auctore ſacramenti Extrema-Unctionis non conveniant, de ſacramento tamen conveniunt.

SANCTUS Bonaventura, & ſequaces bene multi, quamvis inſtitutam a Jacobo Unctionem infirmorum aſſerant, & ſuo modo confirment; in hoc tamen cum ſancto Thoma & ejus diſcipulis conveniunt, quod vere ac proprie ſacramentum ſit Hoc autem notandum eſt diligentiſſime, ne quis putet Theologos illos præluxiſſe Luthero & Calvino, qui Unctionem infirmorum e numero ſacramentorum ſuſtulerunt. Qua in re diſſentiunt a majoribus ſuis Waldenſibus, quos Alanus confutavit: Waldenſes quippe ſacramentum Extremæ-Unctionis non aliter rejiciunt, quam quia inſtitutum ab Apoſtolis non legitur; Alanus vero non aliter retinet, quam quia inſtitutum ab Apoſtolis legitur, quod ex epiſtola Jacobi confirmat. Hoc exemplo luculenter oſtenditur, non ſolum Catholicos, ſed etiam hæreticos tunc fuiſſe perſuaſos, ad verum & proprium ſacramentum ſufficere, quod ab Apoſtolis inſtitueretur; nec ab ea ſententia videtur abeſſe Hieronymus, dum lib. contra Luciferianos, de Confirmationis ſacramento ita loquitur: *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus ſanctus? Exigis, ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scriptura auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar pracepti obtineret: nam & multa alia, qua per Traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcripta legis uſurparunt, velut in lavacro ter caput mergitare*, &c.

Præterea cum Sectarii Unctionem infirmorum ſuſtulerunt e Sacramentorum numero, permiſſa tunc ætatis tractandi licentia, quæ apud memoratos Scholaſticos apparet, abuſi ſunt, & in factionem converſerunt. Per id de quo certabant inter ſe illi Theologi, de auctore Sacramenti hujus, id de quo non certabant, ſed plane conveniebant, Unctionem infirmorum verum eſſe Sacramentum, ſubvertere decreverunt. Quo in caſu bonæ fidei nonnihil deſideratur. Sic Novatores ad hominem diſputarunt potius, quam ad rei veritatem, quæ ex veræ Theologiæ principiis, Scripturæ auctoritate, & Catholicæ Eccleſiæ Traditione deducatur.

OBSERVATIO VI.

Theophylacti & OEcumenii teſtimonia in Unctionis infirmorum Sacramenti finibus, contineri facile poſſunt.

FUERUNT, qui Theophylactum & OEcumenium de Unctione infirmorum locutos detorquent alio, quam quo illorum auctoritates reipſa pertineant. 1. Auctores hi duo ſuis in Commentariis beatorum Jacobi & Marci teſtimonia interpretantur. & interpretatione ſua ab illorum mente non recedunt, nec a Traditione Eccleſiæ, quæ Unctionem infirmorum pro Sacramento habet. 2. Suos ediderunt Commentarios, quo tempore Græcorum Euchologium per omnes Orientis Eccleſias pervadebat. Hic autem ſacrorum rituum liber præ ſe fert modum, quo Unctionis infirmorum ſacramentum apud eos adminiſtretur: & quamvis Græci & Latini in adminiſtratione ſacramenti hujus nonnihil diſſentiant, in agnitione & fide Sacramenti omnino conſentiunt: quod ſufficit ad eam, quam aggreſſi ſumus, explicatam circa Unctionem infirmorum Traditionem Eccleſiæ. Sed abeant illi, qui ex diſſenſione tali conſenſionem evertere conarentur.

Observatio VII.

Permiſſus apud Innocentium Chriſtianis omnibus olei ſancti uſus, qui nonnullos male torquet, Unctionis infirmorum ſacramento non obeſſe oſtenditur.

INNOCENTIUS cum propoſitis ab Eugubino Antiſtite quæſtionibus reſpondet, inter alia, *ſancto oleo chriſmatis omnibus uti Chriſtianis licere in ſua, aut ſuorum neceſſitate* dicit. Hic nodum in ſcirpto quærunt, qui ex relatis verbis Unctionem infirmorum verum non eſſe ſacramentum colligunt. Sic quoniam aqua benedicta omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate, Baptiſmum verum non eſſe ſacramentum colligerent, nec bona eſſet, nec legitima ratiocinatio, cujus inſulſitas per ſe ipſa proditur. Quo ita conſtituto, non minus foret ſupervacaneum recenſere exempla, quibus probati homines ex laïcorum ordine per aquam benedictam ægrotos aliquando ſanaruntquam exempla, quibus probati quoque homines per oleum ſanctum ægrotos nonnunquam curarunt: exemplorum enim id genus occurrit in Sanctorum actis, quæ manibus omnium teruntur.

Observatio VIII.

Theologi poſt Tridentinum Concilium non ita loquuntur, quemadmodum antiquiores locuti fuerant.

DUM aio poſt Tridentinum Concilium, ſeſſionem intelligo Concilii decimamquartam, quæ anno Chriſti MDLI. de Sacramentis Pœnitentiæ & Unctionis infirmorum celebrata eſt: nam inchoato jam Concilio Pereſius docuit, *Jacobum promulgaſſe ſacramentum Extremæ Unctionis, ſeu per Spiritum ſanctum inſtituiſſe.* quo poſtremo modo Bonaventura, Bruliferus, & alii loquuntur. Sed qui poſt illam ſeſſionem pari modo ſcribat & loquatur, hactenus offendi neminem, Tridentinum Concilium in Alberti & Thomæ ſententiam migrare, & ſentiendi cum Bonaventura & ſequacibus libertatem auferre non paucis videtur. At vero multa ſunt, quæ, ut Concilium & Bonaventura, & ſequaces Theologi concilientur inter ſe, vehementer ſuadeant, & primum quidem fidei profeſſio, quæ ex ipſius Concilii decretis excerpta eſt. In ea enim ſic habetur: *Item ſacram Sripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.* Locus autem beati Jacobi non acciperetur juxta conſenſum unanimem Patrum, ſi contra Bonaventuræ & ſequacium explicationem a Concilio acciperetur. Memoratos in profeſſione Fidei Patres intelligo, non eos tantum, qui antiquitus vixerunt, ſed eos quoque, qui conſequentibus ſæculis doctrina & ſanctitate floruerunt, & qui tandem in Eccleſiæ communione deceſſerunt. Deinde exorta illa ſuper hoc Extremæ-Unctionis ſacramentum inter Valdenſes & Catholicos controverſia, quam ſuperiori Obſervatione attigimus, in hoc utrique conſentiunt, quod ſi ſacramentum iſtud ab Apoſtolis inſtitutum legatur, continuo futurum ſit vere proprieque ſacramentum: hoc autem momentum, ſi conſideretur attentius, propoſitam a nobis conciliationem ita expoſtulat, ut nihil magis expoſtulare poſſit. Tum ſanctus ipſe Bonaventura Epiſcopus & Cardinalis per ſeſe petit, ut a Concilio non excludatur, ſive quia Extremam Unctionem ſacramentum eſſe docet, ſive quia a majorum Traditione non omnino diſcordat. Nam ſi verum amamus, ut Chriſtianus quilibet, & præſertim Theologus amare debet, Bonaventuræ magis, quam Alberto & Thomæ, Hugo, Magiſter, Petrus Senonenſis, Robertus, Alanus patrocinantur. Vetuſtiores prætermitto, qui in explicata Eccleſiæ Traditione legi poſſunt. Deinde Albertus & Thomas eam opinionem, quam Bonaventura, & plures alii tuentur, nulla erroris nota afficiunt, eam tantum, ut minus probabilem refellunt, quemadmodum e contra Bonaventura ſententiam Alberti & Thomæ, ut minus quoque probabilem confutat: quæ jura ſunt Magiſtrorum opinantium in materia, quæ non creditur ad Fidem pertinere. At ſi Bonaventura cum ſuis excludatur a Concilio, Albertus & Thomas non immerito poſſent argui, quod opinionem Bonaventuræ refellentes ex profeſſo, non damnaſſent acrius, vel non pervidiſſent, quod acrius damnari poſſet.

Tum beatus Auguſtinus accurrit, qui lib. I. contra Julianum cap. VI. unum Joannem Chryſoſtomum excipi non patitur in iis, quæ Fidei eſſe putat. Sic autem diſſerit: *Iſane-*

ver-

verba ſancti Joannis Epiſcopi audes, tanquam e contrario tot taliumque ſententiis collegarum ejus opponere, cumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſejungere, & eis adverſarium conſtituere. Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere; abſit inquam, ut Conſtantinopolitanus Joannes de baptiſmate parvulorum, eorumque a paterni chirographi liberatione per Chriſtum, tot ac tantis Coepiſcopis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalva fidei compage, non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius: hoc autem unde nunc agimus, ad ipſa Fidei pertinet fundamenta. Et quamvis Bonaventura Chryſoſtomo par non ſit in Scripturarum intelligentia; par tamen eſt in reddendo de doctrina temporis ſui teſtimonio: quod ad ſanciendum Fidei dogma valde conducit. Minus diſtabat ab Auguſtino Chryſoſtomus, quam a Concilio Bonaventura. Præterea unus erat Chryſoſtomus, qui opponeretur, & quem opponi nollet Auguſtinus, quod in iis, in quibus opponebatur, de Fide ageretur. Hic non unus opponeretur Bonaventura, ſed cum eo plures alii, ut Bruliferus teſtatur. Sic ergo intelligendum eſt Concilium, ut non minus ab eo Bonaventura & ſequaces, quam Albertus, Thomas, & horum diſcipuli excludantur. Hoc certe evincit argumentum, quod nobis Auguſtinus ſuppeditavit.

Præterea Gregorius I. in libri VII. Indict. II. epiſtola LIV. ad Secundinum: *Ideo*, inquit, *ſanctas nos generales Synodos a Nicæna incipientes, hanc* (quintam) *cum reliquis quatuor veneramur, quia ipſum ſequentes cetera in cunctis canonicis ſententiis unanimiter concordant. Nam & nos præcedentes Patres ſequi debemus, qui auctore Deo a ſacra doctrina illorum non diſcordamus.* In eo concordant Magiſtri omnes, quod infirmorum Unctio ſacramentum ſit, licet in auctore ſacramenti nonnihil diſcordent: ſed notandum imprimis eſt Gregorium mentem Eccleſiæ, nedum ſuam explicare.

Poſtremo ſanciendi dogmatis conditio hoc ipſum exigere mihi videtur, Tridentinum quippe Concilium Lutheri & Calvini placita condemnat, quæ cum Bonaventuræ doctrina commune nihil habent. Bonaventura dicit Extremam Unctionem eſſe verum ſacramentum. Lutherus & Calvinus negant Extremam Unctionem eſſe verum ſacramentum: Bonaventura dicit Extremam Unctionem eſſe ſacramentum a Chriſto inſinuatum, & a Spiritu ſancto per Apoſtolos inſtitutum. Lutherus & Calvinus negant Extremam Unctionem eſſe ſacramentum a Chriſto inſinuatum, & a Spiritu ſancto per Apoſtolos inſtitutum: quinetiam aſſerunt eſſe ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum. Quæ duo Bonaventura dicit, nova non ſunt; quæ vero Lutherus & Calvinus dicunt, nova ſunt, eaque intactis Bonaventuræ & ſequacium placitis explodi facile poſſunt. Animadverto quid amplius: Lutherus ſibi viſus eſt Eccleſiam impugnare ſatis acriter, ſi negaret id, quod Bonaventura cum aliis Doctoribus bene multis aſſeruit. Lutheri verba ſunt apud Henricum VIII. Regem Angliæ in aſſertione ſeptem Sacramentorum. *Tamen*, inquit, *ſi eſſet Apoſtoli*, (epiſtola, quæ Jacobo adſignatur) *dicerem non licere Apoſtolum ſua auctoritate Sacramentum inſtituere, id eſt, divinam promiſſionem cum adjuncto ſigno dare: hoc ad Chriſtum ſolum pertinebat.* Lutherus vero, dum ſic loquitur, nonnihil adhuc Theologis imponit: neque enim Bonaventura, neque Bruliferus, neque alii, qui ante Lutherum vixere, neque Pereſius, qui poſt eum vixit, dixerunt unquam, Apoſtolum, privata ſua auctoritate, ſacramentum Extremæ Unctionis inſtituiſſe, ſed Spiritum ſanctum per Apoſtolos, vel Jacobum inſtituiſſe, cum illud antea Chriſtus inſinuaviſſet. Quamobrem novitas omnis, quæ cenſetur hæretica, cum non alia novitate doctrinæ, ſed antiquitate repellenda ſit, e re Concilii videtur eſſe, ut cum vetuſtioribus Theologis omnibus, vel certe primariis verſetur, illorum doctrinam, rejectis tantum Lutheri & Calvini novitatibus, amplectatur, nec Catholicos cum hæreticis in eadem naſſa includat, abrupta Eccleſiaſticæ Traditionis linea, quæ a primis æræ Chriſtianæ temporibus, ad annum MDLI. quo habita eſt ſeſſio decimaquarta Concilii, decurrit.

Quidquid autem de Tridentino Concilio, & de mente illius hactenus diſſerui, confirmat Concilii Hiſtoria, quam Sforza Pallavicinus Cardinalis confecit. In ea paſſim obſervatur animo imbibiſſe, Patres ſectariorum novitates condemnare tantum velle, ita ut quæſtionibus, quæ controverſæ erant inter Theologos, finem nullum imponerent.

In libri VII. capite VII. ubi de peccato originali B. Virginis tractatur. *Suaſum fuit, ut ea verba excogitarentur, quæ neutri opinionum officerent; ſed utraque in eo ſtatu*

perſiſteret, quem tunc apud Eccleſiam obtinebat. Hinc in Theologorum congreſſibus hujuſmodi tenore decretum confectum, ut modo legitur.

In libri XII. Hiſtoriæ capite IX. *Et revera, quantum ex actis conjicio,* inquit auctor, *Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestam improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent ſententiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione animi perfecta, (de quo controverſia vix fuit ſicuti patebit) ſed etiam abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento.* Infra. *Quod autem hac attritio ſatis eſſet Sacramento conſtituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata abſolutionis ſupervenientis vi, variare auctorum ſententias, adeoque id eſſe tollendum: quamobrem decretum, ſicut nunc extat, reformatum eſt, prout a nobis refertur.* Intra. *Nec parum diſceptatum qua ratione actus pœnitentis declarandi eſſent partes Sacramenti, nihil ob id perſtricta Scoti ſententia, cui neque pariter officere voluerit Synodus Florentina.*

Hæc non indigent Commentariis, ut intelligantur. Id ſecum luminis important, quod ſophiſticam fuliginem omnem diſpellit, & quidquid in obſervatione noſtra tergiverſantibus videretur obnoxium, in tuto collocat.

OBSERVATIO IX.

Bellarminum de Sacramentorum auctore diſputans, Catholicos hæreticis inconſulto admiſcet.

BELLARMINUS lib. I. de Sacramentis in genere cap. XXIII. quærit, utrum ſolus Chriſtus Sacramenta inſtituerit; ſed antequam concludat ſolum Chriſtum inſtituiſſe, Catholicos hæreticis ſic admiſcet. *Adverſarii duo quædam docent. Primo, Sacramenta, quæ ſola ipſi vera Sacramenta putant, a ſolo Chriſto eſſe inſtituta, nimirum Baptiſmum & Euchariſtiam, cetera non a Chriſto inſtituta. Ita docent Calvinus in Antidoto Concilii ſeſſ. VII. can. I. & Kemnitius in II. parte Examinis pag. XIII. Citat autem Kemnitius Cyprianum in ſerm. de ablutione pedum, item Hugonem lib. II. de Sacramentis part. XV. cap. II. & Petrum Lombardum lib. IV. diſt. XXIII. qui negant omnia Sacramenta a Chriſto inſtituta fuiſſe. Poterat addere Alexandrum Alenſem, qui IV. part. quæſt. XXIV. membro I. dicit ſacramentum Confirmationis poſt mortem Apoſtolorum inſtitutum eſſe ab Eccleſia in Concilio Meldenſi. Idem ſentire videtur Bonaventura in IV. diſt. VII. art. I. quæſt. I. Præterea idem Alexander quæſt. LIX. membro III. & Bonaventura diſt. XVII. art. I. quæſt. III. & Marſilius in IV. quæſt. XIV. dicunt ſacramentum Pœnitentiæ non fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ſed ab Apoſtolis. Adverſus errorem hunc poſuit Concilium Tridentinum, ſeſſ. VII. canonem I. qui talis eſt: Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non eſſe omnia a* JESU CHRISTO *Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.* Bellarminus catholicos Doctores ſex hæreticis duobus conjungit, ut eos omnes Tridentino Concilio objiciat, & Catholicos in gratiam hæreticorum damnatos confirmet: ex hoc enim credibile fit, Cyprianum, ſeu potius auctorem ſermonis de ablutione pedum, Hugonem Victorinum alterum ſui ſæculi Auguſtinum, Petrum Lombardum, Magiſtrum Sententiarum Theologiæ ſcholaſticæ principem, Alexandrum Alenſem Doctorem, ut aiunt, irrefragabilem, ſanctum Bonaventuram, & Marſilium, anathemate nunquam perculſos fuiſſe, niſi Calvinus poſtea in illorum de auctore Sacramentorum opinionem tranſiiſſet. Bellarminus in libri IV. de notis Eccleſiæ capite X. inter eas notas, *conſpirationem in doctrina cum Eccleſia antiqua;* & in ejuſdem libri capite X. *conſenſionem membrorum inter ſe* commemorat: ſed horum recordatus non eſt, cum illa ſcripſit, quæ modo expendimus.

Verum exclamo cum Tertulliano: O Bellarmini res, cui nunquam adſcribetur bonum factum. Ægidius Coninkus ejuſdem cum Bellarmino Societatis Theologus, Catholicos hac in materia ab hæreticis diſtinxit quæſt. LXIV. de cauſa Sacramentorum, art. IV. dubio I. *Utrum Chriſtus immediate per ſe omnia Sacramenta inſtituerit.* Sic autem loquitur: *Nota nobis hic non eſſe quæſtionem cum hæreticis de numero Sacramentorum; ſed quæſtio nobis eſt cum Catholicis. Quidam enim putarunt, aliqua Sacramenta ex ejuſmodi auctoritate a Chriſto accepta, ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia fuiſſe inſtituta.* Præterea Bellarminus pugnat cum ea docendi methodo, qua Sacramentorum quorumdam characterem ſignum eſſe aliquod ſpirituale animæ impreſſum defendit. Tantum enim abeſt ut Durandum, Scotum, & Gabrielem, qui non ita ſentiunt, hæreticis liberaliter conjungat, ut modis conetur omnibus, tres illos Theologos ab hæreticorum caſtris avellere, & ceteris catholicis Doctoribus conciliare: ſcilicet tunc

per-

perſuaſum habuit, id quod Vincentius Lirinenſis de catholico dogmate tradit cap. 11. commonitorii primi. *In ipſa item catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt; hoc eſt etenim vere proprieque catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem: ſequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam Fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia; antiquitatem vero ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos majores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt; conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel certe ene omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Ad extremum Bellarminus ſibi oculos eruit, ne videret ea, quæ proxima Obſervatione declaravi.

OBSERVATIO X.

Ægidii Coninki dictata examinantur.

ÆGIDIUS Coninkus, vel apud ipſum alius, momentum id quod agimus, ſubolfecit; ſed ſtatim reſpuit loco citato, dum ita ſcribit: *Nota nobis hic non eſſe quæſtionem cum hæreticis de numero Sacramentorum. Sed quæſtio nobis eſt cum Catholicis: quidam enim putarunt aliqua Sacramenta ex ejuſmodi auctoritate a Chriſto accepta, ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia fuiſſe inſtituta. Sed hoc jam nullo modo poteſt defendi, quia videtur expreſſe contra Tridentinum ſeſſione* VII. *can.* I. *ubi dicitur: Si quis dixerit Sacramenta nova legis non fuiſſe omnia a* JESU CHRITO *Domino inſtituta, anathema ſit. Nec ſufficit dicere fuiſſe mediate inſtituta a Chriſto, quia auctoritate ab eo accepta, quia Concilium intelligit de immediata inſtitutione. Primo quia ſeſſ.* XIV. *can.* I. *de Extrema Unctione, de qua maxime poterat eſſe dubium, docet a Chriſto inſtitutam, & a divo Jacobo ſolum promulgatam. Quo loco etſi Concilium tantum dicat, eam eſſe inſtitutam a Chriſto, non addendo, immediate; tamen nemo dubitat, quin loquatur de inſtitutione immediata.* Et quibuſdam interpoſitis: *Et verba hoc etiam aperte ſignificant, præſertim in Conciliorum dogmaticis definitionibus, in quibus verba, in quantum fieri poteſt, in communiſſima, & apertiſſima ſignificatione accipienda ſunt, ſecundum quam proprie non dicitur aliquis inſtituiſſe id, quod alias generali poteſtate ab eo accepta inſtituit, præſertim cum, exceptis Philoſophis & Scholaſticis, vix ulli utantur iſtis vocibus, mediate & immediate.* Bellarminus quidem erravit, Catholicos confundens cum hæreticis; ſed Coninkus cum eos in hac materia diſtinxit, longe gravius erravit. Rem explico. Bellarminus quæſtionem ita tractat, ut perſuadere velit, Tridentinum Concilium, accepta ex hæreticis occaſione, multos Doctores catholicos damnaſſe. Coninkus quæſtionem ita tractat, ut perſuadere velit, Tridentinum Concilium ex ſeipſo, non accepta ex hæreticis occaſione nominatos a Bellarmino Theologos damnaſſe. Hoc autem ſi ſic accidit, indicta cauſa damnati ſunt: indicta porro cauſa damnatos eſſe tot Theologos, quis auctor, quæ hiſtoria recenſet? Credibilene eſt, Franciſcanos Theologos, qui aderant, cum argumentum Extremæ Unctionis tractabatur, magis indormiviſſe rebus ſuis, quam cum materia clavium agitabatur. Franciſcani ſummopere caverunt, ne in materia clavium beatus Bonaventura tangeretur, idque ne ullatenus a Concilio fieret, petierunt. Quibus reſponſum eſt, novatores in hac materia, non Bonaventuram & ſequaces perculſum iri. Quare ſi vidiſſent iidem Franciſcani, in argumento Extremæ Unctionis Bonaventuram & ſequaces periclitari, ſtatim pari modo reſtitiſſent: non teſtiterunt quidem. quod animadverterint factum eſſe nihil, quo Bonaventuræ & ſequacium doctrina læderetur. Huc revocanda ſunt, quæ in obſervatione VIII. ex Hiſtoria Tridentini Concilii retulimus, & poſtquam revocata fuerint, excuſari Coninkus poterit, quod illa non viderit: nam ſi vidiſſet, alium in ſcriptis ſuis modum ſervandum eſſe cenſuiſſet.

Deinde hic auctor monſtra ſibi fingit, quæ debellet. Nam Bonaventura de mediata, vel immediata inſtitutione non loquitur. Sic enim ait: *Extrema Unctio fuit a Chriſto inſinuata, & a Spiritu ſancto per Apoſtolos inſtituta.* Sic ante Bonaventuram Hugo, Magiſter, Petrus Senonenſis Robertus Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, & alii. ſic poſt Bonaventuram plerique omnes, ut Bruliferus teſtatur. Tum quæ ſibi fingit monſtra, non probe debellat: dicentibus enim Concilium de mediata, vel immediata inſtitutione intelligi poſſe, reſpondet duo. Unum eſt, quod ſponte ſua diffuit,

nempe

nempe idipſum, quod illi maxime negant ex definitionis natura, immediatam inſtitutionem intelligendam eſſe. Alterum, voces iſtas, *mediate* & *immediate*, quia iis Philoſophi duntaxat & Scholaſtici utuntur, in dogmaticis Conciliorum definitionibus non adhiberi. Hoc autem dum audacter reſpondet, luculenter prodit ſe; vel non legiſſe Concilii Canones; vel ſi legit, non meminiſſe; vel ſi meminit, diſſimulaſſe turpiter, ut Lectoribus ſuis fucum faceret. Hæ enim voces *permiſſive realiter & formaliter* non ſunt in uſu, niſi apud Philoſophos & Scholaſticos; & tamen ipſis Fidei definitionibus illigantur. Vox *permiſſive* ſic habetur ſeſſ. VI. can. VI. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Vox *formaliter* habetur in eadem ſeſſ. can. X.

Si quis dixerit homines ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe, anathema ſit. Vox *realiter* habetur in ſeſſ. XIII. can. I.

Si quis negaverit in ſanctiſſima Euchariſtia ſacramento contineri vere realiter & ſubſtantialiter corpus, &c. Deinde can. VIII. *Si quis dixerit Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam ſacramentaliter ac realiter, anathema ſit.* Quis, quæſo, *has voces*, realiter, ſubſtantialiter, & ſacramentaliter, uſurpat, exceptis Philoſophis & Scholaſticis? Quando decretoriæ ſunt voces, iis Concilia utuntur, ubicunque, & quomodocunque antea in uſu fuerint. Quare vehemens conjectura eſt Tridentinum Concilium, cum ab his vocibus, *mediate & immediate*, abſtinuit, propagatam pluribus ſæculis inter Scholaſticos controverſiam noluiſſe dirimere, quando maxime, ut dirimeret, ſanciendi adverſus Novatores dogmatis conditio non poſtularet.

Cetera quæ Coninkus adjicit, non ſunt aſſis unius: quis enim dixit unquam, ab Eccleſia tolli vel mutari poſſe Sacramentum illud, quod à Chriſto inſinuatum, & a Spiritu ſancto per Apoſtolos inſtitutum eſſet, ut Bonaventura, Bruliſerus, Pereſius, & alii loquuntur? Et certe hic auctor multo feciſſet laudabilius, ſi quam operam in ſeparandis a Concilio veteribus Theologis poſuit, eam in iis cum eodem Concilio conjungendis poſuiſſet, quemadmodum ponendam eſſe, Obſervatione VIII. niſi noſtra nos fallit opinio, demonſtravimus.

OBSERVATIO XI.

Aliud Bellarmini peccatum in eandem rem notatur.

OBSERVATIONE IX. vidimus Bellarminum non ſatis prudenter Catholicis adjunxiſſe hæreticos, dum cauſam Sacramentorum aſſereret: modo videndum eſt aliud peccati genus, quo ſe obſtringit, cum locum Marci cap. VI. tractandum aggreditur. Sic autem ſcribit lib. de ſacramento Extremæ Unctionis cap. II. *De ſcriptura Marci cap.* VI. *non omnes conveniunt, an cum Apoſtoli ungebant oleo infirmos, & curabant, illa fuerit Unctio ſacramentalis, de qua nunc diſputamus; an ſolum fuerit figura quædam, & adumbratio hujus Sacramenti. Qui tuentur priorem ſententiam, ut Thomas Valdenſis loco citato, & Alfonſus de Caſtro lib. de hæreſibus, verbo. Extrema Unctio, ea ratione ducuntur, quod Beda, Theophylactus & OEcumenius in Commentariis Marci & Jacobi videantur dicere eandem eſſe unctionem, cujus ſit mentio in utroque loco. Sed profecto probabilior eſt ſententia poſterior, quæ eſt Ruardi in explicatione articuli* XII. *& aliorum.* Deinde priorem illam ſententiam argumentis pluribus refellit: quod eam refellat, ego non queror; ſed quod cum eam refellit, ſententiam quoque refellat Theologorum, qui ex ſola auctoritate beati Marci dixerunt, infirmorum Unctionem ſacramentum eſſe a Chriſto inſtitutum. Hi autem Theologi ſunt Scotus, Bacconus, & alii.

At ſi Bellarminus horum Theologorum ſententiam rejiciat, ex antiquioribus Theologis, qui Unctionem infirmorum ſacramentum eſſe a Chriſto inſtitutum dixerint, vel nullos, vel certe paucos habebit. Quo poſito, Bellarminus hinc rejicit Theologorum ſententiam, qui Evangelii teſtimonio innixi docent infirmorum Unctionem ſacramentum eſſe a Chriſto inſtitutum: inde errori deputat Theologorum ſententiam, qui infirmorum Unctionem ſacramentum eſſe a Chriſto inſinuatum, & a Spiritu ſancto per Apoſtolos inſtitutum affirmant. Sed improbata utraque ſententia, Sacramentum hoc a Chriſto proxime, & ἀμέσως inſtitutum eſſe, quomodo ex Traditione veterum probaturus eſt unquam? & certe neſcio, an indiſputando major committi poſſit ἀβλεψία.

Id

Id autem quod Bellarminus adjicit, indignum Theologo videtur. *Ee certe*, inquit, *eo etiam nomine gratior*, (ſententia Ruardi) *quod videam Lutherum, Calvinum, & Kemnitium locis citatis eſſe in priore ſententia: exiſtimant enim illi eandem eſſe Unctionem, Marci* VI. *& Jacobi* V. At prior ſententia, quæ eſt Valdenſis, cujus opera ſolenniter probata fuerunt a Martino V. Pontifice, Bedæ, Theophylacti, & OEcumenii, non debet rejici odio Lutheri, Calvini & Kemnitii, ſed amore veritatis. Hæc ſunt partium ſtudia, quibus ſimplicitatis eminentiſſimæ Religio chriſtiana nec indiget, nec indiguit unquam. Præclare Hieronymus in libro I. contra Pelagianos: *Non de adverſario*, inquit, *victoriam, ſed contra mendacium quærimus veritatem.* Iterum in libro III. contra eoſdem Pelagianos: *In dogmatibus & quæſtionibus differendis, non perſona, ſed cauſa quærenda eſt.* Lutherus vero, Calvinus & Kemnitius peccant non minus, quando eandem eſſe apud Marcum & Jacobum Unctionem eo fine contendunt, ut ſacram infirmorum Unctionem e numero Sacramentorum deleant. Qui ante eos eandem eſſe utrobique Unctionem putarunt, Sacramentum hoc neutiquam expunxere, immo retinuerunt, & frequentatum eſſe in Eccleſia Dei tradiderunt. Quæ in ſcriptis Lutheri, Calvini, & Kemnitii nova ſunt, abjicio; quæ antiqua, & antiquorum Patrum ſunt, retineo; & eos hæc non retinuiſſe in pace & communione Eccleſiæ, quæ eos aluerat, vehementer doleo.

Bellarminus & alii, qui ſimiliter diſputant, ſecum habitare ſemper non mihi videntur. Bellarminus in libri I. de Sacramentis in genere capite XXVI. Stephani Papæ I. de non rebaptizandis hæreticis decretum amplectitur, etiamſi Pontifex decretum ſuum ex recepta inter hæreticos, ut ſibi ſumit, diſciplina confirmet. Stephani verba ſunt apud Cyprianum in epiſtola LXXIV. ad Pompeium. *Si quis ergo*, inquit, *a quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* Sed in libri de ſacramento Extremæ Unctionis capite II. catholicorum Doctorum Thomæ Valdenſis, Alfonſi de Caſtro, Bedæ, Theophylacti, & OEcumenii ſententiam rejicit, quia hæc Luthero, Calvino, & Kemnitio placuit. Bellarminus cum de hæreticorum baptiſmo tractat, Cyprianum repudiat, cum Cyprianus verba hæc Stephani, *Cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*, exagitat ira ſcribens: *Ad hoc enim malorum devoluta eſt Eccleſia Dei, & ſponſa Chriſti, ut hæreticorum exempla ſectetur, ut ad celebranda Sacramenta cœleſtia, diſciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Chriſtiani, quod Antichriſti faciunt.* Bellarminus vero horum oblitus omnium, cum de ſacramento Extremæ Unctionis diſſerit, quem ante repudiaverat tractandi modum, tacitus æmulatur: id vel oſcitanti cuilibet occurrit.

Præterea ad rem ipſam quod attinet, Beda & Theophylactus Evangelium Marci, & Jacobi epiſtolam meminerunt quidem; ſed OEcumenius Evangelium Marci non meminit: quare qui meminiſſe dicit, fallitur.

Deinde quamvis Beda & Theophylactus eandem apud Marcum & Jacobum Unctionem eſſe ſignificant; ii tamen eodem modo factam utrobique Unctionem minime ſignificant quod Bellarminus, aut alii [illegible] non animadvertunt. Qui relata ante a nobis Bedæ, Theophylacti, & OEcumenii teſtimonia paullo diligentius expendent, eos facile hoc animadverſuros eſſe ſpero.

OBSERVATIO XII.

Extremæ Unctionis effectus non eſt ſola corporis ſanatio.

LUTHERUS & Calvinus memoratæ apud Jacobum Unctionis infirmorum, totum & unicum effectum in ſanatione corporis conſtituunt, ut eo ita conſtituto, Sacramentum ipſum funditus evertant: qua in re falluntur, vel alios volunt fallere. Nam Jacobus præter allevationem morbi, quo infirmus urgetur, remiſſionem peccatorum adſcribit: neque ſi conditionibus haud iniquis diſputare vellent, ire poſſunt inficias, quin Eccleſia beatum Jacobum ſecuta remiſſionem peccatorum ab initio ſemper conjunxerit. Non retexo explicatam Eccleſiæ Traditionem, quæ illud apertiſſime convincit. Unum ſufficit Cabilonenſe Concilium: quod poſt præceptam can. XLVIII. infirmorum Unctionem ſubjicit; *Non eſt itaque parvipendenda hujuſmodi medicina, qua animæ corporiſque medetur languoribus.* Concilium quod anno DCCCXIII. Chriſti celebratum eſt, id quod a majoribus acceperat, exponit. Hoc uno perpetuæ Traditionis ſole, ut cum Hieronymo loquar, omnes propoſitionum, quas formare

conantur

conantur Sectarii, rivulos ſiccamus: & ſi Philoſophorum argumentatione depoſita, nobiſcum chriſtiana ſimplicitate diſſeretent, nobiſcum facile conſentirent, & manus datent beato Auguſtino qui in epiſtolæ CXVIII. ad Januatium capite v. variis de jejunio & oblatione quæſtionibus ſic teſpondet: *Ut quid horum ſit faciendum, ſi divina Scriptura praſcribit auctoritas, non ſit dubitandum; quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: nam & quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſima inſania eſt.* Quæ Auguſtinus de alio argumenti genere dicit, hæc ad iſtud noſtrum referri omnino poſſunt. Nam dubitari non licet, quin circa infirmos faciendum ſit, quod Scripturæ præſcribit auctoritas, quod tota frequentat, & frequentavit Eccleſia: & ſi quis faciendum id non eſſe diſſeteret, inſolentiſſimæ coarguendus eſſet inſaniæ.

Sed adjicio locum Guillelmi Autiſſiodorenſis, qui ante annos quadringentos & quinquaginta diluit, quidquid hac in te difficultatis objiceretur. Vetba ſunt e libro IV. Summæ de ſacramento Extremæ Unctionis. *Quætitur poſtea de effectu hujus Sacramenti, de quo dicit beatus Jacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum. & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Ergo ſecundum hoc, Sacramentum duplicem habet effectum: ſcilicet alleviationem corporis, & remiſſionem peccati.* Et quibuſdam interpoſitis: *De effectu hujus Sacramenti quidam dicunt, quod alleviatio corporis eſt effectus hujus Sacramenti, ſed non res; unde non ſemper efficit hunc effectum, quia non figurat illum: vel poteſt dici, quod utrumque eſt res; non tamen ſemper utrumque conſequitur digne ſuſcipiens, ſed remiſſionem peccati ſemper conſequitur, quia ſemper utilis eſt, ſed ſalutem corporalem non ſemper conſequitur, quia non ſemper utilis eſt: ſicut Deus digne petenti dat bona ſpiritualia, quia ſemper utilia ſunt; ſed non ſemper dat bona temporalia, quia non ſemper utilia ſunt.* Hæc ille apud Latinos. Similia ſcripſit apud Græcos Manuel Caleca. Sic tam Occidentalis, quam Orientalis Eccleſia, non modo in doctrina de inſtitutione & uſu Unctionis infirmorum, ſed etiam in temovendis difficultatibus, quæ citca inſtitutionem & uſum illius fieri poſſunt, conveniunt.

Ceterum e duplici effectu quem Sacramentum iſtud habet apud Jacobum, primus nominatur alleviatio corpotis, ſecundus peccatotum temiſſio; ſed in explicata Eccleſiæ Ttaditione ordo hic non ita ſemper obſervatus invenitur. Alleviatio corporis temiſſioni peccatorum nonnunquam anteponitur, & nonnunquam poſtponitur: ſed a quibus poſtponitut, facti ſui rationem redditam non invenio. Sed cum difficile ſit rationem, quæ omnibus placeat, reddere, eam aliis reddendam libentiſſime relinquo. Interim vatius ille ordo ad Sacramenti ſubſtantiam non pettingit, nec illius adminiſtrationem impedire poteſt.

Observatio XIII. et ultima.

Sacramentum hoc nunc Unctio infirmorum ſimpliciter, nunc Extrema Unctio vocatur.

QUod proponimus, in explicata Eccleſiæ Traditione reperitut. Apud antiquiores Eccleſiárum Magiſtros ſimpliciter legitur infirmorum Unctio, apud recentiores vero Extrema Unctio; nec ob id putandum eſt Sacramentum eſſe ultimum, quod hominibus in hac vita conferatut. Nam quo tempore recentiores illi Magiſtri vixerunt, ante Viaticum Extrema paſſim dabatur Unctio, ut ſuo poſtea loco docebimus. Sed quod inter unctiones, quas Chriſtianus ſuſcipit, extrema ſit infirmotum Unctio; ſunt tamen qui putaverint infirmorum Unctionem ſacramentum eſſe ultimum, ſive quod ætate ſua daretut poſt Viaticum, ſive quod dandam eſſe ptivatis quibuſdam rationibus innixi cenſuerint.

CAPUT I.

Explicata Eccleſia Traditio circa formam Unctionis infirmorum.

IN iis quæ ad Eccleſiæ Sacramenta pertinent *forma* vox non eſt ſignificationis unius. Apud antiquos enim Patres, ritum Sacramenti ptæcipuum atque ordinem complectitur.

Sic

Sic apud Tertullianum libro de Baptiſmo cap. XIII. *Lex tinquendi impoſita eſt, & forma præſcripta: Ite, inquit, docete nationes, tinquentes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Sic apud Leonem primum Pontificem in epiſtola XCII. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap. XVI. *Hi autem, de quibus ſubſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt.*

Sic apud Facundum Hermianenſem Epiſcopum lib. I. pro defenſione trium Capitulorum cap. III. *Ac per hoc, arbitror, quod cum baptiſma celebraretur, in ipſis quoque ſacratis verbis ſervabatur illa forma baptiſmi; in narratione vero ſufficiebat, ad diſcretionem aliorum baptiſmatum, ſolius Domini* JESU *facere mentionem.* Sed aliud objicit apud recentiores Theologos, qui Sacramenta rerum phyſicarum legibus metiuntur nonnihil. Nam ut in rebus phyſicis Philoſophi ſtatuunt partes duas, materiam & formam, quibus totum corpus; ſic in Sacramentis Theologi partes adſignant duas, materiam & formam, quibus totum Sacramentum unum componatur. Materiam porro dicunt eam partem, quæ laxioris eſt naturæ, & minus diſtincte gratiam definit; formam vero eam partem nominant, quæ ſtrictioris eſt naturæ, & diſtinctius gratiam determinat, & velut in proprio collocare domicilio videtur. Hanc partem adſcribunt verbis, vel iis, quæ communi hominum æſtimatione æquipolleant. In hunc igitur ſenſum, quo loqui amant, atque ut intelligar facilius, accipio, quæ de forma Extremæ-Unctionis ſcripturus ſum, & per Eccleſiarum Traditionem expoſiturus.

CAPUT II.

Referuntur quæ à primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad exceſſum Gregorii Papæ I. de forma unctionis infirmorum haberi poſſunt.

BEATUS Jacobus in epiſtolæ ſuæ capite v. ſignificat orandum eſſe ſuper infirmum, dum oleo ungitur. *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Oratio hæc quam Presbyteri ungentes infirmum fundunt, formæ locum tenet. Sed quodnam & quale genus orationis eſſe debeat, ex Eccleſiarum uſu & traditione requirendum eſt. Innocentius I. cum ad Decentium Eugubinum Antiſtitem reſcribit, iſtud orationis genus non ediſſerit; ſed acceptum duntaxat à majoribus ungendorum infirmorum morem retinet & confirmat.

Veniendum eſt ad Gregorium I. qui ad annum DCIV. ut Baronius, vel annum DCVII. ut quidam alii volunt, mortuus eſt, Sacramentorum librum compoſuit, in quo præſtitutæ ad Scripturæ normam orationes inveniuntur. Sed non minus variis identidem rebus illum eſſe auctum, quam editum à Gregorio conſtat. Id cum ex aliis, tum ex hoc quoque colligimus, quod Grimoldus Abbas, qui Ludovico Pio Imperatore vixiſſe creditur, ad eo libro quædam addiramenta rejecerit. Correctus ergo liber, & priſtinæ redditus integritati hæc tradit de ritu Unctionis infirmorum.

Orationes ad viſitandum infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum illa lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem, Per, *&c.*

Alia.

Reſpice, Domine famulum tuum ill. in infirmitate ſui corporis, laborantem, & animam reſove quam creaſti, ut caſtigationibus emundata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum, Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominatis affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ill. ex adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ præſta medicinam, Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat, Per, *&c.*

Alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & membra vegetentur ſuper hunc famulum tuum ill. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur, Per Dominum, *&c.*

Hæc tantùm in illo Gregorii libro, quem Grimoldus Abbas correxit, & à quo, quæ poſt illius mortem ab aliis indita viſa ſunt, expunxit. In hac autem epocha, quæ annos à Chriſto ſexcentos & amplius continet, nullus alius ſuppetit Commentarius, qui formam Extremæ-Unctionis aliam præ ſe ferat. E duobus igitur Pontificibus alter ſignificat Sacerdotes viſitaſſe infirmos, & ſancto chriſmatis oleo unxiſſe; alter vero monimentis conſignavit eas orationes, quæ tunc à Sacerdotibus dicerentur. Quæ duo in epiſtola Jacobi præſcribuntur, & à prima Romanæ Eccleſiæ Traditione uſque ad Gregorium manarunt.

CAPUT III.

Referuntur quæ à Gregorii tempore uſque ad annum DCCCXL. *de forma Extremæ-Unctionis haberi poſſunt.*

AD annum DCCXX. traditionem formæ, quam diſquirimus, venerabilis Anglorum Doctor breviter & ſummatim notat in caput quintum epiſtolæ Jacobi: *Hoc* (orent ſuper eum ungentes) *& Apoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſia conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante ſanentur.*

Poſt obitum Gregorii Papæ, & ante Grimoldi Abbatis ætatem, quædam libro Sacramentorum addita fuiſſe certum eſt. Id enim plane conſtat ex eodem libro, quem Grimoldus emendavit; quo vero tempore, vel ſæculo addita fuerint, quæ addita deprehenduntur, vix pronuntiari poteſt. Utut ſit, ad hanc epocham ſpectant, atque eam ob rem referuntur à me ita, ut in Romanis & Pariſienſibus Gregorii operum editionibus ſcripta reperio. Ex libro Sacramentorum Gregorii Rom. & Pariſ. edit. inter reliqua ejus opera.

Orationes.

Ad viſitandum infirmum, ſive ungendum oleo ſancto. Ingrediens Sacerdos in domum infirmi, dicat hanc orationem:

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum ill. à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem, Per, *&c.*

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove; quam creaſti, ut caſtigationibus emundata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum, Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ill. ex adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ præſta medicinam, Per, *&c.*

Poſtea faciat ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis.

Alia oratio.

Ad infirmum ungendum.

Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam: operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat illic ſpiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, Per eundem, *&c.*

Et

Et perungit eum, dicens Antiphonam hanc:

Sana me, Domine Pſal. Domine, ne in furore. Item Antiphona: Cor contritum, Pſal. Miſerere mei, Deus: deinde dicit, Oremus.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in mente ſentiat, Per, *&c.*

Alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis ſuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora & membra vegetentur, ſuper hunc famulum ill. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur, Per Dominum, *&c.*

Hæc tantum in iſtis libri Sacramentorum editionibus. Ubi non eſt difficile animadvertere, quæ huic libro a tempore Gregorii uſque ad Grimoldum Abbatem ſuccreverint: facta nimirum collatione liquet, ea, quibus demonſtratur Unctio, & Unctionis ad caput applicatio, ſuccreviſſe, & medium inter ſex orationes locum occupare. Ceterum eædem retinentur orationes, quæ ad normam Scripturæ, nobiliorem Sacramenti partem, quæ forma dicitur, ſibi vindicare poſſunt.

Pontificalis Bibliothecæ Tilianæ liber, qui anno nono Imperii Caroli Magni deſcriptus eſt, ſic ordinem ac viſitandum infirmum repræſentat.

Ordo ad viſitandum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confeſſionem adapertis & purgatis digne proficiat ei Unctio ſpiritalis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem: & tunc inprimis faciant Sacerdotes aſpergi ſalem & aquam benedictam, & aſpergant eam cum Antiphona: Aſperges me, Domine; miſerere mei, Deus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio Domini ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei; cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis expelle, plenamque & interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus & ſanatus, ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia, Per, *&c.*

Et ſic flectat genua, qui eſt languidus, & ſtet ad dexteram Sacerdotis, & cantetur hæc Antiphona: Sana, Domine, infirmum iſtum, cujus oſſa conturbata ſunt, ne in furore tuo arguas me.

Sequitur

Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum ill. per Angelum ſanctum ſuum viſitare, lætificare, & confortare dignetur.

Dominus locutus eſt condiſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Deus Deorum, imponant manus ſuas ſuper infirmum omnes Sacerdotes, jubente, vel tantum permittente Epiſcopo, quia canonicus ſic docet ordo.

Deus, qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant, propitius eſto mihi peccatori, & ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, quo & me pariter & hunc à peccatis omnibus exuas, & ut de cetero peccare caveamus, efficias, Per, *&c.*

Succurre, Domine, infirmo ill. & medicare ei ſpiritali medicamine, ut in priſtinam ſanitatem reſtauratus, gratiarum tibi referat actiones. Ad Dominum cum tribularer, cum gloria. Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum pro fratre noſtro ill. quem ad præſens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cæleſtibus dignetur medicinis curare, ut qui dedit vitam, det & ſalutem, Per, *&c.*

Deus, qui humano generi ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat, Per, *&c.*

Et ſi perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo & gutture & pectore & inter ſcapulas, ſeu in loco, ubi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium ſummitate exterius ſive interius, & in labiis exterius, & manibus exteriùs, id eſt, de foris, ut ſi quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhefit, medicina ſpiritali ſanetur, & Domini miſericordia impetretur. Dum igitur Sacerdos ungit infirmum, dicat hanc orationem moroſius inungendo:

Adeſto, Domine quæſumus, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator adſiſte, ut qui ad executionem mandatorum tuorum huic ægro (ægræ) manus imponentes olei ſacri Unctionem exhibebimus, hujuſmodi ſervituti noſtræ te intereſſe ſentiamus, quatenus ſancti Spiritus gratia noſtræ actionis officium comitante ab hoc (hac) famulo (famula) tuo (tua) omnis languor & debilitas abſcedat, Per, *&c.*

Unctio ſacrati olei ad caput.

Ungo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad luctam ſuperare poſſis aëreas catervas, Per, *&c.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei Unctione expietur, Per, *&c.*

Ad aures.

Ungo aures has ſacrati olei liquore in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid peccaſti nocivo auditu, medicina ſpiritualis evacuet, Per, *&c.*

Ad nares.

Ungo has nares oleo ſancto in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid noxio contractum eſt odoratu vel ſuperfluo, iſta emaculet medicatio, Per, *&c.*

Ad labia.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid otioſa vel criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante expietur hac Unctione, Per, *&c.*

Alia

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti valeat hæc Unctio olei ſanctificata ad purificationem mentis & corporis, & ad munimem & defenſionem contra jacula inimicorum ſpiritalium, Per, *&c.*

In gutture.

Inungo te in gutture de oleo ſancto in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut non lateat ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed habitet in te virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei Unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive unctus, priſtinam & melioratam percipere merearis ſanitatem, Per, *&c.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut hac Unctione protectus fortiter certare valeas adverſus aëras catervas.

Ungo locum cordis oleo divinitus ſanctificato, cæleſti munere nobis attributo, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ut ipſa te interius exteriuſque ſanando vivificet, quæ univerſam conditionem ſuam, ne pereat, continet, Per, *&c.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas ſive medium locum ſcapularum de oleo ſacrato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut ex omni parte ſpiritali perfectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere, Per, *&c.*

Ad manus.

Ungo has manus oleo ſacrato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito & noxio opere peregeris, per hanc Unctionem evacuetur, Per, *&c.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid ſuperfluo & nocivo inceſſu commiſeris, iſta aboleat perunctio, Per, *&c.*

Ubi

Ubi plus imminet.

Ungo te de oleo ſancto in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini noſtri JESU CHRISTI, ut ſugatis omnibus doloribus, vel incommoditaribus corporis tui, recuperetur vitæ virtus & ſanitas, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei Unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus priſtinam & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem; Per, *&c.*

Ad omnes compages membrorum.

Ungo te de oleo ſancto, invocata magni Creatoris Majeſtate, qui juſſit per Samuelem Prophetam ungi David Regem. Operare, creatura olei, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed inhabitet in te virtus Chriſti altiſſimi Filii, & ſanctificatio Spiritus ſancti, Per, *&c.*

Item alia Unctio.

Inungo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti oleo ſancto atque ſacrato, ut virtute Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra Unctio ſanitatem animæ & corporis, in remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam, Per, *&c.*

Impoſitio manuum.

Deus Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſaniras & medicamentum venit, qui Apoſtoli tui voce nos inſtruis, ur languidos olei liquore tangentes, ruæ poſtulemus miſericordiam pietatis, reſpice propitius ſuper hunc famulum ill. ab illa mirabili ſummittate cælorum, ut quem languor ad exitum, & vitium contractio jam protahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum: extingue in eodem libidinem, actus, & ſebrium ſtimulos acutiores, & cruciatus ægritudinem, & cupiditatum tormenta diſſolve, ſuperbiæ inflationem, tumoremque compeſce, ulcera & puttedines vitiorum evacua, viſcera interna, cordiumque ac medullarum atque plagarum obductas cicatrices, phyſticis, typhiciſque adeſto periculis, veteres immenſaſque remove paſſiones, opera carnis, ſanguiniſque materiam compone delictorum, illi veniam propitiatus attribue, ſicque illum jugiter cuſtodiat pietas rua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, perducat infirmitas, fiatque illi hæc olei Unctio ſacra contra morbum præſentem expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente, Salvator mundi, Qui vivis; *&c.*

Hic eſt ad viſitandum & ungendum infirmum ordo, quem alius ad eundem communicandum ordo proxime ſequitur.

Huc ſpectat canon XXII. Epiſcoporum Capitularis, quod anno DCCCII. babitum eſt; *Ut ſecundum definitionem ſanctorum Patrum, ſi quis infirmatur, à Sacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter ungatur.*

Hic notanrur orationes, quibus poſtea Theologi formæ nomen indiderunt. Orationes autem eas intelligunt hujus epochæ Magiſtri, quæ & ante Unctionem, & dum fit Unctio & poſt Unctionem à Sacerdotibus dicuntur.

Hic locum damus Græcorum Euchologio, ubi *officium ſancti olei decantatum a ſeptem Sacerdotibus congregatis in Eccleſia, aut in domo*, ſic ſe habet.

A benedictione primo Sacerdotum auſpicato, incipimus: Ter ſanctus. Sanctiſſima Trinitas. Pater noſter. Quia tuum eſt. Domine, miſerere, *duodecies.* Venite adoremus, *ter.* Domine, exaudi orationem meam. *Deinde parva Collecta dicitur.* Alleluia, *Tonus obliquus ſecundus.* Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Verſiculus.* Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum. *Deinde Moduli.* Miſerere noſtri, Domine. Gloria. Domine, miſerere noſtri. Et nunc. Miſericordiæ portam. *Pſalmus quinquageſimus. Et Canon, cujus Acroſtichis eſt. Oratio olei. Pſalmus Arſenii. Canticum primum. Tonus quartus.* Maris rubrum pelagus.

Oleo miſericordiæ, Domine, qui exhilaras ſemper animas ſimul & corpora mortalium, & fideles oleo cuſtodis, ipſe quoque nunc miſeratione moveare propter eos qui per oleum ad te recurrunt.

Tua miſericordia, Domine, tota plena eſt terra: hinc præclaro tuo oleo, qui ungimur hodie, miſericordiam captum omnem ſuperantem, fideliter expoſcimus nobis concedi.

Unctionem tuam ſacram, o benigne, qui Apoſtolis tuis, ſuper infirmis famulis perfici præcepiſti: illorum ope cunctorumque per ſignum tuum miſerere.

Deipara.

O ſola pura, quæ pacis pelago ditata es, jugibus tuis apud Deum precibus, à morbis & calamitatibus famulum tuum eripe, ut inceſſanter te magnificet.

Can-

Canticum tertium. *In te lætatur.*

Qui ſolus mirandus es, & erga fideles homines propitius, graviter infirmato, gratiam tuam, Chriſte, cælitus præbe.

Qui quondam olivæ ramum, ad diluvii ceſſationem divino tuo nutu oſtendiſti, Domine, ſalva in miſericordia hunc infirmum.

Divina lucis lampade, in miſericordia tua, Chriſte, exhilara, per Unctionem & miſerationis tuæ fiduciam, ad te nunc recurrentem.

Deipara.

Reſpice clementer, Mater factoris omnium de ſuperis, & tuis interceſſionibus amaram infirmitatem languentis hujus ſolve.

Seſſio. Tonus obliquus quartus.

Aula paſtoralis.

Ut divinus fluvius miſericordiæ exiſtens, & ut abyſſus benignitatis multæ, miſericors, manifeſta benignitatis tuæ divina fluenta, & omnibus medere: miraculorum fontes ex te abundanter ſcaturiant, & cunctos emundent. Ad te namque omni tempore ferventer recurrentes, tuam gratiam expetimus.

Alia ſeſſio. Tonus quartus.

In cruce ſponte exaltatus.

Medice & auxiliator in doloribus, liberator & Salvator in morbis, ipſe Domine & Dominator, medelam ægrotanti tuo famulo largire: compatere, miſerere in multis te offendentis, & a reatu, Chriſte, illum eripe ut divinam virtutem tuam glorificet.

Canticum quartum. Sublatum te videns.

O Salvator, qui velut unguentum incorruptum, effuſum in gratia, & expurgans mundum exiſtis, compatere, miſerere illius, qui divina tua fide carnis cicatrices perungit.

Jucunditate ſigni tuæ miſericordiæ, ſenſus nunc ſervorum tuorum conſignans, Domine, impervium & inacceſſum aſſultum cunctis poteſtatibus adverſariis redde.

Qui Sacerdotes divino numine afflatos advocari jubes, ut eorum congreſſu & Unctione miſericordiæ tuæ ſalventur homines, o benigne, ſalva tua miſericordia hunc ægrotum.

Deipara.

Deipara, perpetua virgo ſanctiſſima, protectrix valida, portus & murus, ſcala & munimen, miſerere, compatere: ad te namque ſolam recurrit ægrotus.

Canticum quintum. *Tu, Domine, lumen meum.*

O bone, qui miſericordiæ es abyſſus, miſerere, miſericors, tua divina miſeratione, ejus qui ægrotat, ceu pius.

Animas noſtras, Chriſte, & corpora ſigni tui ſacro typo ineffabiliter ſanctificans, manu tua cunctos ſana.

Qui inexplicabili affectu meretricis unguenti unctiones, optime Domine, ſuſcepiſti, miſerere hujus famuli tui.

Deipara.

Pura, celebranda, ſuper omnes Domina benigna, oleo divino unctorum miſerere, & famulum tuum ſalva.

Canticum ſextum *Cum clamore tibi ſacrificabo.*

Qui tuis verbis, o benigne, olei Unctionem in Regibus oſtendiſti, & in Pontificibus eam perfeciſti, ſigno tuo & hunc patientem ſalva, ut humanus.

Virulentorum appulſus dæmonum ne Unctione divina ſignati ſenſus attingat, Salvator, verum gloriæ tuæ protectione eum circumvalla.

Manum tuam ex alto præbe, o benigne, & tuum oleum ſanctificans, Salvator, in ſalutem & languorum omnium depulſionem, illud famulo tuo impertire.

Deipara.

In Dei tui domo, oliva fructifera, o Mater Dei apparuiſti, per quam miſericordia orbis plenus factus eſt; ſerva ideo precum tuarum ope hunc ægrotum.

Breviculum. Tonus ſecundus.

Superna requirens.

Miſericordiæ fons exiſtens ſuper omnes, bone, ferventi fide oleo tuo ineffabili procidentes, o pie, omnigena libera infirmitate, & eorum morbis ſublatis, divinam ſuperne gratiam præbe.

Canticum ſeptimum. *In fornace Abrahamæi.*

Tu qui in miſericordia & compaſſione, animarum morbos corporumque vulnera curas, Salvator meus, Deus ſolus, etiam huic morbis affecto medelam largitus ſalutem præbe.

Dum

Dum olei Unctione cunctorum capita impinguantur, lætitiæ fructum huic miſericordiam tuam expoſcenti largire, abundanti pietate ſalutis tuæ, Chriſte Domine.

Gladius eſt adverſus dæmones ſignum tuum, Salvator; Sacerdotum vero congreſſibus fit etiam ignis, animæ pravas affectiones abſumens: hinc nos qui medelam hanc excepimus, fideliter te laudamus.

Deipara.

Tu quæ pugillo cuncta continentem divina ratione in utero concluſiſti & ineffabiliter corpus ei dediſti, Mater Dei, hunc pro infirmo interpella, precamur.

Canticum octavum. *Manibus extenſis.*

Miſerere omnium, Salvator, ſecundum magnam & divinam tuam miſericordiam. Huc idcirco convocati ſumus, miſerationum tuarum curſum myſtice repræſentantes, fide ſervo tuo olei Unctionem adhibituri, quem ut ægrotum clementer inviſe.

Miſericordiæ tuæ fluentis, Chriſte, & Sacerdotum tuorum linimentis abſterge, Domine, ut humanus, dolores, infirmitatem, & incrementa languorum hujuſce, qui in morborum anguſtiis deficit, ut ſolvatus gratanter tibi gloriam reddat.

Superni ſymbolum effluxus & jucunditatis, divinam nempe miſerationem deſcribentibus, à nobis, Domine, benignitatem tuam ne ſemoveas, neque deſpicias cum fide jugiter clamantem: Benedicite opera Domini Domino.

Deipara

Præclaram velut coronam, divinum tuum partum, hoſtium phalanges abigentem, & viribus eos exſuperantem, natura ſuſcepit: propterea gratiarum decore te adornantes, laudes tuas canimus, ſemper celebranda Domina.

Canticum nonum. *Lapis ſine manibus præciſus.*

Annue cælitus miſericors, cunctis miſericordiam tuam manifeſta, auxilium tuum nunc, virtutemque tuam ad te accedenti per Sacerdotum divinam Unctionem præbe, o benigne.

Videamus, optime Salvator, lætantes ſacrum oleum, præ participibus effluxu divino à te acceptum, iiſdemque divini lavacri conſortibus typice à te exhibitum.

Compatere, miſerere Salvator, libera à malis & languoribus, à maligni jaculis famulos tuos, animas, & corpora eripe, ut miſericors Dominus, divina gratia medelam præbens.

Deipara.

Laudibus & orationibus ſervorum tuorum ſuſceptis, Virgo, gravibus infirmitatibus & languoribus, tua prece libera, o illibata, eum qui per nos ad tuam divinam protectionem recurrit.

Vere dignum eſt. Pretioſiorem.

Amandatorium. *Viſitavit nos.*

Benigno reſpice oculo, bone, ad preces noſtras, qui hodie ad templum ſanctum tuum, ſacro oleo famulos tuos infirmos uncturi, convenimus.

Ad laudes: Verſus ſimilares.

Tonus quartus.

Dediſti ſignum.

Dediſti gratiam tuam per Apoſtolos tuos, o benigne, & qui facile reconciliaris, ut ſancto tuo oleo cunctorum mederentur vulneribus & morbis: ad oleum propterea tuum nunc fideliter accedentem ſanctifica, & miſerere, ut humanus, omni morbo expurga illum, & incorrupta tua voluptate redde dignum, Domine.

Reſpice, incomprehenſe, de cælo, ut benignus; manu tua inviſibili, & oleo ſancto tuo conſigna ſenſus noſtros, & ei qui fideliter ad te recurrit, delictorumque veniam petit, medelam largire corporis & animæ, ut virtutem tuam magnificans affectu te laudet.

Olei tui Unctinne, & Saderdotum tuorum attactu, ſanctifica famulos tuos, o benigne, a morbis ſuperne libera, animæque ſordes expurga, ablue, Salvator, & a multiplicibus offendiculis erue, dolores mitiga, calamitates abige, & anguſtias depelle, ut miſeraror & pius.

Glotia. Et nunc.

Deipara.

Te puriſſimum Regis palatium deprecor, celebranda, ſordidum animum meum peccatis omnibus perpurga, & jucundum habitaculum ſuperdivinæ Trinitatis effice, ut potentiam tuam & immenſam pietatem, a te ſalvatus inutilis ſervus tuus, laudibus extollam.

Ter ſanctus. Sanctiſſima Trinitas. Pater noſter. Quia tuum eſt.

Modulus. Tonus quartus.

Chriſte, qui ſolus ad opem ferendam velox exiſtis, citam è ſuperis protectionem ſervis tuis exhibe, à morbis libera illos, & ab amaris languoribus eripe, ut te laudent, & irrequiete celebrent, precibus Deiparæ, ſole benigne.

Et

Et confeſtim Collectam Diaconus, aut primus Sacerdotum ſubjungit.

In pace Dominum precemur. Pro ſuperna pace. Pro ſalute totius. Pro ſancta hac domo.

Ut oleum hoc virtute, & operatione, & adventu Spiritus ſancti benedicatur, Dominum precemur.

Pro ſervo Dei N. & ejus in Deo viſitatione, & ut ſuper eum Spiritus ſancti gratia adveniat, Dominum precemur.

Ut ipſe & nos liberemur. Suſcipe, ſalva, miſerere. Sanctiſſimæ illibatæ.

Mox primus Sacerdotum olei benedictionem recitat, coram lucerna.

Sciendum in magna Eccleſia, vice aquæ, vinum in lucernam oleum benedictum continentem infundi.

Dominum precemur.

Domine, qui in miſericordia & miſerationibus tuis animarum corporumque contritiones curas, ipſe, Domine, oleum hoc ſanctifica, ut in medelam omnis paſſionis carnalis & ſpiritualis inquinamenti, & omnis denique mali depulſionem ex illo unctio fiat, ut in eo glorificetur ſanctiſſimum nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Dum recitatur à Sacerdotibus oratio, cantantur moduli ſequentes.

Chriſte, qui ſolus ad opem ferandam velox exiſtis, citam e ſuperis protectionem ſervis tuis exhibe, à morbis libera illos, & ab amaris languoribus erige, ut te laudent, & irrequiete celebrent, precibus Deiparæ, ſole benigne.

Oculis animæ captus ad te, Chriſte, accedo, velut a nativitate cæcus, in pœnitentia ad te clamans: Propitiare, qui ſolus facile reconciliaris.

Animam meam, Domine, omni peccatorum genere, & indecoris actionibus graviter diſſolutam, divina tua ope erige, ſicut Paralyticum quondam erexiſti, ut ſalvus te invocem, præbe mihi, miſericors Chriſte, medelam.

Ut Domini diſcipulus ſuſcepiſti, o juſte Jacobe, Evangelium, ut martyr coronam à nullo deſcribendam conſecutus es, ut frater Domini auctoritate polles, ut Pontifex jus intercedendi nactus eſt: interpella Chriſtum Deum, ut animæ noſtræ ſalventur.

Verbum Patris, unigenitus Filius, ultimis temporibus ad nos adveniens, Jacobe venerande, primum te dedit Hieroſolymorum paſtorem & doctorem, & divinorum Sacramentorum œconomum fidelem: hinc omnes, Apoſtole, te colimus.

Tonus tertius.

In unguentis, ſancte, Sacerdos probatus es; Chriſti namque Evangelium adimplens, beate Nicolae, animam pro populo tuo poſuiſti: innocentes morte eripuiſti, ſanctuſque propterea affectus es, ut magnus Dei gratiæ myſtes.

Tonus tertius.

Magnum te invenit in periculis defenſorem orbis, gentes adverſas in fugam vertentem trophæis inclyte Demetri. Ut igitur Lyæi elationem repreſſiſti, & in ſtadio Neſtorem animaſti: ſic, o ſancte, Chriſtum interpella, ut magnam nobis miſericordiam elargiatur.

Tonus tertius.

Trophæis præclare, ſancte, & mediator Panteleemon, miſericordem Deum roga, ut peccatorum veniam animabus noſtris donet.

Tonus obliquus quartus.

Sancti pretio non conducti, & miraculorum operatores, Coſma & Damiane, animas noſtras viſitate; ut gratis accepiſtis, ſic & gratis elargiamini.

Tonus ſecundus.

Magnitudinem tuam quis enarrare ſufficiat, ô virgo Joannes? miraculis enim ſcaturis, & curationibus abundas, & pro animabus noſtris intercedis, ut Theologus & amicus Chriſti.

Tonus ſecundus.

Interceſſio fervens, munimen inexpugnabile, miſericordiæ fons, mundi refugium, intenſe clamamus ad te, Deipara Domina, ſuccurre: & à periculis nos eripe, quæ ſola protectionem velociter præbes.

Propoſitum. Tonus primus.

Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.

Verſiculus. Exultate, juſti, in Domino.

Apoſtolus.

Catholicæ Epiſtolæ Jacobi lectio. *Cap. v.*

Fratres, exemplum accipite laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. *Finis.*

Finis.

Confitemini alterutrum peccata, & orate pro invicem ut curemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.

Alleluia. *Tonus obliquus quartus.*

Miſericordiam & judicium cantabo tibi.

Cap. x. *Evangelium ex eo quod eſt ſecundum Lucam.*

In illo tempore, quidam Legiſperitus acceſſit ad JESUM tentans eum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?

Finis.

At ille dixit, qui fecit miſericordiam in illum. Et ait JESUS: Vade & tu fac ſimiliter.

Deinde dicitur.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam, *ut ſupra.*

Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace, ſanitate, ſalute.

Ut illi condonetur omne delictum.

Quia miſericors, & hominum amator Deus exiſtis, & tibi gloriam, *&c.*

Et oratio.

Dominum precemur.

Principii ſucceſſioniſque expers, ſancte ſanctorum, qui Filium tuum unigenitum miſiſti ſanantem omnem morbum & omnem infirmitatem animarum & corporum, emitte ſanctum tuum Spiritum, oleumque hoc ſanctifica, & ungendo huic ſervo tuo illud in perfectam liberationem peccatorum ejus, & in Regni Cælorum hæreditatem percipiendam effice.

Sciendum orationem hanc hucuſque ſolummodo quoſdam recitare; & confeſtim exclamationem: Tuum enim eſt miſereri; *alios vero ad finem uſque eam percurrere.*

Tu enim, Deus magnus es & mirabilis, qui teſtamentum tuum, & miſericordiam tuam diligentibus te obſervas, qui remiſſionem peccatorum tribuis per ſanctum puerum tuum JESUM CHRISTUM, qui regeneras nos a peccato, cæcos illuminas, & confractos erigis, qui juſtos diligis, & peccatorum misereris, qui e tenebris & umbra mortis noviter nos eruiſti, dicens in captivitate detentis: Exite; & iis qui in tenebris: Revelemini, illuxit enim in cordibus noſtris lumen cognitionis vultus tui, ex quo in terris viſus es, & propter nos cum hominibus verſatus es, recipientibus te tribuens poteſtatem filios Dei fieri per lavacrum regenerationis, eum donata nobis adoptione immunes nos a diaboli tyrannide conſtituiſti: quandoquidem non complacuit tibi in ſanguine nos expiari, ſed in oleo ſancto crucis tuæ figuram conceſſiſti, ut Chriſti ſiamus ovile, regale Sacerdotium, gens ſancta, emundans nos in aqua, & Spiritu ſancto tuo nos ſanctificans. Ipſe, dominator Domine, huic tuo miniſterio gratiam præbe, ſicut dediſti Moyſi ſervo tuo, & Samuel dilecto tuo, & Joanni electo tuo, & omnibus in unaquaque generatione & generatione tibi complacentibus. Præſta pari modo novi Teſtamenti tui miniſtros nos fieri, in oleo hoc, a te pretioſo ſanguine tuo acquiſito: ut mundi cupiditatibus exuti, peccato moriamur, vivamus juſtitiæ, induti Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM per unctionem ſanctificationis in oleum hoc inducendæ. Fiat, Domine, oleum hoc oleum exultationis, oleum ſanctificationis, regium indumentum, virtutis thorax, omnis diabolici machinamenti depulſio, ſigillum inſidiis liberum, cordis gaudium, lætitia ſempiterna: ut & in hoc uncti, fiant regenerationis oleo adverſariis tremendi, & in ſanctorum ſplendoribus effulgeant, non habentes maculam aut rugam, & in æternam requiem admittantur, & tandem ſupernæ vocationis præmium percipiant. Quia tuum eſt miſereri & ſalvare nos, Chriſte Deus noſter; & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, *&c.*

Et poſt orationem accipit Sacerdos ſanctum oleum, & Extremam Unctionem ſuſcipientem ungit, ſequentem orationem dicens:

Pater ſancte, animarum & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM omnem morbum curantem; & ex morte nos liberantem miſiſti, ſana quoque ſervum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Chriſti tui gratiam, interceſſionibus ſuper omnes ſanctæ Dominæ noſtræ Deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, protectionibus venerandarum ſupercæleſtium virtutum incorporearum, virtute pretioſæ & vivificæ crucis, honorandi glorioſi Prophetæ Præcurſoris & Baptiſtæ Joannis, ſanctorum glorioſorum, & toto orbe celebrium

Apoſtolorum, ſanctorum, glorioſorum, & victoriis clarorum Martyrum, & deiferorum Patrum noſtrorum, ſanctorum medicorum mercede non conductorum Coſmæ & Damiani, Cyri & Joannis, Pantaleonis & Hermolai, Sampſonis & Diomedis, Photii & Aniceti; ſanctorum & juſtorum Deiparentum Joachim & Annæ, & omnium ſanctorum. Amen.

Quia tu es fons ſanitatum, Chriſte Deus noſter, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſeculorum.

Hæc oratio dicitur ab unoquoque Sacerdotum poſtquam dixerit Evangelium & orationem, cum videlicet infirmum oleo perungit.

Sciendum vero Apoſtolum a Diacono legi.

Propoſitum. Tonus ſecundus.

Fortitudo & laus mea Dominus.

Verſiculus. Caſtigans caſtigavit me Dominus.

Apoſtolus.

Ad Romanos Epiſtolæ Pauli lectio.

Cap. XV.

Fratres, debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.

Finis.

Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

Alleluia. *Tonus obliquus primus.*

Verſiculus. Miſericordias tuas, Domine.

Evangelium ſecundum ex Luca, cap. XIX.

In illo tempore, perambulabat JESUS Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & ipſe erat Princeps Publicanorum, & ipſe dives; & quærebat videre JESUM quis eſſet.

Finis.

Venit enim Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace, ſanitate, ſalute.

Ut condonetur ei.

Quia miſericors.

Diaconus.

Dominum precemur.

Secundus Sacerdos ſubdit orationem.

Deus magnus & excelſus, qui ab omni creatura adoraris, ſapientiæ fons; & veræ bonitatis inveſtigabilis abyſſus, & pietatis immenſum pelagus: ipſe, Domine benigne, æternorum & mirabilium Deus, quem nullus hominum contemplatus comprehendere poteſt, reſpice, exaudi nos indignos famulos tuos, & ubi in nomine tuo magno, oleum hoc proferimus, emitte liberalitatis tuæ medicamenta, & peccatorum indulgentiam, & ſana cunctos in miſericordiæ tuæ multitudine. Ita, Domine, facile reconciliande, ſolus miſericors & humanus, pœnitentiam agens ſuper malitia hominum, & cognoſcens quia prona eſt cogitatio hominis in maligna a juventute ſua; qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; qui propter peccatorum ſalutem, permanens Deus, homo factus es; & propter creaturam tuam creaturarum ordinem ingreſſus es. Tu es qui dixiſti: Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Tu es qui ovem derditam, & drachmam diligenter requirens, inveniſti. Tu es qui dixiſti: Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Tu es qui meretricem honorandos pedes tuos lacrymis rigantem, non exhorruiſti. Tu es qui dixiſti: Quoties cecideris, ſuſcitare, & ſalvaberis. Tu es qui dixiſti: Quia gaudium eſt in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Ipſe reſpice, benigne Domine, obumbrans nobis peccatoribus & indignis ſervis tuis in gratia Spiritus ſancti, in hac hora, & ſuper famulum tuum N. propria delicta agnoſcentem, & ad te fide accedentem, reſide; & propria tibi humanitate ſuſcipiens eum, ſi quid deliquit in verbo, aut opere, aut cogitatione, veniam præbens, dele, & ab omni peccato illum emunda, & jugiter ei aſſiſtens conſerva illum reſiduo vitæ ſuæ tempore in juſtificationibus tuis procedentem, ne ultra gaudium diabolo præſtet: quin potius in illo ſanctiſſimum nomen tuum glorificetur.

Exclamando.

Tuum enim eſt miſereri, & ſalvare nos, Chriſte Deus, & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patre, & ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde

Deinde dicit tertius Sacerdos.

Propoſitum. Tono tertio.

Dominus illuminatio mea, & Salvator meus.

Verſiculus. Dominus defenſor vitæ meæ.

Apoſtolus.

Ad Corinthios Epiſtolæ Pauli lectio.

Cap. XII.

Fratres, vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas.

Finis.

Omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Caritas nunquam excidit.

Alleluia. *Tonus ſecundus.*

In te ſperavi, Domine, non confundar in æternum.

Evangelium ex Matthæo, cap. X.

In illo tempore, convocatis JESUS duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.

Finis.

Gratis accepiſtis, gratis date.

Diaconus.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace; ſanitate, ſalute:

Vt ipſi omne delictum condonetur.

Sacerdos.

Quia miſericors, & hominum amator exiſtis.

Diaconus.

Dominum precemur.

Et tertius Sacerdos orationem.

Omnipotens Domine, Rex ſancte, qui corripis, & morti non tradis, decidentes fulcis & confractos erigis, qui corporeas hominum infirmitates in utilitatem eorum diſponis, te poſcimus, Deus noſter, ut miſericordiam tuam ſuper oleum hoc, & ex eo in tuo nomine unctos inducas, ut fiat illis in animæ corporiſque ſalutem, in curam & liberationem omnis doloris, omnis morbi, & infirmitatis, & denique omnis inquinamenti carnis & ſpiritus. Ita, Domine, medicam tuam virtutem emitte cælitus, ut corpus attingat, febrem extingue, dolorem mitiga, & omnem latentem languorem. Fias medicus hujus ſervi tui, erige eum e dolorum lecto, ab infirmitatis ſtrato. Salvum & incolumem illum Eccleſiæ tuæ largire, beneplacentem tibi, & voluntatem tuam exequentem.

Exclamando.

Tuum enim eſt miſereri, & ſalvare, Deus noſter, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quartus Sacerdos.

Propoſitum. Tonus quartus.

In quacunque die invocavero te.

Verſiculus. Domine, exaudi orationem meam.

Apoſtolus.

Ad Corinthios Epiſtolæ Pauli lectio.

Cap. VI.

Fratres, vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis:

Finis.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.

Alleluia. *Tonus ſecundus.*

Expectans expectavi Dominum.

Evangelium ex Matthæo, cap. VIII.

In illo tempore, veniens JESUS in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricantem.

Finis.

Et aſcendente eo in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.

Diaconus.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace, ſanitate, ſalute.
Vt illi condonetur omne delictum.

Exclamando.

Quia tu miſericors, & amator hominum exiſtis.

Diaconus.

Dominum precemur.

Et Sacerdos orationem.

Bone & humane, pie & valde miſericors Domine, qui abundas miſericordia, & es dives in bonitate, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui per ſanctos Apoſtolos tuos fiduciam dediſti nobis, vt oleo cum oratione infirmitates populi curaremus: ipſe & oleum hoc in medelam ex eo vngendis effice, in remedium omnis languoris & infirmitatis, in liberationem malorum, iis qui a te ſalutem expectant. Ita, dominator Domine Deus noſter, rogamus te, omnipotens, vt nos omnes ſalves, ſolus animarum corporumque medicus; ſanctifica nos omnes, qui morbum omnem curas, ſana & præſentem ſervum tuum, erige eum e lecto doloris per miſericordiæ tuæ benignitatem, viſita eum in miſericordia & miſerationibus, omnem morbum & infirmitatem ab eo expelle, vt potenti tua manu erectus, cum omni gratiarum actione tibi ſerviat, & nos tuæ ineffabilis humanitatis participes, laudemus, & glorificemus te facientem magna & mirabilia, portenta, & laude digna opera.

Exclamando.

Tuum enim eſt miſereri, & ſalvare nos, Deus noſter & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quintus Sacerdos.

Propoſitum. Tonus obliquus primus.

Tu, Domine, cuſtodias nos.

Verſiculus. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit ſanctus.

Apoſtolus.

Ad Corinthios Epiſtolæ Pauli lectio.

Cap. I.

Fratres, nolumus vos ignorare de tribulatione noſtra, quæ facta eſt nobis in Aſia.

Finis.

Vt multis perſonis ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Alleluia. *Tonus obliquus primus.*

Miſericordias tuas, Domine, in æternum.

Evangelium ex Matthæo, cap. XXV.

Dixit Dominus parabolam hanc. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.

Finis.

Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam, in qua filius hominis venit.

Diaconus.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam, &c.
Adhuc rogamus pro miſericordia; vita, pace.
Vt condonetur ei omne delictum.

Exclamando.

Quia miſericors, & hominum amator Deus exiſtis.

Et Sacerdos orationem.

Dominum precemur.

Domine Deus noſter, qui corripis & iterum ſanas, qui de terra ſuſcitas inopem, & de ſtercore elevas pauperem, orphanorum pater, & fluctuantium portus, ægrotorum medicus; qui infirmitates noſtras abſque labore portas, & morbos noſtros aſſumis; qui in hilaritate miſereris, & ſupergrederis iniquitates, & injuſtitias à nobis auferss; qui promptus es ad auxilium, & tardus ad iram; qui inſufflaſti in tuos diſcipulos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; qui peccatorum pœnitentiam ſuſcipis, & delicta multa graviaque condonandi poteſtatem habes, & medelam præbes omnibus morbo longaque infirmitate jactatis; qui & me abjectum peccatorem, & indignum ſervum tuum, multis delictis innodatum, & voluptatum affectibus volutatum, in ſanctum & ſublimem Sacerdotii gradum evocaſti, vt in interiora velaminis, in ſancta ſanctorum, ubi ſancti Angeli reſpicere cupiunt, ingrederer, ut Evangelium vocem Domini Dei audirem, & facie ad faciem ſanctam oblationem intuerer, & divino ſacroque miniſterio perfruerer; qui & mihi ſuper cæleſtia tua myſteria ſacrificandi pote-

poteſtatem dediſti, & tibi dona & hoſtias offerendi pro peccatis noſtris, & populi ignorantiis, & legatione fungendi pro rationalibus tuis ovibus, vt abundanti & inerrata tua humanitate earum delicta deleas. Ipſe, Rex optime, orationem meam exaudi in hac hora ſanctaque die, & in omni loco & tempore, & deprecationis meæ voci attende, & ſervo tuo N. corporis & animæ infirmitate detento medelam tribue, peccatorum delictorumque voluntariorum, & non ſponte commiſſorum venia ei donata, plagas ejus inſanabiles, omnemque morbum & omnem languorem cura. Animæ ſalutem ei tribue, tu qui ſocrum Petri tetigiſti, & reliquit eam febris, & ſurrexit, & miniſtravit tibi. Ipſe quoque, Domine, ſervo tuo medelam præbe, & ab omni letifero morbo immunitatem. Recordare copioſarum miſerationum tuarum, & miſericordiæ tuæ. Recordare quia ſedulo prona eſt cogitatio hominis ad maligna a juventute ſua, & nullus invenitur abſque peccato ſuper terram. Tu enim ſolus abſque peccato exiſtis, qui veniſti vt genus humanum ſalvum faceres, & a ſervitute inimici nos liberares. Si enim in judicium intraveris cum ſervis tuis, nullus abſque ſordibus mundus invenietur; ſed & omne os obſtruetur, nec reſpondere valebit, quia ſicut pannus menſtruatæ omnis juſtitia noſtra coram te eſt: idcirco, Domine, delicta juventutis noſtræ ne memineris. Tu enim deſperatorum ſpes, laborantium & iniquitatibus oneratorum requies exiſtis, & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patre, & ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et ſextus Sacerdos.

Propoſitum. Tonus quartus.

Miſerere mei Deus, ſecundum magnam, &c.

Verſiculus. Cor mundum crea in me, Deus.

Apoſtolus.

Ad Galatas Epiſtolæ Pauli lectio.

Cap. v.

Fratres, fructus Spiritus eſt caritas; gaudium.

Finis.

Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Alleluia. *Tonus obliquus ſecundus.*

Beatus vir qui timet.

Evangelium ex Mathæo, cap. xv.

In illo tempore, receſſit Jesus in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egreſſa.

Finis.

Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

Diaconus.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.
Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace, ſanitate, ſalute.
Vt ei condonetur omne delictum.

Exclamando Sacerdos.

Quia tu miſericors, & hominum amator Deus exiſtis.

Diaconus.

Dominum precemur.

Et Sacerdos orationem.

Gratias tibi agimus, Domine Deus noſter, qui bonus es, & homines diligis, medicus animarum & corporum noſtrorum, ægritudines noſtras abſque labore portans, cujus livore ſanati ſumus, paſtor bonus ovem errantem requiſiturus adveniſti; & afflictis conſolationem, contritiſque vitam præſtiturus: qui fontem mulieris profluvio laborantis poſt annos duodecim ſanaſti, & filiam Chananææ a moleſto dæmonio liberaſti, qui dimiſiſti duobus debitoribus mutuum, & peccatrici indulgentiam impertiiſti, qui cum peccatorum venia valetudinem bonam Paralytico reſtituiſti, qui Publicanum verbo tuo juſtum rediddiſti, & in vltima ſua confeſſione ſuſcepiſti latronem, quique peccata mundi tuliſti, & cruci cuncta defixiſti: Te rogamus, te in bonitate tua obſecramus, condona, remitte, parce, Deus, iniquitatibus & peccatis ſervi tui hujus, ſive voluntaria ſint ejus delicta, ſive non ſpontanea, quæ cum advertentia & cum ignorantia, quæ tranſgreſſione & inobedientia, quæ in nocte & in die commiſit, ſi Sacerdotis maledictioni, aut patris aut matris fuerit ſubjectus; ſi oculum rerum viſu ſaginavit, aut odoratum emollivit, ſi tactus delectatione diffluxit, aut guſtu fornicatus eſt, aut quocumque carnis & ſpiritus motu a tua voluntate & ſanctitate quomodolibet alienatus eſt, ſive peccaverit ipſe, ſive nos,

vt

ut bonus & malorum immemor Deus, & benignus indulge, neque permittas eum vel nos in immundum defluere vitam, neque perditionis vias incurrere. Ita dominator Domine, exaudi me peccatorem in hac hora pro ſervo tuo N. deprecantem. Ne reſpicias ut malorum immemor Deus delicta ejus cuncta, ab æterna damnatione illum eripe, os ejus tua laude reple, labia ejus in laudem nominis tui aperi, manus ejus ad mandatorum tuorum opera extendi jube, pedes ejus dirige ad Evangelii tui viam, omnia ejus membra mentemque tua gratia communi. Tu enim es Deus noſter, qui per ſanctos Apoſtolos tuos nobis præcepiſti, dicens: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Et iterum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Et ſicut Ezechiam exaudiviſti in anguſtia animæ ejus, in hora mortis ejus, & deprecationem ejus non deſpexiſti: ſic & me abjectum, & peccatorem, & indignum in hora hac exaudi. Tu enim es, Domine JESU CHRISTE, qui tua bonitate & humanitate ſeptuagies ſepties delinquentibus condonari præcepiſti, qui ſuper malitia noſtra pœnitentiam agis, & de errantium converſione lætaris: quia ſicut celſitudo tua, ita & miſericordia, & tibi gloriam referimus, cum principii experte tuo Patre, & ſanctiſſimo, & vivifico tuo Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Sacerdos ſeptimus.

Propoſitum. Tonus quartus.

Domine, ne in furore tuo arguas me.

Verſiculus. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.

Apoſtolus.

Ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ Pauli lectio.

Fratres, rogo vos, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes.

Finis.

Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri JESU CHRISI ſervetur.

Alleluia. *Tonus ſecundus.*

Exaudiat te Dominus in die.

Evangelium ex Matthæo, cap. IX.

In illo tempore, præteriens JESUS vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.

Finis.

Euntes diſcite quid eſt. Miſericordiam volo, & non ſacrificium: non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.

Miſerere noſtri, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Adhuc rogamus pro miſericordia, vita, pace, ſanitate, ſalute.

Vt ei condonetur omne delictum.

Exclamando.

Quia miſericors, & hominum amator Deus exiſtis.

Diaconus.

Dominum precemur.

Et tertius Sacerdos orationem.

Dominator Domine Deus noſter, animarum medice, qui temporaneis doloribus mederis, & omnem languorem omnemque infirmitatem in populo ſanas, qui vis homines vivere, & in agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: tu enim, Domine, in veteri teſtamento, David, Ninivitis, antiquioribus & poſterioribus pœnitentiam inſtituiſti; ſed & in peregrinatione tuæ diſpenſationis in carne, non juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam vocaſti, velut Publicanum, meretricem, latronem, & blaſphemum perſecutorem magnum Paulum per pœnitentiam ſuſcepiſti, & Petrum Coryphæum, & Apoſtolum tertio te abnegantem complexatus es & admiſiſti, inſuper ei promiſiſti, dicens: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum. Propterea & nos, benigne & humane, veracibus tuis pollicitis confiſi, rogamus te, & obſecramus in hora hac, ſupplicationem noſtram exaudi, & velut incenſum tibi oblatum eam ſuſcipe, & viſita ſervum tuum N. & ſi quid verbo, opere, aut cogitatione, noctu, aut interdiu deliquit, in Sacerdotis maledictionem, aut a ſe prolatam execrationem incidit, juramento ſe implicuit aut pejeravit, rogamus te & precamur, relaxa, dimitte, condona ipſi, Deus, nec reſpicias ad iniquitates & peccata ejus, quæ ſcienter vel ignoranter admiſit: & ſi quodpiam mandatorum tuorum tranſgreſſus eſt, aut

aut ut carne indutus, & mundi incola, vel ex diaboli ſuggeſtione neglexit, ipſe ut bonus, & hominum amator Deus, condona. Quia non eſt homo, qui vivat & non peccet: tu enim ſolus innoxius exiſtis, juſtitia tua, juſtitia æterna, & verbum tuum veritas eſt: non enim ut pereat hominem formaſti, ſed ut mandata tua exequatur, & vitam æternam obtineat, & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tum vero in medium Sacerdotum ingreditur, qui Extremam Unctionem ſuſcipit, & acceptum ſanctum Evangelium ponit ſuper caput ejus Sacerdotum præcipuus, & manus illi Sacerdotes alii imponunt: ille autem Sacerdotum præſes, hanc orationem elata voce pronunciat.

Dominum precemur.

Rex ſancte, benigne & miſericors, Jesu Christe, Fili & Verbum Dei viventis, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, manum meam peccatricem non appono ſuper caput alterius peccatoris ad te revertentis, & per nos peccatorum remiſſionem depoſcentis; ſed tu manum tuam fortem & potentem in ſancto hoc Evangelio, a comminiſtris meis ſuper caput ſervi tui hujus impoſito, extende. Et cum eis humaniſſimam & malorum immemorem tuam benignitatem, Deus, Salvator noſter, obſecro, qui per Prophetam tuum Nathan pœnitentiam agenti David delictorum veniam conceſſiſti, & Manaſſe pœnitentiam agentis orationem ſuſcepiſti ipſe & ſervum tuum hunc delictorum pœnitentia ductum, ſolita tibi humanitate ſuſcipe, nec ad ejus ſcelera attende. Tu enim es Deus noſter, qui ſeptuagies ſepties in peccata lapſis condonari juſſiſti. Quia ſicut magnitudo tua, ſic & miſericordia tua, & tibi convenit omnis gloria, honor & adoratio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et oſculatur Evangelium, & memoriam ejus Sacerdos agit, & confeſtim cantant, *Gloria*, proprii cantus.

Fontem medelarum poſſidentis. Et nunc. Annue precibus. Gloria. Et nunc. Et dimiſſio.

Et corporis incurvatione ſe dimittit, qui Extremam Unctionem ſuſcipit, dicens: *Benedicite, Patres ſancti, & mihi peccatori delicta condonate*, ter. Et accepta ab eis benedictione & indulgentia diſcedit, & gratias Deo agit.

Hactenus ex Græcorum Euchologio, quod Jacobus Goar ex Ordine Prædicatorum Theologus in lucem emiſit: deinde ſubnectit aliud ſancti olei officium, quod ut relato brevius, ita & antiquius eſſe judicat. Id ſubnecto quoque, ne quid explicatæ Traditioni noſtræ deeſſe videatur. ſic autem ſe habet:

Ordo ſervandus, cum pro ægrotis ſeptem Sacerdotes advocantibus oleum ſanctum veſpere faciendum eſt.

Lavatur vitrea lampas, & capaciſſima lampas ſeptem libras continens impletur oleo. Et Sacerdotum unuſquiſque privatim ſibi myxon cum ellychnio accendendo præparat, & veſtes ſacras ſumit, & incipit:

Benedictum regnum Patris, & Filii, & ſancti Spiritus.

In pace Dominum precemur. Pro ſuperna. Pro ſanitate & ſalute ſervi Dei. Ut liberemur. Suſcipe, ſalva, miſerere. Sanctiſſimæ. *Sacerdos dicit orationem.*

Domine Deus, qui in tua miſericordia, *&c.*

Et dum orationem dicit, proprium ſibi ellychnium accendit, & ſignum crucis facit, exclamatque: Quia Deus miſericordiæ, miſerationum, & humanitatis, *&c.*

Et vice, Deus Dominus, *dicitur.* Alleluja. *Tono obliquo ſecundo, & modulus* Miſerere noſtri, Domine, miſerere. *Atque ita Canonem incipit; & in tertio cantico alter Sacerdos collectam recitat, ut præſcriptum eſt, & incipit orationem, & deinceps ſeptem Sacerdotes ſeptem orationes recitant.*

Oratio ſecunda.

Precamur te, Domine, ut ſtillet hoc oleum ſuper unctos in tuo nomine, in medelam & curam animæ & corporis, & in munditiem & liberationem omnis doloris & omnis ægritudinis, & infirmitatis, & omnium ſordium animæ & corporis, ut & in hoc glorificetur ſanctiſſimum nomen tuum Patris, & Filii, & ſancti Spiritus, in ſæcula ſæculorum.

Exclamando. Quia tu bonus & clemens.

Similiter & in ſexto cantico Sacerdos dicit orationem, & alter e collecta recitat quinque verſus, ut præſcriptum eſt.

Oratio tertia.

Reſpice, Domine, de ſancto habitaculo tuo, & oleum hoc ſanctifica, & viſita ſervum tuum in miſericordia & miſerationibus, & congruentem ei ſalutem & integritatem largire, libera eum ab omni ægritudine & languore animæ & corporis, & fiat ei, Domine

oleum

oleum hoc in omnis ægritudinis medelam. *Exclamatio.* Quia tu es dator omnium bonorum, & medicus animarum & corporum noſtrorum, & tibi gloriam rependimus.

Uno verbo unoquoque Sacerdote ita faciente, cruces tres ellychnio format, & accendit illud.

Oratio in laudibus

Domine omnipotens, qui caſtigas, &c. omnem ægritudinem & languorem ſana, quia tu ægritudines noſtras curas: erige ſervum tuum e doloris lecto, & infirmitatis cubili. Serva eum, & integrum Eccleſiæ tuæ reſtitue, ut tibi placeat, & voluntatem tuam omnibus diebus vitæ ſuæ adimpleat.

Exclamatio. Quia tuum eſt miſereri, & ſalvare nos, & tibi, &c.

Denique poſtquam ſinguli Sacerdotes ſuas orationes ordine recitaverint, terminantur vigiliæ, ſive nocturnum officium, & dicunt ſinguli orationem.

Domine Deus noſter, ſolus bonus & humanus, ſolus benignus & manſuetus, ſolus miſerator & miſericors, Deus noſter, & Pater Domini noſtri Jesu Christi ſub Pontio Pilato crucifixi, & tertia die reſurgentis, & in gloriam ſuam & tuam aſcendentis, gratia tua ſuper ſervum tuum veniat, & doctrinæ tuæ Evangelium corrobora, illumina ejus viſcera & membra tua voluptate, & ab omni peccato illum expurga, mundum & immaculatum ab omni adverſarii moleſtia illum conſerva, & juxta benignitatem tuam, quæ tua ſunt cogitate, ſapere, & mente volvere concede, tuo timore configi, & tibi placita, aduſque ultimum diem noſtrum, horam extremam, & poſtremum halitum exequi largire.

Exclamando. Quia miſericors.

Benedictus es, Domine omnipotens, Pater Domini noſtri Jesu Christi, qui omnem infirmitatem & languorem curas, fortis & benefactor, qui ab alieno oppreſſos cunctos liberas: ipſe clemens bonorum amator, animarum amice, potentem manum tuam, & brachium tuum excelſum & ſanctum extende, & animam corpuſque ſervi tui tange, & a doloris ejus lecto, & ab omni eum infirmitate detinente erige, ut inde exurgens cum omni populo tuo, ſanctiſſimum nomen tuum glorificet.

Exclamando. Tuum enim eſt miſereri, & ſalvare nos.

Pater ſancte, medice animarum & corporum.

Scriptum eſt inferius ſuper ægrotos.

In Miſſa, Antiphonæ de more dicuntur. Ad Introitum. *Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri.* Propoſitum. Tono quarto. *Ego dixi, Domine, miſerere.* Verſiculus. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

Apoſtolus.

Catholicæ Epiſtolæ Jacobi lectio.

Fratres, exemplum, &c.

Evangelium ex Luca.

In illo tempore, deſignavit Jesus, &c.

Atque ita Sacerdos alius dicit protenſam orationem, & alter Catechumenos ejicit, & cuncta ordine ſuo peraguntur, & finitur Miſſa.

Atque ita accedit infirmus, & incipiunt pſallere modulum. *Miſerere noſtri, Domine, miſerere.* Et ex poſitis ſuperius orationibus quiſque ſuam recitat, & ungit frontem, & aures, & manus infirmi, & ſinguli ellychnium, ut præmiſſum eſt, extinguunt. Poſt hæc, totam domum perungunt, ſigno crucis inter ungendum expreſſo, & canunt. *Qui habitat in adjutorio altiſſimi.* Et hoc pacto Miſſa finitur.

Hic eſt Græcorum in danda Unctione infirmorum ritus, qui ex duobus MM.SS. codd. a Jacobo Goario repræſentatur: ad beati Jacobi præſcriptum infirmus ungitur a Presbyteris, & ſuper eum orationes multæ recitantur.

CAPUT IV.

Referuntur quæ ab anno DCCCXL. *ad annum* M. *de forma Extremæ Unctionis haberi poſſunt:*

Tres in promptu mihi ſunt pontificales libri, e quibus repeto Extremæ Unctionis ritum & formam in ipſo ritu. Unus eſt liber Sacramentorum Gregorii, prout ex Mulali MS. ſancti Eligii Bibliothecæ Corbeienſis in lucem prodiit anno MDCXLII. Quæ igitur ſequuntur ad hoc ſpectant Sacramentum.

Oratio-

Orationes ad viſitandum infirmum.

Inprimis faciant Sacerdotes aſperſo ſale aquam benedictam, & aſpergant eam cum antiphona & orationibus ſuper ipſum infirmum, & ſuper domum ejus.

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo te, creatura ſalis, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum, qui te per Heliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco, quo aſperſus fueris, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Benedictio ſalis.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis quam in uſum generis humani tribuiſti, benedicere & ſanctificare tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, ut quidquid eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ, Per, *&c.*

Extorciſmus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Filii ejus Domini noſtri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtatieis, per virtutem Domini noſtri Jesu Christi, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Benedictio aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantiam condidiſti, adeſto invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis effunde, ut creatura myſterii tui tibi ſerviens, ad abjiciendos dæmones, morboſque pellendos, divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſiquid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa, Per, *&c.*

Benedictio aquæ & ſalis pariter. Hic mittitur ſal in aquam.

Deus invictæ virtutis auctor, & inſeparabilis imperii rex, ac ſemper magnificus triumphator, qui adverſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas, te Domine, trementes ac ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter accipias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicumque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abjiciatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur, Per Dominum, *&c.*

Oratio quando aqua ſpargitur in domo.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus, & mittere dignare Angelum tuum ſanctum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, Per, *&c.*

Benedictio domus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentibus, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſi qua ſint adverſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui ill. auctoritate majeſtatis tuæ pellantur, Per, *&c.*

Oratio ad infirmum ungendum.

Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam; operare, creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic ſpiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, Per eundem, *&c.*

Oratio ad viſitandum infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Virtutum cæleſtium, Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, *& cetera ut ſupra.*

Deinde a Sacerdote dicitur hac oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei; cura quæſumus, Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis expelle, plenamque & interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus & ſanatus, ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia, Per, *&c.*

Et ſic flectat genu vel genua, qui eſt languidus, & ſtet ad dexteram Sacerdotis, & ſic decantetur hæc Antiphona.

Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſal. Deus Deorum locutus es, & repetit: In nomine meo, *&c.*

Sequitur oratio.

Oremus Dominum noſtrum Jasum Christum, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum ill. per Angelum ſanctum ſuum viſitare, lætificare, & confortare dignetur.

Sequitur Antiphona.

Succurre, Domine, infirmo iſti ill. & medica eum ſpiritali medicamine, ut in priſtina ſanitate reſtitutus, gratiarum tibi ſanus referat actiones. Pſal. Ad Dominum cum tribularer.

Sequitur alia Antiphona.

Sana, Domine, infirmum iſtum, cujus oſſa turbata ſunt, & cujus anima turbata eſt valde: ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, & eripe animam ejus. Pſal. Domine, ne in furore tuo arguas me, cum Gloria. & repetent: Sana me, Domine. & ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato cruces faciendo in collo, & gutture, & inter ſcapulas, & in pectore, ſeu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur, & ſupplicando dum ungitur infirmus, dicat unus e Sacerdotibus hanc orationem.

Sequitur oratio.

Inungo te de oleo ſancto in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive fotus, priſtinam & immelioratam recipere merearis ſanitatem, Per eundem, *&c.*

Sequitur hac oratio.

Domine Deus Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, quique nos Apoſtoli documento inſtruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ reſtituat in ſalutem: ſana quoque, quæſumus, omnium medicator febrium ejus, & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, & dolorum omnium diſſolve tormenta, viſcerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum: ſana diſcrimina ulcerum, vanitatumque putredines evacua, conſcientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immenſaſque remove paſſiones, carnis ac ſanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue: ſicque illum tua pietas jugiter cuſtodiat, ut nec ad correptionem aliquando ſauitas, nec ad perditionem nunc,

te

te auxiliante, perducat infirmitas; ſed fiat illi hæc olei ſacra peruoctio moibi, & languoris præſentis expulſio, atque peccatorum omnium optata remiſſio, Per Dominum noſtrum, &c.

Alia.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in omoibus deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Hunc ad viſitandum infirmum ordinem alius ad eundem communicandum ordo ſequitur, quem alibi repræſentamus.

Alter Sacramentorum liber, qui in Corbeienſi Monaſterio Ratoldi Abbatis juſſu ſcriptus eſt ante annum DCCCCLXXXVI. quo diſceſſit e vira. In eo autem libro hic traditur Unctionis infirmorum ritus, in quo par cum ſuperiori forma reperitur.

Incipit ordo unctionis infirmi. Hic dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me advocaſti, frater? Ille ait: Ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noſter JESUS CHRISTUS veram facilemque unctionem; tum ſi te reſpexerit, & ſanaverit te Deus, cuſtodies illam. Reſpondet, cuſtodiam. Tunc Sacerdos faciet crucem cum aqua ſuper pectus ejus. & imponit cilicium deſuper, dicens: Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex neceſſitate, quia miſericors eſt Deus, quia miſericordia Dei nec menſuras, nec tempora habet, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. & alibi: Dic iniquitates tuas prior, ut juſtificeris. Antiphona Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpiritali medicamine, ut in priſtina ſanitate reſtitutus gratiarum tibi referat actiones. Pſal. Domine, ne in furore tuo, cum Gloria. Antiph. Quia apud Deum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio, & multiplex Dei miſericordia, ita & lapſis ſubvenit hominibus, ut non ſolum per Baptiſmi. & conſummationis gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ atque Unctionis medicinam ſpes vitæ reparetur humanæ. Antiph. Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Pſal. Miſerere mei, Deus, totum cum Gloria, & replicatur Antiphona, Collectam require. Antiph. Opem ferat huic infirmo Deus ſuper lectum doloris ejus, & ipſe confirmet eum, & vivificet. Pſal. Beatus qui intelligit, Collectam require. Ant. Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſal. Deus Deorum. Ant. Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te; cuſtodi animam ejus, quia in te ſperavit. Pſal. Inclina, Domine. Ant. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: tibi autem nullum appropinquat malum. Pſal. Qui habitat. Ant. Propitietur Deus iniquitatibus tuis, & ſanet omnes ægritudines tuas, & renovetur ut aquilæ juventus tua Pſal. Benedic. I. Ant. Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa. Pſal. Ad Dominum cum tribularer. Oratio Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Jacobum Apoſtolum tuum introducere Presbyteros Eccleſiæ, & ungere oleo infirmos præcepiſti, præſta, quæſumus, ut digneris per manus noſtras hunc famulum tuum ill. infirmum de oleo ſanctificato ungere & benedicere: hoc autem, quod nos exterius tua chariſmata fideliter complectimur, hoc interius ſpiritaliter divina virtus, ac mirabiliter tuæ magnanimitatis operetur virtutem, Per Dominum noſtrum, *&c.*

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid inlicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, *&c.*

Alia.

Ungo aures has ſacrati olei liquore, ut quidquid delectatione noxia auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet, Per Dominum ooſtrum, *&c.*

Alia.

Ungo has nares de oleo ſacrato, ut quidquid noxie contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta mundet medicatio, Per Dominum noſtrum, *&c.*

Alia.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa, vel criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante, expietur hac unctione, Per, *&c.*

Alia.

Ungo pectus tuum de oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter præſtare valeas adverſus æthereas catervas, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Ungo has ſcapulas, ſive medium ſcapularum de oleo ſacro, ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore juvaminis repellere, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Ungo has manus de oleo conſecrato, ut quidquid illicito vel noxio opere egerunt, per hanc unctionem evacuetur, Per, *&c.*

Alia.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo vel noxio inceſſu commiſerunt, iſta deleat perunctio, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Ungo te de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti, præparatus ad luctam, poſſis aëras ſuperare catervas, Per, *&c.*

Alia.

Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed te inhabitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacri olei unctionem, atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive ſotus, priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem per eum, ejuſdem, *&c.*

Alia.

Ungo te de oleo ſancto, invocata magna Creatoris majeſtate, qui juſſit Samuelem Prophetam ungere David Regem; operate, creatura.

Alia.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimem, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Amen.

Hoc loco proxime ſequitur ordo ad communicandum infirmum, qua de re nos alibi commodius.

Tertius liber ad ſancti Remigii Remenſis Monaſterium pertinet, in quo hic extat ritus Extremæ-Unctionis.

Cum ingreditur Sacerdos domum infirmi, facta aqua, primo dicendum ab introeuntibus, Pax huic domui, ter, & aſpergatur aqua benedicta cum odore thymiamatis, vel alterius incenſi, dicendo:

Antiph. Benedic domum iſtam. Pſal. Miſereatur noſtri. Oremus.

Benedic, Domine, Deus omnipotens, locum iſtum, ut ſit habitantibus in eo ſanitas & ſanctitas, virtus & caſtitas, victoria & ſanctimonia, humilitas & bonitas, manſuetudo & levitas, plenitudo legis & obedientia Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen. Hæc ſit ſemper benedictio ſuper hunc locum, & habitantes in eo. Amen.

Alia.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus, & mittere dignare Angelum ſanctum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, deſcendat ſuper omnes habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum, Per, *&c.*

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & famulos tuos, quos vocari caritatis viſitamus officiis, gratiæ tuæ largitate locupleta, ut in eorum proſperitate continua gaudeamus, Per Dominum, *&c.*

Alia.

Præſta, Domine, nobis famulis tuis per hanc creaturam ſacræ aſperſionis aquæ ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, hic & in æterna ſæcula.

Alia.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſi qua ſunt adverſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui, auctoritate majeſtatis tuæ pellantur. Per Dominum, &c.

Alia.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, & æterne Deus, & humilitatis noſtræ officiis gratiam tuæ viſitationis admiſce, ut quorum adimus habitaculum, tuam in eorum tibi cordibus facias manſionem, Per Dominum, *&c.*

Oratio-

Orationes ad ſupervenientes intra domum dicendæ.

Deus humilium viſitator, qui fraterna dilectione conſolaris, prætende infirmitati noſtræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus adventum. Per, *&c.*

Deus, qui nobis in famulis tuis præſentiæ tuæ ſigna manifeſtas, mitte ſuper nos ſpiritum caritatis, ut in adventu fratrum, conſervorumque noſtrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per Dominum, *&c.*

Tunc Sacerdos accedat ad infirmum, & dicat: Vocaſti? Infirmus dicat: Deſideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam & remiſſionem peccatorum tradas. Sacerdos dicat: Det tibi Dominus Jesus Christus veniam; tamen ſi Deus in te reſpexerit, cuſtodies illam. Infirmus reſpondeat: Cuſtodiam. Deinde Sacerdos audiat confeſſionem ejus, ſicut melius inquirere poterit, aut ſcriptis, aut verbis: tunc facit crucem ex cinere ſuper pectus infirmi, & imponit cilicium ſuper caput ejus. Poſt hæc ſequuntur pœnitentiales Pſalmi ſeptem, id eſt, Domine, ne in furore tuo; Beati quorum; Domine, ne in furore tuo, II. Miſerere mei, Domine, exaudi; De profundis; Domine, exaudi orationem meam. Parce, Domine, parce famulo tuo ill. quem redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo; ne in æternum iraſcaris ei, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Incipit Litania.

Kyrie eleiſon, ter. Chriſte eleiſon, ter.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta & perpetua virgo, ſuccurre in anguſtiis conſtituto.
Sancta Maria Dei genitrix, ora pro famulo tuo.
Sancte Michael, ora pro illo.
S. Gabriel, ora pro illo.
S. Raphael, ora pro illo.
Omnes ſancti Archangeli, orate pro illo.
Omnes ſancti Patriarchæ, orate pro illo.
Omnes ſancti Prophetæ, orate pro illo.
S. Joannes, ora pro illo.
S. Petre ora pro illo.
S. Paule, ora pro illo.
S. Andrea, ora pro illo.
S. Jacobe, ora pro illo.
S. Joannes, ora pro illo.
S. Thoma, ora pro illo.
S. Jacobe, ora pro illo.
S. Philippe, ora pro illo.
S. Bartholomæe, ora pro illo.
S. Matthæe, ora pro illo.
S. Simon, ora pro illo.
S. Thadæe, ora pro illo.
S. Marce, ora pro illo.
S. Luca, ora pro illo.
S. Barnaba, ora pro illo.
S. Timothee, ora pro illo.
Omnes ſancti Apoſtoli, orate pro illo.
S. Stephane, ora pro illo.
S. Clemens, ora pro illo.
S. Dionyſi, ora pro illo.
S. Ruſtice, ora pro illo.
S. Eleutheri, ora pro illo.
S. Maurici cum ſociis, ora pro illo.
S. Gereon, ora pro illo.
S. Sixte, ora pro illo.
S. Laurenti, ora pro illo.
S. Quintine, ora pro illo.
S. Triburti, ora pro illo.
S. Valeriane, ora pro illo.
S. Gervaſi, ora pro illo.
S. Protaſi, ora pro illo.
S. Cirice, ora pro illo.
S. Salvi, ora pro illo.
S. Nazari, ora pro illo.
S. Sebaſtiane, ora pro illo.
S. Nicaſi, ora pro illo.
Omnes ſancti Martyres, orate pro illo.
S. Hilari, ora pro illo.
S. Martine, ora pro illo.
S. Silveſter, ora pro illo.
S. Auguſtine, ora pro illo.
S. Hieronyme, ora pro illo.
S. Remigi, ora pro illo.
S. Medarde, ora pro illo.
S. Vedaſte, ora pro illo.
S. Amande, ora pro illo.
S. Eligi, ora pro illo.
S. Bavo, ora pro illo.
S. Caſſiane, ora pro illo.
S. Benedicte, ora pro illo.
S. Paule, ora pro illo.
S. Antoni, ora pro illo.
S. Gregori, ora pro illo.
S. Euſebi, ora pro illo.
S. Ultane, ora pro illo.
S. Achari, ora pro illo.
S. Richari, ora pro illo.
S. Goar, ora pro illo.
S. Arſeni, ora pro illo.
S. Bertine, ora pro illo.
Omnes ſancti Confeſſores, orate pro illo.
S. Felicitas, ora pro illo.
S. Perpetua, ora pro illo.
S. Agatha, ora pro illo.
S. Agnes, ora pro illo.
S. Lucia, ora pro illo.
S. Anaſtaſia, ora pro illo.
S. Tecla, ora pro illo.
S. Savina, ora pro illo.

S. Suſanna, ora pro illo.
S. Chriſtina, ora pro illo.
S. Juſtina, ora pro illo.
S. Praxedis, ora pro illo.
S. Priſca, ora pro illo.
S. Columba, ora pro illo.
S. Scholaſtica, ora pro illlo.
S. Eugenia, ora pro illo.
S. Aldegundis, ora pro illo.
S. Gertrudis, ora pro illo.
S. Euſebia, ora pro illo.
S. Godeberta, ora pro illo.
S. Amalberga, ora pro illo.
S. Radegundis, ora pro illo.
Omnes Sancti ab initio mundi uſque ad præſens, orate pro nobis & pro hoc infirmo.
Propitius eſto, parce nobis & iſti, Domine.
Propitius eſto, libera eum, Domine
Ab omni malo, libera eum, Domine.
Ab hoſte malo, libera eum, Domine.
Ab inſidiis diaboli, libera eum, Domine.
A cruciatu & morte perpetua, libera eum, Domine.
Ab ira tremenda, libera eum, Domine.
A cogitatione immunda, libera eum, Domine.
Ab omni iniquitate, libera eum, Domine.
Ab immunditia cordis & corporis, libera eum, Domine.
A cunctis erroribus, libera eum, Domine.
A vinculis diaboli, libera eum, Domine.
A poteſtate tenebrarum, libera eum, Domine.
Per adnuntiationem tuam, libera eum, Domine.
Per adventum tuum, libera eum, Domine.
Per incarnationem tuam, libera eum, Domine.
Per nativitatem tuam, libera eum, Domine.
Per circuncifionem tuam, libera eum, Domine.
Per apparitionem tuam, libera eum, Domine.
Per paſſionem tuam, libera eum, Domine.
Per crucem tuam, libera eum, Domine.
Per reſurrectionem tuam, libera eum, Domine.
Per aſcenſionem tuam, libera eum, Domine.
Per adventum ſancti Spiritus tui a Patre, libera eum, Domine.
Per adventum judicii tui, libera eum, Domine.
Per doctrinam tuam, libera eum, Domine.
Per virtutem tuam, libera eum, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut pacem perpetuam ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut compunctionem cordis ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut fontem lacrymarum ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut cogitationes pravas ab eo auferre digneris, te rogamus, audi nos.
Ut illicitas voluptates ab eo abſcindere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ſpatium pœnitentiæ, ſi fieri poteſt, ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut gratiam ſancti Spiritus cordi illius infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ſpem, fidem, & caritatem ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut murmurationem & impatientiam ei abſcindas, te rogamus, audi nos.
Ut gratiam tuam ei concedere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut in præſenti periculo ei ſuccurrere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum, te rogamus, audi nos.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis, & iſti Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis, & iſti, Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dimitte peccata ejus, Domine.
Chriſte, audi nos, ter. Kyrie eleiſon, ter. Chriſte eleiſon, ter. Kyrie eleiſon, ter. Pater noſter.

Preces.

Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat in terra, & non tradat eum in animam ejus
Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtatum ejus verſavit in infirmitate ejus.
Perfice greſſus illius, Domine, in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia ejus.
Angelis ſuis manda de illo, ut cuſtodiant eum in omnibus viis ejus.
Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum.
Nihil proficiat inimicus in eum, & filius iniquitatis: delicta juventutis ejus, & ignominias ejus ne memineris, Domine, ſecundum magnam miſericordiam tuam.
Eſto illi, Domine, turris fortitudinis a facie inimici.

Averte

Averte faciem tuam, Domine, a peccatis illius, & omnes iniquitates illius dele.
Cor mundum crea in eo, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus ejus.
Ne projicias eum, Domine, a facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas ab eo.
Redde ei lætitiam ſalutaris, & ſpiritu principali confirma eum.
Dies ſuper dies adjicias ad annos ejus uſque in diem generationis & generationis.
Permaneat in æternum in conſpectu tuo, miſericordiam & veritatem tuam quærimus.
Convertere, Domine, uſquequaque, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.
Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipet nos miſericordia tua, quia pauperes facti ſumus nimis.
Adjuva nos, Deus, ſalutaris noſter propter gloriam nominis tui, libera nos & hunc infirmum, Domine.
Propitius eſto peccatis noſtris & illius propter nomen tuum.
Exurge, Domine, adjuva nos & eum, & libera nos & eum propter nomen tuum.
Tunc Pſal. Inclina. totum.

Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis noſtræ hunc famulum tuum ill. in hoc tabernaculo feſſum jacentem ſalutiſere viſitare digneris, ſicut viſitaſti Tobiam, & Saram ſocrum Petri, puerumque Centurionis, quatenus iſte priſtina ſaninate animæ corporiſque recepta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actionem. Qui vivis & regnas.

Sequitur confeſſio infirmi.

Domine, miniſter Chriſti Domini noſtri, comprehendi nullius valet ſolertia, quibus a diebus adoleſcentiæ meæ vicibus execrabilia contraxi opera: excedunt enim pluralitate ſui numerorum fines, quia & comparatione meorum peccaminum nullus invenitur iniquus; nullum quippe genus peccati inveniri poteſt, cui me non ſubdiderim, cujuſque facibus & loris non ſim circumdatus. Nunc quoque dies meæ reſolutionis inſtant, quibus hominem exuere compellor; nunc ultimum vocationis meæ diem ingemiſcens, expaveſco, quia quæ malæ carni conſentiens perpetravi, digna ultione puniri pertimeſco; & niſi Dei clementia toleraret, merito me jam pro meis ſceleribus ultrix vindicta ulciſceretur. Idcirco feſſis artubus, diſſolutiſque corporis baſibus, omni viſcerum meorum valentia amiſſa, pietatis tuæ miſericordiam ſingultu interpoſito implorare non ceſſo, quatenus poteſtate cælitus tibi collata, vincula meorum piaculorum enodes, & precum tuarum ſtudiis commiſſa mea pies, ut cum reprobis non ducar ad tartara; quin potius tuo interventu merear ſublimari ad gaudia ſempiterna.

Abſolutio.

Si principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, unde ingemiſcimus: ita principali ſententia conſolamur, quia ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Jesus Christus conditor & redemptor ac ſalvator noſter, quem habemus advocatum juſtum apud Patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata noſtra, & emundat ab omni iniquitate. Quapropter, frater noſter, confitenti peccata tua per Eccleſiaſticam apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Jesus Christus tradidit diſcipulis & Apoſtolis ſuis, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur; & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus, etſi non merito, tamen nomine, atque officii ſuſceptione eandem poteſtatem donavit, & in ſe credenti fideliter dixit: Fiat tibi ſecundum fidem tuam; gratia & potentia ſua, virtute Spiritus ſancti, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad Sanctorum conſortium ſupernorum civium. Amen.

Exhortatio Sacerdotis ad circumſtantes.

Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum, fratres cariſſimi, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum per Angelos ſanctos ſuos viſitare, lætificare, & confortare dignetur, Qui vivit & regnat.

Sequitur Antiph. Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpiritali medicamine, ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus, gratiarum tibi ſanus referat actionem. Pſal. Ad Dominum, cum tribularer.

Orationes.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Alia.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius preces noſtras, & libera cor famuli tui ill. de malarum tentatione cogitationum, ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur, Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, cor famuli tui ill. gratiæ tuæ ſplendore, ut digna majeſtatis tuæ cogitare & diligere valeat: Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti, *&c.*

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate corporis ſui laborantem, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Inclina aurem ſupplicationibus noſtris, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, *& cetera ut ſupra.*

Alia.

Reſpice, Domine, de cælo, & vide, & viſita famulum tuum ill. & benedic eum, ſicut benedicere dignatus es Abraham, Iſaac & Jacob. Aſpice, Domine, oculis tuis, & reple eum omni gaudio & lætitia & tuo timore, expelle ab eo omnes inimici inſidias, & mitte Angelum pacis, qui eum & hanc domum perpetua pace cuſtodiat. Per Dominum, *&c.*

Alia.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, quam oris noſtri ſupplicatione deprecamur, ut famulum tuum ill. in humilitatis anguſtia poſitum attendas, ejuſque vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, omnem adverſitatem repellas, effectumque petitioni noſtræ clementer largiaris, qui nos omnes ſanguine tuo pretioſo redimere dignatus es, & cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

His ita factis, roget Sacerdos confeſſor infirmi alios Sacerdotes, ut dicant orationes, quæ ſunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem.

Deus miſericors & clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum ill. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem, ſupplicatus renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt, & unitati corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfectæ redemptionis annecte: miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per Dominum, *&c.*

Alia.

Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo ill. longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per, *&c.*

Alia.

Majeſtatem tuam quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum ſemper vitam inquiris, reſpice flentem famulum tuum ill. attende proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatietur, ingreſſuſque cubiculum Regis in aula ipſius nomen gloriæ tuæ ſemper benedicat. Per eundem. Tunc Pſal. Domine, quid multiplicati ſunt. totus cum Gloria. Pater noſter, & preces.

Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum eum fac in miſericordia tua, Domine, ne confundamur, quoniam invocamus te. *Oratio.*

Oratio.

Precamur, Domine, clementiam tuam, ut huic famulo tuo ill. peccata ſua & facinora confitenti donare veniam, & præteriorum criminum culpas relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reportaſti ad caulas, qui publica in confeſſione placatus es: tu etiam Domine, in hujus famuli tui precibus benignus aſpira, ut in flebili confeſſione perſiſtens, pietatem tuam celeriter & indifficulter exoret, ac ſacris altaribus ac myſteriis reſtitutus, æternæ vitæ præmia conſequatur. Per Antiph. Juſtificetis, Domine. Pſal. Miſerere ei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates ejus. Amplius lava eum. Domine, ab iniquitate ſua, & a peccato ejus munda eum, quoniam iniquitatem ſuam ipſe agnoſcit, & peccatum ſuum contra eum eſt ſemper. Tibi ſoli peccavit, & malum coram te fecit, ut juſtifices eum, Domine, in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus eſt, & in peccatis concepit illum mater ſua. Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti ei. Aſperges eum, Domine, hyſſopo, ut mundetur, lavabis eum, ut ſuper nivem dealbetur. Auditui ejus dabis gaudium & lætitiam, ut exultent oſſa ejus humiliata. Averte faciem tuam a peccatis ejus, & omnes iniquitates ejus dele. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter, & preces.

Ut quid, Domine, receſſiſti longe, deſpicis in opportunatibus, in tribulatione? Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & ſit ſplendor Domini Dei ſuper nos. Et reliqua.

Oratio.

Oremus Dominum Deum noſtrum pro fratre ill. quem duri ad præſens malum languoris adulcerat, ut eum Domini pietas cæleſtibus dignetur curare medicinis: qui dedit animam, det & ſalutem, qui regnat in Trinitate perfecta unus Deus per, *&c.*

Item Antiph. Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicias. Pſal. Miſerere mei, Deus. Gloria Patri. Pater noſter, & preces. Libera eum de ſanguinibus, Deus noſter, ut exultent linguæ noſtræ ex juſtitia. Benigne, fac, Domine, in bona voluntate tua, ut ædificentur muri Jeruſalem.

Oratio.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, hinc ad te ex corde converſo peccata dimitte, & perennis tribue gratiam vitæ. Per, *&c.*

Oratio antequam ungatur.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, oleo ſancto in nomine Domini, *& cetera ut ſupra.* Per Dominum. Tunc ſymbolum palam dicitur, hoc eſt, Credo in Deum Patrem omnipotentem, uſque ad vitam æternam. Deinde a Sacerdote dicatur ad infirmum: Credis, frater, quod diximus, ſymbolum. Cum reſponderit, aut nutu ſignificaverit, Credo; ungatur a Sacerdote, vel plurimis Sacerdotibus de oleo ſanctificato, facientibus cruces ſingulis in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, dicendo:

Ungo caput tuum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti, præparatus ad luctamen, poſſis aereas ſuperare catervas. Per eundem Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui cum Patre, *&c.*

Item in ſuperciliis & ſubciliis juxta angulos oculorum dicendo.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, per hujus olei unctionem expietur. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item aures intus & foris in ſummitate crucis ſigna recipiant, dicendo.

Ungo has aures corporis tui, ut per has feneſtras recipias auditum gratiæ remiſſionis Chriſti in vitam æternam. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item nares in ſummitate & ſubtus ungantur crucis modo.

Ungo has nares de oleo ſacto, ut quidquid noxæ ex his ſuperfluo contractum eſt odoratu, iſta medicatio emaculet. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item labia, dicendo, & exterius crucem ſuper mentum & guttur faciendo.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa, vel etiam criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante, expurgetur hac unctione. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item ſuper humeros duos, hoc eſt, inter ſcapulas, non in pectore.

Ungo has ſcapulas de oleo ſacrato, ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul cum robore ſuperni juvaminis repellere poſſis. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item ſuper manus, & ſi Presbyter eſt, non infra; ſin aliter & infra & ſuper pedes & ſub plantis cruces fiunt, dicendo:

Ungo has manus de oleo benedicto, ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per eundem, qui cum Patre, *&c.*

Item ſuper pedes & ſub plantis cruces fiunt, dicendo.

Ungo & hos pedes ex oleo conſecrato, ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſſu commiſerunt, ſanctorum interceſſionibus, iſta aboleat unctio. Per eundem Dominum noſtrum, qui cum Patre, *&c.*

Concluſio unctionum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Amen.

Tunc Pſal. Domine, clamavi, totus. Gloria. Kyrie eleiſon. Pater noſter, Oratio. Tunc ceteri. Sacerdotes vel laici invitentur, Sacerdos alius dicat, aut Confeſſor, Dominus vobiſcum. R. Oremus. Abſolutio a fratribus.

Deus, qui peccatores & ſcelerum onere vulneratos Sacerdotibus tuis oſtendere juſſiſti, qui diſcipulis tuis, ut bene haberent, manus ſuper infirmos ponere præcepiſti, qui Apoſtolos tuos pro infirmis orare docuiſti, & impoſitionem manuum Sacerdotum cum invocatione ſancti nominis tui, peccata relaxare voluiſti, exaudi orationes noſtras, & da huic ſamulo tuo ill. infirmitatis noxa deprehenſo, per hoc ſacrum miniſterium, quod nos indignos ſamulos tuos agere docuiſti, remiſſionem omnium peccatorum, quatenus per hanc ſacrati olei unctionem, & per manuum impoſitionem cuncta facinora, Spiritus ſancti gratia, relaxentur, ſomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriuſque imbuant & ſanent, ut non tantum ei noceat conſcientia reatus ad pœnam, quam indulgentia & reconciliatio tuæ pietatis, ac remiſſionis ad veniam. Qui vivis & regnas, *&c.*

Hinc ſequitur unctio alia. Oratio.

Per iſtam unctionem Dei, & per miniſterium noſtrum & Dei benedictionem, mundentur & ſanctificentur ab omni ſorde & contagione peccati, caput tuum, & ſenſus tui, viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus, ut quidquid in humeris, vel in manibus, aut pedibus, ſive toto corpore, cogitatione, locutione, & opere peccaſti, miſericordia Salvatoris noſtri expietur, ut idoneus efficiaris ad invocandum Dominum & benedicendum atque ſanctificandum & ſacrificandum in nomine ejuſdem Domini noſtri Jesu Christi, reddatque tibi lætitiam ſalutaris ſui, & ſpiritu principali confirmet te, & Spiritum ſanctum innovet in viſceribus tuis, & ne auferat illum a te, ſed benedictio Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te, quæ copioſe ſuper caput tuum defluat, & in extrema totius corporis tui deſcendat, interius exteriuſque repleat, atque circumdet, & ſit ſemper tecum. Amen.

Item alia ab alio Presbytero dicenda.

Ungo te oleo ſancto, invocata magni Creatoris majeſtate, qui juſſit Samuelem Prophetam ungere David in Regem, *& cetera ut ſupra.*

Item alia.

Ungo te de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam unius Domini ac Dei noſtri, ut ſugatis omnibus doloribus & incommoditatibus corporis recuperetur, *& cetera ut ſupra.*

Unctiones infirmorum a ſingulis ſingulæ dici poſſunt.

Oratio poſt unctionem.

Domine Jesu Christe, qui es ſalvatio & redemptio noſtra, & qui es vera ſalus & medicina, a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, qui nos Apoſtoli tui documento inſtruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ poſtulemus miſericordiam pietatis, reſpice propitius, *& cetera ut ſupra.*

Sequitur reconciliatio ante communionem ipſa die.

Hactenus ex codice ſancti Remigii, quæ ad infirmum viſitandum & ungendum pertinent, & quibus epochæ noſtræ concluditur traditio.

His addo, quæ Nannetenſe Concilium anno Chriſti DCCCCXCIV. can. IV. de viſi-

viſitandis infirmis ſtatuit: *Cum Saeerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quam eitius ad eum pergat, & ingreſſus eubieulum, aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat cum Antiphona, Aſperges me, Domine, & verſu, Exurgat Deus. Deinde dicat orationem: Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contuliſti,* &c. *Deinde cantet pſalmos ſeptem eum preeibus pro infirmis. Poſt hae, omnes jubeat extra eubieulum ſecedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hoc ad purgationem & caſtigationem ſuam provenire credat, ut peccata ſua confiteatur, ut emendationem promittat, ſi Dominus vitam concesſerit, pœnitentiam pro eulpis commiſſis ſpondeat, & ſubſtantiam ſuam, dum adhuc ſenſus & ratio in eo vigent, diſponat, ut peccata ſua eleemoſynis redimat, ut his, qui in ſe peccaverunt, indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, ut de Dei miſericordia nunquam deſperet. Cum his & hujuſmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat. Sacerdos non poſt multum reverſurus, det locum, ut ægrotus de peccatis ſuis poſſit cogitare.*

In hoc autem Nannetenſi canone, & relatis ritualibus libris apparet, præter olei ſacri unctionem reperiri orationes ſat multas, quæ apud Scholaſticos locum formæ ſibi vindicant, deinde lectione ſola dijudicari poſſe, quibus verbis forma illa enuncietur.

C A P U T V.

Referuntur quæ ab anno milleſimo ad præſens ſæculum de forma Extremæ Unctionis haberi poſſunt, ad idoneam illius intelligentiam.

BURCHARDUS Wormatienſis Epiſcopus, capitis hujus initium dabit in decretorum libro XVIII. qui ordinem ad viſitandum & ungendum infirmum repræſentat.
„ Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, cito ad eum pergat, & in-
„ greſſus cubiculum, aquam benedictam ſuper eum, & per omne cubiculum aſpergat,
„ cum Antiphona: Aſperges me, Domine, & verſu: Exurgat Deus, & diſſipentur ini-
„ mici, *&c.* Deinde dicat orationem: Deus qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam. De-
„ inde cantet ſeptem pſalmos cum precibus pro infirmis. Deinde litaniam cantet. Poſt
„ hæc omnes jubeat extra cubiculum ſecedere. Et appropinquans lecto, quo infirmus
„ decumbit, cum blande leniterque alloquatur, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat,
„ ut flagellum Dei patienter toleret, & ut hæc ad purgationem & caſtigationem ſuam
„ provenire credat, ut peccata ſua confiteatur, ut emendationem promittat, ſi Domi-
„ nus vitam conceſſerit, pœnitentiam pro culpis commiſſis ſpondeat, ut ſubſtantiam ſuam,
„ dum adhuc ſenſus & ratio vigent, diſponat, ut peccata ſua eleemoſynis redimat, ut
„ his, qui in ſe peccaverunt, indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, & ſi
„ fidem ex integro non ſapuerit, Presbyter eum docere debet, & ut de Dei miſericor-
„ dia nunquam deſperet, doceat. Cum his & hujuſmodi allocutionibus fuerit mens in-
„ firmi relevata, data benedictione, interroget eum de ſingulis per ordinem.

„ Quando Presbyter domum intrat, in qua infirmus jacet, primum dicat: Pax huic
„ domui, & omnibus habitantibus in ea.

„ Poſtea benedicetur ſal & aqua, & aſpergatur in domo cum Antiphona.

„ Benedic, Domine, domum iſtam, & omnes habitantes in ea, quia tu, Domine,
„ dixiſti: Pax huic domui, Benedic, Domine, timentes te, puſillos cum majoribus,
„ & benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.

„ Poſt hæc canendi ſunt ſeptem pſalmi pænitentiæ, deinde litania, qua expleta can-
„ tetur: Pater noſter, & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

„ Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te; mitte ei, Domine, auxi-
„ lium de ſancto, & de Sion tuere eum; nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniqui-
„ tatis non apponat nocere ei; eſto illi, Domine, turris fortitudinis a facie inimici; Do-
„ minus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tra-
„ dat in animam inimicorum ejus; Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus;
„ univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus; Domine, exaudi orationem meam.
„ Pſalmus, Miſerere mei, Deus.

Sequitur oratio. Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum in tuo nomine humilitatis noſtræ hunc famulum tuum N. in hoc tabernaculo jacentem feſſum, ſalutifere viſitare digneris, ſicut viſitare dignatus es, Domine, Tobiam & Saram

ſocrum Petri, puerumque Centurionis; ita & iſte priſtina ſanitate animæ corporiſque recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actionem. Per Dominum, *&c.*

Tunc detur ei locus ſecretior confitendi, & quod maximum eſt, interroget eum de fide catholica, & ſic dicat.

Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? Reſpond. Credo. Credis quod iſtæ tres perſonæ unus Deus ſit? Reſpond. Credo. Credis quod in ipſa iſta carne, qua nunc es, reſurgere habes in die judicii, & recipere, ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti? Reſponſio. Credo. Vis dimittere illis peccata ſua, qui in te peccaverunt? Reſpond. Volo. Vis peccata quæ feciſti emendare, ſi reviviſcis. Reſponſio. Volo.

Poſtea ungatur. poſt confeſſionem & fidem redditam & unctionem, dicatur Antiphona.

In virtute tua, exaudi me, Domine. Pſalmus.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe.

Deinde Kyrie eleiſon, & Pater noſter, cum his precibus.

Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviſcaris pauperum: tibi enim derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor; deſiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua; mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te: tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael; ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt; in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi; ne tradas, Domine, beſtiis animam confitentem tibi; animam pauperis tui ne obliviſcaris in finem.

Poſtea ſequuntur iſta orationes. Oremus.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum N. a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per Chriſtum, *&c.*

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam reſove quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, continuo ſe ſentiat tua medicina eſſe ſalvatum. Per Chriſtum, *&c.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum N. ex adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ ei præſta medicinam. Per Chriſtum, *&c.*

Alia.

Deus, qui humano generi ſalutis remedia, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, *&c.*

Alia.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus. & viribus receptis, nomen ſanctum tuum, inſtaurata protinus ſanitate, benedicat. Per Dominum, *&c.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum N. propitius intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per Dominum, *&c.*

Alia.

Oremus, fratres, Dominum noſtrum pro fratre noſtro, quem dure ad præſens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cæleſtibus dignetur curare medicinis, ut qui dedit vitam, det & ſalutem. Per, *&c.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas & vita, exaudi & conſerva famulum tuum N. quem vivificaſti, & redemiſti pretio magno ſancti ſanguinis Filii tui, Per eundem *&c.*

Si infirmus in deſperatione fuerit, reconcilia eum ea ratione, his ſequentibus orationibus, ut quando convaluerit, ſecundum canonum, & ſanctorum Patrum ſtatuta, & qualitatem delicti pœniteat.

Reconciliatio infirmi.

Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ

tuæ ſanctæ a cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum veniam conſequendo, reddatur innoxius. Per, *&c.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti huic famulo tuo N. pro tua pietate peccata dimitte, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentiæ tuæ pietas proſit ad veniam. Per, *&c.*

Alia.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tua miſerationis abſolvat. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, &c.

Hæc Burchardus, qui ad annum MXXVI. vitam depoſuit: hunc ſequetur, quod in antiquioribus Cluniacenſis Monaſterii conſuetudinibus reperio. Sic autem ſe res habet in libri III. capite XXVIII. „Frater, qui ſe infirmitate ingraveſcente ſenſerit in pro„ximo ab hoc ſæculo migraturum, de omni conſcientia ſua Domino Abbati vel Prio„ri confitetur, &rogat ut oleo infirmorum ungatur. Adducunt eum prius in Capi„tulum duo Fratres inter manus, ſi eſt adeo infirmus, & petit veniam, reumque ſe „de multis negligentiis contra Deum & contra illos confitetur, imprecatur ei Prior „abſolutionem, cunctis reſpondentibus, Amen, & ipſe eis ſimiliter. Reducitur & col„locatur in lecto tali ſubmiſſo, ubi Fratres poſſint undique circumſtare. Poſt Capi„tulum, Sacerdos hebdomadarius indutus alba & ſtola, procedit cum oleo infirmorum, „cum aqua benedicta, cum cruce, & cum duobus cereis in candelabris, & Conven„tus ſequitur L. Pſalmo impoſito, dicenda eſt primo hæc collecta a Sacerdote: Omni„potens ſempiterne Deus, qui per beatum Apoſtolum tuum dixiſti: Infirmatur quis in „vobis, *&c.* Imponuntur ſeptem Pſalmi cum iſtis antiphonis, Sana me, Domine, „quoniam, *&c.* Pſal. Domine, ne in furore tuo. Antiphona. Erat quidam Regulus. „Pſal. Beati quorum. Antiphona, Domine, puer meus. Pſal. Domine, ne in furore An„tiphona. Cor contritum. Pſal. Miſerere. Antiphona. Domine, deſcende. Pſal. Domine, „exaudi. Antiphona, Domine, non ſum dignus. Pſal De profundis. Antiphona. Cum ſol „autem occidiſſet. Pſal. Domine, exaudi. Interim Sacerdos hoc modo facit unctio„nem: pollicem oleo illinit, & cum pollice ſignum crucis imprimis ſuper utrumque ocu„lum, ita dicendo: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat ti„bi Dominus quidquid peccaſti per viſum. Item ſuper utramque aurem, per auditum: ſu„per utraque labia, per guſtum: ſuper naſum, per odoratum: ſuper manus, per factum: „(& Sacerdos extrinſecus) ſuper pedes, per inceſſum: de ſubtus ſuper inguines, per ardo„rem libidinis. Lavat manus, & lavatio nonniſi in loco mundo & abdito ſolet effundi. Tunc „ſi infirmus non communicatur, Sacerdos ipſe ſubjungit has omnes collectas, his verſibus „præmiſſis, Salvum fac, *&c.* Mitte ei, *&c.* Nihil proficiat, *&c.* Eſto ei, Oratio Deus, qui „famulo tuo Ezechiæ, *&c.* Reſpice, Domine. famulum tuum in, *&c.* Alia. Deus, qui fac„turæ tuæ, *&c.* Deus, qui humano generi, *&c.* Virtutum cæleſtium Deus, *&c.* Domine „ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, *&c.* Exaudi, Domine, preces „noſtras, *&c.* Præveniat hunc famulum, *&c.* Domine, Deus noſter, qui offenſionem noſ„tram, *&c.* Adeſto, Domine, ſupplicationibus, *&c.* Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo, *&c.* Deus humani generis, *&c.* Si autem communionem ſacram percepturus eſt, tunc ab alio dicuntur præfatæ collectæ, & ipſe interim Sacerdos, cruce „& aqua benedicta remanentibus, redit cum geminis candelabris ad Eccleſiam, ut cor„pus Domini apportet, quod accepturus, prius veniam petit, & prius incenſat, ſran„git, & partem, quam allaturus eſt, ſuper calicem tenet, & tam ipſe calix, quam „manus Sacerdotis linteolo candidiſſimo cooperitur: quicumque illi obviaverint, veniam „petunt. Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur recepturi ipſum corpus Domini, „quod recipit vino intinctum, quo epotato, ebibit quoque ablutionem calicis, & ſe„cundo ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc tertio calicis. Adhibetur illi crux, „ut eam oſculetur, oſculatur etiam quaſi ultimum vale facturus, primo Sacerdotem, de„inde omnes Fratres, ipſos quoque pueros. Redit Conventus rurſus, impoſito L. Pſalmo.

Ecce tibi diſciplina, quæ ante annos plus minus quingentos in Cluniacenſi Monaſterio ſervabatur. Monaſterii enim hujus conſuetudines literis traditæ ſunt, quo tempore Gregorius VII. Romanam regebat Eccleſiam.

Tum ſubjicio, quæ in ceteris quibuſdam libris Pontificalibus traduntur. Horum autem alii ſunt manu exarati; alii vero typis mandati. Primi generis tres mihi ſuppetunt, e quibus, quæ rem faciunt, deſcribam. Secundi generis multo plures, e quibus referam, quæ idoneam hujus ritus per ejus opochæ decurſum, traditionem

pa-

patefaciant. Pontificalis liber MS. Cameracenſis Eccleſiæ, ſic exhibet ritum Extremæ Unctionis.

Ordo ad viſitandum infirmum.

Imprimis faciant Sacerdotes aquam benedictam, cum cinere vitis mixtam, extra domum.

Benedictio cineris.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Niniviris cinere & cilicio indutis, & miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ miſericordiæ implorantes utuntur, benedicere, & ſanctificationis tuæ gratiam ſuper eos infundere digneris, ut quicumque pulveris ejus concluſione aſperſus fuerit, indulgentiam ac remiſſionem omnium peccatorum a te pio Domino mereatur percipere. Per, *&c.*

Benedictio cilicii.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus, & pietatis tuæ miſericordiam quærentibus & veniam tribuis, oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, benedicere & ſanctificare digneris, ut quicumque pro peccatis ſuis indutus fuerit, & miſericordiam tuam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ miſericordiæ conſequatur. Per, *&c.*

Tunc ingrediantur domum infirmi, & dicat Sacerdos: Pax huic domui; & tunc aſpergatur aqua ſuper infirmum, & per domum ejus, cum Pſal. Miſerere mei, Deus.

Oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum tua potentia erigat ad ſalutem. Per, *&c.*

Poſt hæc canant Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ hos Pſalmos.

Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra vel parentum noſtrorum neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Pſal. Domine, ne in furore I. Pſal. Domine, ne in furore II. Pſal. Beatus qui intelligit. Pſal. Miſerere mei, Deus. Pſal. Inclina, Domine, aurem tuam. Pſal. Qui habitat. Pſal. Benedic animam meam, Deus, & omnia quæ intra me ſunt, uſque Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in m. & in m. Gloria Patri.

Sequitur oratio.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per Dominum, *&c.*

Poſtea cantent Litanias ſuper infirmum.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Chriſte, audi nos.
Pater de cælis Deus, miſerere ei.
Fili redemptor mundi Deus, miſerere ei.
Spiritus ſancte Deus, miſerere ei.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere ei.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancta Dei genitrix, ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum, ora pro eo.
Sancte Michael, ora pro eo.
S. Gabriel, ora pro eo.
S. Raphael, ora pro eo.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro eo.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, orate pro eo.
S. Joannes Baptiſta, ora pro eo.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo.
S. Petre ora pro eo.
S. Paule, ora pro eo.
S. Andrea, ora pro eo.
S. Joannes, ora pro eo.
S. Jacobe, ora pro eo.
S. Philippe, ora pro eo.
S. Bartholomæe, ora pro eo.
S. Matthæe, ora pro eo.
S. Thoma, ora pro eo.
S. Jacobe, ora pro eo.
S. Simon, ora pro eo.
S. Thadæe, ora pro eo.
S. Matthia, ora pro eo.
S. Barnaba, ora pro eo.
S. Luca, ora pro eo.
S. Marce, ora pro eo.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro eo.
Omnes ſancti Diſcipuli Dei, orate pro eo.
Omnes ſancti Innocentes, orate pro eo.
S. Stephane, ora pro eo.
S. Line, ora pro eo.
S. Clete, ora pro eo.
S. Clemens, ora pro eo.
S. Sixte, ora pro eo.
S. Calixte, ora pro eo.
S. Corneli, ora pro eo.
S. Cypriane, ora pro eo.
S. Laurenti, ora pro eo.

S.

S. Vincenti, ora pro eo.
S. Chriſtophore, ora pro eo.
S. Maurici cum ſociis, ora pro eo.
S. Dionyſi cum ſociis, ora pro eo.
S. Nicaſi cum ſociis, ora pro eo.
S. Quintine, ora pro eo.
S. Lamberte, ora pro eo.
Omnes ſancti Martyres, orate pro eo.
S. Martine, ora pro eo.
S. Silveſter, ora pro eo.
S. Leo, ora pro eo.
S. Gregori, ora pro eo.
S. Gaugerice, ora pro eo.
S. Autberte, ora pro eo.
S. Remigi, ora pro eo.
S. Amande, ora pro eo.
S. Vedaſte, ora pro eo.
S. Nicolae, ora pro eo.
S. Benedicte, ora pro eo.
S. Humberte, ora pro eo.
S. Amate, ora pro eo.
S. Giſlene, ora pro eo.
Omnes ſancti Confeſſores, orate pro eo.
S. Maria Magdalena, ora pro eo.
S. Felicitas, ora pro eo.
S. Perpetua, ora pro eo.
S. Agatha, ora pro eo.
S. Lucia, ora pro eo.
S. Agnes, ora pro eo.
S. Cæcilia, ora pro eo.
S. Fides, ora pro eo.
S. Barbara, ora pro eo.
S. Scholaſtica, ora pro eo.
Omnes ſanctæ Virgines, orate pro eo.
Omnes Sancti, orate pro eo.

Propitius eſto, parce ei Domine. Propitius eſto, libera eum, Domine. Ab omni malo, libera eum, Domine. De gladio maligno, libera eum, Domine. A morte perpetua, libera eum, Domine. A pondere peccatorum, libera eum, Domine. A tetra caligine, libera eum, Domine. Ab inſidiis diaboli, libera eum, Domine. A vinculis diaboli, libera eum, Domine. A poteſtate tenebrarum, libera eum, Domine. A pœnis inferni, libera eum, Domine. Per crucem tuam, libera eum, Domine. Per intereeſſionem omnium Sanctorum tuorum, libera eum, Domine. Peccatores, te rogamus, audi nos. Ut pacem perpetuam ei dones, te rogamus, audi nos. Ut iracundiæ tuæ flagella ab eo amoveas, te rogamus, audi nos. Ut ſparium pœnitentiæ, ſi fieri poteſt, ei dones, te rogamus, audi nos. Ut ſpiritum ejus a loco anguſtiæ liberes, te rogamus, audi nos. Ut cum fiducia diem judicii expectet, te rogamus, audi nos. Ut eum in numero placentium tibi cenſeri facias, te rogamus, audi nos. Ut eum a numero malorum diſcerni ſacias, te rogamus, audi nos. Ut eum in regione vivorum æternis gaudiis foveri jubeas, te rogamus, audi nos. Ut eum præmia ærernæ vitæ adipiſci facias, te rogamus, audi nos. Ut eum a mortifero vaſtatore defendere digneris, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce ei, Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. miſerere ei, Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte, audi nos, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos.

Preces.

Salvum fac ſervum tuum, Deus meus. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum. Angelis tuis, Deus, manda de illo, ut cuſtodiant eum in omnibus viis ejus. Perfice greſſus illius in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia ejus. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum. Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non noceat ei. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis a facie inimici. Averte faciem tuam a peccatis illius. & omnes iniquitates ejus dele. Cor mundum crea in eum, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus ejus. Redde ei lætitiam ſalutaris, & ſpiritu principali confirma eum. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, libera eum, Domine. Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Domine, exaudi orarionem meam, & clamor noſter ad te veniat. Dominuns vobiſcum, & cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis noſtræ, hunc ſamulum tuum ill. in hoc habitaculo feſſum jacentem viſitatione ſalutifera viſitare digneris, & ſicut viſitaſti, Domine, Tobiam & Saram ſocrum Petri, puerumque Centurionis; ita & iſte famulus tuus, priſtina ſanitate animæ corporiſque recepta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referar actionem. Per, *&c.*

Tunc dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me huc vocaſti, frater? Infirmus reſpondeat: Ut mihi tradas unctionem; & adjungit Sacerdos: Donet tibi Dominus noſter Jesus veram felicemque unctionem; tamen ſi te reſpexerit & ſanaverit Dominus, cuſtodies illam. Reſpond. Cuſtodiam.

Tunc

Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua ſupra pectus ejus, & imponit cilicium deſuper.

Sequitur.

Sana, Domine, infirmum iſtum, cujus oſſa conturbata ſunt, cujus anima turbata eſt valde; ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, & eripe animam ejus. Pſal. Domine, ne in furore. Gloria Patri, & repetat Antiphonam, Sana, Domine, infirmum.

Collecta.

Domine Deus, qui per Apoſtolum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini,. & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei; cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti, languores iſtius hominis infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, & ſanatus, ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Per, *&c.*

Sequitur.

Antiph. Succurre, Domine, infirmo huic, & medica eum ſpiritali medicamine, ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus, gratiarum tibi reſerat actionem. Pſal. Domine, ne in furore II. Gloria Patri. Ibi repetat, ut in priſtina.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur ſuper hunc famulum tuum propitius intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perſecta reparetur, Per, *&c.*

Antiph. Sanet te JESUS CHRISTUS ab omni ægritudine tua, quoſcumque habes dolores, dimittat tibi Dominus omnia peccata tua. Pſal. Beatus qui intelligit. Gloria Patri. & repetat, Sanet te.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva in famulo tuo ægroto tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, *&c.*

Antiph. Dominus locutus Diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper infirmos manus veſtras ponite, & bene habebunt. Pſal. Deus Deorum. Gloria Patri. & repetat ibi, In nomine meo.

Hic ponat Sacerdos manum ſuper infirmum, dicens:

Omnipotens ſempiterne, qui ægritudines animarum depellis & corporum, auxilii tui ſuper infirmum noſtrum oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, ad omnia pietatis tuæ reparetur officia. Per, *&c.*

Sequitur.

Antiph. Domine, libera animam a labiis iniquis, & a lingua doloſa. Pſal. ad Dominum cum tribularer.

Oremus.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & proficiat in bonis deſiderium tuum. Qui vivit, *&c.*

Et poſtea perungat Sacerdos infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciens in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, & cum ſupplici voce dum perungitur infirmus, dicat Sacerdos:

Ungo te ill. oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus ſive ſanatus, priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem. Amen.

In ſuperciliis oculorum.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Filium Dei Patris, qui cum eo, & cum Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

In auribus de intus.

Ungo aures has ſacrati olei liquore, ut quidquid delectatione auditus admiſſum eſt nociva, medicina ſpiritalis evacuet. Per Dominum, *ut ſupra.*

In

In narium ſummitate.

Ungo has nares de oleo ſacrato, ut quidquid noxie contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta emundet medicatio. Per Dominum, *ut ſupra.*

In labiis exterius.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa, vel criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante, expietur hac unctione. Per Dominum, *ut ſupra.*

In gutture & collo.

Ungo te oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut unxit Samuel David, *ut ſupra.*

Inter ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, ſive medium ſcapularum oleo ſacrato, ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere. Per Dominum, *ut ſupra.*

Inter pectora.

Ungo pectora tua oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter reſiſtere valeas abverſus aereas catervas. Per Dominum, *ut ſupra.*

Super manus de foris.

Ungo has manus oleo conſecrato, ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per Dominum, *ut ſupra.*

In pedibus.

Ungo hos pedes oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo vel nocuo inceſſu commiſerunt, iſta oboleat perunctio. Per Dominum, *ut ſupra.*

In umbilico ſeu in eo loco ubi amplius dolor imminet.

Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad luctamen poſſis aeras ſuperare catervas. Per Dominum, *ut ſupra.*

Sequitur oratio.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc olei unctio ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Amen.

Domine Deus, Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas, & medicamentum omne venit, quique nos Apoſtoli tui Jacobi documento inſtruxiſti, ut languentes olei liquore orantes tangeremus, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, & quem languor cruciat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ reſtituat ad ſalutem. Per, *&c.*

Sana quoque, Deus, omnium medicator, ejus febrium, & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, & dolorum omnium diſſolve tormenta, viſcerum ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum ſana diſcrimina, ulcerum varietatumque putredines evacua, conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices, veteres immenſaſque remove paſſiones carnis, & ſanguinis materiem reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue: ſicque illum tua pietas jugiter cuſtodiat, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem nunc te auxiliante perducat infirmitas; ſed fiat ei hæc olei ſacrati perunctio, mortis & morbi atque languoris præſentis expulſio, & peccatorum omnium exoptata remiſſio. Per, *&c.*

Sequitur ordo ad infirmum communicandum, quem alibi retulimus.

Pontificalis liber alter exſtat MS. in Bibliotheca Dominicanorum Pariſienſium ad portam ſancti Jacobi. In eo hic reperitur *ordo ad viſitandum infirmum.*

Sacerdos ſit indutus ſacris veſtibus, & miniſtri oleum ſanctum pro infirmo, aquam benedictam, & crucem, & duo candelabra geſtent, & pergant ad domum infirmi, cantantes hunc Pſalmum, Miſerere mei, Deus ſecundum. & intrans domum, dicat Sacerdos: Pax huic domui.

Reſp. Adjutorium noſtrum. Mox ait Sacerdos, Dominus vobiſcum, & cum Spiritu.

Oremus.

Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, caritas fructuoſa, ſanitas ſempiterna, effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum, adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat effugata diſcordia: magnifica, Domine, ſuper nos nomen tuum, & benedic noſtræ converſationi, ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia oratio.

Oremus & deprecemur Dominum noſtrum Jesum Christum, ut benedicendo

benedicat hoc tabernaculum & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua, avertat ab eis omnes contrarias poteſtates, eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc habitaculo cuſtodire dignetur.

Alia oratio.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, *&c.*

Alia oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad preces humilitatis noſtræ ſalutifere viſitare digneris hunc famulum tuum N. ſicut viſitaſti Tobiam, *& cetera, ut ſupra.*

Deus, qui famulo tuo Regi Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum ad Tabitham famulam tuam miſiſti, quatenus ejus precibus ſuſcitaretur ad vitam, exaudi nos, quæſumus, ut huic famulo tuo N. quem in tuo nomine viſitat noſtra fragilitas, deſiderata clementiæ tuæ medela ſubveniat, Per, *&c.*

Alia oratio.

Oramus te, Domine Jesu Christe, & cum omni ſupplicatione rogamus, ut hunc famulum tuum per Angelum ſanctum tuum viſitare, lætificate, confortare, liberare, & ſanare digneris. Qui vivis & regnas.

Deinde Sacerdos cum aqua benedicta faciat crucem ſuper infirmum, & aſpergat per totam domum aquam, dicendo: Aſperges me, Domine, cum Pſal. Miſerere mei, Deus. Deinde dicat: Ad quid vocaſti me? Reſpondet infirmus: Ut confitear Domino, & tibi peccata mea, & ut vice Dei tu illa mihi condones, & des mihi pœnitentiam, & infundas ſancti Spiritus unctionem. Sacerdos: Condonet tibi Dominus Jesus omnia peccata tua, & ſalutiferam tibi tribuat unctionem; tamen ſi te reſpexerit & ſanaverit Dominus, cuſtodies illam. Reſpond. Cuſtodiam.

Tunc Sacerdos ſupra pectus faciat crucem cum aqua benedicta & cinere, ſuperimponens cilicium, dicens: Apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. Ita enim lapſis hominibus ſubvenit, ut non ſolum per baptiſmi & confirmationis gratiam, ſed etiam per pœnitentiam & unctionis medicinam, ſpiritus humanus vitæ præparetur æternæ. Reſponder infirmus: Deo gratias. Tunc ſuſcepta confeſſione, & indicta pœnitentia, ſequantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales & Litaniæ: deinde Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Salvum fac ſervum tuum. Reſponder: Deus meus ſperantem in te. Mitte ei, Domine, auxilium. Reſpondet: Et de Sion. Eſto ei, Domine, turris. Reſpond. A facie. Nihil proficiat. Reſp. Et filius. Domine, exaudi. Reſp. Et clamor.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui beatum Jacobum Apoſtolum tuum inducere Presbyteros Eccleſiæ, & ungere oleo infirmos præcepiſti, præſta, quæſumus, ut digneris per manus noſtras hunc famulum tuum infirmum, & oleo ſanctificato ungere & benedicere, & quod fideliter poſtulantes amplectimur, hoc interius ſpiritualiter divina tua virtus inviſibiliter operetur. Per, *&c.*

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

Ordo compendioſus & conſequens ad ungendum, intincto namque pollice in oleo infirmorum, Sacerdos in ægro corpore, ſignum crucis facit in certo, vel aliquantis locis, dicens ita:

Ad caput.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Ungo hanc frontem tuam, ut merearis priſtinam ſanitatem recipere, atque recuperare. Per divinam clementiam. Amen.

Ad aures.

Ungo has aures de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad luctamen, poſſis aereas ſuperare catervas. Per, *&c.*

Oremus.

Benedicat te Dominus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei, corpus tuum in tuo ſervitio conſervari faciat, mentem tuam illuminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad perfectionem animæ tuæ in te augeat, ab omni malo te liberet, dextera ſua te defendat; qui Sanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvet & conſervet. Qui vivit, *&c.*

Ad

Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per, *&c.*

Oremus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Per, *&c.*

Ad nares.

Ungo has nares oleo ſacro, ut quidquid noxio ſapore contractum eſt, vel odore ſuperfluo, iſta emundet medicatio. Per, *&c.*

Oremus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificationis ad purificationem mentis & corporis, & miſericordia Dei, quæ per oleum ſignificatur, cuſtodiat omni tempore, & pietas illius ſubſequatur te omnibus diebus vitæ tuæ. Qui vivit, *&c.* *Ad labia.*

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa vel criminoſa pec caſti locutione, divina clementia miſerante expurgetur hac unctione. Per, *&c.*

Oremus.

Benedicat cor & corpus tuum, medelam ſuam conferat tam cordi quam corpori tuo, augeat vitæ ſenſum ſpiritalem, & ad patriam æternalem perducat te Dominus Jesus Christus, qui vivit, *&c.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſancto, ut hac unctione protectus, fortiter ſtare valeas adverſus aeras catervas: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis. Per, *&c.*

Oremus.

Benedictio illa in te deſcendat ſpiritalis, quæ deſcendit ſuper angelos, & gratiam ſuam ſuper te corroboret. Qui vivit, *&c.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, ſive medium ſcapularum oleo ſacrato, ut ab omni parte ſpiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere. Per, *&c.*

Oremus.

Virtus Chriſti altiſſimi, & benedictio quæ deſcendit ſuper caput & verticem Joſeph Nazarel, ita deſcendat ſuper dorſum & verticem tuum & confirmet cor tuum in ſpe regni cæleſtis. Qui cum Patre, *&c.*

Super manus.

Ungo has manus oleo ſanctificato, ut quidquid noxio & illicito opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per, *&c.*

Oremus.

Benedictio cæleſtis amplificetur ſuper te, & opera manuum tuarum dirigat in bono, benedictio Domini copioſa illuſtret mentem tuam, & ſenſum tuum dirigat. Qui vivit, *&c.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſſu commiſerunt, iſta aboleat unctio. Per, &c.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti accipe ſanitatem mentis & corporis. Amen.

Hæc tibi unctio per iſtud ſignum ſanctæ & vivificæ crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum ſancti Spiritus fiat ad ſanitatem & ſempiternam ſalutem. Amen.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, amen; Filius, qui te redemit, amen; Spiritus ſanctus, qui in te fuſus eſt, amen. Remiſſionem & indulgentiam omnium peccatorum tribuat tibi Dominus in præſenti ſæculo, & in futuro vitam æternam concedat. Amen. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti accipe ſanitatem mentis & corporis. Amen. Concede nobis, Domine, famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicamus. Per. Pater noſter, libera nos a malo, & cuſtodi nos ſemper in omni bono, Christe Jesu, auctor omnium bonorum, qui vivis, *&c.*

Hactenus ordo ad viſitandum & inungendum infirmum, ſequitur ordo ad eundem communicandum, quem alibi repræſentabimus.

Tertius Pontificalis liber Laudunenſis Eccleſiæ ordinem ad viſitandum infirmum ſic primum exhibet.

Sacerdos ſit indutus ſacris veſtibus, ac miniſtri & accipiant oleum ſanctum pro infirmo,

mo, & aquam benedictam & crucem & cinerem ſanctum vitis, & duo candelabra, & pergant ad domum infirmi hunc Pſalmum canentes:

Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; & introiens domum, dicat Sacerdos. ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.* ℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum & terram. Mox ait Sacerdos, Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oratio.

Introeat, Domine JESU CHRISTE, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Oremus & deprecemur Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ut benedicendo benedicat hoc tabernaculum, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut ad preces humilitatis noſtræ ſalutifere viſitare digneris hunc ſamulum tuum, ſicut viſitaſti, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui ſamulo tuo Regi Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum ad Tabitham ſamulam tuam miſiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Oramus te Domine, JESU CHRISTE, & cum omni ſupplicatione rogamus, ut hunc ſamulum tuum per Angelum ſanctum tuum viſitare & lætificare, confortare atque liberare, & ſanare digneris. Qui vivis & regnas, *&c.*

Deinde Sacerdos cum aqua benedicta faciat crucem ſuper infirmum, & ſpargat per totam domum aquam, dicendo Antiph. Aſperges me, Domine, cum Pſal. Miſerere mei, Deus. Deinde dicat: Ad quid me rogaſti frater? Reſpond. infirmus: Ut confitear Deo & tibi peccata mea, & ut vice Dei tu mihi illa condones, & des mihi pœnitentiam, & infundas ſancti Spiritus unctionem. Reſp. Sacerdos: Condonet tibi Dominus JESUS CHRISTUS omnia peccata tua, & ſalutiferam tibi tribuat unctionem; tamen ſi te reſpexerit & ſanaverit Dominus, cuſtodies illam. Reſp. Cuſtodiam. Tunc Sacerdos ſuper pectus faciat crucem cum aqua benedicta & cinere, ſuperimponens cilicium ita dicens: Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Ita enim lapſis hominibus ſubvenit, ut non ſolum per baptiſmi & confirmationis gratiam, ſed & per unctionis & pœnitentiæ medicinam ſpiritus humanæ vitæ reparetur æternæ. Reſpondet infirmus, Deo gratias. Tunc ſuſcepta confeſſione, abſolvatur, & indicatur pœnitentia.

Ordo ad ungendum infirmum.

Imprimis dicuntur ſeptem pœnitentiales & litania.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Sancta Maria, ora pro eo.
Sancte Michael, ora pro eo.
Omnes ſancti Angeli, orate pro eo.
S. Abel, ora pro eo.
Omnis chorus juſtorum, ora pro eo.
S. Abraham, ora pro eo.
S. Joannes Baptiſta, ora pro eo.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo.
S. Petre, ora pro eo.
S. Paule, ora pro eo.
S. Andrea, ora pro eo.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro eo.
Omnes ſancti Innocentes, orate pro eo.
S. Stephane, ora pro eo.
Omnes ſancti Martyres, orate pro eo.
S. Silveſter, ora pro eo.

Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro eo.
S. Paule prime Eremita, ora pro eo.
S. Benedicte, ora pro eo.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate pro eo.
S. Lucia, ora pro eo.
Omnes ſanctæ Virgines, orate pro eo.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, orate pro eo.

Propitius eſto, parce ei, Domine. Propitius eſto, libera eum, Domine. A malâ morte, libera eum, Domine. A periculo mortis, libera eum, Domine. A pœnis inferni, libera eum, Domine. A poteſtate diaboli, libera eum, Domine. Ab omni malo, libera eum, Domine. Per nativitatem tuam, libera eum, Domine. Per ſanctam crucem tuam, libera eum, Domine. Per turpiſſimam mortem tuam, libera eum Domine. Per glorioſam reſurrectionem tuam, libera eum, Domine. Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera eum, Domine. Per gratiam ſancti Spiritus paracleti, libera eum, Domine. In die judicii, libera eum, Domine. Peccatores, te rogamus, audi nos. Ut ei parcas, te rogamus, audi nos. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℞. Sed libera nos. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℞. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. ℞. Et de Sion tuere eum. ℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. ℞. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum Jacobum Apoſtolum inducere Preſbyteros Eccleſiæ, & ungere oleo infirmos præcepiſti, præſta, quæſumus, ut digneris per manus noſtras hunc famulum tuum infirmum de oleo ſanctificato ungere & benedicere: & quod fideliter poſtulantes exterius amplectimini, hic interius divina virtus tua inviſibiliter operetur. Per, *&c.*

Alia oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, introducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum in nomine Domini, ungentes eum oleo ſancto, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei; cura, quæſumus, Redemptor, gratia ſancti Spiritus languores hujus infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque interius & exterius ei ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Per, *&c.*

Hic imponens manus Sacerdos ſuper caput infirmi, dicat: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, immo per invocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum. Amen.

Poſt hæc intincto pollice in oleo infirmorum, faciat de ipſo in ægri corpore ſignum crucis in ſeptem, vel aliquantis locis, dicens:

Ad occulos.

Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid occulorum vitio deliquiſti. R. Amen.

Ad aures.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid aurium vitio deliquiſti. R. Amen.

Ad nares

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid narium vitio deliquiſti. R. Amen.

Ad os.

Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid linguæ vel oris vitio deliquiſti. R. Amen.

Ad manus.

Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid tactus vel inceſſus aut lumborum ſeu carnis vitio deliquiſti. R. Amen.

De præmiſſa proxima oratione, potes facere tres, ſi vis, poſt manus ungendo pedes & lumbos. Poſt hæc Sacerdos dicat hanc orationem.

Reſpice, quæſumus, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, &

& animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per, *&c.*

Alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, & ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, & Eccleſiæ tuæ, ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtitutus. Per, *&c.*

Alia oratio.

Dominus Jesus Christus apud te ſit, ut te defendat; intra te ſit, ut te reficiat; circa te ſit, ut te conſervet; ante te ſit, ut te deducat; poſt te ſit, ut te cuſtodiat; ſuper te ſit, ut te benedicat. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivis.

Deinde ſequitur *ordo ad communicandum infirmum*, de quo nos alibi ſermonem habebimus

Ex his autem MS. pontificalibus libris, duo primi antiquioribus conſentiunt in ea verborum formula, quæ inter ungendum pronuntiatur; poſtremus eam præ ſe fert verborum formulam, quæ a pluribus deinceps Eccleſiis uſurpatur: quare hæc frequentius quam illa in editis ſuperiori ſæculo ritualibus libris invenitur. Quod cum ita ſe habeat, ſatius eſſe duxi ad retinendam ſacræ antiquitatis memoriam ex editis ritualibus libris, quæ cum priori verborum formula, quam quæ cum poſteriori conveniunt, referre. Accedit, quod hæc ab initio hujus ſæculi omnes, uti credo, Rituum libros occuparit. Igitur perſtringo quæ ad priorem formulam pertinent, & ordior ab illis duabus Eccleſiis, in quibus & ſuſcepta primum eſt Chriſti religio, & martyria jam tum primum viſa ſunt.

Manuale ſeu Baptiſmale Viennenſis Eccleſiæ, quod circa annum MD. editum eſt, ordinem imprimis ad viſitandum infirmum, deinde ordinem ad eundem ungendum ſic repræſentat.

Incipit ordo ad viſitandum infirmum.

Primum, dicat Sacerdos, Pax huic domui: Benedic, Domine, domum iſtam, & omnes habitantes in ea, quia tu, Domine dixiſti: Pax huic domui: Benedic, Domine, timentes te, puſillos cum majoribus; benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. Pax tecum, frater, Pax tecum, ſoror.

Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis noſtræ hunc famulum tuum ill, *& cetera, ut ſupra.*

Deinde canantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, *&c.*

Hic ponantur ſeptem Pſalmi ad longum cum litania. *Poſt litaniam* ſequuntur preces. ℣. Salvum fac ſervum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine ab eis digne & perfecte agitur, a te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modo viſitamus, atque benedicimus, intercedente beata Maria ſemper virgine, & omnibus Sanctis tuis, viſites & benedicas, ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum, *&c.*

Alia oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra: deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Chriſtum, *&c.*

Alia oratio.

Dimitte peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, qua oris noſtri alloquio deprecatus famuli tui ill. humilitatem & anguſtiam attendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, adverſitatem repellas, effectumque petitionis noſtræ largiens, clementer exaudias. Per Chriſtum, *&c.*

Oratio ſuper infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra*

Alia oratio.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis, & in neceſſitate laborantibus, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum miſiſti ad Tabitham famulam tuam, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui & juſti præmia meritorum & peccatoribus per confeſſionem veniam præbes, miſerere ſupplici e. tuo, e. ill. ut reatus ſui veniam, confeſſio indulgentia valeat percipere delictorum, Per Chriſtum, *&c.*

Alia oratio.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo æ. tuo, æ ill. tuarum dona virtutum, *& cetera. ut ſupra.*

Alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui conditionem noſtræ fragilitatis, *& cetera, ut ſupra.*

Ordo ad ungendum infirmum. Oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent, *& cetera, ut ſupra.*

Antiphona. Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper ægros manus veſtras imponite, & bene habebunt.

Pſal. Deus Deorum Dominus locutus eſt, *& cetera. ut in Pſalterio.*

Ordo ad ungendum infirmum. Oratio.

Oremus, fratres, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ut cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum, famulam, tuum, tuam ill. per Angelum ſanctum ſuum viſitare, lætificare, & conſolari dignetur. Qui vivit, *&c.*

Antiph. Succurre, Domine, infirmo æ. iſti, & medicare eum, eam ſpirituali medicamine, ut priſtina ſanitate reſtitutus, reſtituta, gratiarum tibi ſanus referat actiones. Pſal. Ad Dominum cum tribularer, *& cetera, ut in Pſalterio.*

Oratio.

Deus, qui peccatores & ſcelerum onere vulneratos, Sacerdotibus tuis ſe oſtendere juſſiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio quando ponitur incenſum in thuribulo benedicendo.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, immitte in hanc creaturam incenſi odoris tui virtutem, ut ſit ſermo ancillæ tuæ munimentum, tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera ejus, ibique aditum & ſedem habere non poſſit, per te JESU CHRISTE. Qui vivis, *&c.*

Oratio.

Veniat ergo omnipotens Deus ſuper hoc incenſum larga in me tuæ benedictionis infuſio, ut quocunque loco ex hujus aliquid ſanctificatione fuerit deportatum myſterii, expulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majeſtatis aſſiſtat. Per Chriſtum, *&c.*

His expletis, inungatur infirmus de oleo ſancto, crucem cum pollice faciendo, & dicatur ei prius:

Inungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in ulla compagine membrorum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad caput.

Ungo caput de oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis unctus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo hos oculos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures tuas ſacrati olei liquore, ut quidquid peccati delectatione auditus admiſiſti, hac medicina, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares tuas de oleo ſacrato, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo hæc labia tua conſecrati olei medicamento, *& cetera, ut ſupra.*

Ad collum.

Ungo hoc collum tuum de oleo ſancto, in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti: accipe ſanitatem in nomine Domini. Amen.

Ad

Ad guttur.

Ungo hoc guttur tuum de oleo exorcizato, ut propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & faciet in bonis deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad ſcapulas ſive medium locum ſcapularum.

Ungo has ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum de oleo ſacrato, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo hoc pectus tuum de oleo ſancto, ut hac unctione protectus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus tuas de oleo conſecrato, ut quidquid illicito, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes tuos de oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo, *& cetera, ut ſupra.*

Ad locum ubi plus imminet dolor.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio poſt unctionem.

Inunxi te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti de oleo ſancto atque ſacrato, ut per virtutem Spiritus ſancti, tribuat hæc ſacra unctio ſanitatem animæ & corporis in remiſſionem omnium peccatorum tuorum, & ad vitam æternam. Amen.

Alia oratio.

Per iſtam unctionem & Dei benedictionem, mundentur ab omni ſorde & contagione peccati, ac ſanctificentur manus & os, cor quoque, tactus, odoratus, ſenſus, viſus, auditus, & guſtus, totumque corpus & anima, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen ejuſdem Domini noſtri. Amen.

Alia oratio.

Reddat tibi Dominus lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirmet te, Spiritum ſanctum innovet in viſceribus tuis, & ne auferat illum a te, ſed juxta magnam pietatem ſuam, nunc & in æternum conſoletur. Amen.

Benedictio Dei Patris, & Filii & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, qui copioſe defluat, & in extrema totius corporis tui deſcendat. Amen.

Interius exteriuſque te repleat atque circumdet, & ſit ſemper tecum permanens in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sequitur abſolutio.

Adeſto Domine, quæſumus humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator aſſiſte, ut qui ad executionem mandatorum tuorum huic ægro manus imponentes olei ſacri unctionem exhibemus hujuſmodi ſervituti noſtræ in te eſſe ſentiamus, quatenus Spiritus ſancti gratia noſtræ actionis officium comitante, ab hoc famulo tuo ill. omnis languor & debilitas abſcedat totius vigoris, & ſoſpitatis plenitudo ſuccedat, relictoque imbecillitatis grabato, ad te medicum ſupernum vultum & mentem erigat, & pro ſoſpitatis inſtitutione, laudes nomini tuo competentes in æternum perſolvat. Per Chriſtum, *&c.*

Alia oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per os beati Jacobi Apoſtoli tui hoc myſterium infirmis hominibus præcepiſti facere, conſerva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in mente percipiat. Qui vivis, *&c.*

Sequitur oratio.

Deus, qui ligandi ſolvendique licentiam beato Petro Apoſtolo tuo contuliſti, da quæſumus, ut per eum a terrenis vitiis expediri, libere poſſimus cæleſtibus intereſſe mandatis. Per Chriſtum, *&c.*

Oratio.

Deus, qui neminem vis perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti & vivere, qui ita percutis peccatores, ut remedium flagella præcurrat, qui pius & humilis paſtor ovem perditam, relictis nonaginta novem, conſuetum propriis humeris reverſus ad ovile, te quæſumus errores jacentis famuli tui illl. ſimili miſeratione digneris abſolvere. Quis vivis & regnas cum Deo.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte, ut hunc, hanc, famulum, famulam, tuum tuam ill. liberatum ægritudine & ſanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, po-

poteſtate tuearis, & Ecclefiæ tuæ, ſanctiſque altaribus tuis, deſiderata proſperitate reſtituas. Per Dominum, *&c.*

Alia oratio.

Supplices ergo tuam poſcimus clementiam, ut famulo æ. tuo, æ. ill. omnibus cordis & corporis gemitibus ſuorum relaxatione peccatorum poſtulanti, pius auditor aſſiſtas, & clemens indultor exiſtas, nihilque ei in præſenti anguſtia ſive exitu obſtet, quod fragilitas cumulavit humana. Per, *&c.*

Sequitur oratio.

Adſit ei, Domine Rex cæli, tua miſericordia in tribulatione conſtituto, ſicut adfuit latroni confitenti, & meretrici gementi & lacrymanti, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quia dilexit multum. Ne reminiſcaris, Domine Deus, malorum factorum ſuorum, ſed recordare quod pollicitus es: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; tu enim ſolus potens es, non ſolum peccata dimittere, verumetiam ipſos peccatores juſtificare. Qui ſolus cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Item benedictiones ſuper infirmum.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis. R. Amen. Et ſanet omnes languores tuos. R. Amen. Redimatque de interitu vitam tuam. R. Amen. Et ſatiet in omnibus bonis deſiderium tuum. R. Amen. Qui ſolus in Trinitate vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia benedictio

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, ut te defendat. Amen. Intra te ſit, ut te reficiat. R. Amen. Circa te ſit, ut te conſervet. Amen. Ante te ſit, ut te deducat. Amen. Poſt te ſit, ut te confirmet. R. Amen. Super te ſit, ut te benedicat. R. Amen. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, *&c.* Benedicat te Deus Pater. R. Amen. Sanet te Deus Filius. R. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus. R. Amen. Corpus tuum cuſtodiat. R. Amen. Animam tuam ſalvet. R. Amen. Cor tuum irradiat. R. Amen. Senſum tuum dirigat, & ad ſupernam vitam te perducat. Amen.

Alia benedictio.

Benedicat te Deus cæli. R. Amen. Adjuvet te Chriſtus Filius Dei. R. Amen. Corpus tuum in ſuo ſervitio cuſtodiat. R. Amen. Mentem tuam illuminet. R. Amen. Senſum tuum conſervet. R. Amen. Gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ in te augeat. R. Amen. Ab omni malo te liberet. R. Amen. Dextera ſua te defendat. R. Amen. Qui Sanctos ſuos ſemper adjuvat, te adjuvare & conſervare dignetur. R. Amen. Benedicat te Deus Pater cæli, qui in principio cuncta creavit. R. Amen Benedicat te Dei Filius, qui de ſupernis ſedibus pro nobis Salvator deſcendit. R. Amen. Benedicat te Spiritus ſanctus, qui in ſimilitudine columbæ in flumine Jordanis requievit in Chriſto. R. Amen. Ipſeque te in Trinitate ſanctificet, quem omnes gentes venturum exſpectant ad judicium. R. Amen. Benedicat te Deus Pater. R. Amen. Cuſtodiat te JESUS CHRISTUS. R. Amen. Confirmet te virtus Chriſti. Amen. Indulgeat te Dominus univerſa delicta tua. Amen.

Abſolutio.

Dominus JESUS CHRISTUS, qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: de quorum numero, quamvis indignos eſſe nos voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egiſti, atque a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ultima abſolutio.

Dominus JESUS CHRISTUS, qui Diſcipulis ſuis dignatus eſt dicere: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo; de quorum numero, quamvis indignos & peccatorum vinculis aſtrictos nos eſſe ſua dignatione voluit, ipſe largifluo pietatis ſuæ dono, ac noſtræ ſimul parvitatis myſterio, abſolvere te dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ exceſſibus, interius exteriuſque contractis, & ſicut peccata totius mundi ſua traditione, atque immaculati ſanguinis effuſione dignatus eſt expurgare: ita quoque tuorum peccaminum maculas, miſericorditer non dedignetur emundare ejuſdem ſancti ſanguinis interventione, qui effuſus eſt in peccatorum remiſſionem; devotionem quoque tuam ita deinceps adjutorium gratiæ ſuæ dignetur corroborare, quatenus & in ſæculo ſubripientium laqueos

delictorum valeas evadere, & in futuro vitam æternam Chriſti ſanguine comparatam, ſine fine poſſidere, adjuvante eodem Domino noſtro JESU CHRISTO, qui nos fecit cum non eſſemus, & redemit nos cum perditi eſſemus, ad laudem & gloriam ſancti nominis tui. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea ſequitur ordo commendationis animæ, cum in agone ſui exitus viſa fuerit laborare: ſed cum hic repræſentare nihil neceſſe eſt.

Liber de Sacramentis, ſeu Manuale Lugdunenſis Eccleſiæ, quod ad annum MDXLVIII. editum eſt, eundem pene in omnibus ritum præſcribit.

Incipit ordo ad viſitandum infirmum.

Quando ingreditur Sacerdos domum, dicat in ipſo introitu: Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. Benedic, Domine, domum iſtam & omnes habitantes in ea, quia tu dixiſti, Domine, Pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te, puſillos cum majoribus; benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. Hoc dicto, Sacerdos ſalutet infirmum: deinde dicat vulgari ſermone: Mon frere & ami, Noſtre Seigneur JESUS CHRIST ordonna à ſes Apôtres d'aller viſiter les malades, & les oindre d'huile en ſon nom, *& le reſte.*

℣. Salvum, ſalvam, fac ſervum, ſervam, tuum, tuam, Domine. ℟. Deus meus ſperantes in te ℣. Nihil proficiat inimicus in eo, ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℟. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium & vitæ æternæ munera contuliſti, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ, infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Parce, Domine, parce famulo tuo, tuæ, quem, quam, redemiſti, Chriſte, ſanguine tuo, ut non in æternum iraſcaris ei. Qui vivis, *&c.*

Alia oratio.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera cor famuli, famulæ, tui, tuæ ill. de malarum tentatione cogitationum, ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereatur. Per Dominum. Ejuſdem Spiritus ſancti, *&c.*

Alia oratio.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus cor famuli, famulæ, tui, tuæ, gratiæ tuæ ſplendore, ut digna majeſtati tuæ cogitare & diligere valeat. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus.

Alia oratio.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, ut oris noſtri alloquio deprecatus famuli, famulæ, tui, tuæ ill. humilitatem atque anguſtiam attendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, adverſitatem repellas, effectumque petitionis noſtræ largiens, clementer exaudias. Per Dominum, *&c.*

Incipiunt orationes & preces ſuper pœnitentem & confitentem peccata ſua.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Oratio.

Præveniat hunc, hanc, famulum, famulam, tuum, tuam, quæſumus, Domine, clementia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per, *&c.*

Oratio.

Dominus noſter JESUS CHRISTUS, cui omnia poſſibilia ſunt, non ad peccata, quæ commiſiſti, ſed ad miſericordiam ſuam reſpiciens, per interceſſionem ſanctæ Virginis Mariæ, ſanctique Michaelis Archangeli, ſanctique Petri Principis Apoſtolorum, omniumque Sanctorum ſuorum, abſolvat te ab omni vinculo delictorum, perducat ad regna cælorum, & nos in quantum nobis commiſſum eſt, totum tibi indulgeamus. Qui vivis, *&c.*

Abſolutio.

In ea auctoritate & poteſtate confidentes, quam Deus omnipotens nobis in beato Petro. Apoſ-

Apoſtolorum Principe tribuit, dicens: Quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; quantum nobis permiſſum eſt, ab omni vinculo delictorum te abſolvimus, & quidquid in hoc ſæculo contra Dei voluntatem, ſuadente diabolo, contrarium commiſiſti, quantum poſſimus, totum tibi indulgemus, ut confracta de collo tuo omnium delictorum catena, liber, libera, & abſolutus, abſoluta, ante tribunal Judicis æterni, veniam percepturus, perceptura, ab ipſo hæreditatem in cæleſtibus regnis, in quibus gaudeas ſine fine exultans in gloria cum omnibus Sanctis. Amen.

Oratio.

Deus omnipotens, Salvator & Redemptor humani generis, qui Apoſtolis ſuis dedit poteſtatem animas ligandi atque ſolvendi, ipſe te abſolvere dignetur a cunctis peccatis, & iniquitatibus tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Deo ſis abſolutus, abſoluta, ante faciem illius. Amen.

Oremus.

Deus, qui per Apoſtolum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera*, *ut ſupra*. Tunc flectat genua languidus, ſi poteſt, ad dexteram Sacerdotis, & alii cantent Antiphonam: Sana, Domine, infirmum, infirmam, iſtum, iſtam, cujus oſſa conturbata ſunt, & cujus anima turbata eſt valde: ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, eam, & eripe animam ejus a morte. Pſal. Domine, ne in furore tuo. I. & II.

Oratio.

Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc, hanc, famulum, famulam, per Angelum ſuum viſitare & confortare dignetur. Qui vivit & regnat. Antiphona. Dominus locutus eſt Diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſalmus David.

Deus Deorum Dominus locutus eſt, *& cetera*, *ut in pſalterio*.

Oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ant. Cor contritum & humiliatum non deſpicies. ſed propter magnam miſericordiam tuam miſerere ei, Deus. Pſal. Miſerere mei, Deus.

Oremus.

Reſpice, Dominè, famulum, famulam, tuum, tuam ill. in infirmitate corporis ſui laborantem, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ant. Succurre infirmo, infirmæ iſti in præſenti ægritudine decubanti, & medere illi ſpeciali medicamine, ut in priſtina ſanitate reſtitutus, reſtituta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actionem. Pſal. Ad Dominum cum tribularer clamavi.

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ant. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Pſal. De profundis clamavi ad te, Domine.

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo, famula, tuo, tua, clementiæ tuæ longinqua miſeratio: ſana vulnera, ejuſque peccata remitte, ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus, ſeparata, tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Sic perungatur infirmus ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ad aures.

Ungo aures tuas hoc ſacrati olei liquore, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ad nares.

Ungo has nares de oleo ſacro, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ad labia.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ad manus.

Ungo has manus de oleo ſacrato, *& cetera*, *ut ſupra*.

Ad collum.

Ungo te de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus, præparata, ad luctamen poſſis aeras ſuperare catervas. Per Dominum, *&c.*

Ad guttur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: ſit tibi unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſanctificato, ut hac unctione protectus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad renes.

Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ardorem libidinis. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſſu, *& cetera, ut ſupra.*

Ubi dolor plus tenet.

Ungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Dominus Deus Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Sana quoque, quæſumus, omnium medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinumque & dolorum omnium diſſolve tormenta, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in omnibus bonis deſiderium tuum. Qui ſolus in Trinitate vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri, ſorori, noſtro, noſtræ, ſacrum corpus & ſanguinem JESU CHRISTI Filii tui Domini noſtri, tam corporis, quam animæ ſit ſalus. Per eumdem Dominum, *&c.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitate laborantibus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum, famulam, tuum, tuam, anguſtiis & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per Dominum, *&c.*

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, ut te defendat. Amen. Intra te ſit, ut te reficiat. Amen. Circa te ſit, ut te conſervet. Amen. In te ſit, ut te deducat. Amen. Poſt te ſit, ut te confirmet. Amen. Super te ſit, ut te benedicat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, *&c.*

Benedicat te Deus Pater. Amen. Sanet te Deus Filius. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus. Amen. Corpus tuum cuſtodiat. Amen. Animam tuam ſalvet. Amen. Spiritum tuum irradiet. Amen. Senſum tuum dirigat, & ad ſuperna te perducat. Amen. Ille te benedicat de cælis, qui per crucem paſſionis ſuæ nos venire dignatus eſt redimere in terris. Qui cum Patre & Spiritu, *&c.*

Sequitur reconciliatio pœnitentis ad mortem.

Manuale Catalaunenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXIX. *ritum Extremæ Unctionis ita præſcribit.*

Incipit ordo ad viſitandum infirmum, videlicet ad ungendum eum.

Conveniat igitur Sacerdos cum clericis, ſaltem cum clerico ad hoc perito & idoneo cum cruce, igne in lucerna, & aqua benedicta, & de pergendo de Eccleſia ad domum infirmi, indutus ſuppellicio & ſtola deferendo oleum ſanctum, dicat ipſe Sacerdos cum clericis ſeptem Pſalmos pœnitentiales ſubmiſſa voce. Ant. Sana me. Pſ. Domine, ne in furore, *ut in Pſalterio.* Sana me, Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde, ſed tu, Domine, convertere, & eripe animam meam. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Sed libera. ℣. Miſerere ei Domine; Domine, miſerere ei.

Oratio.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per, *&c.*

Ant.

Ant. Erat quidam. Pſal.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, *& cetera, ut in Pſalterio.* Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audiſſet quod Jesus veniſſet in Galilæam, rogabat eum, ut ſanaret filium ejus. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Sed libera. Miſerere ei, Domine; Domine miſerere ei.

Oratio.

Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per, *&c.* Ant. Domine, deſcende. Pſal. Domine, ne in furore tuo arguas me, *& cetera, ut in Pſalterio.* Domine, deſcende, ut ſanes filium meum priuſquam moriatur. Ait ei Jesus: Vade filius tuus vivit. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Miſerere ei, Domine; Domine miſerere ei.

Oratio.

Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. Per, *&c.* Ant. Cor contritum. Miſerere mei, Deus, *& cetera, ut in Pſalterio.* Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies, ſed propter miſericordiam tuam magnam miſerere mei, Deus. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Miſerere ei, Domine; Domine, miſerere ei.

Oratio.

Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per, *&c.* Ant. Domine, puer meus. Pſ. Domine, exaudi orationem meam, *& cetera, ut in Pſalterio.* Ant. Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Miſerere ei, Domine; Domine, miſerere ei.

Oratio

Tuere populum tuum, Domine, & ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adverſitas, ſi & nulla ei dominetur iniquitas. Per, *&c.* Ant. Domine, non ſum dignus. Pſal. De profundis clamavi ad te, *& cetera, ut in Pſalterio.* Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Miſerere ei.

Oratio.

Subveniat nobis, Domine, miſericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi, & te liberante ſalvari. Per, *&c.* Ant. Cum ſol autem. Pſal. Domine, exaudi orationem meam, *& cetera, ut in Pſalterio.* Cum ſol autem occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum, & curabantur. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Miſerere ei, Domine; Domine, miſerere ei.

Oratio.

Populi tui, Deus inſtitutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle, ut ſemper tibi placitus, & tuo munimine ſit ſecurus. Per, *&c.*

Et Presbyter ingrediens domum, in qua æger detinetur, dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea; & aſpergat infirmum aqua benedicta, dicens: Aſperges me, Domine; deinde dicat hanc Antiph. Intret in conſpectu tuo oratio mea: Inclina aurem tuam ad precem meam, Domine.

Accendantur ſeptem candelæ ad minus, quæ ardeant per totum officium, atque ſeptem boliones ſtuppæ canapis ad modum magnæ nucis inter duas ſcutellas poſitos. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos. Sancta maria, ora pro famulo tuo infirmo, famula tua infirma. Sancta Dei genitrix, ora pro eo, ea. Sancta & perpetua Virgo, ſuccurre in anguſtiis conſtituto, conſtitutæ, ora pro eo, ea. Sancte Michael, ora pro eo, ea. Sancte Gabriel, ora pro eo, ea. Omnes ſancti Angeli & Archangeli Dei, orate pro eo, ea. Sancte Joannes Baptiſta, ora pro eo, ea. Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro eo, ea. Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro eo, ea. Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro eo, ea. Omnes ſancti Martyres, orate pro eo, ea. Omnes ſancti Confeſſores, orate pro eo, ea. Omnes ſanctæ Virgines, orate pro eo, ea. Omnes Sancti & Sanctæ, orate pro eo, ea. Propitius eſto, libera eum, Domine, libera eam, Domine. Ab omni malo, libera. Ab hoſte maligno, lib. Ab inſidiis diaboli, lib. Ab ira tua, lib. A periculo mortis, lib. Ab omni immunditia mentis & corporis, lib.

A

A poteſtate tenebrarum, lib. Per crucem tuam, lib. Per paſſionem tuam, lib. Per reſurrectionem tuam, lib. Per aſcenſionem tuam, lib. Per gratiam Spiritus ſancti paracleti, lib. In die judicii, lib. Peccatores, te rogamus, audi nos. Ut pacem ei dones, te rogamus, audi nos. Ut cordis compunctionem ei dones, te rogamus, audi nos. Ut fontem lacrymarum ei donare digneris, te rogamus, audi nos. Ut cogitationes pravas ab eo, ea, expellere digneris, te rogamus, audi nos. Ut ad gaudia æterna eum, eam, perducere digneris, te rogamus, audi nos. Fili Dei, te rogamus, audi nos. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei, Domine. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, libera eum, eam, Domine. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Salvum fac ſervum tuum, ſalvam fac ancillam tuam, Deus meus, ſperantem in te. Dominus conſervet eum, eam, vivificet eum, eam, & beatum, beatam, faciat eum, eam, in terra, & non tradat eum, eam, in animam inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus. Nihil proficiat inimicus in eo, ea. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Eſto ei, Domine turris fortitudinis. A facie inimici. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus clementiam tuam, ut ad introitum in tuo nomine humilitatis noſtræ hunc famulum tuum, hanc famulam tuam, in hoc habitaculo jacentem feſſum, feſſam ſalutifere viſitare digneris, ſicut viſitaſti, Domine, Tobiam & Saram, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Parce, Domine, parce famulo tuo, ancillæ tuæ, quem, quam, redemiſti Chriſti ſanguine tuo, & ne in æternum iraſcaris ei. Qui vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Dimitte, quæſumus, Domine, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, oriſque noſtri alloquio deprecatus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ, pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam; *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum, ancillam tuam, in infirmitate ſui corporis laborantem, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Virtutum cæleſtium, Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ægritudines animarum depellis & corporum, auxilii tui ſuper infirmum noſtrum hunc, infirmam noſtram hanc, oſtende virtutem, ut omni ſanitate recepta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Per, *&c.*

Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium dimittis, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum, hanc famulam tuam, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi; renova in eo, ea, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt, & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo, ancillæ tuæ, longo ſqualore pœnitentiæ macerato, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum, ancillam tuam,

tuam, attende proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum, eam, lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus ſatietur, & ingreſſus, ingreſſa, cubiculum Regis in ipſius aula, benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per eundem Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Precamur, Domine, clementiam tuam, ut huic famulo tuo, ancillæ tuæ, peccata tua, & facinora confitenti, veniam donare digneris, & præteritorum criminum culpas, venia remiſſionis evacues, qui humeris tuis ovem perditam reportaſti ad caulas, qui Publicani confeſſione placatus es: tu etiam in hujus famuli tui, ancillæ tuæ, precibus benignus aſpira, ut in flebili confeſſione perſiſtens, pietatem tuam celeriter, & indifficulter exoret. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Oremus Dominum noſtrum Deum pro fratre noſtro, ſorore noſtra, quem, quam duri ad præſens malum languoris adulcerat, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, huic ad te ex toto corde converſo peccata dimitte, & perennis tribue gratiam vitæ. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

His dictis, quærat Sacerdos ab infirmo, vel infirma, ſi ſciret dicere Symbolum, aut non; & ſi non poteſt dicere, tunc Sacerdos dicat:

Credo in Deum Patrem omnipotentem, *&c.* Symbolo dicto, poterit ſe habere Sacerdos ſecundum ea quæ ſequuntur, monendo infirmum, & inquirendo ſi habeat aliquem ſenſum rationis, & dicat ei: Credis ea, quæ ſunt fidei Chriſtianæ contenta in Symbolo, puta articulos fidei, & ea, quæ ſunt determinata ab Eccleſia eſſe vera? Reſpondeat; aut ſignum faciat: Credo. Sacerdos: Lætaris quod in fide Chriſti moriaris? R. Lætor. Sacerdos: Cognoſcis te in hoc mundo Deum tuum multipliciter offendiſſe, & doles quod Deum tuum offendiſti, & contra ejus præcepta feciſti? R. Doleo. Sacerdos: Habes voluntatem emendandi, ſi ſpatium haberes? R. Habeo. Sacerdos: Credis quod propter te mortuus eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS, & quod ſalvari non potes, niſi per meritum ſanctæ paſſionis ejus, & non tuis meritis? R. Credo. Sacerdos: Agis ei gratias de hoc ex bono corde? R. Ago. Sacerdos: Indulges his qui tibi aliquod nocumentum contulerint, ob amorem JESU CHRISTI, a quo veniam & miſericordiam ſperas? ac etiam petis fideliter indulgeri, & remitti tibi ab his quos offendiſti, & per te ablata, vel injuſte acquiſita reſtitui? R. Volo. Sacerdos: Eſto ergo, frater, ſecurus, quod ſi aliquid objiciatur contra prædicta a te credita, confuge ad memoriam paſſionis Chriſti, credens & dicens: Paſſio Domini noſtri JESU CHRISTI eſt pretium meum, ſalvatio mea, totiuſque orbis terrarum, omniumque fidelium animarum conſolatio.

His dictis, Sacerdos ungat de oleo ſancto cum pollice infirmum, vel infirmam, aliis clericis auxiliantibus, & cruces facientibus in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice: & debet eſſe aliqua perſona ad detergendum dictas cruces cum ſtupis, & in qualibet cruce accipiat ſtupas novas, candelis accenſis, & dicat Sacerdos.

Ungo caput tuum de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii &, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti, *& cetera, ut ſupra.*

Item in ſuperciliis juxta angulos occulorum & oculis clauſis.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quod illicito viſu, *& cetera, ut ſupra.*

Item ad aures.

Ungo has aures corporis tui, ut per has feneſtras recipias auditum repromiſſionis Chriſti in vitam æternam. Amen. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Item ad nares.

Ungo has nares de oleo conſectato, ut quidquid noxæ ex his ſuperfluo, *& cetera, ut ſupra.*

Item ad labia

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa, *& cetera, ut ſupra.*

Item ſuper ſcapulas, non in pectore, neque inter ſcapulas.

Ungo has ſcapulas de oleo ſanctificato, ut ex omni parte ſpirituali protectione munitus, *& cetera, ut ſupra.*

Item

Item ſuper manus & intra; ſi vero ſit Sacerdos, ungatur tantum extra.

Ungo has manus de oleo benedicto, ut quidquid illiciro vel noxio, *& cetera, ut ſupra.*

Item ſuper pedes & ſub plantis.

Ungo hos pedes ex oleo conſecrato, ut quidquid ſuperfluo vel nocuo ingreſſu, *& cetera, ut ſupra.*

Hic lavat Sacerdos unctione peracta manus ſuas cum ſale & aqua. Similiter ille, vel illa, qui, vel quæ deterſit cruces de ſtupis, quæ debent cuſtodiri, & reſervari inter duas ſcutellas ligneas, & reponi in quodam armariolo in Eccleſia, & de eiſdem facere cineres pro die Cinerum, vel recondi in terra ſancta. Poſt unctionem dicuntur actiones ſequentes.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Inunxi te de oleo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, *& cetera, ut ſupra.*

Abſolutio.

Deus qui peccatores, & ſcelerum onere vulneratos, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Dominus Jesus Christus apud te ſit, ut te defendat, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater. R. Amen, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Adjuvet te Dei Filius, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit ex nihilo. R. Amen, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Cuſtodiat te Jesus Christus. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. confirmet te virtus Chriſti. Amen. Indulgeat tibi Dominus univerſa delicta tua. Amen.

Oremus.

Beatæ & glorioſæ, ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ, omnium Sanctorum interceſſio glorioſa te protegat, & ad vitam æternam perducat. Amen.

Manuale Sueſſionenſis Eccleſiæ, quod ad annum MDXXX. editum eſt, parem ritum exhibet.

Ordo ad inungendum infirmum.

Provideatur qui deferat crucem, oleum ſanctum, aquam benedictam, & præparenrur ſtupæ ad detergendum uncturam, & tredecim candelæ. Deinde Sacerdos indutus ſuppellicio, & ſtola, intrando domum, dicat aliquantulum alte: Pax huic domui. Aſſiſtentes reſpondeant: Et omnibus habitantibus in ea. Ant. Benedic, Domine, domum iſtam, & omnes habitantes in ea, quia tu dixiſti, Domine: Pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te, puſillos cum majoribus; benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.

Hic intret domum, & ſtans ante infirmum, dicat, Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Reſpice famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.* Deinde aſpergatur aqua benedicta cum Introitu. Aſperges me, Domine hyſſopo, & mundabor. Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſal. Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, *&c.* Antiph. Aſperges me, Domine, hyſſopo, *&c.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus,

Benedic, Domine Deus omnipotens, quæſumus, locum iſtum, ut ſit nobis in eo ſanitas & caſtitas, virtus & victoria, ſanctimonia & humilitas, bonitas & manſuetudo, lenitas &

& plenitudo legis, & obedientia Deo Patri, & Spiritui ſancto, hæc ſit ſemper benedictio ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo. Per eundem, *&c.*

Tunc infirmus dicat ſymbolum, ſcilicet, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & orationem dominicam, ſcilicet, Pater noſter. Et deinde confeſſionem ſuam generalem, ſcilicet, Confiteor Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis meis. Primo tamen, ſi voluerit, confiteatur ſecreto ſingula ſua peccata.

Forma abſolutionis dandæ in mortis articulo illi, cui Sedes Apoſtolica fecit gratiam de abſolutione generali. Miſereatur tui omnipotens Deus, qui te abſolvat, & liberet ab omni malo, & dimiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Et ego auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, & domini noſtri Papæ N. qua fungor in hac parte, abſolvo te ab omni ſententia excommunicationis lata ab homine, vel de jure, & reſtituo Eccleſiaſticis Sacramentis: etiam abſolvo te ab omnibus peccatis tuis confeſſis & oblitis, & concedo tibi plenariam indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum: reſtituo te ad ſtatum innocentiæ, quantum Eccleſiæ claves ſe extendunt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea abſolutione data dicuntur orationes & preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua.

Oremus.

Exaudi, Domine, preces noſtras, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Præveniat hunc famulum, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Adeſto, Domine ſupplicationibus noſtris, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, criminum abſolutor, & peccaminum indultor, qui Apoſtolis tuis, eorumque ſucceſſoribus dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere, & ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, de quacunque petierint, fiet vobis a Patre meo; qui etiam ſpecialiter Petro Apoſtolorum Principi ligandi & ſolvendi Pontificium tradidiſti, & poſtea generaliter omnibus Diſcipulis inſufflaſti, & dixiſti: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; tu, Domine, in noſtro miniſterio tuam infere clementiam, & in nobis peccatoribus, quod tuum eſt, operare, & quod noſtra non exigunt merita, tuæ virtutis impleatur effectu. Supplices ergo poſcimus tuam clementiam, ut huic famulo vel famulæ, tuo vel tuæ, omnibus cordis & corporis gemitibus ſuorum relaxationem peccatorum poſtulanti pius auditor adſiſtas, & clemens indultor exiſtas, nihilque in præſenti anguſtia, ſive exitu obſter, quod fragilitas cumulavit humana. Adſit ei, Domine, tua miſericordia pœnitenti, & ad confeſſionem venienti, ſicut adſuit latroni confitenti, & peccatrici gementi, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quia dilexit multum. Ne reminiſcaris, Deus, tantorum malorum quæ operatus eſt, vel operata eſt; ſed recordare quæ pollicitus es: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Tu ergo dimitte ei omnia peccata ſua. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus. Per, *&c.*

Oremus.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc, hanc, famulum, famulam, tuum, tuam, qui, quæ, ſe tibi graviter peccaſſe confitetur: tuum eſt enim ablutionem criminum dare, veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem; concede huic ergo, Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratuletur. Qui vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Da nobis, Domine, ut ſicut Publicani precibus, & confeſſione placatus es, *& cetera, ut ſupra.*

Poſtea ungatur infirmus. Primum ad aurem dextram, fac crucem, dicens:

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio, *& cetera, ut ſupra.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe in nomine Domini. Amen.

Ad aurem ſiniſtram.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo aures tuas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo oculos tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo has nares, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo labia iſta, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, ut te defendat. Reſpondeat. Amen. Intra te ſit, ut te reficiat. Amen. Circa te ſit, ut te conſervet. Amen. Poſt te ſit, ut te cuſtodiat. Amen. Super te ſit, ut te benedicat. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad pectus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo pectus tuum de oleo ſancto, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, in unoquoque loco ungo has ſcapulas. ſive medium ſcapularum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungo has manus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem; in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI ſurge & ambula. In nomine Domini ungo hos pedes de oleo benedicto, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Ungo te de oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Ungo te de oleo ſanctificato, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam, *& cetera, ut ſupra.*

Impoſita manu ſuper caput ejus. Oremus.

JESU Salvator & Domine, qui es vera ſalus & medicina, qui Apoſtoli tui voce nos inſtituis, ut morbidos olei liquore tangentes, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine Deus, noſter, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus qui peccatores, & ſcelerum onere curvos, Sacerdotibus tuis ſe oſtendere præcepiſti: *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Adeſto, quæſumus, Domine, humilitatis noſtræ obſequiis, ejuſque benignus cooperator adſiſte, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictiones.

Benedicat te Deus Pater, qui te creavit. Amen. Filius Dei, qui te redemit Amen. Spiritus ſanctus, qui in te effuſus eſt. Amen. Remiſſionem & indulgentiam omnium peccatorum tribuat tibi Dominus in præſenti ſæculo, & in futuro vitam æternam concedat. Amen.

Poſtea dicuntur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, quibus dictis, ſequitur letania, & poſt letaniam oratio.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut viſitationem tuam conferre digneris ſuper hunc, hanc, famulum, famulam, tuum, tuam, quem, quam, diverſa vexat infirmitas, ſicut viſitare dignatus es ſocrum Petri, puerumque Centurionis, Tobiam & Saram, *& cetera, ut ſupra.*

Sequuntur benedictiones.

Benedicat te Deus cæli. Amen. Adjuvet te Chriſtus Filius Dei. Amen. Corpus tuum in ſuo ſancto ſervitio, *& cetera, ut ſupra.*

Manuale Ambianenſis Eccleſiæ, quod anno Chriſti MDXLI. *editum eſt, eundem Extremæ Unctionis ritum ita præſcribit.*

Incipit ordo ad inungendum infirmum.

Primo provideatur, qui deferat tædam ardentem & aquam benedictam cum Preſbytero deferente oleum ſanctum, & præparentur ſtupæ ad detergendum uncturam, & candelæ cum odore incenſi. Deinde Sacerdos indutus ſuppellicio & ſtola, intrando domum, dicat aliquantulum alte: Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea. Deinde aſpergatur aqua benedicta, & dicatur hæc benedictio: Benedic, Domine, domum iſtam, *& cetera, ut ſupra.* Hic accedat Sacerdos ad infirmum, & dicat hunc Pſalmum:

Deus

Deus miſereatur noſtri, *& cetera, ut in Pſalterio.* Deinde dicatur hæc benedictio, Benedic, Domine Deus omnipotens, locum iſtum, ut ſit habitantibus in eo ſanitas, *& cetera, ut ſupra.* Deinde aſpergatur aqua benedicta, & dicat Aſperges me, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare, *& cetera, ut ſupra.*

Deinde ſeptem Pſalmi pœnitentiales dicuntur, audita prius confeſſione infirmi: *Quibus dictis, dicitur letania, qua dicta, dicitur Pſalmus:* Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me, *& cetera, ut in Pſalterio.*

Sequitur confeſſio, quam dicat infirmus, ſi poteſt; ſi non, dicat Confiteor:

Domine miniſter Chriſti Domini noſtri, comprehendi nullius homini valet ſolertia, quibus a diebus adoleſcentiæ meæ vicibus execrabilia contraxi opera. Excedunt enim pluralitate ſui numerorum fines, quia ad comparationem meorum peccaminum, nullus invenitur iniquus, nullum quippe genus peccati inveniri poteſt, cui me non ſubdiderim, cujuſque facibus & loris non ſum circumdatus, circumdata: nunc quoque dies reſolutionis meæ inſtant, quibus hominem exire compellor, nunc ultimum vocationis meæ diem ingemiſcens expaveſco, quia quæ male coram Deo conſentiens perpetravi, digna ultione puniri pertimeſco; & niſi Dei clementia toleraret, merito jam pro meis ſceleribus ultrix vindicta perimeret. Idcirco feſſis artubus, diſſolutiſque corporis baſibus, omnium viſcerum meorum valentia amiſſa, pietatis tuæ miſericordiam, ſingultu interpoſito, implorare non ceſſo, quatenus pietate tibi cælitus collata, vincula periculorum meorum enodes, & precum tuarum ſtudiis commiſſa mea expies, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potius tuo interventu in cæleſtia merear ſublimari ad gaudia ſempiterna.

Sequitur hæc abſolutio.

Sicut principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, unde ingemiſcimus: ita principali ſententia conſolamur, quia ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt JESUS CHRISTUS, conditor & redemptor & ſalvator noſter, quem habemus advocatum juſtum apud Patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata noſtra, & emundat nos ab omni iniquitate: quapropter, frater, ſoror, confitenti tibi peccata per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter JESUS CHRISTUS tradidit Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & per eoſdem Apoſtolos ſuos, ipſorumque ſucceſſores, quorum licet indigni vicem tenemus, & ſi non merito, tamen nomine atque officii ſuſceptione eandem poteſtatem donavit, & in ſe credenti fideliter dixit: Fiat tibi ſecundum fidem tuam; gratia & potentia ſua, virtute Spiritus ſancti, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat, tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono opere, & perducat te ad vitam æternam, & ad Sanctorum conſortium civium ſupernorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius ad preces noſtras, & libera cor famuli, famulæ, tui, tuæ, de malarum tentatione cogitationum, ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur Per Chriſtum, *&c.*

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſumus, cor famuli, famulæ, tui, tuæ N. & gratiæ tuæ ſplendore illuſtra, ut digne majeſtatem tuam cogitare & diligere valeat. Per Chriſtum, *&c.*

Tunc Confeſſor infirmis cum aliis Sacerdotibus, ſi ſit, dicunt. Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc, hanc, famulum, famulam N. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis devotione poſcenti, ſupplicatus attribue: renova in eo, ea, Pater piiſſime, quidquid terrena fragilitate corruptum, & quidquid diabolica fraude violatum eſt, & unitati corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfectæ redemptionis annecte. Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ſacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per Chriſtum, *&c.*

Oratio antequam ungatur. Oremus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

Tunc dicatur Symbolum. Credo in Deum, Patrem omnipotentem, *&c.* Poſt hæc ungatur infirmus a Sacerdote de oleo ſanctificato, ſignum crucis faciente in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, dicendo:

Ungo caput tuum de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti, *& cetera. ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito viſu, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures corporis tui, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut per has feneſtras recipias auditum gratiæ remiſſionis Chriſti in æterna-vita. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad nares.

Ungo has nares de oleo ſacro, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid noxæ, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid otioſa, vel etiam criminoſa, *& cetera, ut ſupra.*

Super humeros.

Ungo has ſcapulas de oleo ſacro, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut in omni parte ſpirituali protectione munitus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus intus & foris; ſi Presbyter fuerit, foris tantum.

Ungo has manus de oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito vel nocivo opere, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes ſuper.

Ungo hos pedes ex oleo conſecrato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſſu, *& cetera, ut ſupra.*

Poſt unctionem. Oremus.

Per iſtam unctionem, & ſuam ſanctam benedictionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, per auditum, per odoratum, per guſtum, per inceſſum pedum: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Amen. Pſ.

Domine, clamavi ad te, exaudi me, *& cetera, ut in Pſalterio.* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas. Sed libera. Et dicantur Antiphonæ cum Pſalmis ſequentibus. Pſal.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, *& cetera, ut in Pſalterio.* Heu mihi, Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt. Pſal. Levavi oculos meos in montes, *& cetera, ut in Pſalterio.* Unde veniet auxilium mihi. Pſal. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi. *& cetera; ut in Pſalterio.* In domum Domini lætantes ibimus. Pſal. Ad te levavi oculos meos, *& cetera, ut in Pſalterio.* Qui habitas in cælis, miſerere nobis. Pſal. Qui confidunt in Domino, *& cetera, ut in Pſalterio.* Antiph. Benefac, Domine, bonis & rectis corde.

Oremus.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, & corroboret, ac faciet in bonis deſiderium tuum. Qui ſolus in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen. *Sequitur ordo ad infirmum communicandum.*

Manuale Atrebatenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXIII. *editum eſt, eundem ritum tradit.*

Incipit ordo ad ungendum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, ingrediens Presbyter cum aliquibus congregatis in domum infirmi, dicat ter, Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea. Quo facto, Sacerdos aſpergat ægrotum aqua benedicta, dicendo, Aſperges me, Domine, *&c.* His peractis, & candelis accenſis, debent dici ſeptem Pſalmi pœnitentiales, & ſic incipiat Sacerdos Antiph. Parce, Domine. *Quibus dictis, dicitur letania, & poſt letaniam, & preces conſuetas, dicuntur hæ orationes.*

Oremus.

Oremus.

Omnipotens mitiſſime Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui illuminas omnem hominem, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non vis mortem peccatorum, *& cetera, ut ſupra.*

Hic aſpergatur aqua benedicta; ſi brevis vitæ appareat, dicitur tantummodo poſt letania hæc oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.* In iſta parte Sacerdos ſtet ad dexteram infirmi, dicens. Ant. Sana, Domine, infirmum iſtum, *& cetera, ut ſupra.* Pſal. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, & dicitur primus verſus tantum cum Gloria Patri, & Sicut erat. Et repetatur Ant.

Oratio.

Oremus Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & cum omni ſupplicatione rogemus, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Deus locutus eſt Diſcipulis ſuis, dicens, *& cetera, ut ſupra.* Pſal. Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram ſolum, verſum cum Gloria Patri & Filio. Sicut erat in principio & nunc. Et reincipitur Ant. Deus locutus.

Oratio.

Deus, qui Ezechiæ famulo tuo, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Cor mundum & humiliatum, Deus, non deſpicies. Pſal. Miſerere mei, Deus, ſecundum, *ut in Pſalterio.* Repetitur Ant. Cor mundum.

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Succurre, Domine, infirmo tuo, infirmæ tuæ, iſti in præſenti ægritudine decidenti, & medica eum, eam, ſpirituali medicamine, ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus, reſtituta, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Pſ. Ad Dominum eum tribularer clamavi, *& cetera, ut in Pſalterio.* Reiteratur Ant. Succurre.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, *& cetera, ut ſupra.*

His factis, ungat Sacerdos infirmum, infirmam, oleo ſancto, videlicet locis aqua prius lotis ſpongiaque torſis, incipiendo primo ad oculos, & conſequenter ad alios ſenſus gradatur, qui ungi debent, & ponatur ſanctum oleum in modum crucis, dicendo quæ ſequuntur; & primo in neceſſitate brevis vitæ eminente, ſequitur.

Oratio.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Et ſic dicatur aliis ſenſibus, dicendo ad aures quidquid peccaſti per auditum; ad nares; per odoratum; ad labia, per guſtum; ad manus per tactum; ad pedes, per inceſſum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Alter modus ſequitur ad dandam Extremam Unctionem illi, cui periculum mortis minime apparet; & primo ſic incipitur.

Oratio.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo ſupercilia oculorum tuorum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo aures tuas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares oleo ſacrato, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia iſta, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus oleo benedicto, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Per iſtam ſacratiſſimam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam & benedictionem, indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per odoratum, per guſtum, per tactum, per greſſum pedum, & abſolvat te ab omnibus peccatis tuis confeſſis, contritis, & negligenter oblitis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Uncto infirmo, dicat Sacerdos has ſequentes orationes.

Unxi te oleo ſanctificato, invocata magni Creatoris majeſtate, qui juſſit Samuelem Prophetam ungere David in Regem, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Domine JESU CHRISTE, qui es redemptio & ſalvatio noſtra, & qui es vera ſalus, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui humano generi ſalutis æternæ remedium contuliſti, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Virtutum cæleſtium Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Super infirmum.

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, ut te defendat, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictio.

Benedicat te Deus Pater. Amen Sanet te Deus Filius, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus cæli. Amen, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Cuſtodiat te JESUS CHRISTUS. Amen, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper in ſæcula ſæculorum Amen.

Manuale Venetenſis Eccleſiæ, quod anno MDXCVI. *editum eſt, ritum Extremæ Unctionis pari modo deformat.*

Ordo & ritus adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis infirmis.

Notandum quod, ſi tempus permiſerit, dicantur, & fiant omnia ad longum, prout infra; ſed ſi infirmus fuerit ita debilitatus, ſeu in agonia poſitus, & timeatur de morte ejus, antequam omnia infra ſcripta poſſent dici more aſſueto, tunc in illo caſu, ne infirmus moriatur ſine receptione ſacramenti Extremæ Unctionis, Sacerdos debet procedere ad eſſentialia Sacramenti, incipiendo ad illum Pſalmum: Ad Dominum cum tribularer, *&c.* procedendo uſque ad finem. Sacerdos ergo una cum clerico domum in qua æger decumbit, ingrediens dicet. ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. ℣. Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis.

Oremus.

Exaudi nos, omnipotens æterne Deus, & mittere dignare ſanctum Angelum, *& cetera, ut ſupra.*

Poſtea dicuntur ſeptem ſequentes pſalmi cum Antiph. Ne reminiſcaris. Domine, ne in furore arguas me. ℣. Miſerere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei. Beati quorum. ℣. Miſerere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei. Domine, ne in furore tuo arguas me II. ℣. Miſerere ei, Domine; Domine, miſerere ei. Miſerere mei, Deus. ℣. Miſerere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei Domine. exaudi orationem meam. ℣. Miſe-

rere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei. De profundis clamavi ad te. ℣. Miſerere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei. Domine exaudi orationem meam. ℣. Miſerere ei, Domine. ℟. Domine, miſerere ei, Ant. Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemiſti pretioſo ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris nobis. Letania. Kyrie eleiſon, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Tunc dicat ei Sacerdos; Quid nos advocaſti, frater, vel ſoror? Reſp. Ut mihi (annuente Deo) tradatis unctionem. Dicat ei Sacerdos: Det tibi Dominus noſter JESUS CHRISTUS veram facilemque unctionem. Amen. Sacerdos dicat: Tametſi reſpexerit te Dominus, ut ſalveris, cuſtodies illam. & reſpondet: Cuſtodiam.

Sequitur benedictio cinerum cum multis aliis precibus, pſalmis, & orationibus, uſque ad Pſal. Ad Dominum cum tribularer. *quo dicto, repetitur Antiphona,* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.

Oremus.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, *& cetera, ut ſupra.*

His dictis, Sacerdos peragat unctiones. & pollicem vel ungulam intingat in oleum ſacrum, habeatque linum vel ſtupam paratam ad detergendum ſacrum oleum membris inunctis, & poſt exterſionem cujuſlibet membri, ſeu loci inuncti, dicat Sacerdos: Pax tecum. Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Imprimis ad oculos infirmi.

Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu, *& cetera, ut ſupra.* In nomine Patris, *&c.*

Ad aures.

Ungo aures tuas ſacrati olei unctione, ut quidquid delectatione vacua auditus admiſſum eſt, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo nares tuas de oleo ſanctificato, ut quidquid noxie contractum eſt, odoratu ſuperfluo, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia tua ſacrati olei medicamine, ut quidquid otioſa, *& cetera, ut ſupra.*

In gutture & collo.

Ungo te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut unxit Samuel David Regem, ut non lateat in te ſpiritus immundus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſancto, ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus, *& cetera, ut ſupra.*

Inter ſcapulas.

Ungo inter ſcapulas tuas de oleo conſecto, ut hac unctione protectus, protecta, fortiter præſtare poſſis adverſus malignam catervam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Ad manus, ſi fuerit Sacerdos ungatur extra, ſi laicus, intra.

Ungo manus tuas de oleo conſecrato, ut quidquid illicito, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo pedes tuos de oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo, *& cetera, ut ſupra.*

Ad umbiculum.

Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid per ardorem libidinis illicito auſu deliquiſti, per hanc ſacram unctionem deleatur, & more militis uncti ad luctamen præparati, poſſis aeras ſuperare catervas, adjuvante Domino noſtro, qui cum Patre, & Filio, & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Per iſtam ſacrati olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, & noſtram deprecationem indulgeat, tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per guſtum, per odotatum, per tactum, per inceſſum pedum, per ardorem libidinis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Sit tibi hæc unctio ad purificationem mentis & corporis, ad munimen & defenſionem contra ſæva jacula immundorum ſpirituum. Per omnia ſæcula ſæculorum

Sequi-

Sequitur benedictio ſudarii, ſeu indumenti cum multis orationibus, & interrogationibus de fide & recitatione Symboli.

Manuale Tullenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXIX *editum eſt, ſuum quoque non diſſimilem ritum ita proponit.*

Ordo ad viſitandum infirmum.

Imprimis interrogetur, ſi petat ſacramentum ultimæ Unctionis, & ſi in fide velit illud recipere. Reſpondeat: Volo. Et tunc dicantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, ut ſequuntur. Domine, ne in furore tuo arguas me. Beati quorum. Domine, ne in furore. Miſerere mei, Deus. Domine, exaudi orationem meam. De profundis. Domine, exaudi orationem meam. *Sequitur letania, qua dicta cum aliis precibus, ſequuntur orationes.*

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contuliſti; ut quidquid ab eis digne perfecteque agitur, a te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modo viſitamus atque benedicimus, intercedente beata Maria ſemper Virgine, cum omnibus Sanctis viſites & benedicas, ſitque ad noſtræ humilitatis introitum Sanctorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Alia oratio.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Dimitte, Domine, peccata noſtra, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum tuum miſiſti ad Tabitham, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio

Omnipotens ſempiterne Deus, miſericordiam tuam ſupplici famulo tuo, vel famulæ tuæ placatus impende, ut qui, vel quæ contemnendo culpam incurrit, confitendo veniam conſequi mereatur. Per, *&c.*

Alia oratio.

Confitenti tibi, Domine, famulo tuo, vel famulæ tuæ, remitte delicta, ut qui, vel quæ intrinſecus flagellatur, reconciliationis tuæ gratia conſoletur. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Alia oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui conditionem noſtræ fragilitatis, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut huic famulo tuo N. vel famulæ tuæ, longo ſqualore pœnitentiæ macerato, vel maceratæ, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſtimento recepto, ad regalem menſam, unde ejectus, vel ejecta fuerat, mereatur introire Per, *&c.*

Oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus, fratres, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem miſericorditer erexiſti: Deus, qui leproſos, & aliis contagiis irretitos, Sacerdotum judicio mundari præcepiſti: Deus, qui per manus impoſitionem animorum & corporum valetudines effugaſti, idemque opus diſcipulos, eorumque ſucceſſores agere juſſiſti, exaudi preces noſtras pro famulo tuo, vel famula tua, morbo criminum hactenus tabeſcenti, & manum pietatis tuæ manui noſtræ ſuppone, ut per manus noſtræ impoſitionem, te operante, infundatur in eum, vel eam, Spiritus ſancti gratia, deſcendat ſuper eum, vel eam, cæleſtis benedictio tribuatur, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum chariſmatum munera affluentius conferantur. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Deus, qui peccatores, ac ſcelerum onere vulneratos, Sacerdotibus tuis ſe oſtendere juſſiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Digitized by Google

Oratio.

Quando ponitur incenſum in thuribulo. Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, immitte io te hanc creaturam incenſi odoris tui virtutem, ut ſit ſervo tuo, vel ancillæ tuæ munimentum, tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera ejus, ibique aditum & ſedem habere non poſſit. Per te JESU CHRISTE. Qui vivis, *&c.*

Sequitur unctio.

Inungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad caput.

Inungo caput tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo tuos oculos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures tuas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares tuas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo hæc labia tua, *& cetera, ut ſupra.*

Ad collum.

Ungo hoc collum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad guttur.

Ungo hoc guttur, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas tuas, ſive medium locum ſcapularum de oleo exorcizato, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo hoc pectus tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus tuas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad locum ubi dolor plus imminet. Oratio.

Adeſto, quæſumus, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator adſ[illegible], *& cetera, ut ſupra.*

Alia abſolutio.

Domine Deus, Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte, ut hunc famulum tuum N. liberatum, vel hanc famulam tuam liberatam ægritudine, & ſanitate donatum, vel donatam, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, & Eccleſiæ tuæ, ſanctiſque altaribus tuis deſiderata proſperitate reſtituas. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio.

Omnipotens Deus, abſolutor criminum & indultor, qui Apoſtolis tuis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus dixiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, ut te defendat, *& cetera, ut ſupra.*

Benedicat te Deus Pater, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictio.

Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Chriſtus Filius Dei, corpus tuum in tuo ſervitio cuſtodiat, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te JESUS CHRISTUS, illuminet te Spiritus ſanctus, *& cetera, ut ſupra.*

Abſolutio.

Dominus Jesus Christus, qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, *& cetera, ut ſupra.*

Abſolutio.

Dominus Jesus Christus, qui dignatus eſt Diſcipulis ſuis dicere: Quæcunque ligaveritis, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

Sequuntur commendationes animarum.

Hoc Tullenſis Eccleſiæ Manuale rurſus editum eſt anno MDLIX. ubi ritus idem Extremæ Unctionis retinetur.

Manuale Virdunenſis Eccleſiæ, quod anno MDLIV. juris publici factum eſt, eundem ritum deſcribit.

Modus adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum.

Sacramentum hoc ab infirmo requirendum eſt, & petendum, ſaltem a cuſtodientibus infirmum. *Et poſt alia:* Provideatur, qui deferat crucem, oleum ſanctum, aquam benedictam: præparentur ſtupæ ad detergendum uncturam, & tredecim candelæ. Deinde Sacerdos indutus ſuppellicio & ſtola, intrando domum infirmi, dicat: Pax huic domui, & omnibus babitantibus in ea. Pax ingredientibus, & regredientibus ab ea, & aſpergat domum aqua benedicta, dicendo: Aſperges me Domine, hyſſopo, & mundabor. Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contuliſti, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſi qua ſunt adverſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui, vel famulæ tuæ N. auctoritate majeſtatis tuæ pellantur. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & in hanc domum ſereno oculo tuæ pietatis illuſtratio deſcendat, & ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in bis manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum, & cum omni ſupplicatione rogemus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui humano generi, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Virtutum cæleſtium Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem, *& cetera, ut ſupra.*

Si infirmus habeat ſanum intellectum, & extrema hora non urgeat, eidem inſinuetur verbis Gallicis adminiſtratio ſacramenti in hunc modum. *Poſt iſta verba Gallica, ſequitur.*

Si autem infirmus voluerit confiteri, prout ſuggerendum eſt per Presbyterum, confiteatur; & ſi de morte proximiori dubitetur, & ultima hora urgeat, non dicantur pſalmi infra ſcripti, neque orationes, ſed ungatur infirmus, prout infra notatur; & ut in his continetur verſibus.

Si trahit ungendum dolor extremus ſine Pſalmis.

Hunc ungas citius, ut non moriatur inunctus. Si vero infirmus non urgeatur; tunc accenſo lumine, Presbyter interroget eum de credulitate fidei dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum? Reſpondeat infirmus: Credo. Presbyter: Credis quod iſtæ tres Perſonæ, quas modo diximus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres Perſonæ ſunt, & unus Deus? Reſpondeo: Credo. Credis quia & in ipſa carne, in qua nunc es, in ipſa habeas reſurgere in die judicii, & recipere ſive bo-

bonum, ſive malum quod geſſiſti? Credo. Vis dimittere omnibus, qui in te peccaverunt, Domino dicente: Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra? Reſp. Volo.

Oremus.

Da nobis, Domine, ut ſicut Publicani precibus & confeſſione placatus es, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Præveniat hunc famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Exaudi, Domine, preces noſtras, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam, qui, vel quæ, ab infeſta ſæculi tempeſtate demerſus, vel demerſa, flebili lamentatione ſuos accuſat exceſſus, ut fletus ac gemitus ejus pie ſuſcipias, eumque, vel eamque de tenebris ad lucem revoces, & medelam confitenti, ſalutem pœnitenti, ac vulnerato vel vulneratæ, auxilium ſanitatis indulgeas, ne ultra inimicus in ejus anima habeat poteſtatem, cujuſque confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatum, vel purificatam reſtitue, ac tuo altari repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſus, vel admiſſa, una nobiſcum nomini tuo ſancto gratias agere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hic incipiunt quæ pertinent ad unctionem.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Dominus locutus eſt Diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper ægtos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſal. Deus Deorum locutus es, *& cetera, ut in Pſalterio.*

Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens; qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, *& cetera, ut ſupra.*

Hic dicuntur quindecim Pſalmi ſequentes.

Ad Dominum cum tribularer, clamavi. Levavi oculos meos in montes. Lætatus ſum in his. Ad te levavi oculos meos. Niſi quia Dominus erat in nobis. Qui confidunt in Domino. In convertendo. Niſi Dominus ædificaverit domum. Beati omnes, qui timent. Sæpe expugnaverunt me. De profundis. Domine, non eſt exaltatum. Memento, Domine, David. Ecce quam bonum. Ecce nunc benedicite.

Oremus.

Deus, qui neminem vis perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti & vivere, qui ita percutis peccatores, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Sana, Domine, infirmum iſtum, vel infirmam iſtam, cujus oſſa turbata ſunt, & cujus ſpiritus turbatus eſt valde; ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, vel eam, & eripe animam ejus. Hic dicuntur ſeptem Pſalmi pœnitentiales. Domine, ne in furore, cum ceteris; ſed non dicitur letania. Quibus dictis, confiteatur infirmus, ſi opus ſit, & ſi petierit. Et poſtmodum ſequitur.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec deſit ab hoc famulo tuo, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, ut accuſantes conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvas, da indulgentiam reo, vel reæ, medicinam tribue vulnerato, vel vulneratæ, ut percepta remiſſione peccatorum omnium in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem miſericorditer erexiſti: Deus, qui leproſos, & aliis contagiis irretitos, judicio Sacerdotum mundari voluiſti, *& cetera, ut ſupra.*

Quibus dictis, Presbyter lotis manibus, & exterſis, locellum, ſeu vas in quo ſacrum reconditur oleum, reverenter aperiens, inde per inſtrumentulum vaſculi guttulas olei ſacri diſtillans in palma ſua ſiniſtra, diſpoſitus ad ungendum, primo faciat crucem in collo, in gutture, & in loco ubi dolor infirmi plus imminet, & priuſquam ungat, dicat hanc orationem.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei, *& cetera, ut ſupra.*

Deinde Presbyter pollice ſuo dextro ungat caput, videlicet in dextro tempore, non in ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice: poſtmodum tegumen ungat oculi dextri, ſignum crucis imprimendo, poſtea ſiniſtri: poſtmodum ambas aures ſimiliter ungat: deinde nares, videlicet in extremitate naſi; os autem ungatur ſubtus labium, poſtea ungat ambas ſcapulas, & dehinc pectus, ſemper ſignum crucis imprimendo; manus ſcilicet ungat ad intra: ſi tamen ungendus fuerit Presbyter, manus ambæ ungantur ad extra. Poſtremo vero pedes liniuntur deſuper: antequam autem perungatur, laventur pedes, & loca ubi debet apponi ſacra unctio, & in ſentilla, vel in papyro, præparentur ſtupæ ad tergendum dicta loca, & ungendo ad ſingulos ſenſus, Presbyter dicat:

Ad caput.

Ungo caput tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia iſta, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam, ſic inunxi te in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Inunxi te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti oleo ſancto atque ſacrato, ut per virtutem Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra unctio ſanitatem animæ & corporis, in remiſſionem omnium peccatorum in vitam æternam. Amen.

Oremus.

Inunxi te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quatenus per ejus operationem myſterii, & per hanc olei unctionem ſacram atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, vel medicata, ſive fotus, vel fota, priſtinam & melioratam recipere merearis ſanitatem. Amen.

Oremus.

Adeſto, quæſumus, Domine, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator adſiſte, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine Deus, Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Sana quoque, omnium medicator, ejus febrium & cunctorum languorum cruciatus *& cetera, ut ſupra.*

Benedicat te Deus cæli. Amen. Adjuvet te Chriſtus Filius Dei. Amen. *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater. Cuſtodiat te JESUS CHRISTUS. Illuminet te, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus criminum abſolutor, & indultor peccaminum, *& cetera, ut ſupra.*

Tunc legitur Evangelium beati Joannis, videlicet, In principio erat Verbum, *&c.*

Oremus.

Oremus.

Exaudi nos, omnipotens & miſericors Deus, & mittere digneris, *& cetera*, *ut ſupra*. Deinde Presbyter ſignando infirmum, vel infirmam ſigno crucis, dicat: A ſubitanea & improviſa morte, & a damnatione perpetua liberet te & nos, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

Manuale Metenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLII. editum eſt, eundem ritum præſtitit

Ordo pro unctione infirmorum.

Sacerdos in ingreſſu domus infirmi, dicat: Pax huic domui, & omnibus intrantibus, atque habitantibus in ea. deinde aſpergatur domus aqua benedicta, & dicatur hæc Ant. Benedic, Domine, domum iſtam, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Præſta, quæſumus, Domine, per hujus creaturæ aſperſionem, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Exaudi, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris, *& cetera*, *ut ſupra.*

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſi qua ſunt adverſa, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam vocati caritatis officiis viſitamus, gratiæ tuæ, largitate locupleta, ut in ejus proſperitate continua gaudeamus. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & humilitatis noſtræ officiis, gratiam tuæ viſitationis admitte, ut cujus adimus habitaculum, tu in ejus corde tibi facias manſionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Deus, qui in nobis famulis tuis præſentiæ tuæ ſigna manifeſtas, mitte ſuper nos Spiritum veritatis: & in adventu fratrum, conſervorumque noſtrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Præveniat hunc famulum tuum N. vel famulam tuam, quæſumus, Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates ejus, celeri indulgentia deleantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, *& cetera*, *ut ſupra.* Interrogetur infirmus ſi petat ſacramentum Extremæ Unctionis, & ſi in fide velit illud recipere. Reſpond. Volo. Et tunc dicantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales, quos ſequitur letania. Ea dicta, ſequitur oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad introitum, *& cetera*, *ut ſupra.*

Tunc Sacerdos det ei remiſſionem peccatorum ſuorum, dicendo. Sicut conſtat principali ſententia, quia in multis offendimus omnes, *& cetera*, *ut ſupra.*

Miſereatur tui omnipotens Deus, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Oremus Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, & cum omni ſupplicatione rogegemus, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui humano generi, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera*, *ut ſupra.*

Oremus.

Oremus.

Reſpice, Domine, famulum tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ, *& cetera ut ſupra.*

Oremus.

Virtutum cæleſtium Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui conditionem fragilitatis noſtræ, *& cetera, ut ſupra.*

Sequuntur inunctiones, ubi advertendum, quod ſi in infirmo tam grande mortis periculum immineret, quod Sacerdos non poſſet ante expirationem animæ perficere officium ſuum, tunc eo caſu poſſet Sacerdos, imminente tali neceſſitate, prius officium incipere ad unctiones, præmiſſis omnibus omiſſis.

Et primo ad caput.

Inungo caput tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia tua, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Nota ſi infirmus eſt Presbyter, ungantur manus exterius; ſi vero clericus ordinis inferioris, vel laïcus, interius.

Ungo has manus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Inunxi te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Inunxi te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, oleo ſancto atque ſacro, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Inunxi te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Adeſto, quæſumus, Domine, humilitatis noſtræ obſequiis, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Domine Deus, Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, *& cetera, ut ſupra.*

Hymnus.

Chriſte, cæleſtis medicina Patris,
Verus humanæ medicus ſalutis,
Pro fide plebis precibus potenter
Pande favorem.
En ob infirmos tibi ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
Ut pius morbo releves jacentes,
Quo quatiuntur.
Qui poteſtate manifeſtus exſtans,
Mox Petri ſocrum febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque ſalvas
Centurionis.
Corporum morbos, animamque ſana,
Vulnerum quaſſis adhibe medelam,
Ne ſine fractu cruciatus urat
Corpora noſtra.
Ferto languenti populo vigorem,
Efflue largam populo ſalutem,
Priſtinis more ſolito reſtaurans
Viribus ægros.
Jam Deus noſter, miſerante fletu,
Pro quibus te nunc petimus medere,
Ut tuam cunctis recubans medelam
Sentiat æger.
Omnis impulſus perimens recedat,
Omnis incurſus crucians liqueſcat,

Optatæ

Optatæ vigor foveat ſalutis
Membra dolentis.
Quo per illata mala, dum feruntur,
Eruditorum munere decori
Compotes intrent ſocietate
Regna polorum.
Gloria Patri, genitæque proli,
Et tibi compar utriuſque ſemper,
Nomini tuo deitate ſoli,
Sidera clament. Amen.

Oremus.

Deus, qui peccatores & ſcelerum onere vulneratos, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Oremus, propitietur Dominus, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Dominus JESUS CHRISTUS apud te ſit, *& cetera, ut ſupra.*
Benedicat te Deus Pater, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus cæli, adjuvet te Filius Dei, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te JESUS CHRISTUS, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Omnipotens Deus, criminum abſolutor, & indultor peccaminum, *& cetera, ut ſupra.*

Oremus.

Dominus JESUS CHRISTUS, qui dignatus eſt Diſcipulis ſuis dicere, *& cetera, ut ſupra.*

Abſolutio.

Precibus & meritis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum ſuorum miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua. præterita, præſentia, & futura, ſalvet & confirmet in omni opere bono, & perducat te in vitam æternam. Amen.

Indulgentia.

Veniam & indulgentiam omnium peccatorum tribuat tibi omnipotens, pius & miſericors Dominus. Amen.

Hic ritus conſervatur adhuc in Manuali, quod anno MDCV. *editum eſt, ubi præterea quædam de materia & forma hujus ſacramenti traduntur; hæc vero de forma:* Forma conſiſtit in verbis, quæ profert Sacerdos, & proferre debet, quando inungit infirmum, ſcilicet: Ungo oculos tuos, *&c.* ut infra habetur in agenda (*Manuali*) de ſingularum partium unctione.

Manuale Anicienſis Eccleſiæ, quod anno MDXXVII. editum eſt, hunc ritum ita deſcribit.

Ordo ad viſitandum infirmum.

Quando Sacerdos ingreditur domum. dicat: Pax huic domui. & omnibus habitantibus in ea. Benedic, Domine, domum iſtam, & omnes habitantes in ea, quia tu, Domine, dixiſti: Pax huic domui. Benedic, Domine, timentes te puſillis cum majoribus; benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram. Pſal. Ecce quam bonum. Hic aſpergatur aqua benedicta. Aſperges me, Domine. Pſal. Miſerere mei, Deus. Gloria.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare, *& cetera, ut ſupra. Poſt cinerum & cilicii benedictionem ſequitur:* Poſtea dicantur ſeptem Pſalmi pœnitentiales per Presbyteros.

Pſalmus.

Domine, ne in furore. *quo dicto, ſequitur* Miſere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Oſtende nobis, Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da ei.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis humanæ, *& cetera, ut ſupra.*

Pſal-

Pſalmus.

Beati quorum. *quo dicto, ſequitur*, Miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Ne memineris, Domine, iniquitatum nuſtrarum. ℟. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauper factus eſt nimis.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis infirmitatibus tuis, *& cetera, ut ſupra.*

Pſalmus.

Domine, ne in furore. *quo dicto, ſequitur*, Miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter. ℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis ſuis propter nomen tuum.

Oratio.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, *& cetera, ut ſupra.*

Pſalmus.

Miſerere mei, Deus. *quo dicto ſequitur*, Miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater ooſter. ℣. Salvum fac ſervum tuum, Domine. ℟. Deus meus ſperantem in te.

Oratio.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, *& cetera, ut ſupra.*

Pſalmus.

Domine, exaudi orationem meam. *quo dicto ſequitur*, Miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Sed libera. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tueatur eum.

Oratio.

Virtutum cæleſtium Deus, *& cetera, ut ſupra.*

Pſalmus.

De profundis clamavi ad te. *quo dicto ſequitur*, Miſerere ei, Domine. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne oos inducas. ℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudiois. ℟. A facie inimici.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus, *& cetera, ut ſupra.*

Pſalmus.

Domine, exaudi oratiooem meam, auribus percipe. *quo dicto ſequitur*, Miſerere ei, Domine, miſerere ei. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Ab occultis ſuis munda eum, Domine. ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Reſpice, Domine, famulum tuum N. in infirmitate corporis ſui laborantem, & animam reſove quam creaſti, ut caſtigationibus emundatus, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per, *&c.*

Quibus finitis, & unctiunibus completis, immediate dicitur ſequens letania. *qua dicta, & precibus ſolitis, ſequitur.*

Oratio.

Domine Deus noſter, qui per Apoſtolum tuum locutus es, dicens: Infirmatur quis in vobis, *& cetera, ut ſupra.*

Tunc languidus genua flectat, & hæc Antiphona cantetur a Sacerdote: Sana me, Domine; quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde; ſed tu, Domine, convertere, & eripe animam meam. Pſal. Domine, ne in furore. Gloria Patri. Sicut erat. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Converte, Domioe, uſquequo. ℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum.

Oratio.

Oremus Dominum noſtrum Jesum Christum, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Domious locutus eſt Diſcipulis ſuis, dicens, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, *& cetera, ut ſupra.* Ant. Cor contritum & humiliatum

tum ne deſpicias, Deus; ſed propter magnam miſericordiam tuam miſerere mei, Deus. Pſal. Miſerere mei, Deus. Gloria Patri. Ant. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. Pſal. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Gloria Patri. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣ Ab occultis ſuis munda eum, Domine. ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio, & cetera, ut ſupra.

Poſtea ungatur infirmus a Sacerdote dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam benigniſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum.

Maculæ, quæ per quinque corporis ſenſus, carnis fragilitati ullo modo inhæſerunt, hac medicina ſpirituali, & Domini miſericordia pellantur. Per, &c.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia iſta, *& cetera, ut ſupra.*

Ad guttur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis, ad munimentum, & ad defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum, quod ipſe præſtare dignetur. Per, *&c.*

Ad collum.

Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii; & Spiritus ſancti, ut more militis uncti, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio poſt unctionem.

Domine Jesu Christe, qui es ſalvatio & redemptio noſtra, qui es vera ſalus & medicina, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, *& cetera, ut ſupra.*

Alia oratio.

Majeſtatem tuam, Domine, deprecamur, ut huic famulo N. longo ſqualore pœnitentiæ macerato, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictio ſuper infirmum.

Dominus Jesus Christus apud te ſit, ut te defendat, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Adjuvet te Chriſtus Filius Dei, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater. Amen. Sanet te Dei Filius. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus, *& cetera, ut ſupra.*

Alia benedictio.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit. Amen, *& cetera, ut ſupra.*

Oratio.

Dominus Deus omnipotens, ſalvator & redemptor humani generis, qui Apoſtolis ſuis dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ipſe te abſolvere dignetur a cunctis peccatis & iniquitatibus tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante Domino, ſis abſolutus ante faciem illius. Qui vivis & regnas.

Alia oratio.

Dominus noſter Jesus Christus, qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcunque ligaveritis, *& cetera, ut ſupra.*

Hic ponat Sacerdos manum ſuper infirmum.

Oratio.

Reſpice, Domine, propitius ſuper hunc famulum tuum N. opemque ferre ei dignare, & ſuper lectum doloris ejus impone manum tuam in manu mea, & impera ægritudini, ne meam manum peccatoris ſpernat infirmitas, ſed invocationem tui nominis reatus effugiat, & hic famulus tuus langore depulſo ad ſanitatem perfectam exurgat, & repræſentetur Eccleſiæ tuæ, ut grates referat nomini tuo ſancto. Per, *&c.*

His finitis accipiat Sacerdos crucem, qui debet eſſe ante faciem infirmi quando inungitur, & dicat: Credis tu quod Dominus noſter Jesus Christus paſſus fuit mortem in ligno crucis pro redemptione humani generis? quo reſpondente, Credo, iterum interroget: Credis per illam ſanctam redemptionem ſalvus eſſe, & pervenire ad regna cælorum? infirmo reſpondente, Credo, dicat Sacerdos: In hac fide adora Dominum Jesum Christum in ſigno ſanctæ crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

In libro ſacerdotali, quem Albertus Caſtellanus, Ordinis Prædicatorum Theologus ſuperiori ſæculo compoſuit, reperitur ordo ad ungendum infirmum duplex; unus ſecundum Romanam curiam, & ſic ſe habet:

Sacerdos uncturus infirmum, accipiat oleum ſanctum; deinde ordinate procedat, dicendo Pſ. Miſerere mei. Cum autem perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans, dicat ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Deinde ſtans ante ægrotum, dicat ℣. Adjutorium noſtrnm in nomini Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me indignum, qui primum miſericordia tua indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ virtutis eſt, operare. Per Chriſtum, *&c.*

Oremus.

Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, caritas fructuoſa, ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum, adſint Angeli pacis, domum hanc deſerat effugata diſcordia: magnifica, Domine, ſuper nos nomen ſanctum tuum, & benedic noſtræ converſationi; ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio.

Oremus & deprecemur Dominum noſtrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua: avertat ab eis omnes contrarias poteſtates; eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. R. Amen. Deinde dicat hanc orationem:

Exaudi, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctus Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet. atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Et ponatur imago crucifixi ante oculos infirmi, ut eam poſſit reſpicere. Deinde in modum crucis aſpergat ægrotum aqua benedicta, & poſtea domum, dicendo Ant. Aſperges me, Domine, cum verſ. Miſerere mei. Deus. Gloria Patri. Sicut erat. Et repetitur Ant. Aſperges me, ut *ſupra*. Deinde immediate faciat ægrotus confeſſionem, & dicat Confiteor. quo dicto, Sacerdos dicat:

Dominus noſter Jesus Christus te abſolvat, & ego abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris, ſive minoris, ſuſpenſionis, vel interdicti, & ab omnibus peccatis tuis, & reſtituo te unitati & communioni ſanctæ matris Eccleſiæ abſolutum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Et tunc omnes clerici aſtantes, dicant legendo ſeptem Pſalmos pœnitentiales: dum autem Pſalmi dicuntur, vel cum dicti fuerint, Sacerdos, intincto pollice in oleo ſancto, dicat abſolute: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli, per impoſitionem manuum noſtrarum, immo per invocationem omnium ſanctorum Angelorum, Ar-

Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul ſanctorum. R. Amen. Quo dicto, faciat ſignum crucis de oleo ſancto in corpore ægri in ſeptem locis ſubſcriptis, ad unamquamque crucem propriam orationem dicendo.

Ad oculos.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum. R. Amen.

Miniſter vero tergat locum inunctum cum ſtupa, reponens eam in vaſe mundo, & ſic faciat poſt quamlibet unctionem.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per auditum. R. Amen.

Ad nares.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per odoratum. R. Amen.

Ad labia.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per guſtum & locutionem. R. Amen.

Ad manus.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per tactum. R. Amen.

Ad pedes.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid deliquiſti per greſſum. R. Amen.

Ad lumbos.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam parcat tibi Dominus quidquid lumborum delectatione deliquiſti. R Amen. Poſtea dicat Sacerdos:

Unxi te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te ſpiritus immundus & dolor, ſive inſanabilis languor, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in compaginibus membrorum tuorum; ſed virtus Chriſti altiſſimi in te corroboretur: quoniam ſicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam olei operatione, Omnipotentis virtute, ſic ſuo ſancto medicamine te unxi, quatenus per hujus myſterii operationem, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, atque refectus, priſtinam ac melioratam recipere merearis ſanitatem a Domino omnipotente, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. R. Amen.

Oremus.

Per iſtam ſanctam unctionem, & per Dei virtutem, & per myſterii noſtri benedictionem, ſanctificentur ab omni ſorde peccati manus & os, cor quoque ac ſenſus, viſus, auditus, guſtus, tactus, & odoratus, ac totum corpus tuum, & anima tua, & idoneus efficiaris ad invocandum atque ſanctificandum Deum, & benedicendum nomen ejus. Reddat tibi Dominus lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirmet te, & Spiritum ſanctum innovet in viſceribus tuis, & ne auferat illum a te; ſed benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, copioſaque ſuper caput tuum defluat, & in extrema tui corporis deſcendat, interius exteriuſque te repleat, atque circumdet, & ſit ſemper tecum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Sanet te Deus Pater omnipotens, qui te creavit. Sanet te JESUS CHRISTUS, qui pro te paſſus eſt in cruce. Sanet te Spiritus ſanctus, qui tibi in baptiſmo infuſus eſt. Sancta Trinitas unus Deus gratiam ſuam ad profectum ſalutis animæ & corporis in te augeat, ab omni malo te liberet, ac in bono jugiter conſervet. Qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. R. Amen. Quibus omnibus peractis, & a clericis Pſalmis & letaniis lectis, Sacerdos dicat, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. ℣. Pater noſter, ſub ſilentio. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat

Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum eleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei; cura, quæſumus, Redemptor noſter. gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata. atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius, exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. R. Amen.

Oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam infundendo corporibus, facturam multiplicici pietate cuſtodis, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut ſamulum tuum N. ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ, ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Oratio.

Dominus Jesus Christus apud te ſit, ut te defendat. Intra te ſit, ut te reficiat. Circa te ſit, ut te conſervet. Ante te ſit, ut te deducat. Poſt te ſit, ut te cuſtodiat. Super te ſit, ut te benedicat. Qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. R. Amen. Poſtea ſtupa projiciatur in ignem. His peractis omnibus revertantur in Eccleſiam, & crux remaneat coram infirmo.

Hic eſt Extremæ Unctionis ritus, qui ſuperiori ſæculo in Romana ſervabatur Eccleſia: huc illum referendum eſſe non abs re cenſui, ut noſtris in explicatam Traditionem obſervationibus conſtabit.

Alter ſecundum uſum Patriarchatus Venetiarum.

Sacerdos accedere volens ac ungendum infirmum, ſumpto ſuperpellicio & ſtola & libello, cum miniſtro ad infirmum accedat; & ibidem ſuperpellicio & ſtola paratus accedens ad lectum infirmi, dicat: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea, & aſpergat infirmum & thalamum & aſtantes aqua benedicta. quo facto, paucis verbis infirmum conſoletur, & hortetur ad habendam ſpem & fiduciam in Domino Deo, & poſtea dicat: Dominus vobiſcum.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, immenſam pietatem tuam humiliter imploramus; ut ad introitum humilitatis noſtræ in tuo nomine hunc famulum tuum N. in hoc habitaculo jacentem ſeſſum ſalutiſere viſitare digneris, ſicut viſitaſti Tobiam, Saram, ſocrum Petri, puerumque Centurionis, atque eum reſtituas priſtinæ ſanitati animæ & corporis, ut recepta ipſa priſtina ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actionem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen. Deinde Sacerdos intingens pollicem in oleo ſancto infirmorum, ungat caput infirmi in modum crucis, dicens:

Ungo caput tuum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis, *& cetera, ut ſupra.*

Ad oculos.

Ungo oculos tuos, *& cetera, ut ſupra.*

Ad aures.

Ungo has aures, *& cetera, ut ſupra.*

Ad nares.

Ungo has nares, *& cetera, ut ſupra.*

Ad labia.

Ungo labia iſta, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pectus.

Ungo pectus tuum, *& cetera, ut ſupra.*

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, *& cetera, ut ſupra.*

Ad manus.

Ungo has manus, *& cetera, ut ſupra.*

Ad pedes.

Ungo hos pedes, *& cetera, ut ſupra.*

Benedictio ſuper infirmum inunctum.

Benedictio Dei omnipotentis cum Angelis ſuis ſit ſuper te. R. Amen.

Benedictio Domini noſtri Jesu Christi *cum Apoſtolis ſuis ſit ſuper te. R. Amen.*

Bene-

Benedictio Spiritus ſancti cum ſeptem donis ſuis ſit ſuper te. R. Amen.

Benedictio ſancta Eccleſia Catholica cum filiis ſuis electis ſit ſuper te. R. Amen.

Benedictio ſancta Maria Virginis Matris Domini noſtri JESU CHRISTI *cum filiabus ſuis ſanctis ſit ſuper te. R. Amen.*

Benedictio ſancti Petri Principis Apoſtolorum & omnium Apoſtolorum ſit ſuper te. R. Amen.

Benedictio quatuor Evangeliſtarum Chriſti cum quatuor evangeliis & quatuor paſſionibus Chriſti ſit ſuper te. R. Amen.,

Benedictio ſancta Crucis Chriſti cum virtute Altiſſimi ſit ſuper te. R. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Adam per paſſionem Filii tui Domini noſtri JESU CHRISTI. *R. Amen.*

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Noe & filios ejus poſt diluvium. R. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Abraham propter fidem ſuam. R. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Moyſem per decem verba legis, qua dediſti ei in monte Synai. R. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti David propter ejus devotionem ad te, & propter fortitudinem manuum ſuarum. R. Amen.

Benedictio omnium gentium cæleſtium ſit ſuper te. R. Amen.

Fiant merita & orationes omnium Sanctorum tecum: in diebus & noctibus, in verbo & facto, in cogitatione, & omni tempore commendo te ſub poteſtate ſanctiſſima Trinitatis. R. Amen.

Illuminet faciem tuam ſuper te Dominus, & miſereatur tui. R. Amen.

Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. R. Amen.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem mentis & corporis. R. Amen.

Hac unctio per iſtud ſignum ſancta Crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum ſancti Spiritus fiat tibi ad ſanitatem, & ſempiternam ſalutem. R. Amen. Deinde dicat Sacerdos, Dominus vobiſcum. R. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine JESU CHRISTE, *qui es ſalvatio & redemptio noſtra, qui es vera ſalus & medicina*, & cetera, ut ſupra.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetua mortis vitam illius, & corroboret & ſanet in bonis omnibus deſiderium ipſius. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. R. Amen. Concede nobis, Domine, famulis tuis, ut orantes cum fiducia, dicamus, Pater noſter. Et ne nos inducas. Sed libera nos a malo. Libera nos, quaſumus, Domine, ab omni malo, & cuſtodi nos ſemper in omni opere bono, JESU CHRISTE. *auctor omnium bonorum.* Hactenus ex libro ſacerdotali, qui Venetiis anno MDLV. editus eſt.

Ceterum quæ ex ſuperiori libro ſacerdotali retulimus, hæc eadem extant in libro ſic inſcripto: *Sacerdotale Romanum ad conſuetudinem ſancta Romana Eccleſia, aliarumque Eccleſiarum, ex Apoſtolica bibliotheca ac ſanctorum, & jurium ſanctionibus, & eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis, ad optatum quorumcunque Sacerdotum commodum collectum, atque ſummorum Pontificum auctoritate multoties approbatum, ſumma nuper cura juxta S. Tridentini Concilii ſanctiones emendatum, & auctum. Venetiis apud Dominicum Nicolinum anno* MDLXXXV.

Ordo ad ungendum infirmum ſecundum Romanam Curiam, & cetera, ut ſupra.

Ordo ungendi infirmum ſecundum uſum Patriarchatus Venetiarum, & cetera, ut ſupra.

Verum hic præterire nequeo relatum ordinem ad ungendum infirmum, non modo in Patriarchatu Venetiarum, ſed etiam in aliis Italiæ locis, & Mediolani cum primis, obſervatum tradunt ſanctus Bonaventura, Petrus Paludanus, & alii e Schola Theologi. Sed quid Bonaventura & Paludanus præ ceteris doceant; quia id certo noſſe noſtræ traditionis intereſt, illorum teſtimonia refero.

Bonaventura, qui ad annum MCCLX. claruit, in lib. IV. ſent. diſt. XXIII. art. I. quæſt. IV. inter objectiones quas ſibi proponit: *Item omnia ſacramenta, qua habent formam, eandem debent habere per totam Eccleſiam Catholicam: quia variatio forma eſt variatio ſacramenti, & ſacramentum debet eſſe uniforme, ſicut fides & Eccleſia. Sed hoc ſacramentum non habet eandem formam; nam in Eccleſia Gregoriana eſt hac forma: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indul-*

indulgeat tibi Dominus quidquid oculorum vitio deliquiſti. *In Ambroſiana eſt hac: Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates.* In quæſtionis corpore ſic ſuam aperit mentem Bonaventura: *Forma per modum indicativum, non eſt de ſacramenti neceſſitate, ſed congruitate, & hac in aliquibus Eccleſiis habetur, ſed non in Romana, qua maxime vitat ea; qua poſſunt eſſe occaſio deviandi.*

Paludanus, qui ad annum MCCCXX. floruit, in lib. IV. ſent. diſt. XXIII. quæſt. I. *Si aliqua Eccleſia habeant ſolum formam indicativi modi, ſicut Ambroſianam tempore Ambroſii, ut dicitur, non eſt dicendum, quod nihil ſit actum, quia in ſacramento, ſuppoſitis his, qua ſunt de eſſentia, ſequitur ſemper aliquis effectus, & licet convenientior forma ſit deprecativa, non propter hoc ſacramentum eſt irritum, ſicut in baptiſmo Graci utuntur deprecativa: Baptizetur ſervus Chriſti*, &c. *ita & hic e converſo.* Et quibuſdam interpoſitis: *Et quia nulla eſt forma ab Eccleſia Romana reprobata, ideo qualibet Eccleſia debet tenere ritum ſuum, & ſicut in immerſione; una vel trina abſtergendo, vel immergendo debet fieri ſecundum conſuetudinem, ita & hic de forma.*

In his autem duobus ſcholaſticis facile conſpiciuntur ceteri æquales vel ſuppares, qui formam indicativam, eamque, ut vocant, Ambroſianam attigerunt: etenim vel alii in Bonaventuræ, vel alii in Paludani opinionem conceſſerunt.

Nunc reliquum eſt, ut de Germaniæ Traditione, quæ ad hanc epocham pertinet, nonnihil dicamus. Occurrunt Albertus magnus & Joannes Ekius, qui hujus rei monimenta ſuppeditent. Primus, qui ad annum MCCL. eminuit, in libro IV. ſent. diſt. XXIII. art. IV. quæſtiuncula II. num. XXX. *Adhuc multa Eccleſia habent pro forma orationem indicativam, ſicut tota Eccleſia Alemania, & dicitur eſſe Gregorianum illud.* Infra num. XL. *Conſtat mihi, quod antiquiſſimi libri in illis terris habent indicativam orationem pro forma, & poſtea ſubjungitur oratio, & hac ſunt verba ſcripta in libris antiquiſſimis, quos pra antiquitate vix legere valebam: Ungo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et poſtea ſequitur: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum. Et ſimiliter ſcriptum erat ad manus & ad pedes & ad omnia & cetera loca unctionis. In contrarium autem hujus objicitur uſus aliarum Eccleſiarum, qua habent tantum deprecationem illam: Per iſtam unctionem*, &c. *vel per iſtam ſuaviſſimam unctionem*, &c. Hæc ille.

Alter, qui ad annum MDXXV. enituit, in homilia LIV. de Extrema Unctione. *Sed qua ſit*, inquit, *hujus orationis forma, quaret forſan aliquis. Sane ea triplex eſt: prima Gregoriana, ſive Romana, deprecativa eſt in hunc modum: Per hanc unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam dimittat tibi Dominus quidquid peccaſti per illicitum viſum*, &c. *Altera forma abſolute eſt indicativa, & dicitur Ambroſiana, quod ea uſus ſit Ambroſius, & ſic habet, cum ait Sacerdos: Ungo oculos tuos oleo iſto ſancto. Tertia porro formula ex utraque compoſita eſt, ubi video Albertum magnum affirmare pleraſque Eccleſias obſervare formam illam indicativam, puta omnes Eccleſias ſuperioris Germania. Mihi quoque conſtat, antiquiſſimos libros iſtius provincia (arbitror eum loqui de Gallia vel Germania inferiori) habere hanc formam verborum, & erant ſane libri adeo vetuſti, ut vix dimidiam partem liceret legere. Ex horum verborum admiratione conquiſivi vetuſtos hujus civitatis* (Ingolſtadii) *libros. Vidi quoque in antiquiſſimis iſtud quod habet Albertus circa formam hujus ſacramenti ſic obſervatum: Ungo oculos tuos oleo iſto ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid peccaſti per viſum illicitum emundetur, & dimittatur per unctionem. Porro cum viderem libros etiam recens impreſſos, inveni utramque formam, ſic connexam: Ungo oculos tuos oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid viſu illicito peccaſti, dimittatur per hujus olei unctionem, idque per Dominum noſtrum. Ibi in medio impreſſum eſt: Verba ſubſtantialia: Per iſtam ſanctiſſimam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam dimittat tibi Dominus quidquid peccaſti viſu oculorum tuorum. Per Chriſtum Dominum. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo. Eſt quidem variatio pro diverſis diœceſibus, ſed ſuſtantialia omnia conveniunt; & tamen firmiter credendum eſt, quod ubicunque forma Ambroſiana uſurpatur, etiam ibi conferatur ſacramentum, quia & in aliis ſacramentis forma abſolute indicativa uſurpatur.* Et quibuſdam interpoſitis: *Scio Thomam & Bonaventuram ambos Sanctos contrarium ſentire, ideoque Concilium ſanctum, ut ait Petrus de Palude, decrevit, ritum Ambroſianum in ſua diœceſi Mediolanenſi obſervari debere ob memoriam*

moriam & honorem tam ſanctè viri. Et poſt alia: *Rectius tamen facit miniſter, minuſque dubitationis committit utens forma illa deprecativa, quam docuit Petrus, & Gregorius in omnibus Eccleſiis præcepit obſervari, ſicque connectit utramque. Nam tunc nihil dubitationis reliquum erit Chriſtianis, eo quod Jacobus orationem vocat. Ambigere autem quis poſſit, cum altera forma ſit abſolute & ſimpliciter indicativa, altera deprecativa: ſi quis pronuntiet ambas, quod tunc temporis conficeret ſacramentum in unica materia. Reſpondent ad hos Doctores, quod cum utraque forma uſurpatur, tunc ſola illa deprecativa ſit ſubſtantialis in ſacramento; altera autem indicativa præparativa tantum ad ſacramentum*, & cetera. *Sequitur inde ut Sacerdos adminiſtrans hoc ſacramentum, ſit providus in hoc, ne intentionem ſacramentalem dirigat ad formam priorem, ſed poſteriorem. Unde prudenter cautum eſt in diœceſi Eichſtetenſi, ut intentionem ſuam habeat ad verba poſtrema tanquam ad formam ſubſtantialem.*

Ad duos e Germania Theologos, accedit pro Polonia Hoſius Varmienſis Epiſcopus, qui in confeſſione fidei ſynodice habita Petricoviæ anno MDLI. hæc tradit cap. XLIX. de Extrema Unctione. *Forma ejus. Verbum eſt oratio fidei, quam Presbyter ungendo dicit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, adjunctis piis & ſuccinctis precationibus, ab Ambroſio & Gregorio compoſitis, ut per hujus olei unctionem expietur quidquid illicito viſu & ceteris ſenſibus ægrotus deliquit cum imprecatione pacis.* Utramque formam Hoſius complectitur, deprecativam & indicativam, quæ tunc Gregorio & Ambroſio tribuebatur, & in Ritualibus libris extabat.

CAPUT II.

HACTENUS ex variis Eccleſiarum & ſcriptorum libris ea retuli, quæ capitis lemmati reſpondere mihi viſa ſunt. Nunc tempus eſt, ut nonnullas in explicatam Traditionem obſervationes adornem, & eas accommodem ad vera Theologiæ principia, quæ Scholaſticorum nemo repudiare poſſit.

OBSERVATIO I.

Plures ritus Extremæ Unctionis priſcos juxta ac recentiores deſcribendi neceſſitas.

CUR tot veteres ac recentiores Extremæ Unctionis ritus deſcripſerim, quot deſcripſi, tria potiſſimum fecerunt. Unum eſt Theologicæ veritatis hiſtoria, quæ ſine pluribus rei geſtæ monimentis confici non poteſt: quare omnem quem referre potui ritum Unctionis extremæ retuli, ne quid in hujus ſacramenti formæ intelligentia notabile deſideraretur, aut ſi quid deſideraretur, id facilis & certa ſuppleret conjectio. Alterum Traditio, primum a Scripturis Theologiæ principium, quæ conſtare debet. Non conſtabit autem, niſi, quæ omni retro tempore geſta ſunt in Eccleſiis, recognoſcantur. Id certe dum negligitur, ab aliquibus Traditioni nonnunquam tribuitur, quod negandum, & negatur quod tribuendum eſt: qua in re Theologica periclitatur veritas, & ignorato diſputandi principio, incertæ res vel falſæ proponuntur. Tertium ſumma priſcos & recentiores Unctionis extremæ ritus inveniendi difficultas. Quos enim omnes deſcripſi ritus, paſſim inveniri poſſe, eſſe hominem, qui conſiderata re dixerit, arbitror neminem. Ergo Theologi meum habent in promptu expeditum, & ſuis abſolutum muneris principium, quo ſua placita probent, & ad Eccleſiaſticæ Traditionis normam componant. Porro autem ſi quis tot ſimilium rituum lectione fatigari ſe ſentiat, eos poterit in præteritis relinquere.

OBSERVATIO II.

Extremæ Unctionis ſacramenti partes ſunt duæ, unctio & oratio, quæ in prima Eccleſiæ Traditione non ſignificat unctionis applicationem.

EX iis, quæ cap. I. a primis Eccleſiæ ſæculis ad exceſſum uſque Gregorii Papæ I. recenſui, duo aperte colliguntur; & quod ſacramenti Extremæ Unctionis partes ſint duæ, unctio, quæ, ut ſcholæ verbis utar, materia, & oratio, quæ formæ loco defungitur; & quod illa oratio non ſignificet unctionis applicationem. Primum ex iis duobus Scripturæ ſatis convenit, in qua quid in hoc Sacramento faciendum ſit, exprimitur: *Presbyteri orent ſuper infirmum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Secundum habetur ex Sacramentorum libro, quem

Gri-

Grimoldus Abbas olim correxit. In eo traduntur orationes numero ſex, quarum nulla denotat unctionem. Fiebat quidem unctio, ſed fuſis ſuper infirmum orationibus tunc non deſignabatur. Verum licet non deſignaretur, in uſu tamen erat, nec uti dubitetur, ſcribens ad Decentium Innocentius permittit. De oleo enim, quo Fideles unguntur infirmi, perinde loquitur, atque de re, quæ Romana conſuetudine & diſciplina corroboratur. Certum igitur eſt, & unctos fuiſſe Fideles infirmos, & fuſas ſuper eos orationes, quibus a Deo petitur, quod beatus Jacobus petendum eſſe ſignificat. Ex ipſis orationibus res ipſa conſtat; ſed utrum a Presbyteris infirmi ſimul ungebantur & orabatur, vel primum ungebantur, deinde orabatur, vel primum orabatur, deinde ungebantur, neque ex Apoſtolo, neque ex Innocentio, neque ex Gregorio ſacræ inſtitutionis & Traditionis teſtibus ſciri poteſt. Sed hujus ordinis cognitio parum refert. Quæ in ſacramentis adminiſtrandis faciebant antiqui Patres, ad Metaphyſicorum regulas non expendebant: prudentes quippe viri arbitrabantur ſatis eſſe, ſi in eadem infirmi viſitatione fieret unctio, & ad Deum pro eo preces funderentur; quod beatus Jacobus in epiſtola ſua præſcribit.

Observatio III.

Temporis progreſſu Gregorianis orationibus inſerta eſt applicati ad caput olei mentio.

Qui librum Sacramentorum Gregorii, prout a Grimoldo Abbate priſtino nitori redditus eſt, cum eodem prout Romæ & Pariſiis editus, contendet, id quod monemus obſervandum eſſe, nullo negotio aſſequetur. Nam liber Sacramentorum apud Grimoldum caret applicati ad caput olei mentione, quæ in eodem Sacramentorum libro Romanis & Pariſienſibus typis vulgato reperitur. Porro verba, quibus ſignificatur linitum oleo caput, medium occupant locum inter eas orationes, quæ in libro Sacramentorum apud Grimoldum habentur; etenim poſt tres primas orationes proxime ſubjicitur: *Poſtea faciat ſignum crucis in capite de oleo benedicto, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit ſibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis. Alia oratio ad viſitandum infirmum. Inungo te oleo ſancto*, & cetera, quæ capite II. legi poſſunt. Hæc ſiquis adverſus Grimoldum probaret a Gregorio poſita eſſe in libro Sacramentorum, non ab aliis poſt Gregorium adjecta, ei nullatenus repugnarem. Sed iſtud quo unquam pacto probaretur? Duplex eſt tantum iſtud probandi ratio, vel per antiqua exemplaria, quæ ante Gregorii obitum manu exarata eſſent, vel per auctores æquales Gregorii aut ſuppares, qui a Gregorio factum id quod quærimus, memoriæ prodidiſſent; ſed deſunt auctores illi, nec facile recuperari poteſt exemplar tale, quale neceſſarium foret. Adhibenda fides eſt Grimoldo, qui pluribus, ut par eſt credere, collatis inter ſe exemplaribus, quæ Gregorii eſſent, & quæ non eſſent, notavit. In his rebus poſtquam de facto conſtat, inanes ſunt conjecturæ, quibus quod non eſt factum, tanquam factum, vel quod eſt factum, tanquam non factum probetur & aſſeratur.

Observatio IV.

A tempore Gregorii ad annum DCCCXL. *accepto a majoribus Extremæ Unctionis ritui ſuccreverunt orationes, quibus modo una, modo plures corporis partes uncta deſignantur.*

Etsi tantiſper aliena ſint a ſcopo, quæ in vita ſancti Eugendi produntur de unctione pectoris, ea tamen certa de cauſa prætermittere non poſſum; ſic autem ſeſe habent: *Cum ultra ſexagenariam ætatem ſex fere menſibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, ſic tamen, quod nunquam canonico uſque ad horam defuiſſet Curſui, nec bis in die feſſo corpuſculo, coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, perungi.*

Hæc de Eugendo Abbate, qui * circa tempus Gregorii Papæ vixit in Lugdunenſi territorio. Ex his verbis colligitur primo certam eſſe de nomine corporis infirmi partem, quæ ungeretur; deinde receptum eſſe morem, quo pars illa ſcilicet pectus ungeretur; ſed utrum mos iſte longe lateque obtineret, incompertum eſt. In aucto Gregorii Sacramentario, alia pars corporis nominatur caput quod ungatur. In pontificali Bibliothecæ Tilianæ libro nominantur caput, oculi, aures, nares, guttur, pectus, ſcapulæ, manus, pedes, locus qui magis dolet, omnes compages membrorum. In Sacramen-

* Teſte Mabillonio, ut jam adnotatum eſt, attingere potuit annum Chriſti propè 510.

mentario una eſt capitis unctio, cum brevi oratione, qua purgatio mentis & corporis a Deo poſtulatur. Huic quidem ſubjungitur eadem oratio, quæ in Pontificali dicitur inter ungendas omnes compages membrorum; ſed ut ungantur, nullo indice notatur. Hic vero pontificalis liber tot habet orationes, quot ungendæ corporis partes in eo præſcribuntur. Ceterum eas orationes, quibus unctæ partes deſignantur, antiquioribus Extremæ Unctionis ritibus adjectas eſſe in hac epocha, certum mihi videtur. Atque, ut alia præteream, quæ jam obſervavimus, id mutua Sacramentarii, & pontificalis libri contentio demonſtrat. Etenim præter orationem, quæ inter ungendum caput legitur in Sacramentario, aliæ in Pontificali ſunt plures, quæ in unctionibus reliquarum corporis partium fiunt. Has autem orationes antiquioribus Extremæ Unctionis ritibus ſuccreviſſe; quis iret inficias? aut omni retro ætate factas eſſe per Eccleſiaſticæ Traditionis monimenta, quæ ad priſtinam diſciplinam pertinerent, oppido confirmaret?

Observatio V.

Verba illa, in quibus forma Extremæ Unctionis indicativa conſiſtere dicitur a Scholaſticis, huic ætati debetur.

NON eſt una omnibus & ſingulis ſcribendi methodus, neque eadem eandem rem expiſcandi ratio. Sacramentum Extremæ Unctionis habere pro forma orationem indicativam, vel orationem deprecativam, aut ſimpliciter habere formam deprecativam, vel formam indicativam, certus loquendi modus eſt, qui ortum trahit a Scholaſticis. Id ſine dubio contigit, cum olim inciderunt in pontificales libros, eamque replicarunt partem, in qua præſcriberetur ordo ad viſitandum, ſeu ungendum infirmum; tunc ex iſtis verbis; *Ungo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris*, &c. orationem ſeu formam indicativam; ex his vero: *Per ſuam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*; orationem ſeu formam deprecativam fecerunt. Quadringentis circiter abhinc annis ita frequens eſt apud Scholaſticos hic loquendi modus, ut nihil poſſit eſſe frequentius. Hæc autem indicativa forma eo temporis ſpatio, quod capite ſecundo explicatæ Traditionis decurritur, jam tum primum innotuit. Neque enim in Gregorii Sacramentorum libro, quem natalibus ſuis Grimoldus Abbas reſtituit, comparet, neque in ullo ullius vetuſtioris Eccleſiaſtici tractatoris commentario reperitur. Verum quis auctor hanc indicativam formam in Gregorianum librum, & alios ſacrorum rituum codices induxerit, hactenus explorata res non eſt.

Observatio VI.

Quam Scholaſtici formam vocant indicativam, ea ſola comparet in decurſu Traditionis, quæ cap. III. explicata eſt.

CAP. III. Unctionis extremæ ritum produxi ex tribus pontificalibus libris, qui quidquid eſt hoc in Sacramento diſciplinæ ab anno DCCCXL. uſque ad annum M. ſervatum in Eccleſia, viſi ſunt repræſentare. Ex illis autem primo ponitur Gregorianus Sacramentorum liber, prout non ita pridem ex MS. Miſſali ſancti Eligii editus eſt; deinde alii, in quibus ea tantum habetur formà, quam Scholæ Doctores indicativam appellant. Sed inter eos libros id intercedit diſcriminis, quod Gregorii Sacramentorum liber unam ſolum exhibet indicativam orationem, quæ ab uno a Sacerdotibus dicitur, dum ungitur infirmus in collo, in gutture, inter ſcapulas, in pectore, ſeu in loco ubi dolor urget acrius: in aliis vero libris tot ſunt orationes indicativæ, quot partes unguntur. Ceterum mihi non occurrunt ulli manu exarati vel editi codices, qui in hac epocha orationem contineant deprecativam. Si qui tamen occurrerent, in eadem continuo deſcribendi eſſent, & ab iis ſumendum illius orationis initium.

Observatio VII.

Non idem ubique in unctione infirmi, & in oratione inter ungendum dicta, mores.

UT in ſecunda, ita & in tertia epocha varios fuiſſe Extremæ Unctionis mores apparet: qui epocha ſecunda contigerint, jam notati ſunt obſervatione quarta: ad tertiam epocham quod attinet, imprimis quæ Eccleſiæ relato Gregorii Sacra-

mentorum libro utebantur, quinque tantum corporis partes ungebant, collum, guttur, inter ſcapulas, pectus, locum majori dolore laborantem. Quæ vero aliis Pontificalibus utebantur, octo corporis partes ungebant, oculos, aures, nares, labia, pectus, ſcapulas, manus, pedes; vel caput, oculos, aures, nares, labia, ſcapulas, manus, pedes: partes quidem ſunt octo corporis, ſed non eædem utrobique; in uno Pontificali pectus præſcribitur, non caput; in altero caput, non pectus. Deinde non ſunt eædem orationes indicativæ, quæ inter ungendas illas partes dicuntur. In Sacramentario Gregorii eſt una tantum oratio, quam dum quinque memoratæ corporis partes unguntur, unus e Sacerdotibus pronuntiat, & qua nulla uncta pars deſignatur. In aliis Pontificalibus ſingulæ ſingulis partibus orationes reſpondent, & ſingulæ ſingulis orationibus partes denotantur. Tum demum in Sacramentario Gregorii eſt una oratio, qua Sacerdos infirmum ungere ſe dicit; ſed nulla corporis infirmi pars appellatur. In aliis Pontificalibus, præter illam orationem, quæ exſtat in Sacramentario, ſunt aliæ, quibus unctus æger, ſed nulla illius corporis pars uncta nominatur.

Observatio VIII.

In confinio tertiæ epochæ, vel circa initium quartæ, fundamenta jaciuntur orationis deprecativæ.

Huic obſervationi eum titulum impingimus, cum facile non ſit animadvertere, utrum ante annum milleſimum, vel aliquanto poſt, confectus ſit pontificalis Monaſterii ſancti Remigii liber, quo finem epochæ tertiæ concluſimus. In eo igitur libro eſt quædam oratio deprecativa, quæ variis deinceps orationibus in deprecationem componendis inſervivit. Illa ſic ſe habet: *Per iſtam unctionem Dei, & per miniſterium noſtrum, & Dei benedictionem mundentur & ſanctificentur ab omni ſorde & contagione peccati caput tuum & ſenſus tui, viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus, ut quidquid in humeris, vel in manibus, aut pedibus, ſive toto corpore, cogitatione, locutione, & opere peccaſti, miſericordia Salvatoris noſtri expietur.* Hæc autem oratio, quæ diverſas corporis partes una ſerie, & per averſionem complectitur, nec eas ſimul tangendo dicitur a Presbyteris, diviſa eſt in plures, quæ dum unaquæque pars tangitur, ab iiſdem Presbyteris dicuntur, cujuſmodi videre eſt in pontificali Laudunenſis Eccleſiæ libro, quem cap. IV. inter explicandam Extremæ Unctionis ritus traditionem laudavi. Hoc idcirco notandum eſſe duxi, ne quod obſervatione ſexta de indicativa forma monui, videretur octavæ huic adverſari. Quæ enim in codice ſancti Remigii oratio deprecativa dicitur, ut forma Sacramenti non dicitur, cum ut forma Sacramenti dicitur, cum partes corporis oleo tanguntur, dici debeat. Hæc autem dicitur, peractis unctionibus & orationibus indicativis, quæ ſingulis partibus unctis reſpondent. Hic ad morem Scholæ loquor, quo commodius intelligi poſſim.

Observatio IX.

Ab anno milleſimo ad annum milleſimum ducenteſimum, frequentior eſt in Eccleſiis indicativæ, quam deprecativæ formæ uſus.

Inter alia, quæ quarto explicatæ per annos abhinc ſexcentos traditionis capite retulimus, duo ſunt, quibus obſervationis iſtius argumentum facile comprobatur. Et primum quidem e tribus manuſcriptis codicibus quos citavimus, duo formam indicativam proponunt; unus vero tantum deprecativam. Deinde ſuccedit Albertus Magnus ſcribens, multas Eccleſias habere pro forma orationem, quæ indicandi modo exprimitur, & univerſam cum primis Germaniæ Eccleſiam. Ceterum hic auctor, qui & Germanus fuit Epiſcopus, & ad annum MCCXL. floruit, diſerte aſſerit vetuſtiſſimos fuiſſe libros, in quibus indicativa forma continebatur. Hoc autem cum ita ſit, non dubito, quin ii libri annum milleſimum ducenteſimum antecederent, & ab Eccleſiis in uſum atque auctoritatem vindicarentur. His duobus accedit, quod forma, ſeu oratio deprecativa, quæ unctionis applicationem objiceret, in locum indicativæ tam cito ſubſtitui non potuerit.

OBSERVATIO X.

Forma ſeu oratio deprecativa indicativæ primum ſubjecta eſt in pontificalibus, ſeu ritualibus libris.

MULTA ſunt, quæ formam ſeu orationem deprecativam, cum primum ab auctoribus ſuis compoſita eſt, indicativæ ſubjectam eſſe in ritualibus libris confirment. Imprimis ille Monaſterii ſancti Remigii codex, de quo præcipuum ſermonem inſtitui Obſervatione octava: ſiquidem ibi deprehendimus incunabula formæ, ſeu orationis deprecativæ quæ formæ, ſeu orationi indicativæ poſtponitur. Deinde Albertus Magnus ita ſcribens loco citato cap. IV. *Conſtat mihi, quod antiquiſſimi libri in illis terris habent indicativam orationem pro forma. & poſtea ſubjungitur: Et hæc ſunt verba ſcripta in libris antiquiſſimis: Ungo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. & poſtea ſequitur: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum. & ſimiliter ſcriptum erat ad manus, & ad pedes, & ad omnia & cetera loca unctionis.* Quibus ex verbis colligitur, antiquiſſimos fuiſſe codices, in quibus forma deprecativa indicativæ ſubjiceretur, & in forma deprecativa tot extitiſſe orationes, quot partes corporis ungerentur. Quæ primum fuit unica deprecatio plures corporis partes complexa, ævi progreſſione in plures, quæ pluribus corporis partibus reſponderet, multiplicata eſt. Tum ſanctus Thomas, quæſt. XXIX. art. VIII. ubi hoc ita ſibi objicit: *In quibuſdam Eccleſiis dicuntur hæc verba in collatione hujus Sacramenti: Ungo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris, &c. & hoc eſt conforme aliis formis Sacramentorum: ergo videtur, quod in hoc conſiſtit forma hujus Sacramenti.* Sic autem reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod verba illa indicativi modi, quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed ſunt diſpoſitio ad formam, in quantum intentio miniſtri determinatur ad actum illum per illa verba.* Ex iis apparet ævo beati Thomæ Pontificales fuiſſe libros, qui formam deprecativam & indicativam ita repræſentarent, ut hæc illi præponeretur. Denique Joannes Ekius, qui ſuperiori ſæculo vixit, teſtatur ſua ætate fuiſſe plures Rituum libros, in quibus utraque forma eodem modo exhiberetur. Ekii verba ſunt: *Ambigere autem quis poſſet, cum altera forma ſit abſolute & ſimpliciter indicativa, altera deprecativa, ſiquis pronuntiet ambas, quod tunc temporis conficeret Sacramentum in unica materia? Reſpondent ad hoc Doctores, quod cum utraque forma uſurpatur, tunc ſola illa deprecativa ſit ſubſtantialis in Sacramento; altera autem indicativa præparatoria tantum ad Sacramentum.* Doctores, qui ſic reſpondent, ſunt beatus Thomas, & cum eo plerique alii, qui non unam tantum deprecativam formam, ſed indicativam ſimul & deprecativam in pontificalibus Eccleſiarum libris offenderunt. Sic ergo deprecativa forma primum ſubjuncta eſt indicativæ, & diu poſtea multumque perſeveravit in uſu plurium Eccleſiarum. Utrum autem recta ſit ea ſuper re Thomæ & aliorum ratiocinatio, alibi videbitur commodius.

OBSERVATIO XI.

Ab anno MCC. *uſque ad ſæculum, quod excurrit, frequentior eſſe cœpit deprecativæ uſus, quam indicativæ formæ.*

DUO ſunt, ex quibus id quod proponimus, facile probetur. Imprimis indicativa forma deſiit in pontificalibus libris retineri, & ſola in iis deprecativa transſcribi; quemadmodum in Pontificali Laudunenſis Eccleſiæ factum vidimus cap. IV. Ad hoc Pontificale accedunt rituales plurium Eccleſiarum libri, qui e paribus cum Laudunenſi manuſcriptis ſuperiori ſæculo prodierunt in lucem, & typis mandati ſunt, quales in meas manus inciderunt. Ex prima Lugdunenſi, Æduenſis ann. MDXXIII. Lingonenſis ann. MDLXXIII. Ex ſecunda Lugdunenſi, Rotomagenſis ann. MDXL. Conſtantienſis ann. MCCCCXCIV. Lexovienſis ann. MDVII. Sagienſis ann. MDXV. Ebroicenſis ann. MDXXI. Abrincenſis ann. MDXXXIX. Ex tertia Lugdunenſi, Turonenſis ann. MDLXX. Andegavenſis ann. MDLXXX. Nannetenſis ann. MDLX. Redonenſis ann. MDLVII. Cenomanenſis ann. MDXL. Ex quarta Lugdunenſi, Senonenſis ann. MDLV. Carnotenſis ann. MCCCCLXXXIX. Autiſiodorenſis ann. MDXXXIX. Aurelianenſis ann. MDLXXX. Pariſienſis ann. MDIV. Meldenſis ann. MDXLVI. Nivernenſis ann. MDLXXXII. Ex Belgica ſecunda, Remenſis ann. MDIV. Catalaunenſis ann.

MDLXIX. Noviomenſis ann. MDLX. Bellovacenſis ann. MDXLIV. Silvanectenſis ann. MDXXVI. Laudunenſis ann. MDXXXVIII. Ex provincia maxima Sequanorum, Bellicenſis ann. MDLVII. Ex Aquitanica prima, Bituricenſis ann. MDLXIX. Claromontenſis ann. MDXVIII. Albienſis ann. MDLIII. Lemovicenſis ann. MDLV. Mimatenſis ann. MUXXX. Ex Aquitanica ſecunda, Burdegalenſis ann. MDLXI. Pictavienſis ann. MDLXXXIX. Engoliſmenſis ann. MDLXXXII. Petragoricenſis ann. MDIX. Ex Narbonenſi prima, Narbonenſis ann. MDXLV. Toloſenſis ann. MDXXXVIII. Nemauſenſis ann. MDXXXIII. Uticenſis ann. MD. Magalonenſis ann. MDXXXIII. Ex Narbonenſi ſecunda, Aquenſis ann. MDLXXVII. Ex provincia Salisburgenſi, Salisburgenſis ann. MDLXXXII. Deinde ſcholaſtici Scriptores id ipſum non obſcure teſtantur. Albertus in IV. ſent. diſt. XXIII. art. IV. quæſtiuncula II. num. XL. *In contrarium*, inquit, *hujus* (ſormæ indicativæ) *objicitur uſus aliarum* (ab Germanicis) *Eccleſiarum, quæ habent tantum deprecationem illam: Per iſtam unctionem*, &c. *vel: Per iſtam ſuaviſſimam unctionem*, &c. Sanctus Thomas quæſt. XXIX. art. VIII. *Sed contra eſt: Illud quod eſt forma ſacramenti ab omnibus oportet quod ſervetur. Sed verba prædicta* (Ungo hos oculos, &c.) *non dicuntur ſecundum conſuetudinem omnium Eccleſiarum, ſed tantum verba deprecativa, ſcilicet: Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, &c. Michael Lochmaierus Juris Theologiæque Doctor, cap. IX. Parochialis Curatorum: *Forma Extremæ Unctionis eſt ſecundum Doctores in* IV. *oratio deprecativa, quam inſtituit Gregorius, videlicet, Per iſtam unctionem, & piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum*, &c. *Alia eſt forma, quam dicitur inſtituiſſe Ambroſius, qua eſt indicativa, ſcilicet, Ungo oculos iſtos oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & hæc forma eſt de bene eſſe, & non de neceſſitate Sacramenti. Unde nec uſus ejus eſt generalis, ſed tantum apud quaſdam Eccleſias.* Hæc ille, qui ad annum MD. floruit.

OBSERVATIO XII.

Superioris obſervationis cauſæ declarantur.

SUPERIORIS Obſervationis, qua ſormæ indicativæ vices expoſui, cauſas fuiſſe tres potiſſimum comperio. Prima, locus e cap. v. epiſtolæ Jacobi: *Siquis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* At plerique Scholarum Magiſtri, qui per memoratum tempus res ſacras tractarunt, in ea fuere ſententia, ut crediderint, formam, quæ indicandi modo exprimitur, eam, cujus meminit Apoſtolus, orationem eſſe non poſſe. Altera uſus Eccleſiæ Romanæ, quam ſic atteſtantur Doctores. Sanctus Bonaventura in IV. ſent. diſt. XXIII. art. I. quæſt. IV. *Forma*, inquit, *per modum indicativum non eſt de Sacramenti neceſſitate, ſed congruitate: & hac in aliquibus Eccleſiis habetur; ſed non in Romana, quæ maxime vitat ea, quæ poſſunt eſſe occaſio deviandi.* Sanctus Thomas utramque cauſam unica oratione complectitur quæſt. XXIX. art. VIII. *Reſpondeo dicendum, quod forma hujus ſacramenti eſt oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex uſu Romanæ Eccleſiæ, quæ ſolum verbis deprecativis utitur in collatione hujus ſacramenti.* Joannes Ekius homilia LIV. de Extrema Unctione: *Rectius tamen facit miniſter, minuſque dubitationis committit, utens forma illa Romana deprecativa, quam docuit Petrus & Gregorius in omnibus Eccleſiis pracepit obſervari.* Joannes Coletus Officialis Trecenſis, in Commentariis ſuper ſtatuta ſynodalia Trecenſis Eccleſiæ: *Forma hujus Sacramenti* (loquitur de Extrema Unctione) *eſt deprecativa, quam inſtituit Gregorius, quæ talis eſt: Per iſtam ſanctam unctionem*, &c. Tertia, Eugenii IV. decretum pro unione Armenorum: quod ſub initium ſuperioris ſæculi prælo mandatum, & pro Florentini Concilii decreto habitum multis cauſa fuit, cur ſublata ſit indicativa forma, & retenta deprecativa, quæ ſola in eo memoratur. Quarta quæſita e Philoſophiæ placitis, quæ ut duplex ſorma unicam imprimat materiam, non permittunt. *Ambigere*, inquit Ekius, *quis poſſet, cum altera forma ſit abſolute & ſimpliciter indicativa, altera deprecativa, ſi quis pronuntiet ambas, quod tunc temporis conficeret ſacramentum in unica materia?* Sunt quidem Doctores, qui hac ſe difficultate conentur eximere, & utramque ſormam ita retineant, ut indicativa ſit tantum ad deprecativam diſpoſitio. Sed cum hoc pendeat ex miniſtrantis intentione, quæ ad eam rem non ſemper accommodaretur, indicativam ſotmam e libris tollendam eſſe

eſſe duxerunt. Quare quibus in locis utraque forma quondam juncta reperiebatur, tandem aliquando indicativa diſpuncta eſt.

OBSERVATIO XIII.

Indicativa quidem formæ in illuſtrioribus Eccleſiis ſuperiori ſæculo perſtitit, ſed in nonnullis ſub ejus finem, & in omnibus ſub iſtius exordium plane concidit.

EST profecto nonnihil, qund quis hoc loco magnam rerum in pontificalibus Eccleſiarum libris converſionem admiretur. Quænam in Gallia Eccleſiæ mihi cognitæ indicativam formam ſuperiori ſæculo retinuerant, hæ ſunt, Viennenſis, Lugdunenſis, Catalaunenſis, Sueſſionenſis, Atrebatenſis, Venetenſis in Armorica, Tullenſis, Virdunenſis, Metenſis, Anicienſis, quarum verba quarto capite produxi. Sed multo plures in Gallia Eccleſias deprecativam duntaxat formam admiſiſſe docet Obſervatio undecima. Ex illis autem Eccleſiis, quæ indicativam formam retinuerant, duæ poſt medium ſæculum, Viennenſis & Catalaunenſis, indicativam formam abrogarunt, & deprecativam in ſe receperunt. Hæc in Manuali, quod anno MDLXIX. editum eſt, illa in Manuali, quod anno MDLXXVII. prodiit. Metenſis Eccleſia ſuam indicativam formam tranſmiſit in hoc ſæculum per Manuale, quod anno MDCV. recudi curavit. Sed nunc dierum, quibus ego ſcribo, nullam credo eſſe Eccleſiam, quæ indicativa forma utatur. Sic e ritualibus libris evanuit illa forma, quæ nongentis abhinc annis plus minus per apertam Eccleſiæ Traditionem derivata eſt. Hactenus hiſtoriam narravi, & Scholaſticorum more locutus ſum.

OBSEVATIO XIV.

Orationem ſeu formam indicativam non compoſuit Ambroſius: verus auctor illius ignoratur.

AMBROSIUS in ſcriptis ſuis ne verbo quidem attigit Unctionem infirmorum: tantum abeſt, ut eam compoſuerit formulam, quæ dum ſacrum miniſterium Sacerdos peragit, dicatur. Præterea nullus ſcriptor æqualis, vel ætate ſuppar Ambroſio, id operis genus illi unquam adſcripſit. Scholaſtici fuere primi, Bonaventura, Paludanus, & alii, qui hanc rem memoriæ prodiderunt; ſed gratis & ſine ulla veterum traditione prodiderunt. Ab obitu Ambroſii octingenteſimus viceſimus quintus erat annus, cum Bonaventura lucis uſuram accepit. Quare Bonaventura, Doctor quamlibet illuſtris, per ſeipſum non magis, quam qui nunc vivit, idoneus teſtis eſt operum, quæ beatus Ambroſius ſcripſit: ſua conſtat teſtibus ſuis ætas, qua quid valeant, vel non valeant publicæ fidei commendare. Forte an extitit aliquis, qui cum videret, Mediolanenſem Eccleſiam in poſtremæ unctionis ritu orationem indicativam uſurpare, eam acceptam Ambroſio retulerit, quo major auctoritas conciliaretur. Id alii poſtea ſibi facile perſuaſerunt, & ſiquando oportuit, in ſuos jecere commentarios. Aberrant igitur quidam Scholaſtici, cum Ambroſium faciunt auctorem rei, cujus origo incomperta eſt.

OBSERVATIO XV.

* *Deprecativæ formæ auctor non eſt Gregorius Papa, immo veriſimilius eſt auctor indicativæ, quam deprecativæ.*

QUÆ duo aſſerimus de Gregorio Pontifice, extraquam certa nobis videntur. Imprimis ante Scholaſticorum ætatem nullus eſt Scriptor, qui quam illi deprecativam formam nominant, a Gregorio compoſitam eſſe confirmet. Deinde planus eſt Sacramentorum Gregorii liber, in quo forma illa deſideratur. Capite I. retuli, quæ in eo de ritu Unctionis infirmorum habentur apud Grimoldum: ſed id quod indicativam, vel deprecativam vocant formam, non comparet. Capite II. retuli, quæ in Romana & Pariſienſi editione illius habentur: ſed id quod deprecativam vocant formam, non comparet; id tamen comparet, quod indicativam vocarent. Capite III. retuli, quæ in nova Pariſienſi editione habentur: ſed id quod deprecativam vocant formam, non comparet; id tamen comparet, quod indicativam vocarent. Secundum autem iſta, quæ explicata per annos Traditio ſubjicit oculis omnium, deprecativæ formæ auctorem quis traderet Gregorium? Deinde licet Gregorius indicativam formam non compoſuerit, eam tamen, quam deprecativam compoſuiſſe veriſimilius eſt. Nam deprecativa in nullis Sacramentorum libri editioni-

tioni-

tionibus reperitur ; indicativa vero in duabus poſtremis editionibus repetitur. Quocitca fuerunt , qui apud Albertum indicativam orationem Gregotianam appellarint. *Adhuc* , inquit , *multæ Eccleſiæ habent pro forma orationem indicativam*, *ſicut tota Eccleſia Alemanniæ* , *&* *dicitur eſſe Gregorianum illud.* Interpolatum offenderant Gregorii codicem , in quo forma indicativa contineretur ; ſed nullus eſt adhuc interpolatus Gregotii codex , in quo forma deprecativa teperiatur. Quare licet indicativam formam a Gregorio editam eſſe nullam verum ſit , indicativam tamen , quam deptecativam ab illo editam eſſe multo veriſimilius eſt. Hinc non poſſunt non errare Scholaſtici veteres , Bonaventura , Ekius , Coletus , Hoſius , & alii , qui Gregorium deprecativæ formæ auctorem fecerunt. Sic uſuvenire ſolet , dum traditiones Eccleſiaſticæ momentis non expenduntur ſuis.

Observatio XVI.

De forma deprecativa certa ſunt quædam , alia incerta.

DEPRECATIVAM formam intelligo , quam ſanctus Thomas Romanæ tribuit Eccleſiæ , & quam ſub finem cap. IV. deſcripſi. Et primo quidem certum eſt , eam , qualem retuli , ab anno milleſimo Extremæ Unctionis ritui inditam fuiſſe , ut Obſervatione ſexta & octava jam oſtenſum eſt. Sed quis hujus formæ auctor fuerit , eamque in Extremæ Unctionis ritum intulerit , incertum. Secundo certum eſt , eam formam in uſu Romanæ Eccleſiæ fuiſſe , quo tempore beatus Thomas in libros ſententiarum ſcripſit : ad annum videlicet milleſimum quadrageſimum quintum. Id ſignificat quæſt. XXIX. art. VIII. *Forma hujus Sacramenti eſt oratio deprecativa* , *ut patet ex uſu Romanæ Eccleſiæ* , *quæ ſolum verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti.* Sed incertum , utrum hæc forma prius obtinuerit in Romana , quam in aliis Eccleſiis , quæ tunc eadem forma utebantur , ut conſtat ex Alberto , qui meminit *uſus aliarum Eccleſiarum* , *quæ habent tantum deprecationem illam : Per iſtam unctionem.*

Observatio XVII.

Paludanus de uſu indicativæ & deprecativæ formæ diſputans , rectius judicavit , quam ſancti Thomas & Bonaventura.

QUOD judicium Paludanus de utriuſque formæ uſu fecit in IV. ſent. cum cap. IV. retulerim , non tepeto ; ſed ſumma eſt , varias in Extremæ Unctionis Sacramento conſuetudines , quæ ab Eccleſia Romana damnatæ non ſunt , ſetvandas eſſe , & Sacramentum valere , ſive indicativa , ſive deprecativa fotma proferatur. Sancti veto Doctores Thomas & Bonaventura contrariam in opinionem conceſſerunt. Thomas dum ita ſcribit quæſt. XXIX. art. VIII. *Verba prædicta* (quibus indicativa forma exprimitur) *non dicuntur ſecundum conſuetudinem omnium Eccleſiarum* , *ſed tantum verba deprecativa.* Item : *Forma hujus Sacramenti eſt oratio deprecativa* , *ut patet ex uſu Romanæ Eccleſiæ* , *quæ ſolum verbis deprecativis utitur in collatione hujus Sacramenti.* Item : *Verba illa indicativi modi* , *quæ ſecundum morem quorumdam præmittuntur orationi* , *non ſunt forma hujus ſacramenti* , *ſed ſunt diſpoſitio ad formam.* Bonaventura vero , dum ait : *Forma per modum indicativum non eſt de Sacramenti neceſſitate* , *ſed congruitate* ; *&* *hæc in aliquibus Eccleſiis habetur* , *ſed non in Romana.* Quod autem Paludani judicium , Thomæ & Bonaventuræ judicio præſtet , multa demonſtrant. Paludanus imprimis Romanam ipſam appellat Eccleſiam , quæ non ignara indicativæ formæ , quam plures aliæ ſervarent Eccleſiæ , eam patienter ſuſtinuit , & ſuo ſilentio comprobavit. In hoc approbationis genus animum Thomas & Bonaventura non intendunt. At nemo neſcit iſtud circumſpectione magna dignum eſſe. Deinde ratio , quam ſanctus Thomas adhibet , cum auctore ſuo pugnat : *Verba* , inquit , *indicativa non dicuntur ſecundum conſuetudinem omnium Eccleſiarum.* At neque deptecativa verba , quæ laudat , tunc dicebantur ſecundum morem omnium Eccleſiarum ; & profecto ſiquo tempore iſta ſcribebat ſanctus Doctor , omnes Eccleſiæ , quæ deptecativam formam uſurpabant , numerari poſſent , vel plures , vel certe non pauciores invenirentur , quæ indicativa , quam quæ deprecativa forma utebantur. Nam licet poſt Thomam deprecativa , quam indicativa cœperit eſſe frequentior ; ante eum tamen hæc quam illa celebrior fuit , & uſitatior. Mirum eſt Thomam & Bonaventutam non obſervaſſe , quæ de indicativa forma tradiderat Albertus in IV. Sent. omnes ſcilicet Germaniæ Eccleſias ea ſola uti.

Tum

Tum Paludanus diverſas in Sacramentorum ritibus conſuetudines examinat, ex quibus quid poſtea ſentiendum ſit, pronuntiet. At neque ſanctus Thomas, neque ſanctus Bonaventura in id ſtudii genus incumbunt. Denique hi duo Theologi falſis principiis innixi, indicativam formam excludunt. Arbitrantur quippe deprecativam omni retro tempore ab Eccleſia Romana retentam fuiſſe, quod a veritate abhorrere docuit Obſervatio octava, decima, decimaquinta, & decimaſexta.

Ceterum ad Paludani ſententiam accedit Joannes Ekius, qui huic quæſtioni diligentius vacaſſe videtur. Ejus verba ſunt ex homilia LIV. de Extrema Unctione: *Eſt quidem variatio pro diverſis diœceſibus, ſed ſubſtantialia omnia conveniunt, & tamen firmiter credendum eſt, quod ubicunque forma Ambroſiana uſurpatur, etiam ibi conſeratur Sacramentum, quia & in aliis Sacramentis forma abſolute indicativa uſurpatur.* In his quæſtionibus, quarum deciſio ex certa atque explorata Eccleſiæ Traditione pendet, non tam ſpectanda eſt Scholaſticorum auctoritas & ſanctimonia, quam rationes, quibus utuntur: ſpectanda quoque in eorum rationibus momenta, num illa duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturæ & Traditioni firmiter inhæreant.

Observatio XVIII.

Exhibitus cap. I. Extremæ Unctionis ritus latuit veteres Scholæ Magiſtros.

HIc veteres Scholæ Magiſtros intelligo, qui de indicativæ & deprecativæ formæ neceſſitate tractarunt. Albertus, Thomas, Bonaventura, Paludanus, Ekius, & alii non credunt, Extremæ Unctionis ſacramentum valere, quod indicativa vel deprecativa forma careret. Hoc autem non crederent, ſi quem cap. I. Extremæ Unctionis ritum exhibuimus, animadverſum & perſpectum haberent: ſiquidem ibi Romana Eccleſia per Gregorium Pontificem tradit, quidquid ab Apoſtolorum temporibus, ad hujus Sacramenti ſubſtantiam neceſſarium indicatum fuerat. At in eo ritu nulla exſtat deprecativa vel indicativa forma talis, qualem in ſuis Scholaſtici commentariis attigerunt. Eorum neminem eſſe puto, qui ſex primis Eccleſiæ ſæculis irritum fuiſſe hoc Sacramentum affirmaret. Quare ſi redirent in terras, & reſtitutum a Grimoldo Gregorii Sacramentarium legerent, quidquid de poſtremæ Unctionis forma tradiderunt, reformandum & recoquendum ſibi continuo ſumerent. Verum excuſandi ſunt, quod hujus Sacramentorum libri penuria laboraverint, & quod aliis occupationibus diſtracti in priſcos ſacrorum rituum codices diutius non inquiſiverint, vel accuratius.

Observatio XIX.

In tradendis Extremæ Unctionis ritibus erratum quidem a Scholaſticis quibuſdam; ſed in adminiſtrando Sacramento non erratum ab Eccleſia.

QUi explicatam de unctione infirmorum Traditionem ſibi ante oculos conſtituet; & diſputantes de Ambroſio, & Gregorio, de indicativa & deprecativa forma, Scholaſticos quoſdam inſpiciet magis ac magis, fateri cogetur, eos nec vidiſſe quæ videnda, nec ponderaſſe quæ diligenter ponderanda fuerant. Quapropter in tradendis hujus Sacramenti ritibus, qui formam attinent, nonnunquam errarunt, ſed Eccleſia in eo adminiſtrando nunquam erravit. Nam Sacerdotes, qui ſingulis ætatibus Sacramentum illud miniſtrarunt, quod in ritualibus libris præſcribebatur, id omne continuo ſecerunt. His autem in libris quidquid ab antiqua Traditione quam Gregorius Papa digeſſit, acceptum erat, continetur, cum iis, quæ identidem addita fuere, ac proinde cum hæc dicantur omnia, id fit, quod fieri debet, nec ullus error admittitur. Neque in vetuſtis rituum codicibus, quos in medium adduximus, alia nominatim ſignantur, quæ ut formam dicant Presbyteri, eoque tantum mentis aciem dirigant; alia vero, quæ alio propoſiro dicant. Conſilium Eccleſiæ ſequuntur, & ad illud animum intendunt. quod illa in iis codicibus faciendum præſcribit. In hac autem ſimplicitate cum Sacerdotes ambulant, & ſacras partes obeunt, Eccleſiæ moribus ac inſtitutis ſatisfit, & quibus miniſtratur Sacramentum, iis idonea cautione providetur. Sed Chriſtiana infirmorum, & Sacerdotum pietas non læditur, ſiquando nonnulli e Schola Theologi in tradendis poſtremæ Unctionis ritibus erraverint, aut hujus Sacramenti formam non poſuerint in eo, quod primum in primis illius ritibus traditum eſt; ſed in eo potius, quod additum poſtea, vel ad ſanciendam majorem reverentiam, vel ad rem ipſam manifeſtius exprlmendam.

Diſpu-

Digitized by Google

Diſputent quidquid voluerint, modo id fiat, quod beatus Jacobus faciendum eſſe docuit, ſcilicet Fideles ungantur infirmi, & pro iis oratio ad Deum optimum maximum fundatur, quæ duo & ſemper facta ſunt, & uti fierent, Eccleſia conſultiſſime præcepit. Ceterum fuerunt ex antiquioribus Scholaſticis, qui hac in parte non errarunt: de adminiſtratione hujus Sacramenti perinde tractarunt, ac ſi habuiſſent præ oculis ea, quæ cap. I. retulimus. Unum profero Petrum Corbolienſem, qui Lutetiæ in clauſtro beatæ Mariæ Theologiam docuit, & Innocentium tertium ibidem inſtituit, & poſtea Senonenſis Archiepiſcopus creatus eſt. Hæc autem de extrema Unctione ſcribit in quæſtionibus ſcholaribus MMSS. *Dicet aliquis, parvulis non congruere, quia inungendo aliquem dicitur, quidquid per viſum, per auditum*, &c. *parvulus autem non peccavit. Sed non credimus talem formam verborum eſſe de ſubſtantia Sacramenti: immo forte cum minima, quantum ad verba, benedictione poſſet conferri illa inunctio.* Et reveta in Sacramentorum libro, quem Grimoldus Abbas correxit, nulla extat oratio, quæ auditus vel viſus peccata perſtringat, quamvis inibi verum ac legitimum Sacramentum conferatur: qua de re ſecundam comparavimus Obſervationem. In ſumma cum hodie poſtrema datur unctio, in ſacri ritus decurſu Gregorianæ orationes dicuntur, & alia inſuper multa, quæ ritui ſuccreverunt, & eundem ſcopum feriunt, quæ in his ſubſecuta ſunt, antecedentia confirmant, non deſtruunt. Hic fuit ſemper in adminiſtrando Sacramento Eccleſiæ ſenſus, a quo quidam Scholaſtici non tam juris, quam facti ignorantia deflexerunt.

OBSERVATIO XX.

In Sacramento Extremæ Unctionis indicativa, ut loquuntur, forma reipſa convenit cum deprecativa.

SCHOLASTICI quidam, & cum primis ſanctus Thomas & Bonaventura tantum inter indicativam & deprecativam formam diſcriminis ſtatuunt, ut indicativæ adimant neceſſariæ formæ naturam, & niſi deprecativa uſurpetur, irritum fore Sacramentum exiſtiment. Quod ſi ſemel admittatur, nullus ſupererit ex antiqua Traditione modus, quo ab ætate Apoſtolorum, uſque ad annum milleſimum probetur, integrum fuiſſe collatum Extremæ Unctionis ſacramentum. Res hæc jam confecta eſt, cum toto illo tempore ſine ea, quam deprecativam nominant, forma Sacramentum collatum fuerit: quin etiam poſt ab anno milleſimo uſque ad præſens ſæculum, pluribus in locis collatum fuiſſe cap. IV. declaravimus. Tanto autem tempore erratum in Eccleſia Dei, cogitare nefas eſſet: ſed falſi ſunt Doctores, qui talia diſſerendi ſumpſere ſibi principia, ut deprecativæ formæ neceſſitatem aſſererent, atque indicativam repudiarent. Sed eorum pace dixerim, duæ illæ formæ reipſa conveniunt: nam indicativa ſimpliciter oratio cum in ritualibus libris, tum in Conciliis Epiſcoporum, & in libro Sacramentorum, quem cap. II. produxi, dicitur *oratio*, quæ indicandi modo exprimitur: poſt *orationes*, quæ in eodem Sacramentorum libro contentæ habentur, cap. I. ſequitur *alia oratio ad infirmum ungendum: Inungo te oleo ſancto*, &c. In Capitulari, quod anno DCCCII. tractatum eſt, de indicativa forma, quæ ſola tunc in uſu erat, ſic loquuntur Epiſcopi can. XXII. *Siquis infirmatur, a Sacerdotibus oleo ſanctificato cum orationibus diligenter ungatur.* In Sacramentorum libro, quem cap. III. retuli, indicativa forma ſic vocatur oratio: *Oratio ad infirmum ungendum: Inungo te de oleo ſancto*, &c. Et poſt alia: *Supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus e Sacerdotibus hanc orationem: Inungo te de oleo ſancto, in nomine Patris*, &c. In rituali Virdunenſis Eccleſiæ libro, quem cap. IV. adduxi, par inſtituitur ſermo: *Oremus. Inunxi te in nomine Patris*, &c. *Oremus: Inunxi te oleo ſancto, in nomine Patris*, &c. quibus in locis, oratio dicitur, quæ per indicativum modum habetur. In rituali Metenſis Eccleſiæ libro, quem cap. IV. laudavi, idem ita traditur. *Oratio: Inunxi te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in regem*, &c. *Alia oratio: Inunxi te in nomine Patris*, &c. *Oratio: Inunxi te oleo ſancto, in nomine Patris*, &c. Ex ſenſu igitur eorum, qui his Sacramentariis & Ritualibus uſi ſunt, forma quæ a Scholaſticis indicativa dicitur; veræ ſibi nomen orationis adſciſcit. Quid cauſabuntur, Priſcianive regulas, vel Quintiliani inſtitutionis adferent: ſed Eccleſia reſpuet, dicetque ſe talem habere loquendi conſuetudinem, quæ ab epiſtola Jacobi non abhorret. Non ex levi ſono verborum, ſed ex intentione dicentis æſtimanda ſunt quæ dicuntur. At qui indicativam proferunt formam, orationem ſe dicere ſcribendo profitentur.

Præ-

Præterea quod indicativa forma clarius, deprecativa minus clare deſignet ungentem Preſbyterum, diverſus inde ſenſus non efficitur. Sic enim ſeſe habent: *Ungo hos oculos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu peccaſti, hujus olei unctione expietur: Per iſtam ſanctam unctionem. quam*, ſupple, facio *indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum.* Utraque forma in orationem deſinit: quod Scholaſticorum nemo negare merito poteſt: diverſo quidem modo incipit, ſed qui rem eandem repræſentet. Quocirca ſive principium, ſive finis indicativæ formæ ſpectetur, in pium votum ac deſiderium, ac proinde orationem adornatur. Deinde cum indicativa forma, & deprecativa tantum differant penes minus expreſſam & expreſſiorem unius rei ſignificationem, formæ, ſeu orationis ſpecies non variatur. At non mutata formæ ſeu orationis ſpecie idem remanet ſenſus, quo remanente, niſi quædam divina lex impediat, idem utraque forma præſtabit. Quare mirum eſt omnino fuiſſe magni nominis Theologos, qui quod uni dederunt formæ, alteri denegarint.

OBSERVATIO XXI.

Quod de Unctionis extrema forma dixit Tridentina Synodus, in commodum ſenſum accipiendum eſt.

TRIDENTINA Synodus inſtitutionem Extremæ Unctionis ſeſſ. XIV. cap. I. exequitur, atque formam in his verbis conſiſtere: *Per iſtam unctionem*, & cetera, quæ habentur in decreto Eugenii IV. pro unione Armenorum, ad calcem Florentini Concilii. Cur autem & Concilii Trid. & Eugenii doctrina commodum in ſenſum accipienda ſit, multiplices cauſas expono.

I. Quia hæc verba, ſeu forma: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum.* &c. ac ſimiliter in aliis membris; non reperitur in Gregoriano Sacramentorum libro, qui cap. I. explicatæ Traditionis adductus eſt.

II. Quia hæc verba ſeu forma non reperitur in aucto eodem Sacramentorum libro, qui cap. II. explicatæ Traditionis laudatus eſt.

III. Quia hæc verba ſeu forma non reperitur in eodem Sacramentorum libro, novis adhuc rerum acceſſionibus locupletato, qui cap. III. explicatæ Traditionis exſcriptus eſt.

IV. Quia hæc verba ſeu forma in nullo vetuſto codice, quem ante annum Chriſti ſexcenteſimum manu exaratum eſſe conſtet, invenitur.

V. Quia hæc verba ſeu forma in nullo reperitur auctore, qui ante idem tempus vixerit.

VI. Quia verba ſeu forma, quam indicativam vocant, ſola reperitur, cap. II. & III. explicatæ Traditionis, ubi e pontificalibus libris eruuntur plures Extremæ Unctionis ritus.

VII. Quia illa Concilii & Eugenii verba, ſeu forma Sacramenti cœpit tantum ab anno Chriſti milleſimo in ritualibus libris comparere, nec tamen in omnibus, cum indicativa forma in pluribus ad præſens uſque ſæculum perduravit. At ſupra annum Chriſti ſexcenteſimum ubique, & poſt annum Chriſti milleſimum pluribus in locis Sacramentum illud altera ſui parte neceſſaria earuiſſe, quis ſciens & prudens aſſeveraret.

Hæ ſunt cauſæ, ni fallor, ineluctabiles, propter quas commodus Eugenio Papæ & Concilio ſenſus adſcribendus ſit. Digna profecto res, in qua ſeſe cujuſvis eruditi ac ſapientis Theologi induſtria exerceat, & antiquos Sacramenti noſtri ritus cum hodiernis ita conciliet, ut in antiquis nihil, quod fuerit neceſſarium, temere requiratur, & in hodiernis nihil ſupervacaneum ſit, quod inconſulto exprobretur.

Inprimis ego dico neque Eugenium, neque Concilium Trid. improbaſſe Unctionis extremæ ritum ac diſciplinam, quæ ſex primis Eccleſiæ ſæculis in urbe & alibi frequentaretur: ab hoc autem ritu abfuit illa forma, cujus Eugenius & Concilium meminerunt. Quinetiam eo confidentius dico, veterem illum quo de loquitur Gregorius in Sacramentario Extremæ Unctionis, uſum a Concilio improbatum non eſſe, quod qui rexerunt illud, noluerint unquam quidquam aſſerere, quod antiquis Romanæ Eccleſiæ moribus & inſtitutis adverſaretur.

Deinde dico neque Eugenium, neque Concilium improbaſſe indicativam formam, qua utebantur, qui Romæ & alibi aucto Gregorii Sacramentorum codice, & aliis pontificalibus libris ante decimum ſæculum utebantur: qua ratione cap. II. & III. explicatæ Traditionis declaratum eſt. Cur autem non improbaſſe dicam,

omnino facit, quod nihil offendam ab Eugenio vel Concilio geſtum, quo improbaſſe ſuadeatur. Hac in re ſuſpicari aliquid factum, cum nihil adfert ſuſpicionem facti, non leve temeritatis argumentum eſſet.

Tum dico, Eugenium Armenis quidem quid faciendum eſſet præſcripſiſſe, ſed quid alii tunc facerent, non improbaſſe, immo potius recepto aliorum uſui tacite conſenſiſſe. Nam quæ per Germaniam, Italiam, & Galliam Eccleſiæ indicativa forma utebantur, ex quo Eugenii decretum exiit, uti non deſtiterunt. Id omnino manifeſtum eſt ex iis, quæ ſub finem, cap. IV. recenſuimus. Præterea Eugenii decretum non eo conditum eſt, ut dogmata fidei ſanciret; ſed ut probatam Romæ Sacramentorum diſciplinam Armenos doceret: non enim approbante Florentina Synodo, cui Græci interfuerunt, conditum eſt, ſed poſt illorum diſceſſum, & eo maxime tempore, quo Pontificem illum Baſilienſe Concilium depoſuerat, & quo major eum retinendæ dignitatis, quam ſanciendorum fidei dogmatum cura & ſolicitudo vexaret. Noti ſunt labores, quos pro retinenda dignitate ſuſcepit; ignoti, quos in replicandis ſacrorum rituum codicibus: & in recognoſcendis Eccleſiarum moribus inſumpſit. Et certe neſcio, utrum aliquis ſcriptor ante annum milleſimum quingenteſimum Eugenii decretum laudaverit, atque in auctoritatem admiſerit.

Deinde dico Tridentinum Concilum probaſſe quidem deprecativam formam, quæ ab anno Chriſti milleſimo in Romana, & aliis quibuſdam Eccleſiis invaluerat, ſed non improbaſſe indicativam, quam Romana prius per annos ſat multos conſuetudo tenuerat, & quam a majoribus accepta plurium Eccleſiarum diſciplina tunc conſervabat. Hoc apertiſſime conſtat ex Eccleſiarum Manualibus, quæ cap. IV. explicatæ Traditionis notavi. Concilium de ſacramento Extremæ Unctionis egit ſeſſ. XIV. quæ anno Chriſti MDLI. celebrata eſt. At anno MDLV. Venetiis editum eſt Sacerdotale, ſeu Sacramentorum liber, qui formam indicativam habet, *ſecundum uſum Patriarchatus Venetiarum.* Poſt illam Concilio interfuit Joannes Treviſanus Patriarcha Venetiarum. Virdunenſis Eccleſiæ Manuale, quod eandem formam continet, Pariſiis anno MDLIV. excuſum eſt auctoritate & opera Nicolai Pſalmii Virdunenſis Epiſcopi, qui ſeſſ. XIV. Concilii interfuerat. Tullenſis Eccleſiæ Manuale, quod eandem formam continet, anno MDLIX. prodiit Lutetiæ. Atrebatenſis Eccleſiæ Manuale, quod eandem formam continet, Atrebati anno MDLXIII. editum eſt auctoritate Franciſci Richardotii Epiſcopi, qui poſt ſeſſ. XIV. Concilio interfuit. Venetenſis apud Armoricos Eccleſiæ Manuale, quod eandem formam continet, Veneti anno MDXCVI. exiit; hujus tamen Eccleſiæ Præſul, nomine Philippus Beccus, Concilio interfuerat. Metenſis Eccleſiæ Manuale, quod eandem formam continet, Metis editum eſt anno MDCV. At nemo neſcit Franciſcum Bellicarium Concilio interfuiſſe; quis autem crederet tot illuſtres Eccleſias voluiſſe eum in Extrema Unctione ritum ſervare, quem Tridentinum Concilium rejeciſſet? Præterea Hoſius Varmienſis Epiſcopus & Cardinalis, qui poſtremis Concilii ſeſſionibus præſuit, utramque formam in ſe recepit, cap. XLIX. Confeſſionis fidei, quam in Provinciali Concilio Petricoviæ habuit anno MDLI. *Verbum,* inquit de forma Unctionis extremæ, *eſt oratio fidei, quam Presbyter ungendo dicit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; adjunctis piis & ſuccinctis precationibus, ab Ambroſio & Gregorio compoſitis, ut per hujus olei unctionem expietur quidquid illicito viſu & ceteris ſenſibus ægrotus deliquit.* Sed quod in hac fidei Confeſſione præſertim notandum eſt, eam Paulus Manutius, qui ſua eleganti Latinitate capita & decreta Concilii ornavit, Romæ anno MDLXIX. typis commiſit. Hoſius reſpectum habet ad conſuetum loquendi modum inter Scholaſticos, qui quanquam falſo, ut alias vidimus, indicativam formam Ambroſio, & deprecativam Gregorio tribuunt.

Hic repetendum eſt quod ſub finem capitis V. explicatæ Traditionis circa formam Sacramenti hujus ſic animadvertitur. Ceterum quæ ex ſuperiori libro ſacerdotali (Venetorum) retulimus, hæc eadem extant in libro ſic inſcripto: *Sacerdotale Romanum ad conſuetudinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, aliarumque Eccleſiarum, ex Apoſtolica Bibliotheca ac ſanctorum jurium ſanctionibus, & Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis, ad optatum quorumcunque Sacerdotum commodum collectum, atque ſummorum Pontificum auctoritate multoties approbatum, ſumma nuper cura juxta S. Tridentini Concilii ſanctiones emendatum & auctum. Venetiis apud Dominicum Nicolinum anno* MDLXXXV. Hic liber ſic inſcriptus, ſi bene circumſpiciatur, omnia hæc luculenter pacifice componit.

Res iſta, ni me fallit animus, ſic ſe habet: In Concilio magna non eſt inſtituta

de

Digitized by Google

de forma Extremæ Unctionis diſputatio, cum Theologi Thomæ & Scoti ſectatores ſuper deprecativa forma conſentirent. Utrum illa indicativæ antiquitate, vel ſimili ratione præſtaret, quæſtionem nullam moverunt. Quod de una, id quoque de alia factum eſſet, ſi de ea inter ſe conveniſſent. Quocirca ſapienter philoſophantur nonnulli recentiores, qui hanc formarum varietatem cum animadvertant, ſcribunt, *non eſſe quidquam jure divino determinatum*: ita Martinus Becanus, etiamſi rem ipſam non tam probe calluerit, & deprecativam formam vetuſtiorem eſſe quam ſit, in animum induxerit ſuum.

Denique vere & convenienter explicatæ Traditioni dico, Chriſtum circa formam Extremæ Unctionis in ſpecie nihil definiviſſe, ſed eam Eccleſiarum rectoribus definiendam reliquiſſe, prout res ipſa ſuis librata ponderibus exigeret, & fidelium pietati expediret. Hinc tibi præſto ſunt aliæ atque aliæ orationes, quas vel a majoribus acceptas omnes, vel a ſe editas, vel partim acceptas, & partim editas libro Sacramentorum peritus aliquis Librarius intulit, cap. I. explicatæ Traditionis. Hæ orationes locum formæ tenent, quæ & vere deprecativa vocari poteſt, ſed aliter atque illa, quæ modo deprecativa vocatur. Hæc ſignificat unctionis ad corpus applicationem, illa non ſignificat. Inde cum iiſdem orationibus ſive in eodem Sacramentorum libro, ſive in aliis ritualibus libris occurrunt aliæ, quibus Scholaſtici indicativæ formæ nomen indiderunt. Res iſta ſplendet cap. II. & III. explicatæ Traditionis. Hinc cap. IV. præcedens indicativa perſeverat, inde ibidem oritur, & cum priſtinis orationibus conſpiciendam ſe præbet illa forma, quam hodie deprecativam appellant. Sic eas formas inter ſe oppono, quemadmodum Scholaſtici opponunt, licet reipſa non opponantur, ut ſuperiori Obſervatione demonſtravi. His ita conſtitutis, Eccleſia pro accepta a Chriſto facultate potuit, priori formæ alia tantum atque alia addere, vel ſublata priori forma ſubrogare aliam, qua & efficacia & effectus Sacramenti magis magiſque ſignificaretur. Si primum ex iis duobus admittitur, in antiquis ſolennibus verbis nihil mutatum, ſed iis adjectum duntaxat aliquid, quo planior ſenſus redditus eſt; ſi vero ſecundum, aliquid in verbis quidem mutatum, ſed in ſenſu doctrinaque nihil mutatum. Qui his & ſimilibus Eccleſiæ inſtitutis vacat, ſic debet ad certam Traditionem accommodare Theologiæ placita, ut Chriſtianæ paci juxta ac veritati ſemper inſerviat.

OBSERVATIO XXII.

Quæ de forma Extremæ Unctionis tractata ſunt, Latinam magis, quam Græcam attinent Eccleſiam.

ECCLESIÆ Orientalis tractatores Origenes homilia II. in Leviticum, Chryſoſtomus libro III. de Sacerdotio, Cyrillus Alexandrinus lib. VI. de adoratione in ſpiritu & veritate, Victor Antiochenus ad caput VI. Marci, laudant quidem Jacobi epiſtolam, & olei uſum cum orationibus vindicant; ſed quænam illæ orationes fuerint, & quibus conceptæ verbis, neutiquam exponunt. Illas quoque non invenio apud alios Scriptores Græcos, qui ante annum Chriſti ſeptingenteſimum floruerint. Nec iſtud mirum eſt, cum pauci Sacramentum Extremæ Unctionis attigerint. Qui per illud tempus Nicænam Synodum fecerunt Arabicam, & quos voluerint commenti ſunt canones, canone LXIX. mentionem olei infirmorum injecerunt; ſed quæ orationes inter ungendum infirmum dicantur, non retulerunt: orationes tamen fuiſſe quæ inter ungendum infirmum recitarentur, dubitare non licet. Collectæ fuerunt corpus in unum ab eo, qui Euchologium Græcorum contexuit. Hoc autem cum ita ſit, penitus apparet explicatam per annos a Chriſto circiter ſeptingentos Traditionem Latinæ potius, quam Græcæ uſum Eccleſiæ attinere.

OBSERVATIO XXIII.

Expoſiti Græcorum ritus antiquitas expenditur.

QUEM exhibui ritum, totum quantum exhibui, certis poſſe teſtimoniis ad prima Eccleſiæ tempora reduci, affirmare non audeo. Cur autem affirmare non auſim, facit imprimis Obſervatio viceſima prima, qua explicatam Traditionem Eccleſiæ circa formam Unctionis extremæ concluſi. Deinde facit tot precum & orationum multitudo, quæ in vetuſtiſſimis illis ritibus non facile invenitur. Græcos hac in parte conveniſſe cum Latinis, quorum ritus in hoc Sacramento breviores fuiſſe docet

Sacramentorum Gregorii liber, prout a Grimoldo Abbate primæ editioni ſuæ reſtitutus eſt. Tum facit illa oratio, in qua laudantur Coſmas & Damianus, Cyrus & Joannes, Pantaleon & Hermolaus, Samſon & Diomedes, Photius & Anicetus, quorum alii chriſtianam religionem imperante Diocletiano ſanguine ſuo dedicarunt, alii ad Juſtiniani tempora pervenerunt. Sic antiquioribus ritibus additiones quædam factæ ſunt, quibus rem eandem vel explicarent Latini, vel majorem venerationem conciliarent. Id porro fatendum eſſe cogit veritas rerum geſtarum, quas a varia Eccleſiarum Traditione accepimus.

OBSERVATIO XXIV.

Græcorum forma Extremæ Unctionis nonnihil diſcordat a forma Latinorum.

APUD Latinos formula verborum quædam eſt, quæ dum Sacerdos infirmum ungit; ungentis exprimit actionem, ſive id fiat indicandi, ſive optandi modo, ſive utroque ſimul. Nam in primo ſecundus continetur; quod verba ipſa præ ſe ferunt. Apud Græcos vero forma talis non comparet, id tamen comparet, quo & unctio ſatis intelligitur, & convenienter fini inſtitutoque Sacramenti adminiſtratur; & certe ſpectato beati Jacobi loco nihil eſt, quod amplius deſideretur. Traditio; quod eſt alterum in Theologia philoſophandi principium, non repugnat, immo prima eſt, quæ apud Latinos occurrit, mirifice conſentit. Hic revolvenda ſunt, quæ cap. I. explicatæ Traditionis circa formam hujus Sacramenti deſcripſimus, & quæ poſtea Obſervatione II. ad illud caput diſſerimus. Verum quæ deinceps priſcis Latinorum ritibus ſuccreverunt, magis quidem rem explicant, quam antea explicaretur; ſed quæ ſive apud Latinos, ſive apud Græcos magis vel minus explicant, naturam rei minime mutant. Ceterum in omnibus ſervanda eſt beati Hieronymi regula, *Traditiones* ſcilicet *Eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiunt, ita obſervandas, ut a majoribus traditæ ſunt.* Neque quiſquam occupatus opinione ſua, eas ſibi debet Traditiones ſumere, quæ placitis ſerviant, ſed quæ per idoneos teſtes comprobari poſſint. Sed cum facilius ſit dicere, quam confirmare quod dicitur, audiendi non ſunt, qui ſolummodo dicunt, Traditionem ita ferre, nec Traditionem ita ferre probant. Præterea qui ſic diſputant, patem aliis diſputandi rationem objiciunt. Atque ita ne hilum quidem proficiunt.

OBSERVATIO XXV. ET ULTIMA.

Hodiernus Latinorum ritus cum hodierno Græcorum comparatus, nonnihil videtur congruentior.

ETSI diſcrimen illud, quod inter hodiernos Occidentalium & Orientalium ritus intercedit, ad Sacramenti naturam & effectum nihil intereſt; Occidentalium tamen ritus Orientalium ritu congruentior videtur. Id ſane mutua demonſtrat contentio. In Occidentalium ritu dilucidior eſt atque expreſſior ſacræ Unctionis inſtitutio. Deinde epiſtola beati Jacobi memoratur, & orationibus inſeritur. Tum plures corporis partes, per quas homo peccat, unguntur. Deinde Pſalmi pœnitentiales ſeptem, qui recitantur, ad finem Sacramenti mirum in modum accommodantur. Tum non eadem toties repetuntur, etiamſi non minus longum ſit officium. Poſtremo ritus Orientalium paullo durior eſt. Orientales enim non permittunt hoc Sacramentum ab uno Sacerdote miniſtrari; ſed Occidentales id permittunt alibi.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa iterationem ſacramenti Extremæ Unctionis.

DUO ſunt maxime, quæ ad explicandam hujus rei Traditionem generatim pertinent. Imprimis utrum Extrema Unctio homini ſæpius in vita poſſit adminiſtrari. Deinde ſi ſæpius in vita poteſt adminiſtrari, utrum in eodem morbo ſemel atque iterum adminiſtrari poſſit. Hac in re ibo per ſingulas Doctorum auctoritates, quæ in diverſis Eccleſiæ temporibus occurrunt.

CAPUT I.

Ab anno Chriſti milleſimo ad annum milleſimum centeſimum trigeſimum alii ſemel in vita, alii ſemel in anno dandum eſſe Unctionis extremæ ſacramentum tradiderunt.

IN hac epocha ingenti cum ſcientia floruerunt Ivo Carnotenſis Epiſcopus, & Goffridus Abbas Vindocinenſis, quorum primus ita ſcribit in epiſt. CCLV. *Unctionem vero, quam ſemel accepiſti, non æſtimo repetendam, quia ſecundum inſtitutum Apoſtolicæ ſedis genus eſt Sacramenti. Qui autem Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ repetit, injuriam ipſis Sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum publica pœnitentia eſt Sacramentum, quam non eſſe repetendam, ſicut nec baptiſmum, teſtatur Auguſtinus, teſtatur Ambroſius. Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium: Caute ſalubriterque proviſum eſt, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſe videatur, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit. Ambroſius in* II. *lib. de pœnitentia: Sicut eſt unum baptiſma, ita & una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidie nos debet pœnitere peccati, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Hæc ille, quibus docet non eſſe magis iterandam Extremam Unctionem, quam baptiſmum, aut publicam pœnitentiam.

Alter in lib. II. epiſt. XIX. ad Ivonem Carnotenſem Epiſc. *Sicut conſuetudines Monachorum*, inquit, *beati Benedicti regulæ concordantes laudamus, ſic eas, quas ſanctus Benedictus nec docet, nec præcipit, & quæ a ratione penitus diſcrepare videntur, laudare non poſſumus. Sunt enim quædam apud Monachos inſtitutiones, quas ratio nullatenus admittit, nec ſanctorum quilibet Patrum invenit, ſed inſipientium conſuetudo hominum inſtituit. Has in Monaſteriis quidam Monachi ſibi pro lege vindicant, & cum Chriſtus dixerit: Ego ſum veritas; nec dixerit Ego ſum conſuetudo; pro ſua tamen conſuetudine legem veritatis immutant. Et ut cetera taceamus, in hoc, ut nobis videtur, non mediocriter errant, quod unctionem infirmorum, cum a ſancta Catholica & Apoſtolica Sede Sacramentum vocetur, & cum nullum Sacramentum iterari debeat, iterandum putant. Unctionis utique ſacramentum beatus Innocentius Papa adeo magnum dicit, quod pænitentibus, quibus cetera Sacramenta negantur, nulla ratione putatur poſſe concedi. Quid tamen ſuper hoc magnitudo veſtræ diſcretionis ſentiat, & quid tenendum doceat, ſcire deſideramus, quia quamvis iſta & ratione & auctoritate eſſe vera non dubitemus; ea tamen veſtræ auctoritatis decreto firmari volumus & rogamus.* Goffrido ſic Ivo reſpondet in epiſtola XX. apud eundem Goffridum: *Unctionem infirmorum non æſtimo repetendam, quia ſicut ipſe aſſeruiſti, ſecundum inſtitutum Apoſtolicæ Sedis genus eſt Sacramenti. Qui autem Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ repetit, injuriam ipſis Sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum publica pænitentia eſt Sacramentum, quam non eſſe repetendam, ſicut nec baptiſmum, teſtatur Auguſtinus, teſtatur Ambroſius. Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium: Caute ſalubriterque proviſum eſt, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit. Ambroſius in* II. *libro de pœnitentia: Sicut eſt unum baptiſma, ita & una pœnitentia, quæ tamen publice agitur, nam quotidie nos debet pœnitere peccati; ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Ex his autem duobus illuſtribus Magiſtris manifeſta ſunt duo. Alterum, quædam extitiſſe beati Benedicti Monaſteria, in quibus Extremæ Unctionis ſacramentum repeteretur. Alterum vero hanc repetitionem ab Ivone & Goffrido vehementer improbari: nempe contendunt, unctionem infirmorum id eſſe Sacramenti genus, quod repeti non poſſit.

Hoc eodem tempore Claræuallenſes Monachi eam tenuere conſuetudinem, ut ſemel in anno duntaxat conferrent Extremæ Unctionis ſacramentum. Hunc autem morem atteſtantur ſummi viri duo, Petrus Cantor Pariſienſis, & Robertus de Corceon Cardinalis. Hic in ſumma quæſt. de Extrema Unctione: *Non ita ſæpe iteratur Extrema Inunctio, ſicut alia; ſed ſufficit ſecundum conſuetudinem Claræuallenſium, ut ſemel in anno conferatur.* Ille vero in Summa cap. CXXXIII. *Conſuetudo enim eſt in Claræuallenſium Ordine, quod nunquam inungitur aliquis bis in eodem anno.* Apud Claræuallenſes res ſic ſe habuit: Qui morbo conflictabantur, ſingulis annis Unctionem infirmorum accipere poterant, ſed iterum atque iterum accipere non poterant. Horum ergo fuit alia inſtitutio, alia Ivonis atque Goffridi doctrina, quæ ſuis librata ponderibus variam Eccleſiæ Traditionem repræſentat.

CA-

CAPUT II.

Ab anno Chriſti milleſimo trigeſimo ad annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum opinio eorum, qui docent, unctionem infirmorum iterari poſſe, prævaluit.

QUI Doctores hunc annorum numerum implent, omnes propemodum affirmant, unctionem infirmorum iterari poſſe.

Alanus Porretanus de maximis Theologiæ num. CXIII. *Sunt qui dicunt de hoc Sacramento, quod iterari non poſſit, ſicut nec baptiſmus; ſed quia Sacramentum pœnitentia eſt, & pœnitentia iterari poteſt, probabile eſt hoc Sacramentum iterari poſſe.*

Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus & Magiſter ſententiarum lib. IV. diſt. XXIII. *Quærunt aliqui ſi hoc Sacramentum iterari poſſit, cum baptiſmus, & alia quædam Sacramenta ſemel ſuſcepta non iterentur. Auguſtinus dicit Sacramentum non iterandum, & Sacramento non faciendum eſſe injuriam; ſed hoc dicit, ubi agit de Sacramento baptiſmi, confirmationis, & ordinationis, quæ nullatenus ſunt repetenda, quia ſemel tantum & non ſæpius datur baptiſmus, confirmatio & ordinatio. Sacramentum vero altaris & pœnitentia & conjugii ſæpe iterari videtur, quia ſæpe Sacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, conjugium ſæpe contrahitur. Quare ergo unctio ſimiliter non poteſt iterari, ſi morbus non revertitur, medicina non iteretur: ſi vero morbus non poteſt cohiberi, quare medicina debet prohiberi; ſicut oratio iterari poteſt, ita & unctio iterari poſſe videtur. Utraque enim illic commemorat Jacobus, & utrumque alteri cooperatur, ad conferendam alleviationem corporis & animæ. Cur ergo negatur unctionem ſuper infirmum poſſe iterari ad impetrandam ſæpius ſanitatem mentis & corporis, cum propter infirmitatem eadem ſæpe iteranda ſit oratio? Quidam autem de omni Sacramento intelligi volunt, quod non ſit iterandum, ſcilicet ſecundum totum illud quod pertinet ad Sacramentum, dicentes quædam Sacramenta ſæpius poſſe ſuſcipi, quædam vero non; nec tamen quæ ſæpius ſumuntur, totaliter iterantur, ut Sacramentum altaris & unctionis, quæ licet ſumantur ſæpius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hoſtia, vel idem oleum, non iteratur Sacramentum cum injuria. Sed dicet, quia ſic & baptiſmus non iteratur, etſi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicitur. Sed aliud eſt, inquiunt illi, de benedictione aquæ, qua ſit baptiſmus, aliud de benedictione panis & olei. Poteſt etiam baptiſmus celebrari in aqua, etiam non benedicta, quia illa benedictio pro reverentia tantum ſit & decore, non virtute Sacramenti: ſed corpus Chriſti non poteſt confici, niſi de pane conſecrato: unctio illa fieri non poteſt, niſi de oleo ab Epiſcopo conſecrato; ideoque illa ſanctificatio ad virtutem Sacramenti pertinere videtur. In conjugio quoque ſemel tantum benedicitur quiſque, non ſæpius. Benedicitur enim, ut ait Ambroſius, cum prima, & non cum ſecunda uxore. Si ergo cum dicitur Sacramentum non eſſe iterandum, nec injuria ei eſſe facienda, rationem dicti referas ad ſanctificationem rei, qua Sacramentum expletur: de omni Sacramento generaliter id verum eſt; ſi vero ad ſuſceptionem Sacramenti, de quibuſdam verum eſt, quod non iterantur crebra ſuſceptione; de aliis vero quibuſdam non, quia frequenter ſumuntur, ut hoc unctionis Sacramentum, quod in omni pene Eccleſia ſæpe repetitur.*

Petrus Cantor & Robertus de Corceon relati in eandem opinionem diſcedunt.

Guillelmus Autiſſiodorenſis libro IV. Summæ tract. VII. cap. II. *Quæritur, utrum hoc Sacramentum debeat iterari.* Et poſt alia: *Sed contra dicit Ambroſius, quod quandocunque invaleſcit morbus, iteranda eſt medicina: ſed ſæpe invaleſcit morbus, quia ſæpe infirmatur; ergo ſæpe iteranda eſt Extrema Unctio. Quod concedimus. & non eſt ſimile de baptiſmo & confirmatione & ordine, quia in illis eſt character, in Extrema Unctione non eſt character.*

Sanctus Bonaventura in quart. ſent. diſt. XXIII. art. II. quæſt. IV. *Dicendum, quod iſtud Sacramentum, ſicut innuitur aperte in litera, & debet & poteſt iterari. Si autem quæritur ratio hujus, dicendum eſt, quod generalis ratio, quare Sacramentum non debeat iterari, eſt, quia effectus ejus eſt perpetuus qui non iteratur: unde characteris impreſſio non eſt generalis ratio, ſed potius effectus perpetuatio. Unde ex quo panis ſemel conſecratus eſt, non debet amplius conſecrari, quamvis non imprimatur ibi character; & ſimiliter oleum benedictum non debet amplius benedici, ſive conſecratum non debet amplius conſecrari. Quoniam igitur in Unctione extrema non imprimitur character, nec datur effectus perpetuus, maxime ſi homo ab infirmitate re-*

Digitized by Google

reſurgat: ideo ſecunda operatio Sacramenti neceſſaria eſt, & ideo iterari poteſt & debet medicina abſque aliqua contumelia ipſius Sacramenti.

Sanctus Thomas in ſupplemento ad tertiam partem quæſt. XXXIII. art. I. *Utrum hoc Sacramentum debeat iterari.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur, quod hoc Sacramentum non debeat iterari, quia dignior eſt unctio, qua fit homini, quam qua fit lapidi: ſed unctio altaris non iteratur, niſi altare illud fractum fuerit; ergo nec Unctio extrema, qua adhibetur homini, debet iterari.

Præterea, poſt extremum nihil eſt: ſed hæc Unctio dicitur extrema; ergo non debet iterari.

Sed contra. Hoc Sacramentum eſt quædam ſpiritualis curatio per modum corporalis curationis exhibita: ſed curatio corporalis iteratur; ergo & hoc Sacramentum iterari poteſt.

Reſpondeo dicendum, quod nullum Sacramentum, nec Sacramentum, quod habet effectum perpetuum, debet iterari, quia oſtenderetur Sacramentum non fuiſſe efficax ad faciendum illum effectum, & ſic fieret injuria illi Sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia ſanitas corporis & mentis, quæ eſt effectus hujus Sacramenti, poteſt amitti, poſtquam fuerit per Sacramenta effecta; ideo hoc Sacramentum ſine ſui injuria poteſt iterari.

Ad primum ergo dicendum, quod unctio lapidis fit ad ipſius altaris conſecrationem, quæ eſt perpetuo in lapide, quandiu altare manet, & ideo non poteſt iterari: ſed hæc unctio non fit ad conſecrationem hominis, cum non imprimatur per eam character; & ideo non eſt ſimile.

Ad ſecundum dicendum, quod illud, quod ſecundum æſtimationem hominum eſt extremum, quandoque ſecundum rei veritatem non eſt extremum, & ſic dicitur hoc Sacramentum Extrema Unctio, quia non debet dari, niſi illis, quorum mors eſt propinqua ſecundum exiſtimationem hominum.

Henricus Cardinalis Oſtienſis lib. I. Summæ Rubrica XVI. *Idem de Extrema Unctione: cum enim ſit medicina animæ & corporis, videtur, quod adveniente morte, apponi poſſit & debeat medicina, ut innuitur in auctoritate Jacobi: Infirmatur quis in vobis. Quidam tamen dicunt, quod Extrema Unctio non iteratur.*

Plura Doctorum teſtimonia referre ſuperſedeo, quia quæ jam retuli, ſatis eſſe poſſunt, ut cujuſmodi fuerit hujus epochæ Traditio, ad plenum & perfectum agnoſcatur. In hac igitur epocha fuerunt nonnulli, quemadmodum Oſtienſis ſignificat, qui repetendam non eſſe infirmorum unctionem docerent; ſed aliorum, qui contrarium tradunt, bene multorum auctoritas & ratio præponderavit.

CAPUT III.

Ab anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo in reliquum tempus traditum eſt, ſimpliciter iterandam eſſe poſtremam Unctionem, nunc in eodem morbo abſolute, nunc non in eodem morbo, niſi ultra annum protrahatur.

PRIOREM hujus capitis partem aſſerunt plures Scholaſtici, e quorum numero duo nobis ſufficient, Richardus & Durandus; ille quidem in IV. ſent. diſt. XXIII. art. II quæſt. VI. *Reſpondeo, quod hoc Sacramentum aliquo modo iterabile eſt, aliquo modo non. Circa enim eundem infirmum, eadem infirmitate, reſpectu ejuſdem infirmitatis ſtatus, iterari non debet: quia quodlibet Sacramentum circa materiam propriam una vice ſortitur totum effectum ſuum, ſi non ſit indiſpoſitio in ſuſcipiente; & ideo eadem hoſtia bis non conſecratur, quia in prima conſecratione efficitur corpus Chriſti verum ſub una ſpecie, nec iidem conjuges bis deſponſantur.* Et quibuſdam interpoſitis: *In eadem infirmitate in numero poſſunt eſſe ſtatus diverſi, in quorum quolibet infirmus eſt in notabili & probabili periculo mortis. Ideo cum infirmo nullum imprimat effectum indelebilem, poteſt & debet eidem homini pluries conferri, vel pro diverſis infirmitatibus, vel pro ejuſdem infirmitatis diverſis ſtatibus.*

Hic vero in IV. eadem diſt. quæſt. IV. *Quantum ad tertium, dicendum, quod hoc Sacramentum poteſt iterari, quia omne Sacramentum, quod non imprimit effectum indelebilem, eſt iterabile: ſed Extrema Unctio cum non imprimat characterem, ut baptiſmus, confirmatio, vel ordo, non imprimit effectum indelebilem; ergo poteſt iterari non ſolum in diverſis infirmitatibus, quando in ſingulis timetur de periculo mortis. ſed etiam in*

eadem

eadem infirmitate, quando eſt diuturna, ut ethica, vel hydropiſis, quoties ex tali infirmitate deducitur homo ad periculum mortis. Extrema enim Unctio non ſolum reſpicit infirmitatem abſolute, ſed ſtatum infirmitatis, qui quoties iteratur, ſive in eadem infirmitate, ſive in diverſis, poteſt & unctio iterari.

His accedit Daniel Nannetenſis Epiſcopus in ſtatutis ſynodalibus, quæ nondum in lucem exierunt: *Doceant ſæpe Sacerdotes populum, hoc Sacramentum licite poſſe iterari & recipi ſæpe in qualibet magna infirmitate, unde mortis eſt metus, & poſt ſuſceptum reverti licite ad opus conjugale,*

Stephanus Poncherius Epiſcopus Pariſienſis in ſtatutis ſynodalibus, quæ anno MDXV. edidit de ſacramento Extremæ Unctionis: *Item nullus veſtrum dubitet, hoc Sacramentum iterari poſſe cauſa neceſſitatis, cum in ipſo duo ſint unctio & oratio ſimul juncta, ſcilicet pro ſalute animæ & corporis; & ut ait Auguſtinus: Qui ſæpius peccat & infirmatur, neceſſaria ſæpiſſime indiget medicina; ſed quod ad ſalutem animæ inſtitutum eſt, ne ſit ſpes mali faciendi, aut cauſa vituperii myſterii fidei noſtræ, injungimus ſolum adminiſtrari infirmo: de cujus ſpe obitus dubitatur ſolum.*

Idem Poncherius factus Archiepiſcopus Senonenſis in ſtatutis ſynodalibus, quæ anno MDXXIV. prodierunt: *Cavere*, inquit, *debent Sacerdotes, ne aliquis infirmus ſæpius inungatur in eadem infirmitate, ne Sacramentum iſtud viléſcat; poteſt tamen iterari hoc Sacramentum in diverſis infirmitatibus, vel in eadem recidiva, quia non habet effectum perpetuum, eo quod ſanitas mentis & corporis, quæ ſunt ejus effectus, reiterari poſſunt, & amitti, & recuperari.*

Ludovicus Carnotenſis Epiſcopus in ſtatutis ſynodalibus, quæ anno MDXXVI. publicata ſunt, idem decrevit: *Juxta ſanctorum Patrum decreta inhibemus Sacerdotibus, ne infirmum ſæpius inungant in eadem infirmitate, ne Sacramentum iſtud viléſcat; poteſt tamen iterari in diverſis infirmitatibus, vel in eadem recidiva, quia non habet effectum perpetuum, eo quod ſanitas mentis & corporis, quæ ſunt ejus effectus, reiterari poſſunt, amitti & recuperari.*

Manuale Autiſſiodorenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXXVI. prodiit: *Item infirmus, ſi viciſſim infirmetur, & ab infirmitate relevetur, in qualibet infirmitate debet ipſum* (ſacramentum Extremæ Unctionis) *recipere ob efficaciam ipſius.*

Manuale Lugdunenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLII. excuſum eſt: *Poteſt Sacramentum iſtud iterari, quoties infirmus morti accedere videtur, etiam in una eademque infirmitate longa, in qua recidivaverit infirmus.*

Robertus Cameracenſis Epiſcopus in antiquis ſtatutis, quæ anno MDL. inſtauravit & correxit: *Doceant Sacerdotes, quod hoc Sacramentum licite iterari poteſt in qualibet gravi infirmitate & perículoſa.*

Manuale Cameracenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXII. in lucem emiſſum eſt: *Animadvertat Sacerdos adminiſtraturus infirmis ſacramentum Extremæ Unctionis illa, quæ de eo dicta ſunt ſuperius in inſtructione, nempe ſæpius iterari poſſe, etiam in eadem infirmitate, ad diverſos periculorum caſus, poſt intervalla aliquanti temporis incidentes, quoties videlicet nunc remittente, nunc rurſus ingraveſcente morbo periculum mortis imminere creditur.*

Maximilianus Cameracenſis Epiſcopus in ſtatutis ſynodalibus, quæ anno MDLXVII. condidit: *In qualibet gravi & periculoſa infirmitate unctionem illam licite poſſe iterari.*

Manuale Viennenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXXVII. editum eſt: *Poteſt Sacramentum iſtud iterari in una eademque infirmitate longa, quoties mortis periculum imminere videtur.*

Manuale Remenſis provinciæ, quod ex auctoritate provincialis Concilii anno MDLXXXV. prodiit: *Denique poteſt hoc Sacramentum iterari, & quidem in eadem infirmitate, quando quidem quis eſt in articulo mortis, modo ſit caſus diverſus, ut qui in hydropiſi, aut longa febri; poſt quam evaſit periculum, rurſus poſt aliquot menſes de vita periclitatur.*

Manuale Mechlinienſis Eccleſiæ, quod anno MDXCVIII. typis commiſſum eſt: *Infirmus periculoſe decumbens in una infirmitate, ſemel tantum ungendus eſt; quod ſi poſt ſuſceptam unctionem convaluerit, quoties poſtea in idem vitæ diſcrimen inciderit, toties hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterit.*

Tridentinum Concilium hujus Traditionis lineam concludit, ſeſſ. XIV. cap. III. *Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.*

Hæc autem ſunt, quibus aperte conſtat, in eadem infirmitate Unctionem extremam itera-

iterari poſſe : nunc vero expendenda ſunt ea, quibus aſſeritur, in eadem infirmitate eandem unctionem iterari non poſſe, niſi ultra annum protrahatur.

Manuale Carnotenſis Eccleſiæ, quod anno MCCCCLXXXIX. typis commiſſum eſt, id ira præſcribit : *Poteſt reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Petragoricenſis Eccleſiæ, quod anno MDIX. typis commiſſum eſt: *Poteſt iterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Claromontenſis Eccleſiæ, quod anno MDXVIII. prodiit: *Poteſt reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Auguſtodunenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXIII. typis mandatum eſt: *Poteſt reiterari, ſed non pro eadem infirmitate; niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Catalaunenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXIX. in lucem emiſſum eſt : *Poteſt reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Meldenſis Eccleſiæ, anno MDXLVI. in lucem emiſſum eſt : *Poteſt autem reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ulera annum protrahatur.*

Manuale Virdunenſis Eccleſiæ, quod anno MDLIV. publicatum eſt, *Poteſt iterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Lem[illegible]icenſis Eccleſiæ, quod anno MDLV. editum eſt: *Poteſt reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ultra annum protrahatur.*

Manuale Atrebatenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXIII. vulgatum eſt : *Poteſt etiam aliquando reiterari, ſed non pro eadem infirmitate, niſi ulera annum protrahatur.*

His aliqua ex parte convenit quarumdam aliarum Eccleſiarum uſus, qui ante Concilium Tridentinum obtinuerat, ut in eadem infirmitate ſacramentum Extremæ Unctionis non iteraretur.

Manuale Remenſis Eccleſiæ, quod anno MDIV. & MDXXX. impreſſum eſt: *Eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi.*

Manuale Mimatenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXX. editum eſt : *Item non iteratur in eadem infirmitate.*

Manuale Bellovacenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLIV. prodiit: *Eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi.* Hæ autem Eccleſiæ cum iis facile conveniunt, quæ ægrotantibus ſemel in anno Extremæ Unctionis ſacramentum conferri decernunt.

CAPUT IV.

Nonnullæ in explicatam Traditionem Obſervationes.

HACTENUS explicata eſt de Unctione infirmorum Traditio, & ea relata ſunt Doctorum teſtimonia, quæ occurrerunt, & huic Theologicæ quæſtioni conducere viſa ſunt. Potuiſſem animadvertere nonnulla, quæ ex accurata eorum teſtimoniorum conſideratione paſſim interponerentur; ſed ea, ne Traditionis ſeries abrumperetur, vel turbaretur, ad hujus operis calcem transferre malui.

OBSERVATIO I.

Quæ fuerit iterandæ vel non iterandæ Unctionis infirmorum inſtitutio ante annum abhinc Chriſti milleſimum, vix agnoſci poteſt.

HUJUS Traditionis, quæ in explicanda Extremæ Unctionis iteratione verſatur, caput conſtitui annum Chriſti milleſimum, quo per annos conſequentes deduceretur. Id ego ea ratione feci, quod iſtius diſciplinæ monimenta non potuerim altius repetere. Nam ante illud tempus difficile eſt invenire vel Concilium, vel Eccleſiaſticum tractatorem ullum, qui iterandam aut non iterandam infirmorum Unctionem propoſuerit. Sunt quidem, qui hujus Sacramenti uſum proponant, ſed in eadem infirmitate iterandum vel non iterandum nemo pene eſt, qui proponat : unuſquiſque ſibi teſtis eſſe poteſt, ſi modo omnis retro ætatis Patres & Concilia replicare velit ac circumſpicere. Sed ne ſit iſta diligentia, hoc ipſum objiciunt Ivo & Goffridus, quorum auctoritates retulimus. Sic enim contra quoſdam Monachos, qui iterandum eſſe Sacramentum arbitrabantur, diſputant, ut id quod ſtatuere volunt, ſolis rationibus ſtatuant, non vero ullis majorum decretis, non ullis ſenatus Eccleſiaſtici conſultis, quæ ſuper ea re aliquando intervenerint. Quinetiam cum ex Auguſtini & Ambroſii teſtimoniis, quæ non ad Unctionem infirmorum, ſed ad pœni-

tentiam pertinent, argumententur, ſatis oſtendunt, in tota antiquitate ſe nihil eſſe nactos, quo agitata tunc quæſtio dirimeretur. Hoc quoque confirmatur ex aliis Doctoribus & Magiſtris, quorum ſententias teceńſuimus: neque enim Magiſter ſententiarum, neque ſanctus Thomas, neque Bonaventura, neque ullus alius aliquam adfert veterum auctoritatem, aliquamve alicujus Eccleſiæ diſciplinam, qua iteratum quondam eſſe hoc Sacramentum, vel non iteratum appareat.

OBSERVATIO II.

Extremæ Unctionis iteratio vel non iteratio, res eſt diſciplinæ & converſationis, non fidei.

IN Eccleſia Dei aliud eſt regula fidei, quam *immobilem & irrevocabilem* Tertullianus appellat, aliud diſciplina & converſatio, quæ, ut idem auctor dicit, *admittit novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei.* Ad diſciplinam Eccleſiæ & converſationem pertinet id quod tractamus: ſive enim iteretur Unctio infirmorum, ſive non iteretur, eadem manet fidei regula, qua Chriſtiani diriguntur. Eadem manet fidei compages, qua ii ſemper inter ſe adſtringunrur. Quod explicata ſuis momentis Traditio confirmat: nam in ea ſunt incogniti quidam Monachi, qui Unctionem infirmorum repetendam eſſe doceant, & in ſuis Monaſteriis repetant; ſunt vero alii, qui repugnent, & repetendam non eſſe contendant; ſunt etiam alii, qui iſtis poſtmodum adverſentur, & in varias abeant diſtinctiones, quibus ſe rem conficere credunt: ſed nemo eſt, qui quam non ſequitur opinionem, erroris nota infamet. Suam quiſque quoad ejus fieri licet ſententiam probat, & ab aliorum impetitionibus ita defendit, ut nihilominus quid abſolute volueris, non adimat ſentiendi libertatem. Res autem ſic ſe habet, & ſic habere ſe debere evidens ratio demonſtrat, ſcilicet quod neque Scriptura ulla, neque idonea veterum Patrum Traditio ulla doceat iterandum eſſe, vel non iterandum hoc Sacramentum. Quapropter ea tota quæſtio diſſerentibus in utramque partem Theologis relicta eſt.

OBSERVATIO III.

Potiores ſunt rationes iterantium, quam non iterantium Unctionem infirmorum.

QUA in re cuique licuit in ſuo abundare ſenſu, rationes eorum, qui Sacramentum hoc iterant, quam qui non iterant, exquiſitiores mihi videntur. Comparare loquor: in Theologicis enim quæ rationes non ducuntur ex ſacris litteris, aut ex firmiſſima Traditione, magno in pretio haberi non poſſunt. Tales autem ſunt omnino, quibus utraque pars iterantium, & non iterantium unctionem ſuſtinetur. Porro argumenta pene omnia, quibus non iterantes utuntur, a ſimili petunrur; ſed locus ille, in quo ſimilium ſimilis eſt ratio, momenti nihil aut parum habet in rebus, quæ ex divina vel humana inſtitutione pendent. In iis enim tota ratio ſacti eſt voluntas & potentia facientis. Præterea ſiquid ſuperſit difficultatis, optime diluitur a beato Thoma, cujus articulum deſcripſi. Ad Ivonem vero & Goffridum quod pertinet, ad firmandam illi ſuam ſententiam proponunt duo: unum eſt, infirmorum Unctionem publicæ pœnitentiæ Sacramentum eſſe: ſed aberrant, nec videtur Goffridus ſatis diligenter advertiſſe ad Innocentium Pontificem, quem laudat. Tantum enim abeſt ut infirmorum Unctio publicæ pœnitentiæ Sacramenrum ſit, vel ad publicam pœnitentiam pertineat, ut publice pœnitentibus non concederetur: qua de re ſic Innocentius ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit, cap. VIII. *Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?*

Alterum eſt publicam non iterari pœnitentiam. Sed quid inde ſequitur? Forſan iſtud: Publica pœnitenria non iteratur; igitur nec infirmorum Unctio. Publicam pœnitentiam repeti noluit Eccleſia, quod Ambroſius & Auguſtinus atteſtantur. Quid vero Eccleſia de iteranda infirmorum Unctione ſtatuerit Ambroſii & Auguſtini tempore, veterum monimenta non declarant. Quare Goffridus non recte philoſophatur: Cum inſtituentis voluntas non apparet, ex ſola natura & fine Unctionis infirmorum quærenda & aſſerenda eſt ejuſdem iterandæ, vel non iterandæ ratio. Qui vero hanc unctionem iterandam eſſe cenſent, eandem propemodum rationem adhibent, ſed non omnes eodem explicant modo. Inter eos Bonaventura omnium optime videtur explicare.

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIO IV.

In iterando ſacramento Extremæ Unctionis habenda potiſſimum ratio conſuetudinis locorum.

PETRUS Cantor & Robertus de Corceon, duo principes in Theologia viri, cum de iteranda Unctione infirmorum agerent, prudenter admodum ſtatuerunt, ſequendam eſſe Claræxallenſium conſuetudinem, quæ ſuo tempore vigebat. Sic poſtquam ævi progreſſione mutata eſt iſta conſuetudo, recte nunc dici poteſt, tenendum eſſe morem illum, quem in variis Eccleſiis inductum cap. III. explicatæ Traditionis exhibuimus. Diverſus ille quidem eſt, ſed in eo firmus ac conſtans, quod ab expoſita cap. I. diſciplina receſſerit, niſi forſan velimus dicere, *Monachorum conſuetudines*, quas ibi Goffridus ab Ivone adjutus redarguit, ad poſteriora ſæcula tranſmiſſas eſſe. Itaque cap. III. ſuppetit alius atque alius iterandæ Unctionis infirmorum ritus, qui & Theologicis rationum momentis defenditur, & in variis Eccleſiis retinetur. Nunc in diverſis morbis, nunc in diverſis ejuſdem morbi ſtatibus iteratur in eodem anno, nunc ſingulis annis ſemel confertur ægroto, qui pluribus annis conſequentibus laborat: quod non multum a Claræxallenſium inſtitutione, quam Petrus Cantor & Robertus de Corceon prædicant, alienum eſt. Igitur ſive hæc, ſive illa diſciplina ſervetur, cumulatiſſime ſatisfiet, & Eccleſiaſticarum rerum dignitati, & ſaluti infirmorum.

Explicata Eccleſia Traditio circa petitionem ſacramenti Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

IN adminiſtrando Extremæ Unctionis ſacramento ea quondam diſciplina invaluit, ut non ante daretur infirmis, quam illud petiiſſent. Quæ diſciplina ortum habere videtur ex his beati Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Suadet ergo Jacobus, ut qui morbo laborat, Presbyteros accerſat in domum ſuam accipiendæ ab eis unctionis gratia. Presbyteri vero unctionem non poſſunt, niſi vocentur ab ægroto vel ægroti cuſtodibus miniſtrare. Porro diſciplinæ hujus, quæ ab antiquis manavit ad poſteros, Traditionem executum imus, prout illius teſtimonia ſeſe nobis objicient.

Initium ducimus e vita ſancti Eugendi Jurenſis Abbatis, qui * ad annum Chriſti DC. vixit: *cum ultra ſexagenariam ætatem fere ſex menſibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret; ſic tamen, quod nunquam canonico uſque ad horam defuiſſet Curſui, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, perungi.* Vicinus mortis Eugendus accerſit eum, qui ungendis in Monaſterio ægrotis præerat, ut ab eo ungeretur.

Paſchaſius Radbertus in vita Adelhardi, Abbatis Corbeïenſis: *Interea*, inquit, *cum cœpiſſet idem Epiſcopus à nobis percontari, utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Apoſtolo ſancitum eſt, deberet inungi, interrogavimus eum, utrum vellet quem procul dubio ſciebamus peccatorum oneribus non detineri: quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominus obſecrabat ut fieret.* Adhelardus cum ægrotus in lecto decumberet, petiit ut ungeretur, nec ante unctus fuit, quam petiiſſet.

Antiquus Extremæ Unctionis conferendæ ritus, quem ex MS. codice Ratoldi Abbatis edidit Hugo Menardus in ſuis ad librum Sacramentorum notis: *Incipit ordo Unctionis infirmi. Hic dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me advocaſti, frater? Ille ait: Ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noſter* JESUS CHRISTUS *veram, facilemque, unctionem*, &c. Hoc in ritu Sacerdos ad infirmum non prius vadit, quam ab illo advocetur.

Auctor vitæ ſancti Remberti Bremenſis Archiepiſcopi, quem mors abſtulit anno Chriſti DCCCLXXXVIII. *Septimo ante obitum die miniſterium ſacræ unctionis cum*

* Jam obſervatum eſt juxta Mabillonii Calculos Eugendum tantùm attigiſſe annum Chriſti propè 510.

oleo ſancto exhiberi ſibi præcepit, una cum communione corporis & ſanguinis Domini, cujus communionis ſalutare remedium ad extremum uſque ſpiritum quotidie percepit.

Osbertus Monachus in vita ſancti Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi, cap. XI. ubi de pia quadam matrona loquitur: *Tantum precor, ut cras mane ad me venias, & mihi cum ſacramento ſacræ Inunctionis Viaticum dominici corporis tradas.* Verba ſunt mulieris, quæ a Dunſtano Unctionem petit infirmorum.

Rupertus in vitæ ſancti Hereberti Colonienſis Epiſcopi capite XXIX. *Cum urgente atque ingraveſcente moleſtia vexaretur prope Coloniam, mittens Abbatem Eliam accerſivit. Quo veniente ipſe ſecundum præceptum Apoſtoli, ſacro eſt tinctus oleo in nomine Domini, pariterque corporis & ſanguinis dominici Sacramentis munitus.* Hæc ad annum Chriſti MXX. quo Herebertus migravit.

Auctor vitæ ſanctæ Chunegundis Auguſtæ, cap. XIV. *At illa converſa ad eos, qui illic aſſidebant, Presbyteros, ſacræ unctionis oleum & Euchariſtiam ſibi petiit miniſtrari.*

Auctor vitæ ſancti Godehardi Hildesheimenſis Epiſcopi, cap. XXXI. *Serio mandavit, ut ſacram olei unctionem, cum vera pœnitentia, & peccatorum confeſſione ſibi peteret adhiberi, ac deinde corporis & ſanguinis Chriſti Sacramento munitus intrepidus Prior hinc emigraret.* Sermo eſt de Godehardo, dum Abbatem Altahæ ageret.

Ælfricus Epiſcopus Anglorum in ſuis canonibus ad Wlſinum Epiſcopum num. XXXII. „Habebit etiam Presbyter conſecratum oleum duplex, hoc infantibus, illud ægrotis pa„ratum, & ægrotos ſemper unger jacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt, & „in ægritudine ſua ſe non concedunt ungi. Dicam quod de iis docuit Jacobus Domini „Apoſtolus, qui credentibus ait: Triſtatur aliquis veſtrum? oret. æquo animo eſt? „pſallat. infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, „ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit „cum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum pec„cata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Hæc locutus eſt Jacobus de ungendis „ægrotis. Ægrotus autem priuſquam inungatur, confitebitur ab intimo corde, ſiquid „peccati commiſerit, pro quo dignam non contulerit ſatisfactionem, ſicut Apoſtolus hic „jam ſupra eum monuit, & nemo præſumar eum ungere, niſi exoratus, & poſt peractam „confeſſionem.„ Vetat ne quis unctionem ægroto tribuat niſi ægrotus petierit.

Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus in vita ſancti Arnulſi deceſſoris ſui, cap. L. *Viceſimo primo die ægrotationis ſuæ, vocatis ad ſe diſcipulis cum Eccleſiæ vicinæ clericis, ſacro oleo voluit inungi, dans confeſſionem coram omnibus, & omnium preces humiliter expetens.* Sic, ut inungeretur, petiit ſanctiſſimus Antiſtes, qui anno Chriſti MLXXXVII. rebus humanis exceſſit.

Auctor vitæ ſancti Aiberti Criſpinienſis Monachi: *Sentiens adeſſe mortem pro foribus, acciri jubet Engelbertum, id temporis Criſpinienſis Cœnobii Priorem, a quo ſacro eſt oleo unctus, & corporis ac ſanguinis Chriſti ſacra communione catholice munitus.* Aibertus autem Paſchali II. Pontifice floruit.

Gaufredus Monachus in vita beati Bernardi Tironenſis Abbatis primi, cap. LVI. *Dehinc ſacra eſt unctione de more perunctus, atque dominici corporis & ſanguinis perceptione munitus, nobis adſtantibus, quod petierat impetrato, poſt lacrymabili valedicto, gregemque ſuum ſummo paſtori, non tam verbis, quam lacrymis commendato, pius paſtor ad cellam, de qua delatus fuerat, revehitur.* Bernardus igitur ſacram infirmorum Unctionem petiit, eaque obtenta vitam depoſuit anno MCXVI.

Nicolaus Monachus libro I. de vita ſancti Godefridi Ambianenſis Epiſcopi, cap. XXXI. *Decumbit* (pia quædam mulier volens a Godefrido inungi) *mox acri febre, morbo invaleſcente, a Godefrido ſacro oleo ungitur, Sacramenta dominica ab ejus percipit manu, mire exultat ſe a Domino exauditam, & illi lætabunda reddidit ſpiritum.*

Guibertus Abbas Novigentinus libro III. de vita ſua, cap. III. "Itaque dominus „Epiſcopus diabolicam banc copulam male ſanus abſolvit. Mulra ſuper Epiſcopi moribus „referri poſſent prorſus digna taceri, in quo ſupereminet illud, quod nulla peccati con„ſcientia compungebatur ad Deum. Is tanden infirmitate contactus, nec a levitatibus in„firmitate contractior, ita repente ſopitis ſenſibus nubilo mortis involvitur, ut loqui „ex ratione non poſſit, qui confeſſio, inunctio, communio aliis curantibus ſunt violen„ter illata, nec eſt ſententia poſtulata. Cumque tamen lingua & oculis pene jam ſub „morte natantibus, Ingelrannus ille, quem male ſolvendo ligaverat, adveniſſet, quem „etiam clerici ut inungeretur, quaſi excommunicatum a domo excluſerant, eumque lacry„mans compellaſſet, dicens: Domine Epiſcope, ecce Ingelrannus, ego ſum cognatus tuus; „ille, qui neque confiteri, neque inungi, neque communicari petere ſciverat. Alludit ad

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ morem, quo hæc tria, & cum primis unctio ab ægrotantibus petebatur.

Helmoldus Canonicus Butzovienſis, qui hiſtoriam converſæ ad fidem gentis Henetæ, ſive Sclavicæ, ad annum MCLXX. ſcripſit lib. I. cap. XLIV. *Ludolphus venerabilis Sacerdos ætate decrepitus, ubi ægritudine mortali decubuit, miſit ad accerſendos Sacerdotes & Religioſos quoſque, & impetrato ſanctæ unctionis officio, conqueſtus eſt.*

Jacobus Montanus libro IV. de vita ſanctæ Elizabethæ reginæ, cap. V. *Videns igitur, quod ſibi mortis periculum immineret, vocato Patriarcha Hieroſolimitano, ab ipſo ſacræ unctionis ſacramentum accepit, qui ut officium ſolenne hoc perageret, Epiſcopum de ſancta Cruce cooperatorem aſſumpſit, peracta unctione ſacroſancti corporis Domini noſtri* JESU CHRISTI *ſibi viaticum tradiderunt.*

David Nannetenſis Epiſcopus in ſuis ſtatutis, quæ nondum in lucem prodierunt: "Item „cum per negligentiam infirmorum, & eorum qui habitant circa eos, frequenter multi „tranſeunt ex hac vita ſine confeſſione & viatici, ſcilicet corporis dominici perceptione, „ac etiam ſine ſacramento Extremæ Unctionis, de quo graviter eſt dolendum; nos „attendentes conſilium ſancti Jacobi, quo cavetur: Infirmatur aliquis ex vobis, „inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Do„mini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in pecca„tis ſit, dimittentur ei. Nos tantis animarum periculis, quantum poſſumus, occurrere „cupientes in virtute ſanctæ obedientiæ, omnibus Capellanis, & Curatis noſtratum civita„tis & diœceſis, eorumque Subcapellanis præcipimus & mandamus, ut ſingulis diebus „dominicis parochianos ſuos ſollicite moneant & hortentur, ut ſtatim atque in lecto ja„cuerint, Sacramenta Eccleſiaſtica petant, ſimiliter & requirant.

Synodus Lemovicenſis, quæ anno Chriſti MDXIX. habita eſt, de poſtrema Unctione: *Poſtrema unctio ideo dicitur, quia eſt poſtremum Sacramentum, quod datur infirmis graviter ægrotantibus, quando magis ſperatur de morte, quam de vita; & ſi poſſibile eſt, debet procedere de voluntate infirmi.* Hæc tunc erat Eccleſiæ conſuetudo, ut non ante infirmis conferretur unctio, quam petiviſſent.

Hanc demum conſuetudinem aſſerimus ex multis ritualibus libris, quos juxta provinciarum notitiam adducimus.

Ex prima Lugdunenſi.

Ritualis liber Æduenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXIII. de ſacramento Extremæ Unctionis: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ritualis liber Lingonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXIII. de Extrema Unctione: *Incipit ordo ad ſacramentum Extremæ Unctionis conferendum, quando quis graviter infirmatur, & quærit ſeu quæſivit iſtud Sacramentum ſibi dari.*

Ex quarta Lugdunenſi.

Ritualis liber Trecenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLI. & anno MDLXXIII. de Extrema Unctione: *Incipit ordo ad viſitandum infirmum, & ad ſacramentum Extremæ Unctionis conferendum, quando quis graviter infirmatur, & quærit iſtud ſeu quæſivit iſtud Sacramentum ſibi dari.*

Ex quinta Lugdunenſi nova.

Ritualis liber Carnotenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MCCCCLXXXIX. anno MDXLIV. anno MDCIV. de Extrema Unctione: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.* Paullo aliter in ultima editione laudata: *Modus adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum, aut ſubſequenter ſaltem a cuſtodientibus infirmum.*

Ritualis liber Meldenſis Eccleſiæ, qui anno MDXLVI. de Extrema Unctione: *Modus adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem ſigno aliquo; qui ſi ita propinquus ſit morti, & prius illud poſtulaverit, vel ſaltem dixerit ſe velle vivere & mori in fide catholica, cuſtodes ejus nomine petere poſſunt & debent.*

Ex Belgica prima.

Ritualis liber Metenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLII. in ordine Extremæ Unctionis: *Interrogetur infirmus, ſi petat Sacramentum Extremæ Unctionis, & ſi in fide velit illud recipere. Reſpondeat: Volo.*

Ritualis liber Tullenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLIX. de ſacramento Extremæ Unctionis: *Ordo ad viſitandum infirmum: Inprimis interrogetur, ſi petat ſacramentum ultimæ Unctionis, & ſi in fide velit illud recipere. Reſpondeat: Volo.*

Ritua-

Ritualis liber Virdunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLIV. in modo adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum: *Sacramentum hoc ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus infirmum.*

Ex ſecunda Belgica.

Ritualis liber Remenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIV. & anno MDXXX. de Extrema Unctione: *Hoc autem Sacramentum cuilibet fideli, ſi petierit & requiſierit, eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi.*

Ritualis liber Bellovacenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV. de Extrema Unctione: *Hoc autem Sacramentum cuilibet fideli, ſi petierit & requiſierit, eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi.*

Ex Aquitanica prima.

Ritualis liber Claromontenſis Eccleſiæ, qui anno MDXVIII. editus eſt de ſacramento Extremæ Unctionis: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ritualis liber Sanflorenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXV. de ſacramento Extremæ Unctionis: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ritualis liber Lemovicenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLV. de Extrema Unctione: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ritualis liber Mimatenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXX. in ordine ad viſitandum infirmum: *Eſt notandum, quod non datur niſi petentibus verbo vel ſigno.*

Ex Aquitanica ſecunda.

Ritualis liber Burdegalenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCXI. de Extrema Unctione: *Licet ſacramentum Extremæ Unctionis regulariter poſt pœnitentiam & Euchariſtiam miniſtrari debeat, ei tamen, qui ob inſaniam, furorem, vel alium morbum hæc Sacramenta recipere non poteſt, conferenda eſt Extrema Unctio, ſine prævia confeſſione, & Euchariſtiæ ſumptione, quamvis antequam inſaniret, aut loquelam amitteret, non petierit. Si tamen erat bonæ vitæ, quia non præſumitur immemor ſuæ ſalutis pluſquam in vita, unde præſumitur, quod petivit, vel quod petiviſſet, ſi advertiſſet, & quod petere voluit, ſed non potuit; ſi tamen erat excommunicatus, vel malæ vitæ notoriæ, & non oſtendit ſigna pœnitentiæ, non debet ei dari.*

Ritualis liber Petragoricenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDV. de Extrema Unctione: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ex Narbonenſi prima.

Ritualis liber Nemauſenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXIII. in ordine Extremæ Unctionis: *Sequitur modus adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis, & nota quod iſtud Sacramentum non datur, niſi infirmus petat verbo vel ſigno illud ſibi conferri, vel dederit alii in mandatis, ut pro ipſo petat, ſi neceſſitas evenerit, in qua ipſe infirmus non poſſit petere cauſa infirmitatis.*

Ritualis liber Magalonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXIII. in ordine Extremæ Unctionis: *Modus autem adminiſtrandi Extremæ Unctionis ſacramentum, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ritualis liber Ucetienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MD. de Extrema Unctione: *Modus adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis, quod ab infirmo requirendum eſt, & petendum ſaltem a cuſtodientibus illum.*

Ex Novempopulonia.

Ritualis liber Auſcienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCII. in ordine adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis ad uſum Romanæ Eccleſiæ: *Statim atque Curio vel illius Vicarius requiſitus fuerit, ut ei ſacramentum Extremæ Unctionis adminiſtratum, induet ſuppellicium*, &c.

Ex provincia Viennenſi.

Ritualis liber Viennenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXVII. in adminiſtratione ſacramenti Extremæ Unctionis: *Hoc Sacramentum datur ſolum infirmis, adultis, & pœnitentibus, & qui ſunt in periculo mortis, quique illud petunt, vel ante petierunt, quam per infirmitatem intellectu & bono ſenſu privarentur.*

CAP. II.

CAPUT II.

Nonnullæ in explicatam Traditionem Obſervationes.

QUÆ explicatæ Traditionis teſtimonia produximus, aperte demonſtrant olim in more poſitum fuiſſe atque inſtituto Eccleſiarum, ut non prius infirmis ſacra daretur Unctio, quam illam poſtularent. Quare reliqua poſſunt eſſe pauca, quæ in eam rem obſervemus. Obſervabimus igitur, ſive ut explicata Traditio confirmetur magis magiſque, ſive ut extremæ Unctionis circa hoc punctum diſciplina perfectius cognoſcatur.

OBSERVATIO I.

Hujus Traditionis explicationem ultra annum Chriſti ſexcenteſimum reduci facile non poſſe, præſumendum; tamen id ita factum, donec contrarium certis auctoritatibus oſtendatur.

EXPLICATÆ Traditionis caput fecimus Eugendum Abbatem, qui non ante ſacram infirmorum Unctionem habuit, quam poſtulaſſet, antiquiorem facere voluiſſemus; ſed adhibita qualibet diligentia nobis occurrit nemo, quem adduceremus. Hoc Sacramentum poſt annum Chriſti ſexcenteſimum frequentiori quam antea in uſu eſſe cœpit, ſive quia pœnitentibus, ut Innocentius Papa dicit, ſive quia hominibus vita innocentiſſimis & virtute florentiſſimis, ut ex Adelhardi vita colligitur, non conferretur. Quidquid in cauſa, Sacramenti hujus crebritas ultra illam ætatem apud auctores non celebratur; non eſt tamen dubium quin fuerit in uſu. Id enim ille docet Pontifex ad Decentium ſcribens Eugubinum Epiſcopum cap. VIII. ubi quis ſit & eſſe poſſit miniſter, & pœnitentibus alioqui non eſſe dandum exponit. Ad rem vero quod attinet, exiſtimandum eſt veriſimiliter, eos ægrotos, quibus adminiſtrabatur hoc Sacramentum, antea per ſe, vel per ſuos cuſtodes quæſiviſſe; ſiquis tamen contrarium certis auctoritatibus evinceret, ei non repugnanter aſſentirer.

OBSERVATIO II.

Ægrotos eſſe nonnullos, quibus neganda non eſt unctio, tametſi eam non petiverint.

HÆC difficultas, quæ ſæpiſſime occurrit, probe diluta eſt in rituali Burdegalenſis Eccleſiæ libro, quem in Traditionis explicatione retulimus. In eo decernitur, quibus ægrotis danda, & quibus neganda unctio eſt. Tractatur hæc quæſtio inter vetera Trecenſis Eccleſiæ ſtatuta, & convenienter huic rituali libro ſic dirimitur: *Utrum ante phreneſim, vel antequam amiſerint loquelam, debeat dari Extrema Unctio. Diſtinguunt Doctores ſupradicti*, (Antoninus & Paludanus) *quia ſi talis erat excommunicatus, vel malæ vitæ notorie, & non oſtendit ſigna pœnitentiæ, tali non debet dari, quia ſi ſemel malus, ſemper præſumitur malus, niſi probetur contrarium; ſed ſi bonæ vitæ erat, non præſumitur immemor ſuæ ſalutis in morte pluſquam in vita, licet non probetur, vel quod petiviſſet, ſi advertiſſet, & quod petere voluit, ſed forte non potuit. Hæc illi.* De iis vero, qui laudabilem coram hominibus vitam vivunt, & communi morbo, qui nec phreneſim adferat, nec loquendi facultatem adimat, laborant, paullo aliter dicendum videretur. Nam ſi beati Jacobi epiſtolæ, in qua ægrotus debet Presbyteros inducere, vel, ut Chryſoſtomus interpretatur, accerſere, explicatæque Traditioni ſtetur, ii de quibus modo loquimur, aut eorum certe cuſtodes, debent unctionem petere, antequam conferatur. Ego duobus iſtis Theologiæ ſacræ principiis adhæreo, non philoſophicis & humanis rationibus, quibus fundata non eſt Chriſtiana Religio, ſed quibus avari Sacerdotes commoda ſua metiuntur.

OBSERVATIO III.

Græcorum in eandem diſciplinam conſpiratio.

UT antiquiores Latini, ita & Græci pauca de hujus Sacramenti uſu memoriæ prodiderunt. Quapropter nulla mihi veterum Græcorum occurrit auctoritas, qua conſtet infirmos prius Unctionem petiiſſe, quam accepiſſent. Victor quidem Antiochenus in commentario ad cap. VI. Marci, Joannes Chryſoſtomus lib. III. de Sacerdotio, & Cyrillus Alexandrinus lib. VI. de adoratione in ſpiritu & veritate, loquun-

loquuntur quidem de unctione, cujus meminit Jacobus in epiſtola ſua: ſed momentum illud quod modo tractamus, non attingunt. Recentiorum Græcorum talis eſt diſciplina, ut qui apud eos infirmantur, Presbyteros non accerſunt modo, ſed & nonnunquam deferri ſe curant ad Eccleſiam ut ab iis ungantur. Quod quia epiſtolæ Jacobi convenit, ab omni retro Traditione manare credendum eſt. Sunt porro inter recentiores Græcos, qui cum recte valent, ungant ſe oleo infirmorum, ſive dum in Eccleſia conficitur, ſive poſtquam confectum eſt: ſed illud neque ſacræ Scripturæ teſtimonio, neque veteris Eccleſiæ ritu confirmari poteſt.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa ſtatum & ætatem infirmorum ſacram Unctionem ſuſcepturorum.

IN hac Traditione non erimus longiores, quia ex veteribus monumentis ſuppetunt pauca, quibus eam explicemus; ſed ſufficit id quod fieri poteſt, tolerabiliter præſtare.

CAPUT I.

Chriſtianus eſſe debet, qui ungitur oleo infirmorum.

QUÆSTIONEM hanc moviſſe videtur Decentius Eugubinus Epiſcopus, ad quem Innocentius Papa primus ſcripſit Theodoſio Aug. VII. & Palladio V. Conſulibus, id eſt, anno Chriſti CCCCXVI. Innocentius igitur eam ſolvit cap. VIII. epiſtolæ ſuæ, quæ extat in codice canonum Eccleſiæ Romanæ. Verba ſunt: *Sane*, inquit, *quoniam de hoc ſicut de ceteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam ſic filius meus Cæleſtinus Diaconus in epiſtola ſua eſſe a tua dilectione poſitum illud, quod in beati Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt: Si infirmus aliquis in vobis eſt, inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt.* Fidelis autem eſt, qui baptiſmum ſuſcepit, & ſe in Chriſti familiam aggregravit. Quod ex oratione Jacobi facile colligitur, ubi ſermonem inſtituit de infirmo, qui inter eos eſſet ad quos ſcribebat: hi autem erant fideles, quamvis epiſtolæ inſcriptio videatur alios quoque complecti: *Jacobus Dei & Domini noſtri* JESU CHRISTI *ſervus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Sic alloquitur eos, qui tum in tribubus illis duodecim Chriſto mancipati erant.

CAPUT II.

Pœnitentibus olim non dabatur Unctio infirmorum.

HUJUS capitis argumentum facit Innocentius eodem in loco, quem antea laudavimus; ſic enim ait: *Ceterum, ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum, & benedicere & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum chriſma conficere. Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum putatur poſſe concedi?* Hic eos ſine dubio pœnitentes intelligit, de quibus ſermonem habet cap. VII. *De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Verum etſi canonis verba non ſint comprehenſu difficilia; ea tamen dum ad uſum referenda ſunt, negotium aliquod important: vel enim ſermo eſt de pœnitentibus, qui recte valent, vel de iis, qui morbo laborant. At de recte valentibus ſermonem inſtitui, non eſt credibile, cum credibile non ſit Pontificem velle, ut iis conferatur Unctio infirmorum. De pœnitentibus igitur ægrotis cum ſermo fiat, hinc illis neganda, inde concedenda videtur Unctio. Quod autem neganda ſit Innocentii verba præ ſe ferunt ut quæ manifeſtiſſime; quod vero danda, utcunque colligitur ex hac poſtrema cap. VII. clauſula: *Sane ſiquis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ*

Paſchæ relaxandum, ne de hoc ſæculo abſque communione diſcedat. Utcumque, inquam, colligitur, ſi *ne de ſæculo abſque communione diſcedat*, idem ſit atque, *ne de ſæculo abſque Sacramentorum participatione diſcedat*; ſed iſtud mihi non videtur certum, immo ab Innocentii mente alienum, cum cap. proximo, id eſt, VIII. diſerte pronuntiet: *Pœnitentibus* (ſine dubio infirmis, ut oſtenſum eſt) *illud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Eam ergo videtur intelligere communionem, quæ ſine participatione Sacramentorum fieret; precum autem & orationis tantum communionem aliquando fuiſſe canones infiniti demonſtrant. Bellarminus quidem libro de ultima Unctione cap. IX. extremo Innocentium aliter intelligit, cum ita ſcribit: *Quinto conſtat eum, qui hoc ſacramentum ſuſcipit, debere eſſe non excommunicatum, nec ante confeſſionem & abſolutionem, ſi conſtet eum teneri peccato, a quo nondum ſit abſolutus. Ita Innocentius in epiſtola I. ad Decentium cap. VIII.* Sed Innocentius neque habet aliquid iſto cap. VIII. de ea re, neque quæ Bellarminus dicit, ea in epiſtolam Innocentii quadrant. Aliud eſt Innocentii decreta hodiernis, quod facit Bellarminus, aliud antiquis, quod faciendum eſt, Eccleſiæ inſtitutis, & moribus metiri.

CAPUT III.

Hominibus olim vita innocentiſſimis non dabatur Unctio infirmorum.

EAM fuiſſe olim in adminiſtrando poſtremæ Unctionis ſacramento diſciplinam, ut inculpatæ vitæ hominibus non daretur, tria non obſcure demonſtrant. Unum eſt, quod primis Eccleſiæ ſæculis Patres ſanctiſſimi dum migrarunt, Unctionem infirmorum nunquam, aut raro ſuſcepiſſe legantur. Qui Athanaſii, Baſilii, utriuſque Gregorii, Nyſſeni & Nazianzeni, Ambroſii, Hilarii, Martini, Joannis Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, & aliorum vitas ſcripſerunt, accepti ab iis hujus Sacramenti non meminerunt. Gregorius Turonenſis librum habet integrum, quo vitas Patrum complexus eſt; ſed ne Patrem quidem unum norat, qui dum infirmaretur, hanc unctionem acceperit. Dixi, nunquam aut raro ſuſcepiſſe legantur, quia nollem de omnibus omnino, ſeu de ſingulis abſolute pronunciare. Jam enim animadverti Eugendum Abbatem antequam migraret, unctum fuiſſe, ſive quia nonnihil in ſe peccati agnoſceret, ſive quia ex certo quodam pietatis ſenſu unctionem ſibi dari vellet.

Alterum habetur in vita ſancti Adelhardi, Corbeïenſis, Abbatis, quam Paſchaſius Radbertus ſucceſſor exaravit. Verba ſunt: *Interea cum cœpiſſet idem Epiſcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Jacobo ſancitum eſt, deberet perungi, interrogavimus, utrumne vellet, quem proculdubio ſcieramus peccatorum oneribus non detineri: quod ille audiens, erectis oculis in cælum cominus obſecrabat, ut fieret.* Hic, ut apparet, Corbeïenſes Monachi de danda Adelhardo unctione non cogitabant, quia noverant eum nullis obſtrictum criminibus teneri. Deinde Ambianenſis Epiſcopus id quoque ſignificat, dum ſciſcitatur a Monachis, utrum jam jam moriturus Abbas debeat oleo benedictionis perungi. Qui enim ignorat eum tunc Eccleſiæ morem fuiſſe, ut homines mortis vicini ex Apoſtolica diſciplina ungerentur? Epiſcopus igitur Monachos, qui exploratam Abbatis vitam habebant, interrogat ut aſſequi poſſit, num ille eſſet talis, qui hocce Sacramento non indigeret. Quod audiens, & ſubodoratus Abbas, ſtatim petiit, ut Extrema Unctio ſibi conferretur.

Tertium colligitur ex multis ritualibus libris, qui præcipiunt ne infantibus ante annum ætatis decimum-quartum Extrema detur Unctio. Qui autem hominibus inculpatæ vitæ datam olim fuiſſe infirmorum Unctionem, dum ſcilicet commode dari potuit, contenderent, reddenda illis eſſet ratio, cur infantes, qui ante illud tempus excedunt, hoc Sacramentum non accipiant. Et certe alia nulla reddi poteſt ratio, quam in infantibus exiſtimata vitæ, morumque innocentia, quæ olim in alterius ætatis hominibus cum par inveniretur, parem Sacramenti hujus uſum abjudicabat. Ceterum proximo cap. recenſitum imus ritualium librorum teſtimonia, quibus memorata ætas Unctioni ſacræ inopportuna deſignatur.

CAPUT IV.

Unctio infirmorum conferenda non eſt excommunicatis, amentibus, fatuis, furioſis, ſanis, aut pueris ante annum ætatis XIV.

HOc uno lemmate ſex perſonarum genera complectimur, quibus danda non eſt Unctio infirmorum. Hæ ſunt, excommunicati, amentes, furioſi, fatui, ſani, & pueri qui nondum impleverunt annum ætatis ſuæ XIV. Quia vero res eſt diſciplinæ & ritus, eam probatum imus ex libris Rituum quamplurimis; ſed, ut omnis vitetur confuſio, eundem, quem antea, ordinem ſervabimus, & per ſingulas provincias digeremus.

Ex prima Lugdunenſi.

Ritualis liber Æduenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno Chriſti MDXXXIII. rem ita præſcribit: *Sciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ex quinta Lugdunenſi nova.

Ritualis liber Carnotenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MCCCCLXXXIX. anno MDXLIV. & anno MDCIV. *Sciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ritualis liber Meldenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLVI. *Sciendum eſt, quod miniſtrari non debet excommunicatis, nec pueris ante decimum-quintum, aut decimum-ſextum annum, nec furioſis, nec phreneticis, (niſi ante phreneſim, aut maniam petierint) nec ſanis.*

Ex Belgica prima.

Ritualis liber Virdunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLIV. *Sciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante decimum-quartum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ex Belgica ſecunda.

Ritualis liber Remenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIV. & anno MDXXX. *Eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi, dum tamen infirmus adultus fuerit, hoc eſt, quod annum decimum-quartum compleverit, & quod excommunicatus non fuerit, aut fatuus, ſeu furioſus, prout dixit Oſtienſis. Unde verſus:*

Non eſt ungendus furioſus, morio, parvus.

Ritualis liber Bellovacenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV. *Eſt miniſtrandum ſemel duntaxat in qualibet infirmitate gravi, dum tamen infirmus adultus fuerit, hoc eſt, quod ante annum decimum-quartum compleverit, & quod excommunicatus non fuerit, aut fatuus, ſeu furioſus, prout dicit Oſtienſis. Unde verſus:*

Non eſt ungendus furinſus, morio, parvus.

Ritualis liber Catalaunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXIX. & anno MDLXIX. *Sciendum igitur eſt, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante decimum-quartum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec etiam ſanis.*

Ex tertia Belgica nova.

Ritualis liber Atrebatenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXIII. *Et ſciendum eſt, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.* Hunc librum correxit & probavit Franciſcus Richardotus Atrebatenſis Epiſcopus, qui Concilio Tridentino interfuit.

Ex Aquitanica prima.

Ritualis liber Claromontenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXVIII. & anno MDXXV. *Sciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ritualis liber Sanflorenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXV. *Sciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ritualis liber Lemovicenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLV. *Sed ſciendum, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ex Aquitanica ſecunda.

Ritualis liber Petragoricenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIX. *Sciendum quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante quartum-decimum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Ex provincia Viennenſi.

Ritualis liber Viennenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXVII. *Hoc Sacramentum datur ſolum infirmis, adultis & pœnitentibus, & qui ſunt in periculo mortis, quique illud petunt, vel ante petierunt, quam per infirmitatem intellectu & bono ſenſu priventur.* Adultus autem non eſt, qui nondum attigit annum ætatis decimum-quartum.

Ex Narbonenſi prima.

Ritualis liber Magalonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXIII. *Sciendum eſt, quod non miniſtratur excommunicatis, nec pueris ante decimum-quartum annum, nec furioſis, nec fatuis, nec ſanis.*

Hic autem quot ſunt rituales libri, tot ſunt argumenta egregia, quibus propoſita hujus Sacramenti diſciplina confirmatur. Quare donec contrarium appareat, prudenter exiſtimandum eſt, ſancitam his libris hac in re diſciplinam ab antiqua Eccleſiarum iſtarum Traditione manare. Deinde non deſunt rationes, quæ Traditioni pondus aliquod adjiciant.

Ad excommunicatos quod attinet, ii cum ab Eccleſiæ cœtu disjuncti ſint, partem in ejus Sacramentis nullam habere debent. Hoc ipſa vis vocabuli notioque declarat. Amentes, furioſi, ſatui ab hoc Sacramento arceantur, cum ſtatus ille, in quo verſantur, impediat, ne ad illud ſuſcipiendum pie, decenterque parare ſe poſſint; quin autem Extrema Unctio pie decenterque tractanda ſit neminem dubitaturum opinor; pueris vero, qui annum ætatis decimum-quartum, vel non exceſſerunt, vel non attigerunt, negatur unctio, tum quia nondum depoſita vitæ integritate, ſint expertes peccatorum, de quibus in epiſtola beati Jacobi ſit mentio; tum quia per ætatem non liceret eum edere pietatis ſenſum, quem memoratæ Eccleſiæ neceſſarium judicarunt. Poſtremo ipſa hujus Sacramenti conditio, & natura docet illud recte valentibus non eſſe dandum. Jacobus enim in epiſtola ſua clamat in ægrototum gratiam inſtitutum eſſe. Præterea pontificales libri veteres Unctionem infirmorum appellant.

CAPUT V.

Nonnulla in expoſitam Traditionem Obſervationes.

GENERALEM & ἐν ὑλῷ, Extremæ Unctionis diſciplinam circa ſtatum ægrotantium, quibus illa conferri debet, pro eo ac licuit, expoſuimus, & quæ habuimus antiquæ Traditionis monimenta, in conſpectum omnium dedimus. Verum licet aperta ſint illa & præclara, non poſſunt tamen ex ſe difficultatibus, quæ intervenirent, ſatisfacere. Quamobrem Obſervationes ad id nonnullæ comparandæ mihi videntur.

OBSERVATIO I.

Antiquos canones antiquis moribus eſſe interpretandos, niſi quis errare velit.

QUÆ ad caput octavum epiſtolæ Innocentii diximus, non facile capient aut concedent, qui documentis recentibus præpediuntur. Ego vero facile patiar, eos a mea ſententia recedere, ſi quam allaturi ſunt aliam, confirment ex ritibus, quos Eccleſia Romana ante Innocentium, vel Innocentii tempore circa pœnitentes ægrotos obſervarit. Romanam dico Eccleſiam, quia illius, & non alterius conſuetudinem in danda Extrema Unctione declarare ſe profitetur. Sic enim claudit caput octavum epiſtolæ: *His igitur, frater cariſſime, omnibus, quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, reſpondere curavimus, ut Eccleſia tua Romanam conſuetudinem, a qua originem ducit, ſervare valeat, atque cuſtodire.* Quod autem faciendum ſit id, quod faciendum eſſe dico, celeberrimi inter Græcos Patres duo, Chryſoſtomus & Cyrillus decreverunt; Chryſoſtomus quidem in homilia de verbis Hieremiæ cap. x. „Non eſt in homine via ejus. Non enim hunc tantum locum excutiemus: Non „eſt in homine via ejus: ſed & contextus omnem ſeriem, & pro quibus dicta ſunt „illa, & a quo, vel ad quem, quam ob cauſam, quando & quomodo: non enim „dicere ſufficit aliquid in Scriptura ſcriptum reperiri, neque temere avulſa, ac diſcerpta „divinitus inſpiratæ Scripturæ membra nuda, & a reliquo textu, ſerieque ſermonis ſejuncta „ſumere, ac nimia licentia, confidentiaque ipſis illudere. Sic enim prava dogmata multa in „noſtram hanc ætatem invecta ſunt, dum negligentioribus perſuaſit diabolus, ut oblique „diſtor-

„diſtorta teſtimonia proferrent, vel additis, ſubtractiſve nonnullis tenebras veritati effunderent. *Et poſt alia:* An non enim abſurdum eſt, ſi & in judiciis quidem ubi de „rebus ſæcularibus diſceptamus, omnia jura noſtra in medium proferamus, & loca, & „tempora, cauſas, perſonas, aliaque innumera producamus.„

Cyrillus vero in theſauro aſſert. XX. *Primum quidem oportet eum, qui ad inveſtigationem ſacrarum Scripturarum accedit obſervare, quo aliquid dicitur, & perſona, a qua dicitur, propter quid, & de quo dicitur. Ita enim, qui recte ſentire volent citra ullum errorem, quæ ſcripta ſunt, intelligent.* Hæc autem cum ita ſint, qui ſeorſum a complexu harum conditionum rem quamlibet intuetur, errandi periculo ſeſe exponit.

OBSERVATIO II.

Obſervationis primæ argumentum rurſus inculcatum.

QUI lectione capitis III. ſeipſum lædet, ſi contrarium apte doceat, non me lædet, quin potius ingenti devinctum beneficio tenebit; ſed quemadmodum, ut quis quid ſibi velit Innocentius, aſſequatur, reſpicere non debet ad eos Extremæ Unctionis titus, qui poſt illius Pontificis tempora circa pœnitentes ægrotos invaluerint: ſic, ut quis expoſitam illo capite III. doctrinam rejiciat, rejiciendi cauſam ſumere non debet ex iis ritibus, quos annis abhinc plus minus octingentis circa infirmos vitæ probitate florentiſſimos Eccleſia frequentavit. Neque tamen intra hanc epocham diſciplina illa vetus, quam capite III. ſatis planam feci, ſic extabuit, ut nullum reliquerit monumentum ſui. Nam ſiquis ab Scholæ rationum præjudicio liber ad rituales libros, ubi pueris ante annum XIV. unctio negatur, oculos adjiciat, in iis poterit noſtræ priſtinæ diſciplinæ non ſolum veſtigia, ſed etiam cubilia videre. Quod reliquum eſt, hoc Theologiæ genus qui tractat, animum debet ſemper defigere, atque intendere ad illud diſcrimen, quod inter fidei regulam, & Eccleſiarum diſciplinam intercedere Tertullianus notat cap. I. de velandis virginibus: *Regula quidem fidei una omnino eſt, immobilis, irreformabilis.* Quam ubi retulit, ita ſubdit: *Hac lege fidei manente, cetera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente uſque in finem gratia Dei.*

OBSERVATIO III.

Amentibus, furioſis, & fatuis Extremam Unctionem dari poſſe, ſi prius petierint, quam in amentiam, furorem & fatuitatem inciderent.

RITUALES libri omnes, quos affatim exhibuimus, furioſis quidem, amentibus, & fatuis Extremam Unctionem abjudicant, ſed non omnes præſcribunt quid agendum foret, ſi prius petiiſſent id Sacramentum quam in furorem, amentiam & fatuitatem incurrerent. Rituales libri duo, Viennenſis & Meldenſis, cum id fieri poſſe præſcribant, & ceteri nihil vetent, immo Conſtantienſis noſter, qui editus eſt anno MDCIX. ſic edicat cap. V. de Extremæ Unctionis ſacramento: *Amentibus & furioſis adminiſtrandum non eſt, niſi interdum rationis uſum habuerint, & ſanæ mentis tempore pii animi ſignificationem hujus Sacramenti ſuſcipiendi dederint.* Presbyteri in hac petitionis conditione, quam appoſui, furioſis, amentibus, & fatuis Extremam Unctionem negare non debent. Et certe cur iſtud pietatis opus negaretur huic hominum generi, nulla facit ratio, quæ ex duobus Theologiæ principiis, Scriptura & Traditione, ducatur. Scio quidem id non placere ſancto Thomæ, ſed nullum adfert Scripturæ locum, nullum Conciliorum canonem, quo placitum confirmet ſuum. Res eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ non humanis rationibus, ſed Scripturæ teſtimoniis, vel certe canonibus ſancienda eſt. Aliud quippe eſt Sacramenta philoſophice quod plerumque facit ſanctus Doctor aliud theologice, quod ſemper faciendum eſt tractare. Ille cauſam adfert irreverentiam, quæ cum neceſſitate, non libertate coalita ſit, cauſa non eſt: quis enim coalitam neceſſitate irreverentiam culpæ adſcriberet, irreverentiam aut defectum reverentiæ vocaret? Injuſtum enim eſſet, irreverentiæ, quæ culpa non eſt, irreverentiæ, quæ culpa foret, pœnam irrogare. Præterea quidquid eſſet irreligioſitatis, id totum Sacramenti petitio non compenſaret ſolum, ſed etiam penitus extingueret.

OBSER-

Observatio IV.

Pluribus in Eccleſiis idem Extremæ Unctionis, quod Euchariſtiæ ſumendæ tempus pueris aſſignatum eſſe.

PERMULTI rituales libri pueris certum tempus nullum præſcribunt ad accipiendam Extremam Unctionem, ſed quando qui Euchariſtiam accipiant, judicantur digni, eos tum demum accipiendæ Unctionis extremæ dignos ſignificant. Verba referre ſupervacaneum eſſet, cum nihil aliud importent. Quæ cum ita ſint, etiamſi forte hæ Eccleſiæ non differant ab aliis, quæ pueris ante annum XIV. Extremam conferunt Unctionem; ſi tamen differant, & hæ & aliæ ſuas conſuetudines ſervare tuto poſſunt. Semper enim perſuaſum fuit Eccleſiis omnibus, diverſas conſuetudines rituum nihil obeſſe, dummodo fidei unius integritas retineretur. Illæ porro Eccleſiæ certum tempus nullum notant, aut, ut annus XIV. non exſpectetur, ſtatuunt, quemadmodum Cameracenſis ſtatuit in Synodo anni MDLXVII. In hoc conveniunt omnes, quod pueri rationis uſum habere debeant. Qua in temporis circumſtantia pueris, ut Euchariſtiam, ita & Unctionem infirmorum tribuunt; ſi tamen vigeret adhuc priſtinus mos ille, quo pueris ante uſum rationis dabatur Euchariſtia, iis danda non eſſet unctio, cum nihil adhuc peccaſſent.

Observatio V.

Græcos ſanis & recte valentibus Extremam Unctionem perperam impertiri.

ANNI jam ſunt plures, cum Græci hominibus, qui bene valent, ſacramentum Extremæ Unctionis impertiuntur. Hunc uſum inter antiquiores defendunt Job Monachus, & Simeon Theſſalonicenſis Epiſcopus in libro de ſeptem Sacramentis: „Com-
„miſſo, *inquit*, peccato ad ſpirituales viros, (*ſic eos appellant, qui ſunt a confeſſioni-*
„*bus*) accedimus, & pœnitentes erratorum confeſſionem facimus, quorum ſpiritualium
„Patrum juſſu offerimus Deo ſanctum oleum in ſignum ipſius miſericordiæ & benigni-
„tatis, in qua divinum & exhilarans reſplendet gratiæ lumen. ſiquidem & lumina of-
„ferimus. Quoniam vero & oratio defertur, & oleum ſanctificatur, qui oleo tingun-
„tur, & remiſſionem peccatorum conſequuntur: ut etiam illa meretrix, quæ Salvatoris
„pedes unxerat, indeque ſeipſam quoque inunxerat. *Et poſt alia*: Quod vero Salvator
„in gratiam noſtri hoc etiam oleo unctus fuerit, ex unguento licet plane cognoſcere,
„quo cum inunxit, quæ ad eum acceſſit meretrix. Non illa quidem Maria Paſſioni pro-
„xima, ſoror Lazari, quæ & honeſta erat, cum illud unguentum in ſepulturam ipſius fu-
„derit. Quemadmodum etiam in domo Simonis Leproſi illa mulier, ſi tamen alia, &
„non Maria fuit. Nam iſtud quoque tempore Paſſionis factum eſt, & in ſepulturam item
„ipſius inquit fuiſſe exhibitum; ſed quod meretrix attulit, quam deſcripſit Lucas, quæ
„etiam lacrymis irrigabat, & pedes ejus ungebat, & capillis ſuis abſtergebat, quod ſane
„pœnitentiæ oleum eſt merito ipſi a peccatrice oblatum, quo & ipſa per capillos, quibus
„abſtergebat, uncta multorum peccatorum remiſſionem obtinuit.„ Hæc ille, qui ut creditur, ante annos quadringentos vixit.

Inter recentiores eminet Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui hac de re ſic ſcribit cap. VIII. cenſuræ Orientalis: *In ea item ipſa Catholica & orthodoxa Eccleſia ſeptem divina Sacramenta eſſe, Baptiſmum ſcilicet, ſacri unguenti Unctionem, ſacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam, & Extremæ Unctionis oleum.* Et poſt alia: *In his autem, qui poſt baptiſmum delinquunt, Pœnitentia & extrema ſacro oleo Perunctio, quæ velut medicinæ quædam lapſis poſt peccatum ſunt relictæ, vel, ut ipſam remiſſionem peccatorum conferant, vel reliquias earum ſordium, quæ per pœnitentiam expurgata non ſunt, emundent.* His accedit dandi olei bene valentibus conſuetudo, quæ hodie viget. Inter eoſdem Græcos non deſunt, qui hanc conſuetudinem reprehendant, & in turpis lucri ſortem deputent. Hinc Joannes Nathanael Cretenſis in epiſtola ad Pontificem Anagninum: *Myſterium itaque hoc, & eſt & appellatur ſeptimum, ut dictum eſt, quamvis nonnulli ex pſeudo-abbatibus & illiteratis Græcorum inſanientes, turpis lucri cauſa peccantibus, ſi reſipuerit, frequenter loco mulctæ, & inſtar rei, quæ illos ſanctificet, iſtud præbeant.*

Sunt autem tria, quæ huic conſuetudini opponantur. Primum eſt beati Jacobi epiſtola, in quam quidquid de vera hujus Sacramenti natura dicitur, tanquam in certam regulam transferendum eſt; eos vero, qui ungi debent, non ſanos, ſed ægrotos eſſe decer-

Digitized by Google

decernit. Alterum eſt mos veterum Græcorum, qui nullis unquam Chriſtianis, niſi laborantibus, Sacramentum illud dederint. Quod ex Simeone Theſſalonicenſi valide confirmatur. Is enim ad diſciplinæ ſuæ aſſertionem, neque Baſilium, neque Nazianzenum, neque Chryſoſtomum, neque Cyrillum, neque tandem Græcum auctorem ullum laudat, vel certe laudare poteſt. Novitas ergo eſt id quod vetuſtate confirmari nequit. Tertium, perpetua & conſtans Latinorum Traditio. Nunquam enim Latini Extremam Unctionem, quæ ab antiquioribus ſimpliciter dicitur infirmorum Unctio, hominibus bene valentibus dederunt, aut dandam eſſe præſcripſerunt. Ceterum, ſi Græci cum Latinis redire vellent in gratiam, nec vellent ab iſta diſciplina deſiſtere, eam tanti non eſſe credo, quæ pacem & concordiam merito retardaret. Hæc enim diſciplina tolerari ex eo poteſt, quod Latini annis abhinc octingentis panem fermentatum, quem in ſacrificiis majores omni retro ætate adhibuerant, reliquerint: quemadmodum eleganter docuit vir in paucis nominatiſſimus Jacobus Sirmondus in diſquiſitione de azymo. Reliquerunt ergo panem fermentatum, ut azymo uterentur, quo uſum fuiſſe Chriſtum Evangelia teſtantur. Recentiores Græci pari modo potuerunt deſerto more majorum, qui non ultra quam infimis Extremam Unctionem dederunt, eandem præterea ſanis, & iis etiam, qui pœnitentiam agere ſtatuerunt impertiri. Non quod ad faciendum illud beati Jacobi præcepto utantur, ſed exemplo Chriſti mulieris peccatricis, & unguentiferarum virginum, quæ, uti Simeon ediſſerit, oleum uſurparunt. Deinde quæ diſciplina non impedit, quominus in Florentino Concilio Græcos inter & Latinos ſanciretur concordia, eadem neque nunc temporis impedire debetet.

Explicata Eccleſiæ Traditio circa miniſtrum ſacramenti Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

De hujus Sacramenti miniſtro tractare crederem ego pene ſuperfluum, niſi varietas quædam hac in parte Græcos inter & Latinos inveniretur. Miniſtrum igitur, & quæ varietas inter eos eſt, eam expedio, & ſuis monimentis confirmo.

Explicandæ Traditionis initium facio a beato Jacobo, qui Presbyteros aſſignat miniſtros in epiſtola ſua cap. v. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Innocentius primus cap. VIII. epiſtolæ quam ea ſuper re ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcripſit, beati Jacobi verba repetit, & ſubdit poſtea: *Ceterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt.* Jacobi verbis implicatus hærebat Decentius, & dubitabat, num ut Presbyteris, ita & Epiſcopis infirmos ungere non liceret. Dubitationem omnem aufert reſpondens Innocentio Decentius, aſſeritque quod Presbyteris id etiam Epiſcopo plane licere, quamvis ſacrum illud munus obire non ſoleat, qui Presbyteris major eſt, Epiſcopus, quippe qui gravioribus curis & occupationibus diſtineatur.

Liber Sacramentorum Gregorii Magni, qui ex Miſſali MS. ſancti Eligii prodiit in lucem: *Multi Sacerdotum infirmos perungent inſuper in quinque ſenſus.* Huic libro conſentit vetus codex Rodradi inter notas Hugonis Menardi ad librum Sacramentorum: *Hic ponant manus ſuper infirmum omnes Sacerdotes & miniſtri eorum.*

Vetus Pontificale, quod in Bibliotheca Tilliana quondam aſſervabatur: *Imponunt manus ſuper infirmum omnes Sacerdotes, jubente, vel tantum permittente Epiſcopo, quia canonicus ſic docet ordo.*

Vetus Pontificale Monaſterii ſancti Remigii, quod laudatur inter Hugonis Menardi notas ad librum Sacramentorum: *Tunc Symbolum palam dicitur, hoc eſt, Credo in Deum Patrem, uſque ad vitam ſempiternam; deinde a Sacerdote dicatur ad infirmum: Credis, frater, quod Symbolum diximus? Cum reſponderit, aut nutu ſignificaverit, Credo, ungatur a Sacerdote, vel plurimis Sacerdotibus de oleo ſanctificato,* &c.

Carolus Magnus lib. VII. Capitularium num. CIII. „Secunda vice propter ampliorem obſervantiam Apoſtolica auctoritate, & multorum ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque Canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium „nobilium noſtrorum, noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes,

volu-

„volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo, vel tres tantum Epiſcopi electione ceterorum propter benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem, „& cum illis electi Sacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentias dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne ſine Viatico quis de ſæculo recedat.

Monachus Engoliſmenſis cap. XXIV. de vita Caroli Magni: *Oleo autem ſancto inunctus ab Epiſcopis, & Viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis commendans Domino ſpiritum ſuum obiit in pace.*

Riculſus Sueſſionenſis Epiſcopus in conſtitutione ſua num. X. *Item oportet, ut Preſbyteri infirmos ſuos poſt confeſſionem & reconciliationem oleo ſancto perungant, ut tunc eos communicent. Quod ſi ante adventum eorum infirmus obmutuerit, & certi teſtes ſunt, quod ipſe infirmus tale ſignum oſtenderit, quia pœnitentiam petiit, quam mora Sacerdotis ab eo excluſit, Viatici ei ſubſidium præbeant.*

Dunſtanus Canruarienſis Epiſcopus in Canonibus Eccleſiaſticis num LXV. *Docemus ut Sacerdos ægrotis*, (prout opus fuerit) *Euchariſtiam præbeat*, & (ſi deſideretur) *Unctionem.*

Egbertus Eboracenſis Epiſcopus in excerptionibus Canonum cap. XXI. *Ut ſecundum definitionem ſanctorum Patrum: Siquis infirmatur a Sacerdotibus, oleo ſanctificato cum orationibus diligenter ungatur.* Auctot ſermonis illius, qui in Auguſtanæ, ut creditur, diœceſis Synodo habitus eſt ad parochianos anno MIX. *Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & juxta Apoſtolum oleo ſancto inungite, & propria manu communicate.*

Alexander III. Papa in appendice Lateranenſis Concilii cap. XXII. ad Carnotenſem Epiſcopum: *Quæſivit a nobis tua fraternitas, utrum Sacerdos, uno clerico tantum præſente, infirmum debeat inungere; nos itaque tibi taliter duximus reſpondendum, quod Sacerdos, uno preſente clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum inungere.*

Euchologium Græcorum, qua parte proponit *Officium ſancti olei decantatum a ſeptem Sacerdotibus congregatis in Eccleſia, aut in domo.*

Simeon Theſſalonicenſis in opere de ſeptem Sacramentis: „Et Dei frater quidem (*Jacobus*) horum (*Presbyterorum*) numetum non exprimit. At vero ſeptem „eſſe vocandos conſuetudine traditum eſt. Quod fieri arbitror propter ſeptem dona, „quæ apud Eſaiam numerantur ſpiritus, vel propter illos ſeptem antiquæ legis Sacerdotes, qui divino juſſu circumeuntes urbem Hiericho, ſepties tubis cecinerunt, „atque mœnia diruerunt: ut etiam hic ſeptem Sacerdotes malitiæ urbem, duraque „mœnia altitudinum peccati demoliantur, vel etiam tanquam mortua exiſtente anima, ut ſupra puerum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, ſepties orent „Sacerdotes, & eam ſuſcitent, prout ſane excitavit puerum Eliſæus ſepties reverſus, ſepties item precatus: vel quemadmodum Elias ſepties orans, cælum, quod „peccantibus clauſerat, rurſus aperuit, atque deduxit pluviam; ſic iſti ſepties depecati ſolvant quidam ſquallorem peccati, accepta vero gratiæ clave, non ſecus „atque Petrus aperiant cælum, atque miſericordiam a Deo remiſſionis, velut imbrem deducant. Is ergo ſenſus eſt, ut mea fert ſententia, ſeptenarii numeri. „*Et poſtea*: Nonnulli vero, ubi penuria eſt Sacerdotum, tres tantum convocant, „idque non eſt reprehendendum: erit enim inprimis propter potentiam Trinitatis. Deinde vero etiam propter aliud factum Eliæ in teſtimonium & prædicationem Trinitatis. „Quando mortuum filium Saraphthiæ trina precatione, trinaque vice in eum incumbens „ſuſcitavit. Ceterum non eſt curioſius inquirendum de numero, quando neque numerus „ſcriptus eſt, niſi quod, quamvis non ſit ſcriptus; neceſſarium tamen eſt, antiquam „obſervare Traditionem, & ſint quidem ſeptem, ut veteris moris eſt: ſi vero neceſſitas „fuerit, tres ſint ad minus, eaque omnia recitent, quæcunque per Traditionem dicenda „eſſe acceperunt. Quoniam quæ a Patribus ſunt, ea quoque ſpiritus eſſe fatendum eſt. „*Et poſtea*: Quidam autem plures etiam quam ſeptem convocant ad declarandam majorem fidem, animique alacritatem. *Et poſtea*: Unus autem Presbyter Euchelæon ne „conficiat. Quoniam quemadmodum de Epiſcopo ſcriptum eſt, non eſſe ordinandum ab „uno, ita etiam de Extrema Unctione non eſſe peragendum ab uno Presbytero. Atque ut ſcias ubi ſcriptum ſit, ne fiat ab uno Presbytero, advocet Presbyteros, inquit Jacobus Apoſtolus, & non unum.„ Hæc Simeon, quibus Græcorum ſui temporis circa miniſtrum Extremæ Unctionis diſciplina exponitur.

Sanctus Thomas lib. IV. contra Gentiles cap. LXXIII. „Ea vero in quibus gratia illuminans mentem confertur, exhibere ſolum pertinet ad Sacerdotes, quorum ordo eſt illuminativus, ut dicit Dionyſius, nec requiritur ad hoc Sacramentum Epiſcopus, quia

cum

cum per hoc Sacramentum non conferatur excellentia ſtatus, ſicut in illis, quorum miniſter eſt Epiſcopus; quia tamen hoc Sacramentam perfectæ carationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes interſint, & quod oratio totias Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit: Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & oratio fidei ſanabit infirmam: ſi tamen unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit.

Antiqua Eccleſiæ Trecenſis ſtatuta, quæ Odoardus Epiſcopus juris publici fecit, loco v. *Caveant Sacerdotes, ne ad audiendam confeſſionem infirmorum deputent Diaconum, cum abſolvendi nullam habeat poteſtatem; tamen abſente Sacerdote, Diaconus poteſt viſitare infirmum, & eum ad confeſſionem inducere, & ſpem dare ſalutis.* Atque hæc ſunt, quæ cum ad hujus Sacramenti miniſtrum, tum ad varias illius miniſtri circumſtantias pertinere mihi viſa ſunt.

CAPUT II.

Nonnullæ in explicatam Traditionem Obſervationes.

NUNC ſupereſt, ut quæ identidem exoriri potuerunt difficultates, proponantur ac diluantur. Eo autem diluentur facilius, quo Traditionis monumenta in unum veluti locum congeſta facilius videntur.

OBSERVATIO I.

In adminiſtrando ſacramento Extremæ Unctionis diſcrimen inter Græcos & Latinos non exiguam intercedit circa Presbyterorum numerum.

IN adminiſtrando Extremæ Unctionis ſacramento quantum ſit Græcos inter & Latinos diſcriminis, explicata Traditio demonſtrat. Græci extra neceſſitatem ſeptem Presbyteros, in neceſſitate tres adhibent, & unum ſatis eſſe non credunt. Latini plures aliquando Presbyteros adhibent; ſed ſive in neceſſitate, ſive extra neceſſitatem, unum ſufficere putant. Hæc eſt utriuſque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis inſtitutio. Hæc diſciplina, quæ non philoſophice, ſed theologice expendenda eſt. Ad Scripturam ſcilicet & Traditionem, ſi ſola conſideraretur Scriptura, potior eſſe Græcorum, quam Latinorum diſciplina. Scriptura enim cum dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros, & orent ſuper eum*; Presbyterorum multitudinem importat: ſed quoniam conſuetudo interpres eſt legis, Scriptura, quæ uti lex haberi debet, conſuetudine, quam Traditio repræſentat, temperanda eſt; ſed quia diverſa reperitur conſuetudo, diverſa Traditio, diverſa quoque ratione temperanda eſt, cum ex aliis, tum ex hoc quoque, quod una fides in diverſa conſuetudine rituum poſſit conſiſtere. Quocirca nihil eſt, cur Græci Latinos, vel contra, cur Latini Græcos omnino reprehendant. Quod ſi ab initio Latini Presbyteros exegiſſent neceſſario plures, & Græci non exegiſſent neceſſario plures, nunc fortaſſe poſſent in mutuam reprehenſionem venire. Nam ut Græci Latinis, ita & Latini Græcis mutationem objicerent; ſed illud penitus incompertum eſt, immo cum illud incompertum ſit, exiſtimare convenit, diverſam, quæ nunc obtinet, conſuetudinem ab initio in vſum certa quadam ſucceſſione corroboratam eſſe. Petrus Arcudius libro v. de Extrema Unctione cap. III. adverſus Simeonem Theſſalonicenſem graviter diſputat, & pluralem numerum in Scripturis nonnunquam accipi pro ſingulari numero contendit; ſed cum non ſemper accipiatur, fruſtra contendit. Eo enim ſemper reditura eſt quæſtio, utrum cum in Scripturis pluralis numerus nunc pro ſingulari, nunc pro ſeipſo accipitur, apud Jacobum pro ſingulari, an pro ſeipſo accipi debeat, quærenda eſt. Igitur conſuetudo & Traditio, qua quod Scriptura ſola definire nequit, certiſſime definiatur. Arcudius quidem recte diſputaret, ſi quo tempore ſcripſit Simeon, Græci relicto uſu vetere, plures neceſſario adhibendos eſſe Presbyteros ſtatuiſſent; ſed momentum iſtud, in quo eſt, & Rhodus & ſaltus, nullo modo attingit. De antiqua Græcorum Traditione penitus ſilet, Scripturam adducit ſolam, in qua multitudinis numerus pro ſingulari nonnunquam accipitur, idque quorundam Patrum auctoritate confirmat: ſed ſpiſſus & non neceſſarius eſt labor, quod ea de re nulla poſſit eſſe difficultas; tum quaſdam adjungit rationes, quæ conſuetudinem vel receptiſſimam & Traditionem, vel conſtantiſſimam everterent. Hoc autem rationum genus cum nimis

nimis probet, nihil probat, & cum omni materiæ conveniat, nulli convenit. Quod accidere ſolet iis, qui extra chorum ſaltant, nimirum, qui cum diſputant in Theologia evagantur, nec ſatis & Scriptura & Traditione terinentur, finem & modum tranſeunt, & in auras tandem evaneſcunt. Si vero Simeon dum Græcum morem adſtruit, Latinum deſtruere tentaret, pari modo atque Arcudius aberraret. Fixa ergo, rataque ſit diſciplina utriuſque Eccleſiæ, donec antiquioris Traditionis beneficio; vel univerſalis Synodi canone, ſiquid mutandum ſit, mutetur.

Observatio II.

Videtur Diaconis aliquando prohibitum, aliquando quoque conceſſum, ut Extremam Unctionem conferrent.

Hic quæſtionem agito, quæ non in juris, ſed in facti conditione verſatur. Eam ut agitarem in cauſa fuerunt, cum alia quarundam Eccleſiarum, tum maxime Trecenſis Concilia, quæ quod prohibent, Diaconus in neceſſitate. alia concedunt omnino. Trecenſis Eccleſiæ Concilia dum ex una parte prohibent, ne Diaconus, abſente Presbytero, infirmorum confeſſionem audiat, ex altera concedunt, ut infirmos duntaxat viſitet, & ad confeſſionem hortetur, continuo ſignificant a Diacono adminiſtrandum non eſſe ſacramentum Extremæ Unctionis. Contra vero quæ aliarum Eccleſiarum Concilia permittunt, ut Diaconus, abſente Presbytero, infirmorum confeſſionem excipiat, & ad eos Viaticum deferat, continuo ſignificant, infirmos quoque a Diacono, dum abeſt Presbyter, ungi poſſe. Ex his enim tribus Sacramentis, qui duo confert ægrotantibus, tertium ſimiliter conferre poteſt: neque profecto ſatis commode intelligeretur, Diaconum in neceſſitatis caſu ægrotantibus peccatorum veniam, & Euchariſtiam impertire poſſe, non poſſe unctionem, quæ olim ante Euchariſtiam impertiretur. Quamobrem in utraque conditione ſic ſe res habet: Quando Diaconus, abſente Presbytero, non poteſt infirmorum confeſſionem excipere, & eis Viaticum dare, non poteſt quoque eos ſacra Unctione delinire. Quando vero Diaconus, abſente Presbytero, poteſt infirmorum confeſſionem excipere, & iis Viaticum dare, poteſt quoque eos ſacra Unctione delinire. Primum Trecenſis Ecclesiæ decreta Diacono interdicunt; alterum aliarum Eccleſiarum decreta permittunt. Nonnulla ex ordine recenſeo.

Beatus Cyprianus epiſtola XIII. ad Presbyterns & Diaconos: „Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus „infirmitatibus aſſiduis & gravibus infeſtat, occurrendum puto fratribus noſtris, ut „qui libellos a martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſ„ſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectata præ„ſentia noſtra, apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus „non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologeſin face„re delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum „pace, quam dari martyres literis ad nos factis deſideraverunt.„ Sunt qui recentioris diſciplinæ præjudiciis occupati mere ſe torquent, & Cyprianum, ut oſtendant Diaconos tunc non feciſſe quod modo non faciunt; ſed omni luce clarius eſt, Diaconos, quod modo non faciunt, tunc feciſſe. Fecerunt enim id omnino, quod præſens Epiſcopus, aut Presbyter feciſſet. Sicut enim per Cypriani epiſtolam non licet dicere, Presbyterum non feciſſe id totum, quod feciſſet Epiſcopus, ſi adfuiſſet; ſic per eandem epiſtolam non licet dicere, Diaconum non feciſſe id totum, quod feciſſet Presbyter, ſi adfuiſſet. Quid autem feciſſet Epiſcopus? quid feciſſet Presbyter? Martyres illos ab omni peccatorum vinculo ſolviſſet, & data venia reconciliaſſet Eccleſiæ: huc non pertinet inducta poſt tempus Cypriani diſtinctio duarum in abſolvendo facultatum, una ab excommunicatione, a peccatis altera, quas ad Cyprianum importune juxta violenterque revocant, & tunc primam Diaconis concedunt, & ſecundam abjudicant. Primam quidem concedunt, quia hodieque conceditur Archidiaconis, etiamſi in ſolo Diaconatus ordine conſtituti ſint; ſecundam vero abjudicant, quia Diaconus hodie abjudicatur. Verum Cyprianus propriis, non alienis moribus, antiquis, non recentibus documentis intelligendus eſt; ſi tamen poſt noſtram complexionem intelligi difficile queat. Præterea, qui ut Cypriano illudant, illa diſtinctione utuntur, non advertunt, primam abſolvendi facultatem, æque ac ſecundam opus eſſe clavium, quibus conceſſa Eccleſiæ ligandi atque ſolvendi poteſtas explicatur: quo factum eſt, ut Jacobus Latomus Lovanienſis Theologus in libro, quem de pœnitentia

edidit anno MDL. id quod aſſerimus, aſſerere non dubitarit. *Cyprianus*, inquit, *tam neceſſariam peccati confeſſionem, & Eccleſiæ reconciliationem credit, ut in periculo mortis, & in abſentia Epiſcopi & Sacerdotis, Diacono confiteri conſuluerit.* Porro noſtram Cypriani interpretationem aſſerunt quæ ſequuntur.

Concilium Eliberitanum can. XXXII. *Siquis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi juſſu, ſed potius apud Epiſcopum agat; cogente tamen infirmitate, non eſt Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.*

Gelaſius Papa in cod. canonum Romanæ Eccleſiæ, poſtquam cap. VII. quid ordinario jure poſſint Diaconi, conſtituit, cap. VIII. quid extraordinario poſſint, ſic docet, *non in Presbyterio reſidere, cum divina celebrantur, vel Eccleſiaſticus habetur quicunque tractatus, ſacri corporis prærogationem ſub conſpectu Pontificis ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus jus non habeant exercendi.*

Vetus Pœnitentiale Romanum: *Sicut ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi & Presbyteri, quibus claves regni cælorum traditæ ſunt, ſic nec pœnitentium judicia alii uſurpare non debent: ſi autem neceſſitas fuerit, & Presbyter præſens non fuerit, Diaconus pœnitentem ſuſcipiat ad communionem.*

Auctor libri de divinis officiis, qui Alcuino tribuitur cap. XIII. *Non omnes enim clerici, aut ullus laicus hanc ſcripturam uſurpare, aut legere debent, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt: hoc ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri, quibus claves regni cæleſtis traditæ ſunt; ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ſanctam communionem.*

Ordo Romanus feria IV. in cap. jejunii: *Sicut autem ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus claves regni cæleſtis traditæ ſunt, ſic nec iſta judicia alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, ſuſcipiat pœnitentes Diaconus, & det ſanctam communionem.*

Vetus Pontificale MS. annorum amplius ſeptingentorum, quod olim aſſervatum vidimus in bibliotheca Tilliana, feria IV. in cap. jejunii: *Sicut autem ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi vel Presbyteri, ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, & det ei communionem ſanctam.*

Burchardus Wormatienſis Epiſcopus libro XIX. decreti cap. CLIV. *Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſacram communionem.*

Ivo Carnotenſis Epiſcopus XVI. parte decreti cap. CLXII. de pœnitentia: *Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſanctam communionem.*

Stephanus Æduenſis in tractatu de Sacramento altaris cap. VII. *Diaconi in quibuſdam habent vicem Sacerdotis, in miniſterio baptizandi, communicandi, delicta confitentium miſericorditer ſuſcipiendi.*

Odo Pariſienſis Epiſcopus cap. V. ſtatutorum ſynodalium: *Non permittant Presbyteri Diaconos deferre infirmis ſacroſanctum corpus Domini, niſi in neceſſitate, cum Sacerdos abſens fuerit.* Et cap. LVI. *Item prohibetur diſtricte, ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate: claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere, niſi ſcilicet in arctiſſima neceſſitate*, cujus meminit Odo, & cui jura omnia divina & humana cedunt.

Concilium Eboracenſe, quod apud Rogerium anno Chriſti MCXCIV. habuit Hubertus Cantuarienſis Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus: *Decernimus etiam, ut nonniſi ſumma & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat, ut juxta paternorum tenorem canonum, huic ordini ſacerdotali proprie convenire decrevit antiquitas.*

Concilium Londonienſe, quod apud eundem Rogerium ſub eodem Huberto celebratum eſt anno MCC. *Statuimus ut non liceat Diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate: verbi gratia, quia Sacerdos non poteſt vel abſens, vel ſtulte non vult, & mors imminet puero vel ægro.*

Conſtitutiones ſynodales Sanctonenſis diœceſis, quæ ab Simone Cardinale Legato, qui fuit poſtea Martinus IV. editæ ſunt ad annum MCCLXX. *Non permittant Sacerdotes Diaconos deferre ſacrum corpus Domini infirmis, nec audire confeſſiones, cum claves non habeant, niſi neceſſitas hoc exigat propter abſentiam Sacerdotum.*

Concilium Andegavenſe, quod Nicolaus Epiſcopus tenuit anno MCCLXXIII. ſub titulo,

titulo, *Ne Diaconi confeſſiones audiant, niſi tempore neceſſitatis. Cum quis rei ad ſe non pertinenti non debeat immiſcere, nec ea, in quibus non habet poteſtatem, auſu temerario uſurpare: & in quibuſdam locis noſtræ diœceſis comperimus nonnullos rectores ſecum Diaconos habentes, qui ſine neceſſitatis articulo confeſſiones audiant, & abſolvant indifferenter, corpuſque dominicum infirmis deferunt & miniſtrant, quæ facere non poſſunt, niſi in neceſſitatis articulo, hoc fieri inhibemus. De cetero in virtute obedientiæ & ſuſpenſionis, tam Rectori, quam Capellanis Eccleſiis deſervientibus, & etiam Diaconis, niſi articulo neceſſitatis urgente.*

Antiqua Rotomagenſis Eccleſiæ ſtatuta, ſub titulo de renovatione Sacramentorum: *Nec permittant Diaconos deferre infirmis ſanctum corpus Domini, niſi in neceſſitate, cum Sacerdos fuerit abſens, vel infirmus.*

Statuta Nannetenſis Eccleſiæ ſynodalia, quæ ducentis abhinc annis condira ſunt, quæque in uno cod. cum aliis Turonenſis provinciæ Conciliis aſſervantur MMSS. in bibliotheca Gaſtonis Aurelianenſium Ducis, de Extrema Unctione: *Singuli Sacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori ſint & mundi, ut in eis infirmis devotio excitetur: nec permittant Diaconos infirmis deferre ſanctum corpus Dei, niſi in neceſſitate, & cum Sacerdos fuerit abſens.*

Liber quidam MS. Sueſſionenſis Eccleſiæ, ubi nonnulla ſynodalia ſtatuta reperiuntur, de Sacramento & vaſis Eccleſiæ: *Ipſi Sacerdotes & non Diaconi, niſi in tempore neceſſitatis, cum magna reverentia & maturitate deferant* (ægrotis) *corpus Chriſti in pyxide eburnea.*

His adjungimus cap. *Fures. Extra De furtis: Fures & latrones ſi in furando & deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum, ſed ſi comprehenſi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.*

Hæc autem omnia retuliſſe ſufficit, ut quæ ſint Diaconorum partes in neceſſitate, vel abſente Presbytero, cognoſcatur. Pontificibus & Eccleſiis, quæ hanc diſciplinam ſanxerunt in Diaconis, cedant oportet volaticæ diſputationes, & rationes illæ metaphyſicæ, quibus homines Philoſophi potius, quam Theologi res Sacramentorum dimetiuntur, & ad regulas æternas immutabileſque expendunt. Non deſunt tamen antiqui Patres, qui hujus diſciplinæ vindicandæ modum aſſeruerint.

Tertullianus generalem aſſeruit, Cyprianus & Optatus privatum, eumque, qui rem ipſam propius tangit: ſic ergo loquitur Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. XVII. „Dandi quidem (*baptiſmum*) jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, „quo ſalvo ſalva pax eſt, alioquin etiam laicis jus eſt: quod enim ex æquo accipitur, „ex æquo dari poteſt, niſi Epiſcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, diſcentes: Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo, proinde & baptiſmus, æque Dei „cenſus, ab omnibus exerceri poteſt; ſed quanto magis laicis diſciplina verecundiæ & „modeſtiæ incumbit, cum ea majoribus competant, ne ſibi adſumant dicatum Epiſcopis „officium Epiſcopatus. Æmulatio ſchiſmatum mater eſt. Omnia licere dixit ſanctiſſimus „Apoſtolus, ſed non omnia expedire: ſufficiat ſcilicet, in neceſſitatibus utaris, ſicubi, „aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum urget circumſtantia periclitantis.„ Siquis omnia hæc aſſequatur, (aſſequetur autem facile) continuo deſtruere poterit quidquid metaphyſici in Theologia pugiles opponent. Tertullianus enim ſuggerit, ex quo ut miniſtrorum Eccleſiæ, ita & neceſſitatis jura defendat, ex quo hinc pacem conciliet, inde diſſidia comprimat; ex quo conſtantiam ſuccurrentis, & circumſtantiam periclitantis tueatur.

Cyprianus in epiſtola XIV. ad Presbyteros & Diaconos Romæ conſiſtentes: *Item Presbyteris & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor, ut quidam minus diſciplinæ memores, & temeraria feſtinatione præcipites, qui cum lapſis communicare jam cœperant, comprimerentur.*

Optatus in lib. I. contra Parmenianum: *Quid commemorem laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti? quid miniſtros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ, iſtius incertæ lucis moras breviſſimas compararent, inſtrumenta divinæ legis impie tradiderunt.* Pontifices igitur & Eccleſiæ, quarum placita retulimus, cum noſſent Cyprianum Diaconis Sacerdotii vigorem tribuere, & Optatum eoſdem in tertio Sacerdotio conſtitutos ſcribere, profecto non dubitarunt permittere, ut Diaconi memorata obirent munia, ſicubi neceſſitas urgeret, & Presbyter nullus inveniretur.

OBSERVATIO III.

Explicatur obſcurus Innocentii locus de Chriſtianis omnibus, quibus uit uti chriſmate licere in ſua, uut ſuorum neceſſitate ungendo.

SI verum uſpiam ſuit, obſcurum dictum varias gignere interpretum ſententias, id profecto conſtat in hoc Innocentii loco, qui cap. VIII. epiſtolæ ad Decentium ſic habetur: *Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ub Epiſcopo confectum, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut in ſuorum neceſſitate ungendum.* Hunc locum paullo aliter in cap. v. epiſtolæ Jacobi Beda repetit. Ejus verba ſunt: *Hoc & Aoſtolos feciſſe in Evangelio legimus, & nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecraeo ungantur u Presbyteris, & oratione comitante ſanentur, nec ſolum Presbyteris, ſed etiam omnibus Chriſtianis uti licet eodem oleo in ſuu, uut ſuorum neceſſitate ungendo; quod tamen oleum nonniſi ub Epiſcopis confici licet.*

Thomas Waldenſis tom. II. de Sacramentis, cap. CLXIII. memorata Bedæ verba ſic accipit, ut velit Chriſtianum quemlibet, ubi non eſt Sacerdos, poſſe eſſe miniſtrum Extremæ Unctionis; ſic enim loquitur: *Quod uutem dicit* (Beda) *ſecundum Innocentium, non ſolum hoc licere Presbyteris, ſed & omnibus Chriſtianis, ubi copia Sacerdotis deeſt, intelligit, ſicut in extremæ neceſſitatis articulo chriſtianæ licebit vetulæ baptizare.*

Dominicus Sotus in quartum ſent. diſt. XXIII. art. I. Innocentii & Bedæ locum aliter interpretatur, & relata Waldenſis ſententia ſubdit: *At vero hoc præter omnium opinionem aſſeritur. Neque vero Beda, uut Innocentius hoc uffirmat, ſed hoc duntaxat, quod licitum ſit ſanitatis gratia oleo illo ab Epiſcopo conſecruto infirmos delinire; non tamen ſentiunt illud eſſe Sacramentum, niſi a Presbyteris in formu Eccleſiæ illud fiat.*

Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus, adhuc aliter intelligit in cap. VI. Marci: „Ubi videndum, *inquit*, quomodo dicant Innocentius & Beda, non ſolum Presbyteris, ſed etiam omnibus Chriſtianis licere uti hoc oleo, cum ſolus Sacerdos hujus Sacramenti ſit miniſter, quemadmodum ſatis patet ex verbis Jacobi; ſed omnino videtur „Innocentium voluiſſe licere laicis eo uti, quod eo ungi poſſent, nec hoc ſolum proprium „eſſe Sacerdotibus, quemadmodum unctiones ſacerdotales. unde dictio, inungendo, accipienda hic eſt in paſſiva ſignificatione, non autem activa, quod ſignificatur ſatis, „cum dicit laicos eo uti poſſe in ſua neceſſitate inungendo, nullo addito accuſativo. Non „enim veriſimile eſt eum voluiſſe dicere, quod eo oleo ægroti ſeipſos ungerent.„

Hæ ſunt tres hujus loci interpretationes, quæ ſuam habent a ſuis magni nominis auctoribus probabilitatem. Sotus quidem dicit Waldenſem præter opinionem omnium ſentire; ſed tamen ei neminem, qui contrarium expreſſe docuerit, opponit, & neſcio an opponi poſſit aliquis ex eo numero Theologorum, qui ante Waldenſem floruerint. Bellarminus lib. de Extrema Unctione cap. IX. ſcribit quoque Waldenſis expoſitionem ab omnibus refelli; ſed ne unum quidem ex omnibus illis laudat. Sotum, Janſenium, & alios Waldenſi recentiores laudari poſſe non nego, ſed antiquiores laudari vellem. Bellarminus adjungit rationem; ſed quæ in petitione principii verſatur: *Nullum eſt*, inquit, *Sacramentum, quod non requirat eſſentialiter miniſtrum Sacerdotem, excepto baptiſmo ob ſummum ejus neceſſitatem, & matrimonio, quia in contractu mutuo nubentium conſiſtit.* Hæc eſt certe principii petitio, qua ſicut nec ceteris Ariſtotelicis ſubtilitatibus Eccleſia videtur indigere. Controverſia iſta debuit Scriptura & Traditione decidi. N. Cardinalis Presbyter ſancti Petri ad Vincula, & Bernardus Cavellicenſis Epiſcopus, in Theologia Magiſter tomum Waldenſis ſecundum, qui magnus non eſt, ex auctoritate Martini V. legerunt, & in eo legendo atque examinando menſem amplius unum conſumpſerunt. Quorum approbationem Martinus V. ſuis ad Waldenſem literis confirmavit: *Recepimus volumen*, inquit, *ſecundum de Sacramentis, quod per ſolennes viros videri & examinari fecimus, ſicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum.*

Proſper Aquitanus in præfatione operis, quo Vincentii objectiones diluit, fidem contra Pelagianos ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ defendiſſe ſe teſtatur. Si Proſper ex eo nominis tanti eſt, non minoris eſſe debet Waldenſis noſter, cujus liber fuit ab Romano Pontifice ea commendatus ratione, quam in medium adduximus: immo hoc intereſt inter utrumque, quod quo modo Proſper ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ fidem defenderit, ex nullo ſuperſtite monumento appareat; quo vero modo

Digitized by Google

modo Waldenſis fidem contra hæreticos ſui temporis defenderit, ex luculenta Romani Pontificis Martini V. approbatione, quæ hodieque legitur, appareat.

Dominicus Sotus eo tendit, ut fideles laici, perinde ac Sacerdotes ſacro infirmorum oleo uti poſſint; ſed Sacerdotes dum oleo infirmos ungunt, ſacramentum Extremæ Unctionis dictum perficiunt; fideles vero laici dum ſe, vel alios in neceſſitate quadam poſitos ungunt, nullius ſunt Sacramenti tranſactores & adminiſtri, idque cum ex aliis, tum ex hoc quoque quod ſanitatis tantum recuperandæ gratia oleum erga ſe, vel ſuos adhibeant. Quomodo plerique Sancti & Sanctæ Dei erga laborantes adhibuerunt; atque ita nihil aliud Innocentium & Bedam ſenſiſſe contendit. Quod Bellarmino non placet, qui loco citato dicit: *Exempla, quæ leguntur de miraculis, quæ ſancti Eremitæ oleo ſancto faciebant, non convincunt eos fuiſſe uſos illo oleo, quod ab Epiſcopo ſolenni ceremonia benedicitur, ut ſit hujus Sacramenti materia; poterant enim uti oleo, quod ipſi ſigno crucis benedicebant.*

Verum Bellarmino venerabilis Beda reluctatur in Marcum, ita ſcribens: *Dicit Apoſtolus Jacobus: Infirmatur quis in vobis?* Et paullo poſt: *Unde patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti unganiur oleo pontificali benedictione conſecrato.*

Bedæ conſentit Ordo Romanus, ubi oleum infirmorum conſecratur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt populi ad ungendos eam infirmos quam energumenos.* Quidni fideles laici eodem, quo Sacerdotes, oleo potuiſſent uti? Nonne unum & idem eſt chriſma, quo nunc aqua baptiſmi ſanctificatur? quo baptizati vertex & frons inungitur? quo manus & caput Pontificum tanguntur? quo nonnulli reges conſecrantur? quo altaria & baſilicæ dedicantur? non tamen nego ſanctiſſimos homines, ſive Pontifices forent, ſive non, potuiſſe uti oleo, quod ipſi ſigno crucis benedicerent, cum fortaſſis oleum ſanctum Extremæ Unctionis deeſſet. Sed hoc cauſam Bellarmini non juvat, qui vult certum quemdam Innocentii verbis modum præſtituere.

Janſenius in eam concedit opinionem, ut ſtatuat, poſſe fideles laicos oleo infirmorum uti, non quod ſeipſos ungant, ſed quod advocent Sacerdotes a quibus ungantur, ac proinde nihil aliud Innocentium & Bedam tradidiſſe.

Bellarminus hanc expoſitionem duabus aliis anteponit; ſed, Janſenii pace dixerim, ut Innocentii & Bedæ teſtimonium exponat, incerta præmunitione utitur, cum ait ſolum Sacerdotem Extremæ Unctionis miniſtrum eſſe. Nam etiamſi beatus Jacobus Presbyterorum duntaxat meminerit; reipſa tamen ceteros Eccleſiæ homines non excludit a Sacramenti miniſterio. Chriſtus Matthæi capite ultimo ſolos alloquitur diſcipulos, cum ait: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Illud tamen non obſtat, quominus ab initio Eccleſiæ, ſaltem inter Latinos, fideles laici baptizarint, dum poſtulabat neceſſitas.

Waldenſis Janſenio reſponderet, ab Jacobo deſignatum eſſe miniſtrum ordinarium, extraordinarium ab Innocentio & Beda, qui quod erat in uſu & Traditione poſitum apprime noverant.

Ex tribus autem his expoſitionibus, ultima, meo quidem judicio, minus habet probabilitatis: id enim evincunt, quæ illi modo objecimus. In ea ſumitur pro certo atque conceſſo, quod ſpectata veteri Traditione dubium certe, & inexploratum eſt. Prima ex iis quæ ad illam, & pro illa contra Janſenium diſſeruimus, non exiguam veriſimilitudinem conſequitur. Præterea hoc habet præ aliis, quod etſi reipſa falſa eſſet, non poſſet, ut talis, per antiquam Eccleſiæ Traditionem improbari. Secunda mihi videtur credibilior, & ad ſenſum Innocentii ac Bedæ penetrare. Ad hæc nihil eſt, quo poſſit vel leviter oppugnari, & ea ſufficiunt præſidia, quæ illi circumdedimus. Prima licet Traditionem non habeat contrariam, favorabilem tamen non habet: exemplum enim nullum eſt notiſſimum, quo confirmetur. ſic igitur apud me ſe res habet. Secunda Innocentii interpretatio duabus aliis veriſimilior, & prima veriſimilior tertia. Attamen ſecundum hæc omnia ingenue fatendum eſt, quod auctor aliquis cum de re quapiam ſemel loquitur, & obſcure loquitur, nec aliud extrinſecus advenit, quo dicti tollatur obſcuritas, doctorem ſemper, lumenque fruſtra deſiderabit.

Expli-

Explicata Eccleſiæ Traditio circà partes corporis, quæ unguntur in ſacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

BEATUS quidem Jacobus infirmum ungendum eſſe præſcribit ; ſed quæ corporis infirmi partes ungendæ ſint, non præſcribit. Aliunde ergo quærendæ ſunt hæ partes quæ unguntur. Quæramus ex Traditione, ſcilicet ex variis cum veterum, tum recentiorum monimentis, quæ Traditionem repræſentant.

In vita ſancti Eugendi Abbatis mentio fit pectoris, quod tunc pro more perungeretur. Verba ſunt hæc : *Cum ultra ſexagenariam ætatem fere ſex menſibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, ſic tanquam, quod nunquam canonico uſque ad horam defuiſſet Curſui, nec bis in die feſſo corpuſculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad ſe de Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, perungi.*

In libro Sacramentorum Gregorii Magni, qui Romæ editus eſt inter illius opera, caput nominatim exprimitur; poſt recitatas tres ad ungendum infirmum orationes ſubjicit : *Poſtea faciat ei ſignum crucis in capite de oleo benedicto.*

In libro Sacramentorum ejuſdem Gregorii, qui ex Miſſali MS. ſancti Eligii editus eſt, partes ungendæ præſcribuntur, collum, guttur, inter ſcapulas, pectus. Verba ſunt hæc : *Et ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato cruces faciendo in collo, & gutture, & inter ſcapulas, & in pectore; ſeu in loco, ubi plus dolor imminet, amplius perungatur.* Et poſt alia : *Multi Sacerdotum infirmos perungent inſuper in quinque ſenſibus corporis, id eſt, in ſuperciliis oculorum, & in naribus de intus, & in narium ſummitate, ſive exterius, & in labiis exterius, id eſt, deforis in omnibus ; ergo his membris crucem faciant de oleo ſacrato, dicentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti : hoc enim faciant, ut ſi in quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, hæc medicina Dei ſanetur.*

In veteri codice Ratoldi, cujus alio in loco meminimus, hæ partes unguntur, aures, nares, labia, pectus, ſcapulæ, manus, pedes.

In codice Tilliano idem præſcribitur, quod in libro Sacramentorum jam laudato : *Et ſic perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco ubi plus dolor imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium ſummitate exterius, ſive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id eſt, deforis, ut ſi quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, medicina ſpiritali ſanetur, & Domini miſericordia impertiatur.* Et poſtea partes ſingulæ nominantur, *caput, oculi, aures, nares, labia, guttur, pectus,* (ſeu locus cordis) *ſcapulæ, manus, pedes, ubi plus dolor imminet.*

In antiquo codice Monaſterii ſancti Remigii, hæ ſunt enumeratæ partes : *Credis, frater, quod diximus Symbolum? Cum reſponderit, aut nutu ſignificaverit, Credo, ungatur a Sacerdote, vel plurimis Sacerdotibus, de oleo ſanctificato, facientibus cruces ſingulis in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, dicendo :*

Ungo caput tuum, &c.

Item in ſuperciliis & ſubciliis juxta angulos oculorum, dicendo :

Ungo oculos tuos, &c.

Item aures intus & foris in ſummitate, crucis ſigna recipiant, dicendo :

Ungo has aures, &c.

Item nares in ſummitate & ſubtus, ungantur crucis modo :

Ungo has aures, &c.

Item labia dicendo, & exterius crucem ſuper mentum & guttur faciendo :

Ungo labia iſta, &c.

Item ſuper humeros duos, hoc eſt, ſcapulas, non in pectore, neque inter ſcapulas :

Ungo has ſcapulas, &c.

Item ſuper manus, & ſi Presbyter eſt, non infra ; ſin aliter, & infra, & ſuper pedes, & ſub plantis cruces fiunt, dicendo :

Ungo & hos pedes, &c.

In libro Sacramentorum Gregorii Magni, qui Romæ editus eſt Sixto V. Pontifice, ſolum aſſignatur caput, poſtquam Sacerdos orationes tres recitavit : *Poſtea*, inquit, *faciat*

(Sacer-

(Sacetdos) *ei* (infirmo) *ſignum crucis in capite de oleo beuedicto, diceus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc peruuctio olei ſanctiſicati ad purificationem mentis & corporis.*

In vetere Pontificali, quod alias in bibliotheca Dominicanorum Pariſienſium ad Sanjacobæam portam vidimus, octo partes præſcribuntur, etiam dum neceſſitas urget: *Ordo compendioſus ad uugendum; intincto namque pollice in oleo iufirmorum, Sacerdos in ægri corpore ſignum crucis facit, vel aliquantis locis, ita dicens ad caput: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Uugo hanc frontem tuam,* &c. *Ad aures: Ungo has aures,* &c. *Ad oculos: Uugo hos oculos,* &c. *Ad nares: Ungo has nares,* &c. *Ad labia iſta,* &c. *Ad pectus: Uugo pectus tuum,* &c. *Ad ſcapulas: Uugo has ſcapulas,* &c. *Super manus: Uugo has manni,* &c. *Ad pedes: Ungo hos pedes,* &c.

In antiquo Pontificali MS. Cameracenſis Eccleſiæ, quod mei eſt juris, res ita tranſigitur: *Peruugat Sacerdos infirmum de oleo ſanctificato cruces faciens in vertice, iu fronte, in temporibus, iu facie, & cum ſupplici voce, dum perungitur infirmus, dicit Sacerdos:*

Ungo te ill. oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut unxit Samuel David in regem, &c.

In ſuperciliis oculorum: Ungo oculos tuos, &c. *In auribus deintus: Uugo aures tuas,* &c. *Iu narium ſummitate: Ungo has nares,* &c. *In labiis exterius: Ungo labia iſta,* &c. *In gutture & collo: Ungo te oleo ſancto,* &c. ut in prima unctione. *Inter ſcapulas: Ungo has ſcapulas,* &c. *Iuter pectora: uugo pectora tua,* &c. *Super manus deforis: Ungo has mauus,* &c. *In pedibus: Uugo hos pedes,* &c. *In umbilico, ſeu iu eo loco, ubi amplius dolor imminet: Ungo te oleo,* &c.

In antiquo Pontificali MS. qui ad uſum Romanæ Eccleſiæ compoſitus videtur, hic ordo præſcribitur: *Sacerdos intincto pollice in oleo iufirmorum, faciat de ipſo in ægri corpore ſignum crucis in* VII. *vel aliquantis locis, dicens ad oculos: Per iſtam unctionem,* &c. *Ad aures, Per iſtam uuctionem,* &c. *Ad nares: Per iſtam unctionem,* &c. *Ad os: Per iſtam unctionem,* &c. *Ad manus: Per iſtam unctionem,* &c. *Deinde, præmiſſa proxima oratione, potes facere tres orationes, ſi vis, poſt manus unge pedes & lumbos.*

In veteri codice Siculo, cujus excerpta refert Joannes Morinus ad calcem libri de pœnitentia, hæ corporis partes unguntur: „Et ſic perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco, ubi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium ſummitate exterius, ſeu interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id eſt, foris, ut ſi quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, medicina ſpiritali ſanetur, & Domini miſericordia imperiatur. *Et poſt pauca:* Ad caput: Ungo caput tuum, *&c.* Ad oculos: Ungo oculos, *&c* Ad aures exterius & interius: Ungo aures has, *&c.* Ad nares intus & foris: Ungo has nares, *&c.* Ad labia exterius: Ungo labia iſta, *&c.* In collo: In nomine patris, & Filii. & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio, *&c.* In gutture, Inungo te in gutture, *&c.* Ad pectus: Ungo pectus tuum, *&c.* Ad cor: Ungo locum cordis, *&c.* Ad ſcapulas: Ungo has ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum, *&c.* Ad manus exterius: Ungo has manus, *&c.* Ad pedes deſuper, *&c.* Ad locum, ubi magis dolet: Ungo te oleo ſanctificato, *&c.* Ad omnes compagines: Ungo te, *&c.*„

In veteri codice MS. Turonenſis Eccleſiæ, qui hoc modo inſcribitur: „Incipit liber Sacramentorum editus a beato Gregorio Papa Romano, qualiter Miſſa Romana celebratur per anni circulum: & ſic Sacerdos perungat infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo, in gutture, & inter ſcapulas, & in pectore. ſeu in loco ubi plus dolor imminet, amplius perungatur, & ſupplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem: Ungo te, *&c. Et poſt alia, quibus immiſcetur communio:* Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt inſuper in quinque ſenſibus corporis, id eſt, in ſuperciliis oculorum, & in auribus deintus, & in narium ſummitate, ſive interius, ſive exterius, & in manibus exterius, id eſt, deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo ſacrato, dicentes: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hoc enim ideo faciant, ut cum in quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, hac medicina Dei ſanetur.„

In veteri Codice MS. apud ſanctum Victorem, qui ordo ad faciendum Catechumenum inſcribitur, hic ritus exhibetur: „Et perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, facientes crucem in collum, in guttur & pectus, & inter ſcapulas, & ſuper

quin-

„quinque ſenſus corporis, & in ſupercilia oculorum, & in aures intus & foris, ut ma-
„culæ, quæ per quinque ſenſus mentis & corporis fragilitate carnali contractæ ſunt, quo-
„modo hac ſpirituali, & Domini miſericordia pellantur. Dum igitur ungit Sacerdos in-
„firmum, dicat hanc orationem moroſius inungendo. Ante unctionem: Adeſto, quæſu-
„mus, Domine, *&c.* Item ante unctionem: Inungo te oleo ſanctificato, *&c.* Ad
„caput: Ungo caput tuum, *&c.* Ad oculos: Ungo oculos tuos, *&c.* Ad nares:
„Ungo tuas nares, *&c.* Ad labia: Ungo labia iſta, *&c.* Ad pectus: Ungo pectus
„tuum, *&c.* Ad guttur: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi un-
„ctio, *&c.* Ad collum: Ungo te de oleo ſancto, *&c.* Ad ſcapulas: Ungo has ſca-
„pulas, *&c.* Ubi maximus dolor urget. Ad manus: Ungo has manus, *&c.* Ad pe-
„des: Ungo hos pedes, *&c.*„

In altero Codice MS. apud ſanctum Victorem qui nuncupatur *Officium Epiſcopi cum benedictionibus Epiſcopalibus*, hic ordo ad viſitandum infirmum exaratur: „Hic abluan-
„tur ea membra, quæ ungenda ſunt, & interim dicatur: Oremus, omnipotens ſem-
„piterne Deus, qui per beatum Apoſtolum tuum dixiſti: Infirmatur quis in vobis,
„*&c.* Deinde inungat eum, ita dicendo. Ad oculos: Per iſtam unctionem, *&c.*
„Ad aures: Per iſtam unctionem, *&c.* Sic ad guttur: Per guſtum, *&c.* Ad labia:
„Per illicita verba, *&c.* Ad nares: Per odoratum, *&c.* Ad manus: Per tactum,
„*&c.* Ad pedes: Per inceſſum, *&c.* Ad umbilicum: Per ardorem libidinis, *&c.*„

His manuſcriptis adjungimus primo Eugenii Papæ IV. decretum, quod Florentino Concilio pro unione Armenorum adtexitur: *Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus ſalute timetur, dari non debet, qui ungendus eſt in oculis propter viſum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter guſtum vel locutionem; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter greſſum; in renibus, propter delectationem ibidem vigentem.* Deinde adjungimus libros Rituum editos, quibus Eccleſiarum ſingularum Traditio continetur.

Ex prima Lugdunenſi præſto eſt.

Ritualis liber Lugdunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIII. & XLVIII. has corporis partes ungendas præſcribit: *Ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad manus, ad collum, ad guttur, ad pectus, ad ſcapulas, ad renes, ad pedes, ad locum ubi major eſt ægritudo & dolor*, vel, *ubi plus dolor tenet.*

Ritualis liber Æduenſis Eccleſiæ jam memoratus, in modo adminiſtrandæ Extremæ Unctionis: *Sic ergo infirmus ungatur a Sacerdote oleo infirmorum ſacrato, faciendo cruces ſuper unumquemque locorum inungendorum, incipiendo ſuper oculos; primo in dextro, & poſtea in ſiniſtro; deinde ſuper aures, ſuper nares, & ſuper labia, & ſuper manus interius, ſi fuerit laicus; ſi vero Sacerdos, exterius, & in plantis pedum.*

Ritualis liber Lingonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXIII. in ordine ad ſacramentum Extremæ Unctionis conferendum: *Approximans Sacerdos ad ægrotum, inuncto pollice in oleo, inungat eum in ſeptem locis ſui corporis in modum crucis, dicendo, & ſane proferendo verba quæ ſequuntur: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum. Hac verba repetantur per cetera loca, videlicet per auditum, per odoratum, per guſtum, per tactum manuum, per ardorem libidinis, per inceſſum pedum; manus & pedes inungantur deſuper tantum; & ſi ſit Sacerdos, inungantur exterius.*

Ritualis liber Cabilonenſis Eccleſiæ, qui anno MDCV. editus eſt, eaſdem partes deſignat; ſed monet in iis, *qui peſte, vel alio contagioſo morbo laborant, ſufficere, ſi pars una corporis ad unctionem aptior oleo ſacro deliniatur; & hac verba recitentur: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.*

Ex ſecunda Lugdunenſi.

Ritualis liber Rotomagenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV. MDLXXXVI. & anno MDCXI. *Ungatur ad oculos, ad aures, ad labia, ad nares, ad manus, ſi laicus intus, ſi Sacerdos deforis, ad pedes, ad pectus.*

Ritualis liber Lexovienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDV. & MDXXII. *Tangat Sacerdos oculos infirmi de oleo ſancto, faciendo crucem ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad pectus; ad umbilicum, ſi mulier; ad renes, ſi homo ſit; ad manus, ad pedes.*

Ritualis liber Bajocenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCXI. *Ungatur oleo ſancto ad oculos, ad aures, ad os, ad guttur, ad nares, ad pectus, ad manus, ad pedes. Iſta unctio fiat viris in lumbis, & feminis in umbilico.*

Ritualis liber Abrincenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXIX. *Ungatur oleo ſancto,*

ſancto, ad oculos, ad aures, ad labia, ad nares, ad manus, ad pedes. Iſta anctio fiat viris in lumbis, & feminis in umbilico.

Ritualis liber Ebroicenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXI. & MDLXXXVI. *Ungatur oleo ſancto ad ocalos; ad aures, ad labia, ad nares, ad manus, ad pedes, ad pectus.*

Ritualis liber Conſtantienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MCDXCIV. *Ungatur oleo ſancto ad oculos, ad aures, ad labia, ad nares, ad manas, ad pedes. Iſta anctio fiat viris in lumbis, & feminis in umbilico.* Quæ admonitio ſublata eſt in hoc Rituali edito anno MDCIX.

Ritualis liber Sagienſis Eccleſiæ, qui editus eſt ânno MDXV. *Ungatar oleo ſancto ad oculos, ad aures, ad labia, ad nares, ad manus, ſi Sacerdos fuerit, ungatur deforis, ad pedes. Iſta unctio fiat viris in lumbis, & feminis in umbilico.*

Ex tertia Lugduneaſi.

Ritualis liber Turonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXX. *Sacerdos inungat infirmam in ſeptem locis, hic per ordinem ſpecificatis, ad oculos, ad aures, ad nares, ad guſtum, ad manus, ad lumbos, ad pedes ſupra.*

Ritualis liber Cenomannenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXL. *Sacerdos inungat iafirmum in ſeptem locis, hic per ordinem ſpecificatis, ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad manus infra, ad umbilicum, ad pedes ſupra.*

Ritualis liber Redonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLVII. eaſdem omnino partes, quas Cenomannenſis præſcribit.

Ritualis liber Venetenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXCVI. *Sacerdos peragat unctiones ad oculos, ad aares, ad nares, ad labia, in guteure & collo, ad pectas, ad manus; ſi fuerit Sacerdos, ungatur extra; ſi laicus, intra; ad pedes, ad umbilicum.*

Ritualis liber Nannetenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLX. *Nanquam inter ſcapulas eſt ungendus infirmus, teſte Remundo ia ſua ſummula: hic angat Sacerdos in certis locis, prout ſequitur, ad oculos, ad aures, ad nares, ad os & guſtum, ungendo lumbos, ſi ſit vir; ſed ſi ſit malier, angatur umbilicus; angendo manus intra, ſi ſit laicus; ſed ſi ſit Sacerdos, angatur extra, ad pedes.*

Ritualis liber Andegavenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXX. eadem penitus repræſentat.

Ex quarta Lugdunenſi,

Ritualis liber Senonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLV. *Sacerdos uncto pollice de oleo ſancto ungat eum in ſeptem locis, ad ocalos, ad aures, ad nares, ad manus, in umbilico, ad pedes; manus & pedes deſuper tantammodo ungantar.*

Ritualis liber Autiſſiodorenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXVI. & ritualis liber Trecenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXIII. eaſdem omnino corporis partes aſſignant, quas Senonenſis aſſignat.

Ritualis liber Nivernenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXXII. *Ungat Sacerdos iafirmum ſuper qaemlibet ſenſum, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad guttur, ad manas, ad pedes.*

Ex quinta Lagdunenſi.

Ritualis liber Pariſienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIV. MDXLII MDLXXXI. *Ungae Sacerdos per quinque ſenſus corporis, ad ocalos, ad aures, ad nares, ad os, ad renes viri, vel umbilicum malieris, ad manus, ad pedes.*

Ritualis liber ejuſdem Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCI. & MDCXLVI. *Ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad pectus, ad manus, ad pedes,* omiſſis renibus & umbilico.

Ritualis liber Carnotenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MCDLXXXIX. MDXLIV. & MDCIV. *Sic ergo ungatur infirmas a Sacerdote oleo infirmorum, faciendo cruces ſaper oculos, primo in dextro, & poſtea in ſiniſtro, deinde ſaper aures, & ſuper nares, & ſuper labia, & ſuper manus inferias, ſi fuerit laicus; ſi vero Sacerdos, exterius; & ſub plantis pedum inferius, ſi ſit certus de morte; & ſi dubitetur de morte, fiat ſupra pedes.*

Ritualis liber Meldenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLVI. & ritualis liber Aurelianenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXXI. *Uagitur infirmus in quinque ſenſibus corporis, ſuper oculos, ſuper aures, ſuper nares, ſuper labia, ſuper manus; extra, ſi ſit Sacerdos; ſi non ſit, infra; ſuper pectas, ſuper pedes.*

Ex Belgica prima.

Ritualis liber Metenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLII. & MDCV. *Sequuntur inunctioaes, ubi advertendum, qaid ſi in infirmo tam grande mortis periculum immineret, quod Sacerdos non poſſet ante expirationem anima perficere officium ſuum,*

tunc eo caſu poſſet Sacerdos, imminente tali neceſſitate, prius officium incipere ad unctiones, præmiſſis omnibus omiſſie, ad caput, ad oculoe, ad auree, ad naree, ad labia, ad ſcapulae, ad pectus, ad manus, ad pedee.

Ritualis liber Tullenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXIV. & MDLIX. *Ad caput, ad oculos, ad auree, ad nares, ad labia, ad collum, ad guttur, ad ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum, ad pectus, ad manus, ad pedes, ad locum ubi plus dolor imminet.*

Ritualis liber Virdunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLIV. *Sacerdos primum faciat in collo, in gutture, & in loco, ubi dolor infirmi plus imminet, ad caput, ad oculos, ad auree, ad labia, ad ſcapulas, ad pectus, ad manus, ad pedes.*

Ex Belgica ſecunda.

Ritualis liber Remenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIV. MDXXX. & MDLXXXV. *Sacerdos tegumen ungat oculi dextri, ſignum crucis imprimendo, poſtea ſiniſtri, poſtmodum ambas auree ſimiliter ungat, deinde nares, videlicet ſuper extremitatem naſi: os autem ungitur ſubtus labium, & manus ad intra; ſi tamen ungendus fuerit Presbyter, manus ambæ unguntur per ad extra; deinde pectus linitur; poſtremo vero pedes ungantur deſuper.*

Ritualis liber Sueſſionenſis Eccleſiæ, qui editus eſt ad annum MDXXXV. *Poſtremo ungatur, primum ad aurem dexeram, ad aurem ſiniſtram, ad oculos, ad naree, ad labia, ad pectus, ad ſcapulae, ad manus, ad pedes.*

Ritualis liber Bellovacenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV. *Si de morte propinquiori dubitetur, & ultima hora urgeat, non dicantur ſeptem pſalmi infra ſcripti, neque orationee, ſed ungatur infirmue, prout in hie continetur verſibus:*

Si erahit ungendum dolor extremue, ſine pſalmis
Hunc ungas citius, ut non moriatur inunctue.

In hoc Rituali partes ungendæ eædem ſunt omnino, quæ in Remenſi.

Ritualis liber Ambianenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLI. *Poſthæc ungatur infirmus a Sacerdote de oleo ſanctificato, ſignum crucis faciendo in dextro tempore & ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, ad oculos, ad auree, ad nares, ad labia, ſuper humeros, ad manus intus & foris; ſed ſi fuerit Presbyter, foris tantum; ad pedee ſuper.*

Ritualis liber Laudunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXVIII. *Forma autem ſunt verba, quæ dicit, quando ungit infirmum in membrie, quæ ſunt organa ſenſuum, oculi debent inungi propter viſum, aures propter auditum; nares propter odoratum, labia propter guſtum, manus propter tactum, pedee propter greſſum; ſecundum conſuetudinem diœceſis Laudunenſie, renee non unguntur.*

Ritualis liber Catalaunenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXIX. *In dextro tempore & in ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, in ſuperciliis, ad auree, ad naree, ad labia, ſuper ſcapulas, non in pectore, neque inter ſcapulas, ſuper manus & intra, ſi vero ſit Sacerdos, ungatur tantum extra, ſuper pedee, & ſub plantis.* Hic vero liber editus anno MDLXIX. præſcribit ſimpliciter, *ad oculos, ad auree, ad naree, ad os, ad manus, ad pectus, ad pedes.*

Ritualis liber Noviomenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLX. ſuperiori libro adjungit, *renee viri, vel umbilicum mulierie.*

Huic quoque ſimilis eſt ritualis liber Silvanectenſis Eccleſiæ, qui anno MDXXVI. prodiit in lucem.

Ex Belgica tertia nova.

Ritualis liber Cameracenſis Eccleſiæ, qui anno MDLXII. editus eſt: *Ad oculoe, ad nares, ad os, ad auree, ad manus, ad pedee.*

Ritualis liber Atrebatenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXIII. *Ponatur oleum ſanctum in modum crucis, dicendo quæ ſequuntur, & primo in neceſſitate brevis vitæ eminente: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporie; ad munimen & defenſionem contra immundorum ſpirituum jacula, Per Chriſtum,* &c.

Oratio.

Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum, in nomine Patrie, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Et ſic dicatur aliis ſenſibus: dicendo ad auree, quidquid peccaſti per auditum, ad nares per odoratum, ad labia per guſtum, ad manus per tactum, ad pedes per inceſſum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Ritualis liber Mechlinienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXXVIII. ad Ritualem Atrebatenſis Eccleſiæ accedit.

Ex

Ex Aquitania prima.

Ritualis liber Bituricenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXIX. & anno MDLXXXVIII. *Sacerdos de oleo ſancto faciat cruces ſuper quinque ſenſus corporis infirmi, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad manus, ad pectus, ad pedes.*

Ritualis liber Claromontenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXVIII. & MDXXV. idem habet, ſed addit præterea: *Ungatur in utroque latere, ſi ſit homo; ſi autem ſit femina, ſupra umbilicum.*

Ritualis liber Anicienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXVII. *Ad pectus, ad ſcapulas, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad guttur, ad collum, ad manus, ad pedes.*

Ritualis liber Munatenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXX.

Ritualis liber Albienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLIII. &

Ritualis liber Lemovicenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLV. idem habent quod Claromontenſis. *Sciendum eſt*, inquit primus, *quod pro libidine inungitur maſculus in lumbis; femina vero in umbilico, ſi fieri poteſt; alias autem in pectore.*

Ex Aquitanica ſecunda.

Ritualis liber Burdegalenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXI. *Sacerdos perungat infirmum, incipiendo ad viſum, ad auditum, ad odoratum, ad guſtum, ad tactum: homines perungantur in latus dextrum; mulieres autem in umbilico; ad inceſſum pedum.*

Ritualis liber Pictavienſis, Lucionenſis, & Maleacenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXXIV. idem præſtituit.

Ritualis liber Petragoricenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDIX. renes & umbilicum omittit.

Ex Novempopulana.

Ritualis liber Auſcienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCII. *Ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad manus, ſubter pedes, ad renes.* de umbilico mulierum nihil.

Ex provincia Viennenſi.

Ritualis liber Viennenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MD. *Ad caput, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad collum, ad guttur, ad ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum, ad pectus, ad manus, ad pedes, ad locum ubi plus imminet dolor.* Sed ritualis liber ejuſdem Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXVII. tot partes non habet: *Ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad manus, ad renes, vel pectus pro commoditate infirmi ad pedes.* Hunc ſequitur ritualis liber Gebennenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCXII.

Ex Narbonenſi prima.

Ritualis liber Narbonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXLIV. *Ad viſum, ad aures, ad os, ad nares, ad manus, ad pedes, ad umbilicum.*

Ritualis liber Ucetienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MD. Ritualis liber Nemauſenſis, & Magalonenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXIII. idem habent. Sed primus ex his tribus: *Ad renes, ſi ſit homo; ſi vero ſit mulier, in umbilico.* Alter: *Ad renes, ſi ſit homo; ſi vero ſit femina, ungatur circa vel juxta umbilicum.* Tertius: *Ungatur in utroque latere, ſi ſit homo; ſi autem femina, ſupra umbilicum.*

Ex Narbonenſi ſecunda.

Ritualis liber Aquenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXVII. *Ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad manus, ad pedes, ad renes.*

Ex provincia Toloſana.

Ritualis liber Toloſanenſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDXXXVIII. & MDLIII. *Ad oculos, ad aures, ad os, ad nares, ad manus, ad pedes, ad lumbos.*

Hactenus de ritualibus Galliarum libris, nunc ad quoſdam alios tranſeamus.

Ritualis liber Romanæ Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDLXXXI Toloſano ſimilis eſt, quemadmodum & ritualis liber Ferrarienſis Eccleſiæ, qui editus eſt anno MDCVI.

Ritualis liber Venetenſis Eccleſiæ in Italia, qui editus eſt anno MDLV. *Ad caput, ad oculos, ad aures, ad nares, ad labia, ad pectus, ad ſcapulas, ad manus, ad pedes.*

Ritualis liber Barcinonenſis Eccleſiæ, qui anno MDLXIX editus eſt: *Ad oculos, ad aures, ad labia, ad nares, ad manus, ad pedes, ad pectus.*

Idem habet ritualis liber Urgellitanæ Eccleſiæ, qui prodiit anno MDXLVIII. ſed in iſto ſic præſcribitur modus dandi Extremam Unctionem, quando extrema urget neceſſitas: „Adverte quod ſi infirmus ſteterit in tali diſpoſitione, quod timeatur ipſum „mori ante unctionem, tunc primo facta confeſſione, de indulgentia plenaria abſolva„tur, ſi habuerit, & poſtea de infirmorum oleo, particulariter prius ſignando infirmum, „ungas omnes ſenſus corporis in modum crucis, ſub tali forma brevi: In nomine Patris,

„& Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam „miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum, „odoratum, tactum manuum, inceſſum pedum, ardqrem libidinis, & pravas cogitatio„nes. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ritualis liber Salisburgenſis provinciæ, qui editus eſt anno MDLXXXII. „Sacerdos „ungat ægrotum, ſi mas fuerit, in iis ſeptem locis, quæ ſupra ſcripſimus, cruce ſingu„lis impreſſa, ac primum quidem oculorum dextrum; lævum deinde; ſecundo aures; „tertio nares; quarto labia, compreſſa tamen; quinto manus; pedes ſexto; poſtremo „renes perſricabit, ſtatuta ſemper Sacramenti formula inter ungendum prolata, ita ut „ſingulis unctionibus rei nomen accommodetur: at ſi femina fuerit, cum propter honeſ„tatem, tum proptet rei ſignificationem, lumbi, hoc eſt, renes inungi non debent.„ Hæc habul, quibus Occidentalis Eccleſiæ Tradiiionem explicarem.

Nunc ſupereſt, ut quæ corporis infirmi partes apud Græcos ungantur, exponam. Hac in re, unus omnium inſtar erit Simeon Theſſalonicenſis in libro de ſeptem Sacramentis: „Ungit Sacerdos in modum crucis ægri frontem ob contentas in eo cogitaiiones; faciem „quoque inungit propter ſenſuum organa; poſtremo manus, a pravis cogitationibus, „& operibus eum expians, ſanctoque oleo, & ſigno crucis muniens, & perſecte „ſanctificans. Sic igitur cum frons, ut dictum eſt, ab omnibus Sacerdotibus ungi„tur, mens ſanctificaiur, deinde ad modum crucis facies ungitur propter inſtrumen„ta ſentiendi; poſtremo manus unguntur, expurgantibus Sacetdotibus per ſacrum oleum „in Chriſto miſeticordi pollutos ſenſus.„ Sic ille apud Petrum Arcudium, qui Græca refert libro v. de Extrema Unctione cap. VII. Rem paullo aliter narrat Arcudius ibidem: „Græcorum Sacerdotes ungunt ægri ſrontem, mentum, ambas genas, ita ut „fieri videatur unctio in capite ad modum crucis; deinde pectus, tum manus, idque „ex utraque parte; poſtremo pedes. *Et poſt alia:* Quocirca Græci pro diverſitate „Eccleſiarum, ſive ungant caput modo explicato, & manus tantum, ut recenſet Simeon, „ſive caput, pectus, manus & pedes, ut ego retuli, & moris eſt Græcorum hoc tem„pore, ut advertere potui, profecto partes neceſſarias ungere non omittunt.

CAPUT II.

Nonnulla in explicatam Traditionem Obſervationes.

OBSERVATIO I.

Primis Eccleſiæ ſæculis obſcurum, quot partes corporis infirmi ungerentur.

NEQUE apud Græcos, neque apud Latinos ullum reperire potui teſtimonium, quo probaretur, multas corporis infirmi partes unctas fuiſſe. Beatus Jacobus ungendum eſſe infirmum docet; ſed quæ infirmi partes ungantur, non docet. Innòcentius primus, Romanæ Eccleſiæ in conſerendo Extremæ Unctionis ſacramento ritum & Traditionem confirmat; ſed quæ tandem infirmi partes ungantur, non ſignificat. Qui ſancti Eugendi vitam ſcripſit, partis tantum unius meminit, quæ oleo ſancto delibuta fuerit, nimirum pectoris: ſi ex hac vita conjecturam capere licet, pauciores olim, quam poſtea corporis infirmi partes hanc unctionem exceperunt. Retuli libri ſacramentorum Gregotii Papæ editiones duas, in quatum altera una tantum pars corporis; in altera vero plures unguntur: ſed cum ita pugnent inter ſe, ad unum eundemque auctorem ſpectare vix poſſunt. Et revera non ſpectare perſpicue oſtendit Grimoldus Abbas, dum in recenſione libri hujus ea ſuſtulit, quæ poſt Gregorii tempus ſuccreverant. Nam apud Grimoldum neque caput, neque ulla alia corporis pars nominatim ungenda deſignatur. Porro liber Sacramentorum a Grimoldo emendatus extat apud Pamelium tomo Liturgicon ſecundo, ubi cap. XCVIII. non habetur alius titulus, quam iſte: *Orationes ad viſitandum infirmum:* deinde poſt tres primas orationes, *Deus qui famulo*, &c. *Reſpice, Domine*, &c. *Deus qui factura*, &c. quæ in utraque editione memorata ſequuntur, uſque ad orationem, *Deus qui humano*, &c. deſiderantur; ſed tres tantum aliæ habentur, ſcilicet, *Deus qui humano*, &c. *Virtutum cæleſtium*, &c. *Domine ſancte, Pater omnipotens*, &c. Conſtat ergo quod utriuſque editionis liber non ſit purus putus Gregorii liber, ſed quod ad eum poſt Gregorii tempus multarum rerum factæ ſint acceſſiones.

OBSER-

Observatio II.

Poſt Gregorii tempus apud Latinos modo una, modo plures corporis partes unctas fuiſſe.

QUin a tempore Gregorii Magni apud Latinos modo una corporis pars, modo plures nonnumquam unctæ fuerint, dubitari merito non poteſt. Id manifeſtum eſt ex duabus libri Sacramentorum editionibus, quas in medium adduxi. Nam qui libro Sacramentorum inter opera Gregorii edito utebantur, caput duntaxat ungebant. Qui vero librum Sacramentorum alterius editionis habebant in uſu, collum, guttur, inter ſcapulas, pectus, & partem corporis gravius afflictam ungebant: ſed ævi progreſſione factum eſt, ut & in Romana, & in aliis Eccleſiis, præter memoratas partes, aliæ quoque unctioni deſtinatæ fuerint. Quamobrem unctiones illæ ſeptem, quarum Eugenius IV. meminit in ſuo decreto, per Eccleſiaſticæ Traditionis lineam ad Gregorium, aut Innocentium primum reduci non poſſunt; verum tametſi diverſis temporibus modo pauciores, modo plures unctiones fuerint, ſubſtantia Sacramenti jacturam ex eo nullam accepit. Quod Tridentina Synodus cum fortaſſe proſpiceret, de Romana Eccleſia hoc ſapienter docuit cap. III. de ſacramento Extremæ Unctionis: *Nec profecto Eccleſia Romana aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda unctione, quantum ad ea, qua hujus Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſervat, quam quod beatus Jacobus præſcripſit.*

Observatio III.

Corporis partem, in qua dolor erat acerbior, olim pluribus in Eccleſiis unctam eſſe, ſed ungi poſtea deſiiſſe.

EX quo poſtrema unctio cœpit eſſe celebrior, & varii ad ungendum infirmum ritus fuerunt compoſiti, pluribus apud Latinos Eccleſiis viſum eſt, eam eſſe ungendam corporis partem, quæ dolore majori cruciaretur. Inter explicandam ſuis monimentis Traditionem hos adnotavi ritus, eamque verborum complexionem, qua pars illa corporis deſignatur: nempe *ubi plus dolor imminet*, *ubi amplius dolor imminet*. Hæc autem unctio ſuam habet rationem in beati Jacobi epiſtola, ubi dicitur: *Alleviabit eum Dominus*; ſed anni jam ſunt plures, cum hæc unctio fieri deſiit; cauſam vero cur deſiit, reddere non eſt tam facile. Id porro ex eo accidiſſe crederem, quod Eugenii Papæ IV. decretum unctionem ejuſmodi non præſcribat. Eccleſiæ autem, qui talem adhibebant unctionem, cum rituales libros recognoverunt, eos ad illud decretum componendos eſſe duxerunt. Decretum, quod antea minus notum erat, circa annum MCXXVI. juris publici factum eſt. Ab eo tempore, & præſertim poſt Tridentinum Concilium rituales libri recudi, atque emendari cœperunt. De Græcis quod dicam nihil habeo, talem apud eos conſuetudinem ungendi locum, in quo magis dolet infirmus, obtinuiſſe non invenio.

Observatio IV.

Apud Græcos frontem & verticem ungi, non apud Latinos.

DE ritualibus Latinorum libris, quos retuli, quidam nuſquam præſcribunt, frontem ac verticem ungendum eſſe; alii nominatim præſcribunt, frontem ac verticem non eſſe ungendum. Græci contra præſcribunt, has partes corporis ungendas eſſe, eaſque oleo ſancto ungunt. Latini cauſam facti ſui nullam adferunt; ii forſan exiſtimant, eas partes in Extrema Unctione ungendas non eſſe, quæ in Baptiſmo & Confirmatione Unctionem ſuſceperint; ſed hæc ratio Græcos non movet; quippe quæ neque ex Scripturis, neque ex idonea Traditione & canone ducatur. Res eſt in qua Eccleſiæ concordia violari non poteſt, & unaquæque Eccleſia in ſuo ſenſu abundare dicenda eſt: ſcilicet aliud eſt quod pro certo, aliud quod pro congruenti ſumitur.

Observatio V.

Non eaſdem ubique Eccleſiarum in feminis unctiones fieri.

UT rituales ſunt quidam libri, qui ſtatuant, in feminis ægrotantibus renes, vel umbilicum ungi debere, ſic ſunt & alii, qui ſtatuant ungi non debere; qui vero ſtatuunt, ſtatuendi rationem ab honeſtate petunt: quinetiam mos erat antiquus in Eccleſia Laudunenſi, ut neque in viris, neque in feminis renes ungerentur.

OBSER-

Observatio VI.

In contagioſis morbis ſubſtantiam ſacramenti Extremæ Unctionis perfici unctione quavis.

Quidam e Schola Theologi, qui quæſtionem hanc ad Metaphyſicorum regulas magis, quam ad Theologiæ principia duo, Scripturam & Traditionem expendunt, mirum in modum ſe in hac difficultate torquent; & tum demum concludunt probabilius ſibi videri, quavis unctione non perfici Sacramentum; ſed inprimis id quod obſervatione prima & ſecunda docui, illos aberrare maniſeſtiſſime demonſtrat. Deinde rituales libri plures, cum breviorem communi & ordinario modum conferendæ unctionis hujus præſcribunt, auctoribus perſuaſum fuit, collatum ſub qualibet unctione Sacramentum valere: præſcribunt autem Metenſis, Atrebatenſis, Mechlinienſis. Atrebatenſis probatus eſt a Franciſco Richardoto loci Epiſcopo, qui Tridentinæ Synodo magna cum eruditionis laude interfuit. Mechlinienſis ab Academia Lovanienſi, quæ rem, ut par eſt credere, ſuis momentis examinavit. Tum Scriptura nullam corporis partem, quæ ungatur, ſingillatim appellat, & primum Traditionis monimentum, quod extet, partem corporis unicam deſignat unctione delinitam. Quis autem in ſe reciperet, tunc perfectum non fuiſſe Sacramentum, aut plures unica, quæ deſignatur, corporis partes unctas fuiſſe, aut tandem unctiones quinque, quas ad eſſentiam Sacramenti requirunt, ex duobus Theologiæ principiis, requiri potius, quam ſeptem illæ, quæ in decreto Eugenii Papæ explicantur?

Explicata Eccleſiæ Latinæ Traditio circa ordinem precum & orationum, quæ dum infirmus ungitur, ſuper eum funduntur.

Hic non inſtituitur ſermo de precibus vel orationibus, quæ & unctionem, & unctionis finem exprimunt. Hoc enim precum vel orationum genus executi ſumus, quando Traditionem, quæ circa formam ſacramenti Extremæ Unctionis verſatur, expoſuimus. De illis precibus ſeu orationibus agimus, quæ unctionem, vel antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, prout diverſarum Eccleſiarum uſus tulit. Scriptura enim, vel generale Concilium aliquod cum nihil hac in re præſcribat, ſtandum eſt variis Eccleſiarum conſuetudinibus, quæ in libris rituum occurrunt.

Caput I.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus orationes multæ, unctionem & orationem, quæ ipſa in unctione funditur, antecedunt, & conſequuntur.

In earum Eccleſiarum, in quibus orationes illæ unctionem & formam unctionis antecedunt, numero collocanda mihi videtur Romana vetus Eccleſia, quæ in Sacramentario Gregorii Papæ ritum Unctionis infirmorum ſic præſcribit.

Oratio ad viſitandum infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, ter quinos annos ad vitam donaſti; ita & famulum tuum illum a lecto ægritudinis, tua potentia erigat ad ſalutem. Per, *&c.*

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emundata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ill. ex adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cæleſtis gratiæ præſta medicinam. Per, *&c.*

Alia.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam, non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, *&c.*

Alia.

Virtutum cæleſtium, Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo ill. ut

fuga-

fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen ſanctum tuum, inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per, *&c.*

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ, infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum ill. propitiatus iotende, ut omoi neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per Dominum, *&c.*

Deinde a Sacerdote dicatur hæc oratio:

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei.

Cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis & corporis expelle, plenamque, & interius, exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus & ſanatus, ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Per, *&c.*

Et ſic flectat genu vel genua, qui eſt languidus, & ſtet ad dextram Sacerdotis, & ſic decantetur hæc Antiphona: Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: In nomine meo dæmonia ejicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. Pſal. Deus deorum Dominus locutus eſt; & repetit: In nomine meo, *&c.*

Sequitur oratio.

Oremus Dominum noſtram JESUM CHRISTUM, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum ill. per Angelum ſanctum ſuum viſitare, lætificare, & confortare, dignerur. Per, *&c.*

Sequitur antiphona.

Succurre, Domine, infirmo iſto ill. & medica eum ſpiritali medicamine, ut in priſtina ſanitate reſtitutus, gratiarum tibi ſanus referat actiones. Pſal. Ad Dominum cum tribularer. Sequitur Antiphona. Sana, Domine, infirmum iſtum, cujus oſſa turbata ſunt, & cujus anima turbata eſt valde; ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, & eripe animam ejus. Pſal. Domine, ne in furore tuo arguas me. Cum gloria; & repetent: Sana me, Domine; & ſic perungat infirmum de oleo ſanctificato, crucem faciendo in collo & gutture, & inter ſcapulas, & in pectore, ſeu in loco ubi plus dolor imminet, amplius perungatur, & ſupplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem.

Sequitur oratio.

Inungo de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat in te Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, oeque in ulla compagine membrorum; ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive fotus, priſtinam & immeliotatam recipere merearis ſanitatem. Per eundem, *&c.*

Sequitur hæc oratio.

Domine Deus, Salvator noſter; qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & medicamenrum venit, quique oos Apoſtoli documento inſtruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus; reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. & quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ reſtituat in ſalutem. Sana quoque, quæſumus, omnium medicator, ejus febrium, & cunctorum languorum cruciatus ægritudinemque, & dolorum omnium diſſolve tormenta, viſcerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum ſana diſcrimina, ulcerum, vanitatumque putredines evacua, conſcientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immenſaſque remove paſſiones, carnis ac ſanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue, ſicque illum tua pietas jugiter cuſtodiat, ut nec ad correptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliaote, perducat infirmitas; ſed fiat illi hæc olei ſacra perunctio morbi, & languoris præſentis expulſio, atque peccatorum omnium optata remiſſio. Per Dominum noſtrum, *&c.*

Alia.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque

que de interitu vitam tuam, & ſatiet in omnibus deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate unus vivit & regnat per immortalia ſæculorum ſæcula. Amen. *Hactenus Sacramentarium Gregorii ex cod. S. Eligii.*

In hocce ritu preces multæ ſunt, quæ unctionem antecedunt, & multæ, quæ ſequuntur.

Eundem ordinem ſervat codex Siculus ante annos ſexcentos manu exaratus, quem Joannes Morinus vulgavit ad calcem Commentariorum de pœnitentia: ſic autem ſe habet.

Ordo ad ungendum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confeſſionem purius adapertis, dignius proficiat ei unctio ſpiritalis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem: & tunc imprimis faciant Sacerdotes aſpergi ſalem & aquam benedictam, & ſpargant eam cum Antiphona, Aſperges me, Domine, cum Pſalmo, Miſerere mei, Deus, & oratio dicatur, unde ſupra, ſuper infirmum, & ſuper domum ejus; deinde dicatur hæc oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es, *& cetera, ut in Sacramentario Gregorii, uſque ad Antiphonam:* Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis: incluſivè. *Tum ſequitur.*

Hic imponant manus ſuper infirmum omnes Sacerdotes & miniſtri eorum, jubente tamen; vel permittente Epiſcopo, quoniam canonicus ſic docet ordo.

Sequitur oratio.

Deus qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, huic ad te ex toto corde converſo peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per, &c. Sequitur Antiphona: Succurre, &c. *ut in Sacramentario Gregorii, uſque ad cum Gloria incluſive. Tum ſequitur:*

Oratio.

Oremus Dominum noſtrum pro fratre noſtro, quem dure ad præſens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cæleſtibus dignetur curare medicinis, ut qui dedit vitam, det & ſalutem. Qui vivis, &c.

Deus qui humano generi & ſalutis remedium & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, &c. Et ſic perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, crucem faciendo in collo & gutture & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco ubi plus dolor imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium ſummitate exterius ſive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id eſt, foris, ut ſi quinque ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, medicina ſpiritali ſanetur, & Domini miſericordia impertiatur. Cum ergo Sacerdos ungit infirmum, dicat hanc orationem moroſius inungendo.

Adeſto, Domine, quæſumus, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator aſſiſte, ut qui ad executionem mandatorum huic ægroto manus imponentes olei ſacri unctionem exhibemus, hujuſmodi ſervituti noſtræ te intereſſe ſentiamus, quatenus ſancti Spiritus gratia noſtræ actionis officia comitante ab hoc famulo tuo N. omnis languor & debilitas abſcedat, totiuſque vigoris & ſoſpitatis plenitudo ſuccedat, relictoque imbecillitatis grabato, ad te medicum ſupernum vultum & mentem erigat, & pro ſoſpitatis reſtitutione laudes nomini tuo competentes in æternum perſolvat. Per, &c.

Sequitur olei unctio ad caput.

Ungo caput tuum oleo ſanctificato, &c. ut in explicata Eccleſiæ Traditione circa formam; deinde, abſolutis omnibus unctionibus, ſequitur:

Ungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti oleo ſancto atque ſacrato, ut virtute Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra unctio ſanitatem animæ & corporis in remiſſionem omnium peccatorum & vitam æternam. R. Amen.

Alia.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem, hæc unctio per ſignum ſanctæ Crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum ſancti Spiritus fiat tibi ad ſanitatem.

Alia.

Domine Deus, Salvator noſter, qui es vera ſalus & medicina, a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, qui Apoſtoli tui voce nos inſtruis, ut languidos olei liquore

tangen-

tangentes tua poſtulemus miſericordiam pietatis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. ab illa mirabili ſummitate cælorum, ut quem languor cruciat ad exitum, & virium contractio jam pertrahit ad occaſum, medela tua gratia ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eodem libidinum, & febrium actus, dolorum ſtimulos, ac vitiorum obtere cruciatus, ægritudinum & cupiditatum tormenta diſſolve, ſuperbia inflationem, timoremque compeſce, ulcera & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna, cordiumque ac medullarum, atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis, tryphonicisque adeſto periculis, veteres immenſaſque remove paſſiones, opera carnis, ſanguiniſque materiam compone, delictorum illi veniam propitiatus attribue, ſicque illum jugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, nunc perducat infirmitas, fiatque ei hæc olei ſacra perunctio concita morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente, Salvator mundi. Qui vivis, &c.

Sequitur Hymnus.

Chriſte, cæleſtis medicina Patris,
  Verus humanæ medicus ſalutis,
  Pro fide plebis precibus potenter
    Pande favorem.
En nobis infirmis tibi ſupplicamus,
  Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
  Ut pius morbo releves jacentes,
    Quo quatiuntur.
Qui poteſtate manifeſtus exſtas,
  Mox ſocrum Petri febribus jacentem,
  Reguli prolem, puerumque ſalvas
    Centurionis.
Corporum morbos, animamque ſana,
  Vulnera quaſſans adhibe medelam,
  Ne ſine fructu cruciatus urat
    Corpora noſtra.
Ferto languenti populo vigorem,
  Efflue largam populo ſalutem,
  Priſtinis more ſolito reformans
    Viribus ægros.
Jam Deus noſter, miſerante fletu,
  Pro quibus te nunc petimus, medere;
  Ut tuam cunctus recubans medelam
    Sentiat æger.
Omnis impulſus perimens recedat,
  Omnis incurſus crucians liqueſcat,
  Vigor optatæ foveat ſalutis
    Membra dolentis.
Quo per illata mala, dum teruntur,
  Eruditorum numero decori
  Compotes intrent ſociante fructu
    Regna polorum.
Gloria Patri, genitæque proli,
  Et tibi compar utriuſque ſemper,
  Nomine trino deitate ſoli,
    Sidera clament. Amen.

Oratio.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, & corroboret, & ſanet in bonis deſiderium ipſius, qui ſolus in Trinitate Deus vivit, & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum N. ex adverſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & ei cæleſtis gratiæ præſta medicinam. Per, &c.

Alia.

Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, ut fugatis infirmitatibus, medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per, &c.

Alia.

Virtutum cæleſtium, Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per, &c.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ benedictione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum N. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporea infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtina ſanitatis perfecta reparetur. Per, &c. *Deinde cum communicet Sacerdos corpore & ſanguine Domini, & ſic illi faciant per ſeptem continuos dies, ſi neceſſitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio, & ſuſcitabit eum Dominus ad ſalutem, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei, ut Apoſtolus ait.*

Hic ordo quoque præſcribitur in veteri libro Pontificali, quam olim bibliotheca Tilliana habuit.

Non diſſimilis ordo ſervatur in alio Pontificali libro, quem alias in bibliotheca Dominicanorum Pariſienſium ad portam ſancti Jacobi vidimus: inprimis enim multæ recitantur preces & orationes, quarum magnam partem modo retulimus, deinde ægrotus confitetur, tum aliæ preces quas inter extant pœnitentiales Pſalmi, dicuntur, hinc ungitur ægrotus cum forma indicativa; poſtremo aliæ quædam preces ſubjunguntur.

Hic etiam ritus in pleriſque Galliæ provinciis ita traditur.

In prima Lugdunenſi.

Liber Sacerdotalis ad uſum Eccleſiæ Lugdunenſis editus anno MDXLII. hunc ordinem proponit: *Sacerdos volens Extrema Unctionis miniſtrare ſacramentum, indutus ſuperpelliceo & ſtola, præcedentibus miniſtris cum aqua benedicta, igne & cruce abſque haſta, juxta loci conſuetudinem, tenens in manibus ſacri olei ſcrinium, pergat ad infirmum, pſalmos pœnitentiales dicendo, & intrando domum, dicat ter, Pax huic domui.* Et poſt alia: *Deinde quærat ab infirmo, ſi deſiderat ſibi miniſtrari ſacramentum ſacræ Unctionis. Tum dicuntur plures orationes, quibus dictis, interrogatur infirmus ſi fuerit confeſſus, & ſi non fuit confeſſus, confiteatur; deinde poſt datam abſolutionem, infirmus, ſi poteſt, flectit genua ad dexteram Sacerdotis, & dicunt aſtantes Antiphonam, Sana, Domine. Tum dicitur Pſalmus VI. Domine, ne in furore tuo,* quem excipit oratio; *deinde Pſalmus XLIX. Deus Deorum locutus eſt*, quem alia excipit oratio; *tum Pſalmus L. Miſerere mei Deus*, quem alia oratio excipit; *deinde Pſalmus CXIX. Ad Dominum cum tribularer clamavi*, quem alia excipit oratio; *tum Pſalmus CXXX. De profundis*, quem alia excipit oratio; *deinde Sacerdos exhortatur infirmum, & poſtea ungit*, & plures adhuc ſubjiciuntur orationes.

Ritualis liber Æduenſis, qui anno MDXXIII. editus eſt, ſtatuit, ut dum *Sacerdos infirmi domum ingreſſus eſt, ſeptem pſalmos pœnitentiales, dicat cum letaniis & oratione illa, quæ Jacobi verba complectitur, & poſtea ungat. Tum Sacerdos multas orationes & benedictiones fundit ſuper infirmum.*

Idem omnino ſervatur in paſtorali libro Cabilonenſi, qui anno Chriſti MDCV. typis mandatus eſt.

Paullo aliter ſe res habet in Lingonenſis Eccleſiæ Manuali, quod anno Chriſti MDLXXIII. editum eſt: *Nam Sacerdos dum pergit ad infirmum, ſubmiſſa voce recitat ſeptem pſalmos pœnitentiales; deinde poſtquam intravit domum ægroti, & dixit, Pax huic domui, cum reſponſione, recitat pſalmos ſequentes, Beatus qui intelligit ſuper egenum, Judica me, Deus, & diſcerne, Voce mea ad Dominum clamavi, cum oratione, in qua verba Jacobi memorantur: poſtea confitetur, & ungitur infirmus, eoque uncto, dicitur pſalmus, Benedic, anima mea, Domino*, quem ſequitur letania cum pluribus orationibus & benedictionibus.

CAPUT II.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus multæ preces antecedunt unctionem, & nullæ vel paucæ ſequuntur.

In provincia Rotomagenſi

SIc ſe res habet. nam in Manuali Rotomagenſis Eccleſiæ, quod anno Chriſti MDXLIV. vulgatum eſt: *Sacerdos ubi domum ægroti intravit, & dixit, Pax huic domui, recitat ſeptem pſalmos pœnitentiales & letaniam, cum pluribus orationibus; deinde infirmus confitetur, obſolvitur & ungitur, & poſtea communicatur*

Idem traditur in Manuali, quod anno MDLXXXVI typis iterum commiſſum eſt. Sed in Manuali, quod anno MDCXI. & MDCXL. editum eſt, plures orationes & benedictiones adjunguntur.

In Manuali Abricenſis Eccleſiæ, quod anno Chriſti MDXXXIX. typis mandatum eſt, idem omnino ritus præſcribitur, qui in Manualibus antiquis Rotomagenſis Eccleſiæ.

In Manuali Sagienſis Eccleſiæ, quod anno MDXV. impreſſum eſt, idem quoque ritus præſcribitur, qui in Manualibus Rotomagenſis & Abrincenſis Eccleſiæ.

In provincia Senonenſi.

In Manuali Autiſſiodorenſis Eccleſiæ, quod anno Chriſti MDXXXVI. editum eſt: *Sep-*

Digitized by Google

Septem pſalmi, letania, orationes, & benedictiones antecedunt unctionem, qua peracta, dua tantum orationes adduntur.

Ad eandem provinciam ſpectat Manuale Meldenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLVI. editum eſt: *In eo enim ſeptem pſalmi pænitentiales, letania, orationes, benedictiones, iterum orationes, abſolutio a peccatis antecedunt unctionem, cui una tantum oratio ſubjungitur.*

CAPUT III.

Nonnullæ ſunt Eccleſia, in quibus dum ungitur infirmus, ſeptem pſalmi pænitentiales dicuntur.

IN his Eccleſiis primum locum tenere debet Romana, cujus editus anno Chriſti MDLXXVI. ritualis liber ſic inſcribitur: *Sacra inſtitutio baptizandi juxta ritum Romana Eccleſia.* In eo autem ſic ſtatuitur: *Dum autem pſalmi pænitentiales dicuntur, vel cum dicti fuerint, Sacerdos intincto pollice in oleo ſancto, dicat abſolute,* &c.

Sacramentale Ferrarienſis Eccleſiæ, quod anno MDCVI. editum eſt, idem hoc modo decernit: *Deinde Sacerdos converſus ad aſſiſtentes, eos humana infirmitatis admoneat, atque orent pro infirmo in hoc extremo agone mortis luctante, dicendo ſeptem pſalmos cum litaniis, ſeu alias orationes, dum ipſe Sacramentum unctionis adminiſtrat.*

In Sacramentario Mimatenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXX. editum eſt, ita ſtatuitur: *Dum vero infirmus inungitur, ceteri Presbyteri cantent pſalmos ſeptem* (pœnitentiales) *cum antiphonis, qua ſequuntur, Sana, me, Domine. Domine, ne in furore. Ant. Erat quidam Regulus. Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates. Ant. Domine, deſcende. Domine, ne in furore. Ant. Cor contritum. Miſerere mei, Deus. Ant. Puer meus jacet. Domine, exaudi orationem meam. Ant. Domine, non ſum dignus. De profundis. Ant. Cum autem ſol occidiſſet. Domine, exaudi orationem meam.*

In Manuali Claromontenſis Eccleſiæ, & ſancti Flori, quod anno MDXXV. editum eſt, idem quoque præſcribitur: *Tunc* (infirmus) *oſculetur pedes crucifixi, deinde ungatur, & dicantur ſeptem pſalmi pænitentiales, & antiphona ſuo loco.*

In Manuali Noviomenſis Eccleſiæ, quod anno MDLX. editum eſt, idem etiam ſic decernitur: *Dicantur ſeptem pſalmi pænitentiales, & interim debet infirmus inungi a Sacerdote.*

CAPUT IV.

Nonnulla ſunt Eccleſia, in quibus unctiones pſalmis pænitentialibus interſeruntur.

APUD multas provincias id in uſu fuiſſe poſitum docent rituales earum libri, quos adducturus ſum.

Apud provinciam Narbonenſem.

Ritualis liber Ucerienſis Eccleſiæ, qui anno MD. editus eſt, ſic adminiſtrationem Extremæ Unctionis præſcribit: *Et nota quod ſi infirmus eſſet inclinatus ad agonem mortis, tunc Sacerdos hoc cognoſcens debet omittere ſeptem pſalmos, & agonizantem ungere, & poſtea ſeptem pſalmos legere, ne aliquis ſine unctione moriatur. Ad oculos: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam,* &c. *Tunc clerus dicat Antiph. Sana me, Domine. Pſal. Domine, ne in furore,* &c. Finito pſalmo, repetita Antiph. *Ad aures: Per iſtam unctionem,* &c. *Ant. Erat quidam Regulus. Beati quorum,* &c. *Ad labia: Per iſtam unctionem,* &c. *Ant. Domine, deſcende ut ſanes filium meum,* &c. *Domine, ne in furore tuo,* &c. *Ad nares: Per iſtam unctionem?* &c. *Ant. Cor contritum. Miſerere mei, Deus,* &c. *Ad manus: Per iſtam unctionem,* &c. *Ant. Domine, puer meus jacet. Domine, exaudi orationem meam,* &c. *Ad pedes. Per iſtam unctionem,* &c. *Ant. Domine, non ſum dignus,* &c. *De profundis,* &c. *Ad renes: Per iſtam unctionem,* &c. *Ant. Cum ſol occidiſſet. Domine, exaudi orationem meam,* &c. Quibus peractis, Sacerdos plures orationes & benedictiones fundit ſuper infirmum.

Ritualis liber Nemauſenſis Eccleſiæ, qui anno MDXXXIII. editus eſt, eundem plane ordinem ſervar.

Ritualis liber Magalonenſis, nunc Monſpellienſis Eccleſiæ, qui eodem anno impreſſus eſt, eundem quidem ſervat ordinem; ſed antiphonis ſingulis orationes ſingulas addit, quas rituales alii duo libri non addunt.

Apud provinciam Toloſanam.

Ritualis liber Toloſanæ Eccleſiæ, qui anno MDXXXVIII. & MDLIII. editus eſt, idem habet quod Magalonenſis.

Apud provinciam Aquenſem.

Ritualis liber Aquenſis Eccleſiæ, qui anno MDLXXVII. editus eſt, idem habet, quod Ucetienſis & Nemauſenſis.

Apud provinciam Arelatenſem.

Ritualis liber Maſſilienſis Eccleſiæ, qui ante annum MDC. editus eſt, idem quoque habet quod Aquenſis.

CAPUT V.

Nonnulla ſunt Eccleſiæ, in quibus unctiones pſalmis aliis interſeruntur.

IN exemplum dabo Albienſem Eccleſiam, in cujus rituali libro, qui anno MDLIII. editum eſt, huncce ritum ita repræſentat, poſtquam ſeptem pſalmi pœnitentiales recitati ſunt cum letania & quibuſdam orationibus, quarum ultima Jacobi verba continet. Proxime ſequitur: *Novem candelæ hic debent accendi, & ſit primo unctio ad oculos, ſic dicendo; Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Dominus* JESUS CHRISTUS *locutus eſt diſcipulis ſuis, dicens: In nomine meo dæmonia ejicite*, &c. *Pſal. Domine, quid multiplicati ſunt*, &c. finito Pſalmo, & repetita Ant. dicitur: *Oremus, Deus, qui famulo tuo Ezechiæ regi*, &c. *Unctio ſit ad aures; Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto*, &c. *Pſal Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, &c. finito Pſalmo, & repetita Ant. dicitur: *Reſpice famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem*, &c. *Unctio ſit ad os: Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Vivo ego, dixit Dominus, nolo mortem peccatoris*, &c. *Pſal. Ad Dominum cum tribularer, clamavi*, &c. finito Pſalmo, & repetita Antiph. dicitur: *Deus, qui facturæ tuæ ſemper pio dominaris affectu*, &c. *Unctio ad odoratum: Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Domine, puer meus jacet paralyticus*, &c. *Pſal Levavi oculos meos in montes.* finito Pſalmo, & repetita Antiph. dicitur: *Deus, qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti*, &c. *Unctio ad manus: Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Domine, non ſum dignus*, &c. *Pſal. Domine, probaſti me*, &c. finito Pſalmo, & repetita Antiphona, dicitur: *Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis*, &c. *Unctio ad pedes: Per iſtam unctionem*, &c. *Ant. Dixit* JESUS *Centurioni*, &c. *Eripe me, Domine, ab homine malo*, &c. finito Pſalmo, & repetita Antiph. dicitur: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas*, &c. *Unctio ad lumbos, Per iſtam*, &c. *Antiph. Ad te Domine, levavi animam meam*, &c. *Pſal. Domine, exaudi orationem meam auribus percipe*, &c. finito Pſalmo, & repetita Antiph. cum quibuſdam precibus dicitur: *Oremus, Domine ſancte, Pater omnipotens; æterne Deus*, &c. cum aliis orationibus & benedictionibus, quas habent alii rituales libri.

CAPUT VI.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus ſeptem pſalmi pœnitentiales cum letania & orationibus multis dicuntur ante unctionem: & poſt unctionem ſex alii pſalmi.

RITUALIS liber Ambianenſis Eccleſiæ, qui anno Chriſti MDXLI. prodiit, hunc ritum proponit; pſalmi autem, qui poſt unctionem dicuntur, ſunt ejuſmodi: *Domine, clamavi ad te, exaudi me. Intende voci*, &c. eo finito, dicitur: *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter, Et ne nos, Sed libera, & dicantur antiphonæ cum pſalmis ſequentibus: Ad Dominum cum tribularer clamavi*, &c. *Ant. Heu mihi, Domine*, &c. *Levavi oculos meos in montes*, &c. *Ant. Unde veniet auxilium mihi. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, &c. *Ant. In domum Domini*, &c. *Ad te levavi oculos meos*, &c. *Ant. Qui habitas in cælis*, &c. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion*, &c. *Antiph. Benefac, Domine*, &c. *Oremus, Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis*, &c. *Poſt hæc, ſi infirmus velit communicari communicetur.*

CAPUT

CAPUT VII.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus pſalmi pœnitentiales ſubſequuntur unctionem, non antecedunt.

SUESSIONENSIS Eccleſia ſeſe offert in rituali ſuo libro, qui ad annum MDXXXV. editus eſt, in hoc enim libro ritus ungendi infirmi ſic ſe habet: *Sacerdos intrando domum, dicit, Pax huic domui*; poſt reſponſionem, dicit Antiph. *Benedic, Domine, domum iſtam.* Tum *ſtans ante infirmum*, dicit, *Dominus vobiſcum*, & multas orationes, quibus dictis, infirmus confitetur, ſi confeſſus non fuerit, & poſtquam data eſt abſolutio, dicit orationes & preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua; deinde ungitur. Tum poſtquam unctus eſt infirmus, & dictæ ſunt orationes aliæ, dicuntur ſeptem pſalmi pœnitentiales, letania, preces & benedictiones.

CAPUT VIII.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus ſeptem pſalmi pœnitentiales, antecedunt unctionem, & alii pſalmi dicuntur, dum ungitur infirmus:

IN his Eccleſiis Meldenſem eſſe teſtatur ritualis ejus liber, qui anno MDXLVI. prodiit, ſic autem res præſcribitur: *Sacerdos intrando domum infirmi, dicat ter, Pax huic domui. Reſp. Et omnibus*, &c, *Benedic, Domine, domum iſtam*, &c. *Oratio: Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es, dicens. & oratione dicta, Sacerdos & clericus cum eo dicant ſeptem pſalmos devote cum Gloria Patri. Ant. Sana me, Domine. Domine, ne in furore*, &c. His ſeptem pſalmis finitis, ſequuntur letaniæ, preces, orationes, benedictiones, abſolutio. Tum dicitur: *Pſalmi ſequentes cantantur a Canonicis, aut clericis circumſtantibus, quando Sacerdos ungit infirmum; ſi autem pauci aut nulli adſint, omittuntur dicti pſalmi; Domini eſt terra & plenitudo ejus. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum. Inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi me. Qui habitat in adjutorio. Memento, Domine, David. Ecce quam bonum. Confitebor tibi. Domine, in toto corde meo, quoniam audiſti verba oris mei.* His pſalmis finitis, dicitur: *Dum autem cantantur pſalmi prædicti, infirmus ungitur a Sacerdote in quinque ſenſibus corporis, faciendo cruces, & primo ſuper oculos dicendo: Per iſtam unctionem*, &c.

CAPUT IX.

Nonnullæ ſunt ſunt Eccleſiæ, in quibus ſeptem pſalmi pœnitentiales dici poſſunt, dum itur ad infirmum, ſed in præſentia illius dici debet letania.

HIc ordo præſtituitur in veteribus Pariſienſis Eccleſiæ rituum codicibus, quorum unus editus eſt anno MDXIL. alter anno MDXLII tertius anno MDLXXXI. quartus anno MDCI. ſi autem in his omnibus præſtituitur: *Nota quod pſalmi pœnitentiales ſupra ſcripti cum antiphona, aliquando dicuntur eundo ad infirmum; ſed ſemper letania dicitur in præſentia infirmi.* Hæc autem admonitio ſublata eſt ex Pariſienſi rituali libro, qui anno Chriſti MDCXLVI. impreſſus eſt; ſed idem ordo, qui antea potuiſſet ſine ullo rei eccleſiaſticæ incommodo permanere propter antiquitatem venerabilem, non permanſit.

CAPUT X.

Nonnullæ ſunt Eccleſiæ, in quibus nulli pſalmi dicuntur, ſed tantum orationes & benedictiones.

TALIS eſt ritus, qui in rituali libro Venetenſis apud Italos Eccleſiæ deſcribitur: „Ordo ungendi infirmum ſecundum uſum Patriarchatus Venetiarum: Sacerdos accedere volens ad ungendum infirmum, ſumpto ſuperpelliceo & ſtola & libello, cum „miniſtro ad infirmum accedere, & ibidem ſuperpelliceo & ſtola paratus accedens ad lectum infirmi, dicat, Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea, & aſpergat infirmum & „tha-

„thalamum & aſtantes aqua benedicta. Quo facto, paucis verbis infirmum conſoletur, & hortetur ad habendam ſpem & fiduciam in Domino Deo, & poſtea dicat, „Dominus vobiſcum. Oremus: Omnipotens & miſericors Deus, immenſam pietatem „tuam humiliter imploramus, ut ad introitum humilitatis noſtræ in tuo nomine hunc famulum tuum N. in hoc habitaculo jacentem feſſum, ſalutifere viſitare digneris, ſicut „viſitaſti Tobiam & Saram ſocrum Petri, puerumque Centurionis, atque eum reſtituas „priſtinæ ſanitati animæ & corporis. ut recepta ipſa priſtina ſanitate, gratiarum tibi in „Eccleſia tua referat actionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen. Deinde „Sacerdos intingens pollicem in oleo ſancto infirmorum, ungat caput infirmi in modum crucis, dicens.

„Ungo caput tuum oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ſancti, ut more militis uncti præparatus ad luctamen, poſſis aereas ſuperare catervas „Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen. Et extergatur ſtuppa locus inunctus, „& ponatur in vaſe mundo.

Ad oculos.

Ungo oculos tuos oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid de illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad aures.

Ungo has aures ſacrati olei liquore, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid delectatione nocivi auditus admiſſum eſt, medicina ſpirituali evacuetur. Per Chriſtum Duminum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad nares.

Ungo has nares oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid noxio vapore contractum eſt ab odore ſuperfluo, iſta emendet unctio vel medicatio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad labia.

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid guſtu ſuperfluo & inordinato, vel otioſa, vel criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante hac unctione expurgetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad pectus.

Ungo pectus tuum oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aeras catervas; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſit hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad ſcapulas.

Ungo has ſcapulas, ſive in medio ſcapularum oleo ſacro in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut ex omni parte ſpirituali protectione munitus, valeas diabolicos impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis eos robore ſuperni juvaminis repellere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad manus.

Ungo has manus oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito, vel noxio tactu, vel opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ad pedes.

Ungo hos pedes oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid ſuperfluo, vel nocivo inceſſu commiſerunt, iſta aboleat unctio vel medicatio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Benedictiones ſuper infirmum inunctum.

Benedictio Dei omnipotentis cum Angelis ſuis ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedictio Domini noſtri Jesu Christi cum Apoſtolis ſuis ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedictio Spiritus ſancti cum ſeptem donis ſuis ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedictio ſanctæ Eccleſiæ catholicæ cum filiis ſuis electis ſit ſuper te. R. Amen.

Benedictio ſanctæ Mariæ virginis, matris Domini noſtri Jesu Christi cum filiabus ſuis ſanctis ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedictio ſancti Petri Principis Apoſtolorum, & omnium Apoſtolorum ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedictio quatuor Evangeliſtarum Chriſti cum quatuor Evangeliis, & quatuor Paſſionibus Chriſti, ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedic-

Benedictio ſanctæ Crucis Chriſti cum virtute Altiſſimi ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Adam per paſſionem Filii tui Domini noſtri Jesu Christi. Reſp. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Noe & filios ejus poſt diluvium. Reſp. Amen.

Benedic, Domine famulum tuum, ſicut benedixiſti Abraham propter fidem ſuam. Reſp. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti Moyſen per decem verba legis, quæ dediſti ei in monte Sinai. Reſp. Amen.

Benedic, Domine, famulum tuum, ſicut benedixiſti David propter ejus devotionem ad te, & propter fortitudinem manuum ſuarum. Reſp. Amen.

Benedictio omnium gentium cæleſtium ſit ſuper te. Reſp. Amen.

Fiant merita & orationes omnium ſanctorum tecum in diebus & noctibus, in verbo & facto, in cogitatione, & omni tempore, commendo te ſub poteſtate ſanctiſſimæ Trinitatis. Reſp. Amen.

Illuminet faciem tuam ſuper te Dominus, & miſereatur tui. Reſp. Amen.

Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, accipe ſanitatem mentis & corporis. Reſp. Amen.

Hæc unctio per iſtud ſignum ſanctæ Crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum ſancti Spiritus, fiat tibi ad ſanitatem & ſempiternam ſalutem. Reſp. Amen.

Deinde dicat Sacerdos. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Oremus. Domine Jesu Christe, qui es ſalvatio & redemptio noſtra, qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & medicamentum venit, qui Apoſtoli tui voce inſtituis, ut languidos olei liquore tangentes ungamus, poſtulamus miſericordiam tuæ pietatis, & quæſumus, ut reſpicias propitius ſuper hunc famulum tuum ab illa ſummitate cælorum, ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio pertrahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eo libidinum & febrium actus, ægritudinum & cupiditatum tormenta, diſſolve ſuperbiæ inflationem, tumoremque compeſce, ulcera, & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna, cordiumque, ac medullarum & cogitationum ſana diſcrimina, conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis & phantaſmaticis adeſto periculis, vetereſque atque immenſas remove paſſiones, opera carnis, ſanguiniſque materiam compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue, ſicque illum jugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, perducat infirmitas. fiatque illi hæc olei ſacra perunctio, concita morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente, Salvator mundi. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, & corroboret, & ſatiet in bonis omnibus deſiderium ipſius. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Concede nobis, Domine, famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicamus, Pater noſter, Et ne nos inducas, Sed libera nos a malo. Libera nos, quæſumus, Domine, ab omni malo, & cuſtodi nos ſemper in omni opere bono, Jesu Christe, auctor bonorum omnium.

Sequitur *benedictio cinerum, in quibus ponendus eſt infirmus moriens, & cilicii, quo cadaver defuncti eſt involvendum.* Hæc in illo libro rituali, qui anno MDLV. in lucem emiſſus eſt.

CAPUT XI.

Latinis Græci in rebus Sacramento huic neceſſarii pares ſunt, ſed in rebus minus neceſſariis impares.

Latinis Græci in rebus Sacramento huic neceſſariis pares ſunt, quia quæ beatus Jacobus in epiſtola præſcribit, fideliter exequuntur: infirmum oleo benedicto ungunt, preceſque recitant, quibus animæ & corporis ſanitatem deprecantur. Id plane conſtat ex Euchologio, cujus verba integra repræſentavimus, nec ea repræſentare iterum neceſſe eſt. Quæ ibi deſcribuntur preces, multo ſunt plures, quam quæ in recentiorum Græcorum commentariis leguntur apud Arcudium lib. v. cap. v. atque hic

hic ita ſe res habet: *Pater ſancte, medice animorum & corporum, qui miſiſti unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *omnem morbum ſanantem, & a morte liberantem, ſana quoque hunc ſervum tuum a corporali, ſpiritualique infirmitate, qua continetur, & vivifica eum per gratiam Chriſti tui, potentia pretioſa & vivificæ crucis, precibus ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ Mariæ ſemper Virginis, patrociniis incorporearum cæleſtium divinarum virtutum, honorandi glorioſi Prophetæ præcurſoris, & Baptiſtæ Joannis, ſanctorumque clarorum, ac celebratiſſimorum Apoſtolorum, ſanctorum glorioſorum, ac egregiorum victorum martyrum, ſanctorum ac deiferorum Patrum noſtrorum ſanandi vim habentium, ac mercedem pro ſanitate collata non acceptantium Coſmæ & Damiani, Cyri atque Joannis Panteleemonis, ac Hermolai, Sampſonis ac Diomedis, Photii & Aniceti, ſanctorum atque juſtorum Dei genitorum Joachim & Annæ, omniumque Sanctorum, quoniam tu Deus noſter es fons curationum, tibique gloriam offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Hæc autem oratio Sacramenti formam ſibi vindicat. Et paullo poſt formam aliam adhuc breviorem ita refert: *Pater ſancte, medice animorum & corporum, qui miſiſti unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *omnem morbum ſanantem & a morte liberantem, ſana quoque hunc ſervum tuum a morbo corporis & animi quo detinetur, per gratiam Chriſti tui, & ſecundum beneplacitum tuum vivifica eum, qui ſtudio bonorum operum debitas gratias tibi referat, quoniam tuum eſt imperium*, &c.

Ex his autem duabus orationibus poſterior, quia brevior eſt ac ſimplicior, priorem antiquitate vincere mihi videtur. De tempore quo utraque oratio eminere cœpit, & de locis, quibus eminuit, quis ſine majorum teſtimonio pronuntiaret?

Ceterum utraque oratio, ſi cum univerſis Euchologii orationibus componatur, brevitas & ſimplicitas efficient, ut Euchologio vetuſtior judicetur: qualitates illæ duæ in ſacris ritibus majoris ſolent eſſe indicia vetuſtatis. Id rerum Eccleſiaſticarum peritum negaturum opinor neminem.

Latinis Græci in rebus Sacramento huic minus neceſſariis ſunt impares. Latini plerique nunc pœnitentiales pſalmos, nunc alios pſalmos recitant, Græci non recitant. De Latinis univerſim minime pronuntio, quia ne ſic pronuntiem, quæ antea de variis Latinorum moribus retuli, omnino prohibent. Græci loco pſalmorum quos non habent in Euchologio, niſi *Domine, ne in furore*, & *Miſerere mei, Deus*, ex Evangeliis Chriſti, atque ex epiſtolis Pauli recitant permulta, quæ infirmorum unctioois fini conveniunt.

CAPUT XII.

Obſervationes quædam ad explicatam variam precum collocationem in ſacramento Extremæ Unctionis.

NON omnia forte, quæ ad variam precum diſpoſitionem in ſacramento Extremæ Unctionis pertinent, exhibuimus; ſed ea profecto exhibuimus, quæ rei hujus argumento ſufficiunt: ex iis enim facile poteſt quivis intelligere, non unam quidem, ſed aliam atque aliam eſſe precum in ſacramento ultimæ Unctionis collocationem.

OBSERVATIO I.

Laudabiles ſunt omnes ritus varii Eccleſiarum & retinendi.

IN iis omnibus Eccleſiarum ritibus variis, quos antea deſcripſimus, nihil eſt, quod improbari poſſit, immo nihil eſt, quod laudari, retinerique non debeat. Ritus enim ſinguli ad plenum exprimunt quidquid beatus Jacobus in epiſtola ſua præſcribit cap. v. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* In ritibus ſingulis fiunt preces, fiunt unctiones, fiunt orationes, quæ ſcopum eundem feriunt. Diverſæ ſunt aliquando preces, diverſi quoque pſalmi; ſed ad Sacramenti finem aptantur. Deinde preces & pſalmi ſive antecedant, ſive ſequantur, ſive comitentur unctiones, harum inſtitutioni nihil derogatur. Quæ cum ita ſeſe habeant, hi ritus Eccleſiarum diverſi non poſſunt non eſſe laudabiles, eoque nomine retineri & conſervari debent; & qui ritum unius Eccleſiæ in ritum alterius Eccleſiæ mutant temere & ſine conſilio, rem ſine dubio

dubio faciunt, cui bonum factum adſcribi nequit. Quomodo enim Paulo ſcribenti ad Theſſalonicenſes reſponderent: *Itaque ſtate, fratres, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram?* Quomodo reſponderent Tertulliano, qui de Traditionibus non abſimilibus locutus ſcribit lib. de corona cap IV. *Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix & fides obſervatrix Rationem Traditioni, & conſuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium?* Quomodo reſponderent beato Auguſtino ad Nebridium ſcribenti in epiſtola CXXVIII. *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt?*

OBSERVATIO II.

Quando variis Eccleſiarum ritus ſunt ita laudabiles, unus poteſt alteri præferri, ſiqua ſubſit ratio, & id ſine æmulatione & ſtudio fiat.

QUOD hic proponimus, id ita ſactum reperimus in rituali libro Claromontenſis Eccleſiæ, qui anno Chriſti MDXVIII. in lucem prodiit; & rurſus anno MDXXV. ad uſum ejuſdem Eccleſiæ, & ſancti Flori recuſus eſt. Sed adſcribenda ſunt verba. *Et nota, quod circa adminiſtrationem ſacramenti Extremæ Unctionis, in aliquibus locis omnes unctiones fiunt poſt omnes ſeptem pſalmos, antiphonas, letaniam, & orationes; in aliis locis poſt primum pſalmum, ſcilicet. Domine, ne in furore, antiphonam & orationem fit prima unctio, dicendo: Per iſtam ſacri olei unctionem, &c. & ſic ſucceſſive poſt quemlibet pſalmum & orationem fit una unctio. In aliis vero locis poſt quemlibet pſalmum & antiphonam fit una unctio abſque oratione; ſed dicuntur illæ orationes, quæ dicendæ ſunt poſt quemlibet pſalmum, vel alia in fine unctionis; aliqui vero faciunt dicere circunſtantibus dum fiunt unctiones, pſalmos ſequentes videlicet, Domini eſt terra. Pſ. In te, Domine, ſperavi, Pſal. Qui habitat. Pſal. Memento, Domine David. Pſal. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audiſti. Alii dicunt orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es, &c. ante omnes pſalmos; alii vero poſt ſeptem pſalmos, & letaniam ante unctiones: ideo quilibet teneat modum quem voluerit, quilibet ritus in eiſdem modis eſt bonus; tamen communis & uſitatus eſt modus iſte, qui ſequitur,* ſcilicet is, qui ultimo deſcriptus eſt. Id autem fieri poſſe, quod factum vidimus, confirmat Hieronymus ad Lucinium ſcribens: *Sed ego,* inquit, *illud te breviter admonendum puto, Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas, ut a majoribus tradita ſunt.* Et poſt pauca: *Sed unaquaque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Eccleſiaſticas arbitretur.*

OBSERVATIO III.

Non ſemper adhibiti ſunt ſeptem pſalmi pœnitentiales, vel alii in ritu Extremæ Unctionis, ſed recte adhibentur.

QUo vetuſtiores ſunt hujus Sacramenti ritus, eo breviores eſſe conſtat, & quo breviores ſunt, eo pauciores preces & pſalmos complectuntur. Id perſpicue demonſtrat liber Sacramentorum Gregorii, vel qui Gregorii putatur eſſe: hic enim Ritualium omnium cum ſit antiquiſſimus, pſalmum duntaxat unum habet, nec tot continet preces, quot rituales alii codices, ex quibus fragmenta retulimus, vel quos laudavimus; verum pſalmos pænitentiales ſeptem & alios, qui ævi progreſſione in ritum Extremæ Unctionis inſumpti ſunt, non immerito inſumptos eſſe, hujus Sacramenti natura docet. Hæc enim unctio cum pœnitentiæ Sacramentum abſolvat & conſummet, recte admittit pſalmos, quibus ipſa de peccatis pœnitentia commendatur, petitur, & remiſſio impetratur. Præterea cum beatus Jacobus unctioni doloris & ægritudinum levationem tribuat, non ſine cauſa pſalmi recitantur ii, quibus illa levatio peti poteſt, & ſic dum omnia in Sacramenti finem conveniunt, nihil fit, aut dicitur, quod fidei vel catholicæ Eccleſiæ bonis moribus officiat, aut Scripturæ & Traditioni duobus veræ Theologiæ principiis obſiſtat.

Observatio IV.

Cum rituales libri circa ſacramentum Unctionis infirmorum mutationem ſubinde acceperint, triplex aſſignari poteſt ratio.

PRimum, quod qui curandis ſacrorum rituum codicibus præponuntur, nunquam, aut raro conſulunt antiquiores libros ipſiuſmet Eccleſiæ, cujus utilitati ſervire volunt; conſulendi tamen ſunt, cum ut rituum antiquitas, quæ nulla poſſe fraude ſeduci præſumenda eſt, conſervetur, tum ut quod a Chriſtianis retinendum eſt omnino, retineatur facilius. Id antiquitatis notio ipſa (niſi quid a vero manifeſte abhorreat) non ſuadet modo, ſed etiam perſuadet.

Deinde quod negotio huic quidam e Scbola Theologi vacare ſolent. Hi enim minus vetera rituum monumenta inſpiciunt, quam profeſſionis ſuæ commentarios, in quibus philoſophica ratione multa; Eccleſiaſtica vero Traditione pauca concluduntur. Doctrinæ iſtius occupati præjudicio, aſſerta ſemel Sacramenti materia & forma, ut loqui mos eſt, in cetera jus ſibi quæſitum eſſe putant. Hinc aliud, ut recitatu grave ac moleſtum contrahunt, inde aliud ut ſupervacaneum & inutile abjiciunt: hinc aliud aliter diſponunt. Fuere qui pœnitentiales & alios pſalmos & letanias ſuſtulerint; ſed an res ſit, cui bonum factum adſcribi poſſit, valde dubito.

Denique, quod ritualium librorum curatores ſuo ſibi deeſſe nomini videntur & officio, niſi novitatis aliquid, addendo ſeu detrahendo inducant, & alterius, quam propriæ Eccleſiæ conſuetudinem ſervandam eſſe præſtituant. Anni jam ſunt mille ducenti & amplius, quod Innocentius I. hunc agendi modum accuſaverit ad Decentium ſcribens Eugubinum Epiſcopum; & ſane dum retractantur ſacrorum rituum codices, multa nonnunquam fiunt, quæ non fierent, vel contra, ſi beatus Auguſtinus in epiſtola CXVIII. ad Januarium auſcultaretur: ſic enim ſcribit cap. III. *Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim cauſis, id eſt, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat: ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter qua utilis non eſt, perturbatione infructuoſa, conſequenter noxia eſt.* Ceterum quæ hac in Obſervatione dico, per ſimplicem, ut aiunt dialectici, ſuppoſitionem, in qua non licet ad perſonalem deſcendere, dicta eſſe velim.

Explicata vetus Eccleſia Traditio de data infirmis poſt unctionem Euchariſtia.

HÆc inſtitutio, qua infirmis collata poſt unctionem Euchariſtia proponitur, abhinc annis plus minus nongentis in Eccleſia Dei frequentari luculenter cœpit; ſed ordo ille ab aliquibus alicubi ſæculis ſervari deſiit, inductuſque eſt mos, quo infirmis poſt Euchariſtiam unctio confertur. Non erit autem inutile, ut reor, hujus diſciplinæ Traditionem, quæ illo temporis intervallo comprehenditur, exhibere, ac ſuis, quæ hinc inde diſquiremus, monimentis explicare: ſic enim & ſacræ rei major ſancietur reverentia, & certior conciliabitur fides.

Interjectum porro ſpatium, quo hujus diſciplinæ Traditio decurrit, cum fere innumera ſuppetant Patrum & virorum illuſtrium teſtimonia, ad juvandam memotiam, & vitandam confuſionem, tres in partes tribuendum mihi videtur.

Prima pars ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ad milleſimum procedet. Àltera ab anno milleſimo progredietur ad milleſimum treceenteſimum. Tertia quod reliquum erit aſſequetur. Hic non mihi ſumo, ut quidquid de noſtro lemmate geſtum aut ſcriptum ſit, recenſeam; ſed quod ea referam, quibus ſacræ inſtitutionis ac ritus Traditio ſatis ſuperque demonſtretur.

PRIMA PARS.

Veterum teſtimonia referuntur ab anno DCC. *ad annum* M.

HAnc partem ordior ab Theodoro Cantuarienſi Epiſcopo, qui primus occurrit in Pœnitentiali, quod a Burchardo lib. XVIII. decreti cap. XIV. & ab Ivone ita laudatur part. XV. decreti cap. XXXVI. *Ab infirmis in periculo mortis poſitis per Pres-*

„Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum; non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum „ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum, & ſi forte migraverint, ne obligati, & a „Communione alieni, vel conſortio veniæ fiant, a quo periculo, ſi divinitus ereptus „convaluerit, pœnitentiæ modum a ſuo confeſſore impoſitum diligenter obſervet; & „ideo ſecundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis facta cum Unctione olei animati, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.„ Hæc Theodorus, qui ad annum DCXC. vixit. In his verbis tria Sacramenta ordine conferuntur, pœnitentia, ſeu reconciliatio, Unctio & Euchariſtia, quæ Viaticum appellatur.

Pontificalis liber, qui quondam erat in bibliotheca Tilliana, in ordine ad ungendum infirmum: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confeſſionem purgatis adapertis, digne proficiat ei unctio ſpiritalis, medendo nequitiarum putredinem interius latitantem.* Et poſt peractas unctiones, ſequitur: *Poſt hæc communicet eum Sacerdos corpore & ſanguine Domini, & ſic per ſeptem dies continuos, niſi neceſſitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio,* &c. Hæc ille liber Carolo Magno Imperatore deſcriptus, ut colligitur ex verbis, quæ ad illius calcem habentur in catalogo Imperatorum: *A Pipino uſque ad Carlum & Carlomannum anni* XVII. *à Carlo & Carlomanno anni* IV. *& inde domnus Carlus ſolus regnum ſuſcipit, & Domino protegente, gubernat uſque in præſentem annum feliciter, qui eſt annus regni ejus* XL. *Imperii autem* IX.

Carolus Magnus & Ludovicus Pius lib. VI. capitularium num. LXXV. „Si infirmitate depreſſus quis fuerit, vitam ſuam ſine communione non finiat, nec unctione ſacrati „olei careat, & ſi finem perſpiciat, ſacroſancto corpore Deo anima ejus a Sacerdote „precibus commendetur.„ Ubi apparet, ex duobus illis Sacramentis Euchariſtiam ultimo dari. Deinde lib. VII. num. CIII. „Secunda vice propter ampliorem obſervantiam, „Apoſtolica auctoritate, & multorum ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque Canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium nobilium noſtrorum noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo, vel tres tantum Epiſcopi, electione ceterorum propter „benedictionem & prædicationem, populique reconciliationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentiam dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam „habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne ſine Viatico quis recedat.„ Sacramenta eo narrat ordine, quo populis miniſtrantur.

Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli Magni ad annum DCCCXIV. *Domnus vero piiſſimus & glorioſiſſimus Imperator Carolus, dum Aquiſgrani hiemaret, anno* LXXI. *ætatis ſuæ, regni autem* XLVII. *ſubactæ autem Italiæ* XLIII. *ex quo vero Imperator & Auguſtus appellatus eſt anno* XIV. *decimoquinto Calendas Februarii rebus humanis exceſſit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Oleo autem ſancto inunctus eſt ab Epiſcopis, & Viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis commendans Domino ſpiritum ſuum, obiit in pace.* En verba, quæ receptum pridem uſum important.

Paſchaſius Radbertus in vita ſancti Adelhardi Corbeienſis Abbatis: „Quo, *inquit*, „peracto vehementius cœpit urgeri febribus; quotidie tamen ad oratorium beati Martini veniens, quem copioſo amore in vita ſemper dilexerat, ibidemque Miſſas audiens, „Communionem ſanctam percepit, donec ultimus dies a mortis hujus eum eduxit caligine. *Et poſt pauca:* Interea cum cœpiſſet idem Epiſcopus (*Hildemannus Bellovacenſis*) a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Apoſtolo ſancitum eſt, „deberet perungi, interrogavimus, utrum vellet, quem procuIduDio omnes ſcieramus „peccatorum oneribus non detineri: quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominus „obſecrabat, ut fieret. *Et poſt quædam:* Tunc mane jam facto, accerſitis nonnullis ex „nobis, cœpit idem beatus Pater urgere, quatenus matutinas ocyus prævenirent, quibus „dictis, in laudem Chriſti cæleſtis ejus lingua obmutuit. Tum vero ſimul convenientibus „omnibus ſanctis Fratribus, Communionem ſanctam percepit, ferme hora diei prima, ſicut mos eſt, & cœperunt eum hymnidicis laudibus Domino commendare, ita perdurantes in ejus exequiis uſque in horam diei nonam„ Sic poſt unctionem Adelhardo Euchariſtia eo data eſt die, quo migravit.

Concilium Aquiſgranenſe, quod anno DCCCXXXVI. habitum eſt, canone V. „Si „quis infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione ſacerdotali, necnon „unctione ſacrificati olei per ejus negligentiam careat; denique ſi finem urgentem perſpe-

„xerit; commendet animam chriſtianam Domino Deo ſuo, more ſacerdotali, cum ac„ceptione ſacræ Communionis.„ Hic eſt ordo ille, quo ut poſt unctionem ſacra Communio tribuitur, ſic & confirmatur.

Hincmarus Remenſis Epiſcopus hanc diſciplinam repræſentat duobus in locis, & primo quidem in epiſtola L. *Nuper in parochia noſtra quidam mihi notus homo, nomine Bernoldus, infirmatus, & poſt confeſſionem & reconciliationem, atque ſancti olei unctionem, & corpus Chriſti ac ſanguinis communionem, ingraveſcente valetudine, pene uſque ad mortem pervenit.*

Deinde ubi tractat Fulcheri & Hardoiſæ excommonicationem ob inceſtas nuptias: *Et dicente Domino: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; ſi antequam ſe ab hoc inceſtu ſeparet, quiſquam eorum in infirmitatem deciderit, & vel ſic jam in deſperationem de vita temporali devenerit, ſi vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo & Sacerdote, ac fidelibus hominibus confeſſus fuerit, & fidejuſſores dederit, vel ſi de ipſa infirmitate convaluerit, ulterius ad illam inceſtam conjunctionem non rediet, cum aliis peccatis ſuis de hoc inceſtu puram confeſſionem faciat, & a Sacerdote reconcilietur, & ſancto oleo ungatur, & communio corporis & ſanguinis Chriſti ei largiatur.*

Pontificalis liber MS. Monaſterii ſancti Remigii Remenſis in ordine ad viſitandum infirmum, ubi poſt confeſſionem, reconciliationem & unctionem præſcribitur: *Tunc communicet infirmum, dicens: Corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI *cuſtodiat te in vitam æternam: Sanguis Domini noſtri* JESU CHRISTI *redimat te in vitam æternam: Pax Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& Sanctorum communio ſit tecum & nobiſcum in vitam æternam.*

Oratio in conſummationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus ſuccurrentibus, &c.

Et ſic per ſeptem dies, vel multo plures, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio erga infirmum fiat, ut ſicut Apoſtolus dicit, immo per eum Spiritus ſanctus ait, ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Debent etiam ex miniſtris Eccleſiæ ſanctæ procurare, ut canonici Curſus circa eum decantentur, id eſt, Matutinæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperum, Completorium. Quod ſi Epiſcopus adfuerit, benedictionem dabit; ſi non, ſinguli Sacerdotes ſingulas has orationes dicant. Hic autem ordo ad viſitandum infirmum editus eſt inter Hugonis Menardi notas & obſervationes in librum Sacramentotum Gregorii Papæ anno MDCXLII.

Liber Sacramentorum Gregorii Papæ hoc anno MDCXLII. editus ex Miſſali MS. Bibliothecæ Corbeienſis, in ordine ad viſitandum infirmum. Poſt unctionem ſequitur: „Deinde communicet eum corpore & ſanguine Domini, & ſic faciant illi per ſeptem „dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam de alio officio, & ſuſcitablt „eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Debent etiam Sacerdotes & mi„niſtri ſanctæ Eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies Veſpe„ras & Matutinas cum hymno, Chriſte cæleſtis, medicina, Patris, & reliq. cum anti„phonis, ſive lectionibus & orationibus ad hæc pertinentibus.„ Cur autem hunc librum circa priora primæ partis tempora non repoſuerimus, dicemus inter Obſervationes ad hanc Traditionem.

Auctor vitæ ſancti Remberti Bremenſis Epiſcopi: *Septimo*, inquit, *ante obitum die miniſterium ſacræ Unctionis cum oleo ſancto exhiberi ſibi præcepit, una cum communione corporis & ſanguinis Domini, cujus communionis ſalutare remedium ad ſupremum uſque ſpiritum quotidie percepit.* Hæc de Remberto, qui ad annum DCCCLXXXVIII. diſceſſit e vita.

Riculfus Sueſſionenſis Epiſcopus hunc ritum in ſuis conſtitutionibus obſervandum ita tradit num. X. *Item oportet, ut Presbyteri infirmos ſuos per confeſſionem & reconciliationem oleo ſancto perungant, & tunc eos communicent.* Hæc ad annum DCCCXCIV.

Auctor vitæ ſanctæ Adheleidis Imperatricis lib. I. cap. XV. *Reſumptis aliquantulum viribus corporis muniri ſe rogavit attentius myſteriis Eccleſiaſticis. Tunc ſacri olei unctione peruncta, Sacramentum dominici corporis humiliter & devotiſſime adorando percepit.*

Ratoldus Corbeienſis Abbas in codice rituum, quos ad annum DCCCCLXXX. collegit, ſacramentum Extremæ Unctionis proponit, & poſt unctiones ita dicit: *Hic communicet. Corpus & ſanguis Domini noſtri* JESU CHRISTI *in vitam æternam te perducat, & in die judicii ad ſanctam requiem te reſuſcitet.* Hic Extremæ Unctionis ritus integer reperitur inter Hugonis Menardi notas & obſervationes in librum Sacramentorum Gregorii Papæ.

Oſbernus Monachus in vita ſancti Dunſtani, Cantuarienſis Epiſcopi, cap. XI. de pia matro-

matrona locutus: *Tantum*, inquit, *precor, ut cras mane ad me venias, & mihi cum ſacramento ſacræ Inunctionis Viaticum dominici corporis tradas.* At Dunſtanus obiit anno DCCCCLXXXVIII. Hæc autem ſunt, quæ ad hanc primam ætatem pertinere comperi.

SECUNDA PARS.

Scriptorum teſtimonia referuntur ab anno milleſimo ad annum milleſimum trecenteſimum.

HUIC parti dabunt initium Burchardus Wormatienſis, & Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui jactatum vulgo Euſebii Papæ decretum ſuis indiderunt libris: ille lib. XVIII. decreti ſui cap. XL. hic vero part. XV. cap. XXXV. Eſt autem ejuſmodi: *Siquis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia habuerit, quod ipſe pœnitentiam petiiſſet, & ipſe per motus aliquos ſuæ voluntatis aliquod ſignum facere poteſt, Sacerdos impleat omnia, ſicut ſupra circa ægrotantem pœnitentem ſcriptum eſt, id eſt, orationes dicat, & ungat eum oleo ſancto, & Euchariſtiam ei donet, & poſtquam obierit, ut cum ceteris fidelibus ei ſubminiſtret.* Ambo viri docti & præſules rem ex ſe judicarunt dignam, quæ frequentanda miniſtris Eccleſiæ proponeretur.

Sermo ſynodalis habitus in Auguſtana diœceſi circa annum MIX. ad parochianos; *Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & juxta Apoſtolum oleo ſancto inungite, & propria manu communicate.* Perſpicuus eſt trium Sacramentorum ordo, ubi unctio reconciliationem, & unctionem ſequitur Euchariſtia.

Codex Siculus, quem Joannes Morinus in lucem emiſit, peracta unctione præſtituit quæ ſequuntur: *Deinde eum communicet Sacerdos corpore & ſanguine Domini, & ſic faciant illi per ſeptem continuos dies, ſi neceſſitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio, & ſuſcitabit eum Dominus ad ſalutem, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei, ut Apoſtolus ait.*

Nicolaus Monachus lib. I. vitæ ſancti Godefridi Ambianenſis Epiſcopi cap. XXXI. *Æque decumbit* (matrona quædam volens a Godefrido ſepeliri) *mox acri febre, morbo invaleſcente a Godefrido ſacro oleo ungitur, Sacramenta dominica ab ejus percipit manu, mire exultat ſe a Domino exauditam, & illi lætabunda reddidit ſpiritum.* Per dominica Sacramenta intelligit corpus & ſanguinem Chriſti, quæ apud Eccleſiaſticos tractatores & ritus, Sacramenta dominica vocari ſolent. Godefridus autem * ad annum MXIII. exceſſit.

Acta MS. Epiſcoporum & Comitum Andegavenſium teſtantur, Guillelmum Comitem moribundum hoc ordine Sacramenta ſuſcepiſſe: *Guillelmus Comes ab Epiſcopis & Abbatibus pœnitentiam ſuſcipiens, omniaque ſua diſponens, & inter filios ſuos & conjugem ſuam nominatim, prout ſibi viſum eſt, honorem ſuum ordinans, reconciliatus & abſolutus eſt, & toto Quadrageſimæ tempore Miſſas & cultum Dei frequentavit, quouſque hebdomada Paſſionis oleo ſancto ungeretur, & Viatico muniretur, & ligno crucis adorato & deoſculato, ſpiritum in manu Epiſcopi Rhodonis, & Sacerdotum Deo redderet laudabili fine & memoria anno* MXXVIII.

Rupertus in vita ſancti Hereberti Colonienſis Epiſcopi cap. XXIX. *Cum urgente atque ingraveſcente moleſtia vexaretur prope Coloniam mittens Abbatem Eliam accerſivit. Quo veniente ipſe ſecundum præceptum Apoſtoli ſacro eſt unctus oleo in nomine Domini, pariterque corporis & ſanguinis dominici Sacramentis munitur,* qui ſcilicet anno Chriſti MXXI. mortuus eſt.

Auctor vitæ ſancti Gothardi Hildeſemenſis Epiſcopi cap. XXXI. *Serio mandavit, ut ſacram olei Unctionem cum vera pœnitentia, & peccatorum confeſſione ſibi peteret adhiberi, ac deinde corporis & ſanguinis Chriſti Sacramento munitus, intrepidus Prior hinc emigraret.* Hæc de Gothardo, qui anno MXXXIII. naturæ ſatisfecit.

Auctor vitæ ſanctæ Chunegundis virginis cap. XIV. *At illa converſa ad eos, qui illic aſſidebant, Presbyteros ſacræ Unctionis oleum & Euchariſtiam ſibi petiit miniſtrari.* Quo ordine dabantur Unctio & Euchariſtia, eodem & ſibi duo hæc Sacramenta miniſtrari voluit, ad annum MXXV.

Wibertus Archidiaconus lib. I. vitæ Leonis Papæ IX. cap. XV. de matre ejuſdem: *Sacra Inunctione, ac vivificæ communionis participatione munita, diu exanimis, & abſque ullo vitali flatu jacuit.* Deinde lib. II. cap. ultimo: *Quorum* (fidelium) *pia conſide-*

* San-Marthani Fratres aiunt in Gallia Chriſtiana, Godefridum obiiſſe anno Chriſti 1118. in Monaſterio S. Criſpini Sueſſionenſis.

conſideratio perpendens , non diutius eum retinendum carnis ergaſtulo decrevit , ut quoniam plures Epiſcoporum , Abbatum , ceterorumque fidelium confluxerant turbæ , eis præſentibus inungeretur ſacri olei liquore , ſuper quo facto exhilaratus uſquequaque munitus dominici corporis & ſanguinis communione locutus eſt , &c. Sanctiſſimus Pontifex ordinem illum quo poſt unctionem infirmis præbetur Euchariſtia , exemplo ſuo conſecravit.

Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus in vita beati Arnulphi deceſſoris ſui cap. L. *Viceſimo primo die ægrotationis ſuæ , vocatis ad ſe diſcipulis cum Eccleſia vicinæ clericis , ſacro oleo voluit inungi , dans confeſſionem coram omnibus , & omnium preces humiliter expetens.* Et poſt alia : *Sub horam autem veſpertinam corpus & ſanguinem Domini noſtri* JESU CHRISTI *cum devotione percepit.* Hæc ad annum MLXXXVII. Leonem Papam imitatus Arnulphus celebrem ritum confirmavit , & poſt Unctionem Viaticum accepit.

Hugo Cluniacenſis Abbas in ſtatutorum quæ edidit , capite XXVI. „Frater , qui
„ſe infirmitate ingraveſcente ſenſerit , in proximo ab hoc ſæculo migraturum , de omni
„conſcientia ſua domino Abbati vel Priori confiteatur , & ſi in capitulum vult ire. *Et*
„*paullo poſt* : Abſolvit eum Prior , & cunctis reſpondentibus , Amen , ipſe cunctos ,
„ſiquid contra eum deliquerint , abſolvit , omneſque de ſuis ſedibus altius inclinant.
„Poſtea reducitur , reductuſque rogat , ut oleo infirmorum ungatur , & tunc colloca-
„tur in lecto tali , id eſt , ad terram demiſſo , ubi Fratres poſſint undique circumſtare.
„*Et paullo poſt factas unctiones* : Tunc ſi infirmus non communicatur ab ipſo Sacerdo-
„te , dicuntur omnes hæ collectæ , præmiſſis his capitulis , Salvum fac ſervum tuum ,
„&c. Poſtquam in Eccleſiam venerint , unum de quotidianis calicibus in armario ac-
„cipit , vel ipſe Sacerdos , vel armarius (prius tamen lotis manibus) vinum & aquam ,
„ac ſi Miſſa cantari deberet , infundit. Tunc Sacerdos ad majus altare , ſuper quod
„Domini corpus ſervatur , accedit , & priuſquam accipiat incenſat ; poſtmodum acci-
„piens , frangit ſuper ipſum calicem , & illam partem , quam allaturus eſt , ſuper ca-
„licem tenet , aliam in pixide reponit , & tunc ab armario tam manus Sacerdotis ,
„quam ipſe calix linteolo mundiſſimo cooperiuntur. Si tunc conventus in choro eſt ,
„quando diſcedit ab altari , totus veniam pro reverentia dominici corporis petit : ſi-
„militer ubicunque viderint eum Fratrem tranſeuntem faciunt. Interea curatur ut in-
„firmi bucca lavetur recepturi ipſum dominicum corpus ; prius autem quam recipiat ,
„Confiteor dicitur , & Fratribus in commune , Miſereatur veſtri , reſpondentibus , ſo-
„lus Sacerdos proſequitur , Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tuo-
„rum , &c. ipſum autem Domini corpus in vino aquæ permixto intingitur. Quo
„epoto ebibit quoque ablutionem calicis , & ſi poteſt ablutionem digitorum Sacerdo-
„tis , & adhuc calicis , & ſi non poteſt , alius ebibit.„ Hæc inter * notas , quibus vir optimus Lucas Dacherius Guiberti Abbatis Novigentini opera illuſtravit. Ceterum Hugo claruit ad annum MLXXX.

Lanfrancus Beccenſis Abbas inter decreta pro ſancti Benedicti Ordine ſancita cap. XXIII.
„Si infirmus , *inquit* , magis ad mortem , quam ad ſalutem tendere videatur , & ſe
„petat inungi , Frater qui domui infirmorum præeſt , rem Fratribus in capitulo narret ;
„tunc jubente Abbate , vel qui loco Abbatis in capitulo ſedet , exeant Sacerdos heb-
„domadarius , ſecretarius , quatuor converſi , & parent quæ ad hujuſmodi negotium pa-
„rare oportet. *Et paullo poſt* : Iſtis tranſeuntibus ſurgens Conventus , percuſſaque tabu-
„la , ſi dies talis ſit , egrediens de capitulo inungatur , & pſallentes ſeptem pſalmos ad
„ægrum veniant , & ordinate circumſtent , ſicut locus in quo jacet , fieri permittit. Pri-
„mum ſpargatur aqua benedicta , dehinc finitis pſalmis , ſequatur Kyrie eleiſon , & ca-
„pitula , & collectæ , quæ ordinatæ ſunt uſque ad confeſſionem : facta confeſſione , abſol-
„vatur ab omnibus , & ipſe abſolvat omnes ; dehinc oſculetur ab omnibus. Interim di-
„cantur aliæ collectæ uſque ad unctionem , facta unctione lavet Sacerdos manus , & proji-
„ciatur aqua in ignem , vel in ſacrarium deferatur. Quo facto , dictis collectis , quæ ſequun-
„tur , vadat Sacerdos , præcedentibus duobus converſis cum candelabro , vadat & tertius
„ad thuribulum deferendum. Quibus revertentibus , flexis genibus , adorent omnes corpus
„Domini , quod a Sacerdote affertur. Quo allato , abluto prius ejus ore communicetur
„infirmus , niſi forte ipſa die communicatus ſit.„

Petrus de Honeſtis clericus Ravennas , qui Paſchali II. Pontifice vixit , lib. II. regulæ cap. XXII. *Hi ergo* , inquit , *ſi febrem continuari , vel languorem increſcere perſenſerint , tunc advocato Priore ſeu Præpoſito , & Presbyteris ad hoc officium deputatis , plenam de peccatis ſuis confeſſionem faciant , ſicque præmiſſa de præteritis culpis ſecundum*

Prioris

* Prodierunt Pariſiis anno 1651. in fol.

Prioris juſſum ſatiſfactione, & in futuro ſui emendatione, ſuſceptaque ab omni conventu benedictione, & peccatorum abſolutione, fideliter per eos, quibus injunctum eſt, cuſtodiantur. Et quibuſdam interjectis: *Quod ſi langor magis magiſque increverit, per Presbyteros aqua benedicta aſperſi oleo ſancto perungantur, & Chriſti corporis & ſanguinis perceptione muniantur.* Suam ita conſtituit regulam, ut velit in infirmis Unctionem Euchariſticæ communioni præponi.

Auctor vitæ ſancti Ottonis Bambergenſis Epiſcopi. *Interea vero langor magis magiſque ſpiritum luctantem urgebat, riteque diſpoſitis omnibus, quæcunque poſt ipſum victuris præſtare poterat, ſupplici & pura confeſſione præmiſſa, olea illa placida & ſancta, ſacri olei Extrema Unctione delibuta, ſacroſanctum dominici corporis Viaticum accepit.* Hæc ad annum MC. quo ſanctus Otto vixit.

Hugo Cluniacenſis Monachus in vita ſancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis, ubi agitur de viſione ſancti Godefridi Ambianenſium Epiſcopi: *Rogarique a Fratribus, ut Abbatem Hugonem oleo ſancto inungeret, & epiſcopali redimitus inſula, Miſſas celebrans, dominici corporis & ſanguinis Viaticum miniſtraret.* Hugo iſte Abbas in cælum abiit circa annum MCIX.

Sub idem tempus vixit ſanctus Albertus Monachus Criſpinienſis, de quo ſic ſcribit auctor vitæ illius: *Sentiens adeſſe mortem pro foribus, acciri jubet Engelbertum Cænobii Priorem, a quo ſacro eſt unctus oleo, & corporis & ſanguinis Chriſti ſacra communione catholice munitus.*

Gaufredus Monachus in vita beati Bernardi Abbatis de Tyronio cap. LVI. *Dehinc ſacra eſt Unctione de more perunctus, atque dominici corporis, & ſanguinis perceptione munitus, nobis adſtantibus quod petierat impetrato, poſt lacrymabili valedicto, gregemque ſuum ſummo Paſtori, non tam verbis, quam lacrymis commendato, pius Paſtor ad cellam, de qua delatus fuerat, revehitur.* Qui circa annum MCXVI. fatis conceſſit.

Auctor vitæ ſancti Guillelmi Bituricenſis Epiſcopi: *Deinde*, inquit, *quinto idus Januarii, cum jam omnibus rite peractis, etiam teſtamentum, multis aſſiſtentibus Religioſis, & prudentibus viris, condidiſſet, Fratribus convocatis, Extrema Unctionis ſacramentum humiliter ac devote percepit; eo percepto etiam ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Deinde expreſſis in crucis formam manibus, & oculis in cælum ſublatis, carnem Salvatoris non ſine lacrymis corde contrito & humili manducavit.* Qui Innocentio tertio Papa floruit, & acceptum a majoribus ritum obſervavit, quem non modo in Bituricenſi Eccleſia, ſed etiam in Ordine ſuo Ciſtercienſi didicerat.

Teſtis eſt liber de Officiis Eccleſiaſticis ſecundum Ordinem Ciſtercienſem cap. XCIII. *Quo ordine inungantur infirmi: Ad inungendum infirmum pulſetur ſignum tandiu, donec unum Pater noſter dici poſſit, & facto parvo intervallo, iterum pulſetur ſignum eadem mora, & tunc induitur Abbas alba ſtola, & manipulo, virgam ſumens paſtoralem; qui ſi defuerit, aut cantor faciat, aut cui innuerit. Quo induto, & ſigno ſemel pulſato, veniat Conventus in chorum, & ſic incipiet Pſalmum, Beatus qui intelligit; deinde, Judica me, Deus; & poſt, Voce mea II. unicuique Pſalmo adjungentes Gloria Patri. Procedant eo ordine, quo ſtant in choro, Sacerdotibus ſequentibus Abbatem poſt crucem, & lumen in abſconſa, & aquam benedictam: ſi autem neceſſe fuerit, Pſalmus ultimus repetatur. Sacriſta vero pergens in ordine ſuo, ferat oleum & ſtupas vel pannum ad detergendum uncturam, quoties dicitur: Per iſtam ſanctam Unctionem· ſtupa mittentur vel pannus, quas poſtea in piſcinam ad hoc deputatam comburat. Et cum pervenerint ad infirmum, finitis pſalmis, qui unctionis agit officium, dicat, Pax huic domui, & conventus reſpondeat, Amen, & ſtatim Sacerdos ſubſequatur, Dominus vobiſcum, & dicat hanc orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum Jacobum. Qua finita, & reſponſo, Amen, dicat infirmus ſuum Confiteor, & ſi illud dicere neſcierit, vel non quiverit, tundens pectus dicat, Mea culpa, de omnibus peccatis meis, precor vos orare pro me. Tunc dicatur ei ab omni conventu, Miſereatur tui,* &c. *Et poſt Abbas, ſi adfuerit, dicat hanc abſolutionem; ſi vero Abbas defuerit, dicat ipſe, qui inungit, Indulgentiam & remiſſionem; quo dicto, qui inunxerit, offerat ei crucem ad oſculandum; quo facto & cruce reddita, dicat: Per iſtam ſanctam Unctionem,* &c. *& ſic inunctionis impleat officium, & inuncto infirmo, dicat conventus Pſalmum, Benedic primum; deinde Pater noſter, & preces, ut in collectaneo ſcripta ſunt, & poſtea orationes: Oremus Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *Fratres. Secunda: Propitietur Dominus,* &c. *Tertia: Da veniam, Domine, ſamulo tuo. Quarta: Benedicat te Deus Pater ſanctus. Quinta: Benedicat te Deus cæli. Sexta: Benedicat te Deus Pater, qui in principio te creavit: quibus expletis, omnes exeant. Quod ſi ſtatim communicari debuerit,*

oat

Digitized by Google

eat cum miniſtris ad Eccleſiam, qui eum perunxit, aut alius pro eo, ſi neceſſe fuerit, & ablutis manibus in piſcina, deferat ſanctam communionem cum calice, offertorio cooperto, praeunte cruce, lumine, aqua benedicta. Alius etiam inter lumen & aquam deferat ampullam vinariam ad conſpergendos digitos in calice. Cum ad infirmum veniunt, qui fert aquam, aſpergat eum; Sacerdos vero dicat ei, Ecce, frater, corpus Domini noſtri Jesu Christi, *quod tibi deferimus, credis hoc eſſe illud, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra? quo reſpondente, Credo, moneat eum dicere, Confiteor, ſi Monachus eſt. Quo dicto, Sacerdos cum iis, qui aderunt, dicat, Miſereatur tui, & poſtea ſolus ſubjungat Indulgentiam; deinde communicet eum, dicens, Corpus Domini noſtri* Jesu Christi *cuſtodiat te in vitam æternam.* Hic ordo, hic ritus extat in eo libro, qui Lutetiæ prodiit anno MDXXXI. quique priſcos Ciſtercienſium mores & uſus repræſentat.

Beatus Bernardus in libro de vita ſancti Malachiæ Epiſcopi: *Interea jubet ſe ſacro oleo ungi; exeunte conventu Fratrum, ut ſolenniter fieret, non ſuſtinuit ut ad ſe aſcenderet ipſe, deſcendit ad eos: jacebat ſiquidem in ſolario, domo ſuperiori. Ungitur, & ſumpto Viatico, Fratrum ſe orationibus, & Fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.*

Petrus Venerabilis in libri I. de Miraculis capite XX. *Poſtquam* (Frater Benedictus) *& ſacri olei Unctione, & ſalutari Chriſti corporis perceptione, atque communi Fratrum abſolutione, ad iter cæleſte ſcandendum idoneus factus eſt*, &c.

Deinde in libri II. capite XXXII. *Expleta veraci & devota confeſſione, abſolvi pro officio Fratrem, & oleo ſancto inunctum, Chriſti corpore ad æternam vitam obtinendam refectum, Deo & Fratrum precibus intente commendavi.*

Cæſarius Ciſtercienſis Ordinis Monachus in libro VII. memorabilium cap. IX. *Monachus quidam Monaſterii Trappæ cum ægrotaret, Priorem vocari fecit, cui omnia ſua peccata meritis beatæ Mariæ virginis adjutus, plene ac devote confitens, ut eadem Abbati, qui tunc præſens non erat, revelaret ſupplicans, oleo ſacro inunctus, & dominici corporis Sacramento munitus, hora a dæmonibus prædicta ſub ſpe veniæ ſpiritum exhalavit.*

Theodoricus Thuringius lib. IV. vitæ ſanctæ Elizabethæ uxoris Ludovici Landgravii cap. VIII. ubi ſermo eſt de morte ejuſdem Ludovici: *Videns igitur, quod ſibi periculum mortis immineret, vocato Patriarcha Hieroſolymitano, ab ipſo ſacræ Unctionis ſacramentum accepit, qui ut officium ſolenne hoc ageret, Epiſcopum de ſancta Cruce cooperatorem aſſumpſit. Peracta unctione, ſacroſancti corporis Domini noſtri* Jesu *ſibi Viaticum tradiderunt.* Hæc ille ad annum MCCXLV. in quibus ne latum quidem unguem ab recepta conſuetudine diſcedit.

Arnoldus Lubecenſis Abbas lib. III. hiſt. Sclavorum cap. III. de morte Henrici Lubecenſis Epiſcopi: *Sic confortatus in Domino, convocatis Fratribus, dicebat ſe jam reſolvi, & accipiens ſancti olei unctionem manus ipſe porrigebat, pedes extendebat, cum pſallentibus pſallebat, ſumptoque Viatico dominici corporis, dixit, O Rex gloriæ, veni cum pace.*

Ad hanc ætatem pertinent pontificales libri quatuor MS. quorum duo mei ſunt juris, Cameracenſis & Laudunenſis: alii duo ſunt aliorum, unus Dominicanorum Pariſienſium ad portam ſancti Jacobi; alter Bibliothecæ Richelianæ, ſi modo tamen in illius reliquiis ſuperſit.

Pontificalis liber Cameracenſis Eccleſiæ in ordine ad viſitandum infirmum poſt dictas letanias & aliquot orationes: *Poſtea perungat Sacerdos infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciens in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, & cum ſupplici voce, dum perungitur infirmus, dicat Sacerdos:*

Ungo te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & cetera, quæ ad unctiones ſpectant. *Tunc communicet eum Sacerdos, & dicat: Corpus Domini noſtri* Jesu Christi *cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, ut cum dies judicii advenerit, cum Sanctis & Electis ſuis te jubeat ſuſcitari ad vitam. Amen. Sequitur oratio.*

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri noſtro ſacroſanctum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jesu Christi *Filii tui, tam corporis, quam animæ ſit ſalus. Per eundem*, &c.

Oratio poſt peractum officium.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum Raphaelem, qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem conſolationibus tuis attollat, quibus & in præſenti vita auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per, &c.

Pon.

Pontificalis liber Laudunenſis Eccleſiæ hæc ordine præſcribit: *Ordo ad viſitandum infirmum: Ordo ad ungendum infirmum: Ordo ad communicandum infirmum. Lavat Sacerdos manus ſuas, & lavaturam projicit in piſcinam vel in ignem, & tunc facit agrum facere confeſſionem, & adorare & oſculari crucem, & ait, Oremus: Dominus* JESUS CHRISTUS, *qui dixit diſcipulis ſuis: Quacunque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cœlis, & quacunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis; de quorum numero, quamvis indignos, nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quacunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egiſti, & a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Patre,* &c.

Tunc Sacerdos tradat ei Euchariſtiam dominici corporis intinctam in vino, & vinum tali intinctione ſanctificatum, dicens:

Accipe, frater, Viaticum corporis Domini noſtri JESU CHRISTI *qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat ad vitam æternam, Amen.*

Poſt communionem oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro ſacroſanctum corpus & ſanguinem Domini noſtri JESU CHRISTI, *tam corporis quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Per eundem,* &c. Pontificalis liber, qui extat in Bibliotheca Dominicanorum Pariſienſium, & Richelianus eadem omnino cum Laudunenſi præſcribunt. Nam poſt unctionem, quæ in uno fit cum hac verborum forma: *Ungo has aures*, &c. in altero cum iſta: *Per iſtam ſanctam Unctionem*, &c. ſequitur, *Ordo ad communicandum infirmum: Lavat Sacerdos manus ſuas*, & cetera, ut ſupra.

Oratio.

Dominus JESUS CHRISTUS, *qui dixit diſcipulis ſuis: Quacunque*, & cetera ut ſupra. *Tunc Sacerdos tradat ei Euchariſtiam dominici corporis intinctam in vino, & vinum tali intinctione ſanctificatum, & in Chriſti ſanguine tranſmutatum, dicens: Accipe, frater, Viaticum*, & cetera, ut ſupra.

Poſt communionem oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & cetera, ut ſupra.

Ceterum in his quatuor libris pontificalibus hic ordo conſtantiſſime ſervatur, ut infirmi non ante Viaticum accipiant, quam ex receptis Eccleſiæ moribus ungantur.

TERTIA PARS.

Quarundam Eccleſiarum uſus refertur ab anno milleſimo trecenteſimo ad annum milleſimum ſexcenteſimum.

SCRIPTORES hic non refero, quia quos referam, non habeo impræſentiarum; ſed loco ſcriptorum, qui quod actum ſit in infirmis, memoriæ prodiderint. In medium adduco rituales quarundam Eccleſiarum libros, qui quod agendum ſit, commonſtrent. Editi ſunt quidem ſuperiore ſæculo libri; ſed nihilominus præcedentem in Eccleſiis, ad quas pertinent, diſciplinam concludunt, & hanc tertiam partem agglutinant ſecundæ.

Manuale ſeu Rituale Carnotenſis Eccleſiæ, quod anno MCCCCLXXXIX. editum eſt. in ordine ad viſitandum infirmum, primo confeſſionem & reconciliationem, deinde unctionem præſcribit, tum ea peracta ſubnectit: *Aqua benedicta aſperſa, diligenter inſtruat infirmum de Fide, oſtendendo ſibi crucem in memoriam Paſſionis Domini noſtri* JESU CHRISTI; *& quia breves dies hominis ſunt, provideat ſibi de faciendo teſtamentum, & devote recipiat Viaticum, ſcilicet ſacrum Chriſti corpus, dicendo hunc verſiculum ter: Diripuiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo, cum iſta oratione: Domine,* JESU CHRISTE, *propter illam amaritudinem, quam pro me ſuſtinere voluiſti in cruce, maxime in illa hora, quando ſanctiſſima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo. Amen.*

Hoc in Manuali, ut apparet, poſt unctionem confertur Viaticum; ſed in Manuali, quod anno MDCIV. editum eſt, Viaticum ante unctionem confertur.

Manuale ſeu Rituale Pariſienſis Eccleſiæ, quod anno MDIV. editum eſt, in ordine ad viſitandum infirmum, primo præſtituit confeſſionem & reconciliationem, deinde unctionem, tum ea peracta, ſubdit: *De ſacramento etiam Euchariſtiæ petenti infirmo, ſicut & cetera Sacramenta, miniſtretur; nec eſt magna vis de ordine: ſi enim infirmus*

prius petat ſacramentum Euchariſtia, quam Extremam Unctionem, ſibi (prius confeſſione facta peccatis) miniſtretur. Quæ omnia retinentur in Manuali, quod ad uſum ejuſdem Eccleſiæ anno MDXLII. recuſum eſt. Sed in Manuali, quod ad eundem uſum anno MDLXXXI. editum eſt, cum modus viſitandi infirmos traditur, modus adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ, modum adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis antecedit: qui ordo in editis poſtea Manualibus ſervatur,

Manuale Claromontenſis Eccleſiæ, quod anno MDXVIII. prodiit in lucem, hæc præſcribit: *Unctione autem facta, Presbyter manibus fricatis ſale, vel mica panis, & aqua lotis in ſcutella, qua repoſita ſunt ſtupa, quibus terſum fuis oleum, & ad Eccleſiam ſunt reportanda, & ibidem comburantur, & cineres ponantur in aliquo loco ſecreto, ne conculcentur.*

Et nota hic quod ſi infirmus ſit communicandus & ungendus ſimul, debet hic communicari, & tunc interrogandus eſt de Fide.

Idem habetur in Manuali, quod ad uſum Claromontanæ, & ſancti Flori Eccleſiæ anno MDXXIII. vulgatum eſt.

Manuale Sueſſionenſis Eccleſiæ, quod circa annum MDXXX. juris publici factum eſt, eundem ordinem ſervat; nam poſt confeſſionem, reconciliationem, & unctionem modus communicandi ſtatuitur: *Poſtea communicet eum his verbis, ſi communicare infirmus voluerit; ſin autem, prætermiſſis his quatuor orationibus, qua ſequuntur, dicat iſtas duas, Benedicat te Deus*, &c. *Propitietur Dominus.*

Oratio.

Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI *conſervet animam tuam in vitam æternam. Amen.*

Alia oratio.

Domine JESU CHRISTE, *Deus noſter, exaudi nos pro hoc, hac, fratre, ſorore, noſtro, noſtra, infirmo, infirma, te rogantes, ut tua ſancta Euchariſtia, corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI *Filii tui, tam corporis, quam anima ejus ſit ſalus.*

Manuale Bononienſis, ſeu Teruanenſis Eccleſiæ, quod ad annum MD. editum eſt, ſic præſcribit: *Poſtea* (peractis ſcilicet unctionibus) *communicet Sacerdos infirmum, ſi neceſſe fuerit*, &c.

Manuale Laudunenſis Eccleſiæ. quod anno MDXXXVIII editum eſt, poſt confeſſionem, reconciliationem, & unctionem collocat communionem: *Hic*, inquit, *communicetur infirmus, ſi opus ſit, & dicat Sacerdos:*

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro ſacroſanctum corpus & ſanguinem JESU CHRISTI *Filii tui, tam corporis, quam anima ſit ſalus. Per eundem Chriſtum*, &c.

Manuale Ambianenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLI. editum eſt, poſt confeſſionem, reconciliationem, & unctionem ponit Euchariſtiam: *Poſt hæc*, inquit, *ſi infirmus velit communicari, communicetur, dicendo: Corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI, *& ſanguis ejuſdem proſit tibi ad vitam æternam, & ad ſalutem animæ & corporis. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis, & in neceſſitatibus laborantibus, & cetera ut ſupra.

Manuale Cœnomannenſis Eccleſiæ, quod anno MDXL. editum eſt, in fine ordinis ad viſitandum, & oleo ungendum infirmum, dicit: *Tunc Sacerdos tradat ei corpus Domini, dicens: Corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI *ſalvet & confirmet animam tuam in vitam æternam. Amen.*

Idem retinetur in eodem Manuali, quod anno MDCVIII. recuſum eſt.

Manuale Redonenſis Eccleſiæ, quod anno MDLVII. emiſſum eſt, in fine ordinis ad viſitandum infirmum ſignificat, quæ ſequuntur: *Euchariſtia ſacramentum infirmo petenti, ſicut & cetera Sacramenta, miniſtretur; nec eſt magna vis de ordine: ſi enim infirmus prius petat ſacramentum Euchariſtia, quam Extremam Unctionem, prius ei confeſſione de peccatis ſuis facta, & abſolutione percepta, miniſtretur.*

Manuale Nannetenſis Eccleſiæ, quod anno MDLX. lucis uſuram accepit, poſt adminiſtratum Extremæ Unctionis ſacramentum iſta præcipit: *His dictis, ſi infirmus non communicaverit, Sacerdos tradat ei ſacroſanctum corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI, *docendo eum fidem Catholicam, ſicut prius dictum eſt, & tradendo corpus Domini, dicat:*

Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI *proficiat tibi, non ad judicium, ſed ad remedium animæ tuæ perducat te in vitam æternam. Amen.*

Domine

Digitized by Google

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, & cetera, ut ſupra.

Manuale Andegavenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXXX. vulgatum eſt, ſtatuit imprimis ordinem ad viſitandum & ungendum infirmum; deinde ordinem ad miniſtrandum ei corpus CHRISTI.

Manuale Aurelianenſis Eccleſiæ, quod anno MDLXXXVII. prodiit, in calce ritus ad ungendum infirmum hæc ſubjicit: *Quibus finitis*, (confeſſione, reconciliatione, & unctione) *Sacerdos communicet eum, ſi neceſſe fuerit.*

Rotomagenſis provincia veterem illam diſciplinam quam maxime retinuit; ſed operæpretium ducimus id de ſingulis Eccleſiis breviter obſervare.

Manuale Rotomagenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLIV. editum eſt, hæc tradit ſub finem viſitationis infirmorum: *Facta unctione, Sacerdos ſupradicta per ordinem repetat, dicens: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus Deus quidquid peccaſti per viſum, per auditum, per guſtum, per odoratum, per tactum, per inceſſum, per ardorem libidinis. Amen. Poſtea communicet Sacerdos infirmum, ſi neceſſe fuerit, dicens: Corpus Domini noſtri* JESU CHRISTI *profit tibi ad ſalutem corporis & animæ in vitam æternam. Amen. Poſt communionem Sacerdos dicat hanc orationem ſequentem, & ſi non communicaverit, non dicat eam. Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo. Oremus.*

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, &c.

Idem habetur in Manuali, quod ad uſum ejuſdem Eccleſiæ anno MDLXXXVI. recuſum eſt; ſed in Manuali quod anno MDCXI. recognitum eſt, ſublatum: & ante modum adminiſtrandi ſacramentum Extremæ Unctionis præfigitur modus adminiſtrandi ſacramentum Euchariſtiæ.

Manuale Conſtantienſis Eccleſiæ, quod anno MCCCCXCIV. prodiit, idem eodem ordine, atque iiſdem verbis deſcribit; ſed in Manuali, quod anno MDCIX. prodiit, ordo ille mutatur, & Euchariſtia Unctioni præponitur.

Manuale Sagienſis Eccleſiæ, quod anno MDV. editum eſt, idem quod in Rotomagenſi, eodem ordine, atque iiſdem verbis præcipit; ſed ordo ille hoc ſæculo inverſus eſt.

Manuale Lexovienſis Eccleſiæ, quod anno MDVII. & MDXXIII. editum eſt, ad finem ordinis ad viſitandum & ungendum infirmum iſta præſtituit: *Communicetur infirmus, ſi vult, & ſi ita accidat, dicat Sacerdos orationem ſequentem; ſin autem, non dicat, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te ſuppliciter deprecamur*, & cetera, ut ſupra.

Manuale Ebroicenſis Eccleſiæ, quod anno MDXXI. MDXLVII. & MDLXXXVI. excuſum eſt, idem eodem modo repræſentat; ſed poſtea hic ordo ſuas vices paſſus eſt.

Manuale Abrincenſis Eccleſiæ, quod anno MDLIX. editum eſt, cum ſuperioribus aliis concordat. Verba non refero, ne bis idem referre videatur.

Manuale Bajocenſis Eccleſiæ nullum antiquum vidi. Quin eundem cum reliqua provincia ritum frequentaverit, non dubito, nec quiſquam, opinor, alius merito dubitare poteſt. Quod porro Manuale anno MDCXI. editum eſt, legi; ſed in eo ſacramentum Extremæ Unctionis poſtponitur Euchariſtiæ.

Hoc in loco prætermittenda mihi non videtur Carnotenſis Synodus diœceſana, quæ anno MDXXVI. habita eſt: *Cum hoc*, inquit, *Sacramentum ſit ultimum Sacramentum, inhibemus illud dari infirmo, niſi poſt confeſſionem peccatorum ſuorum, & poſt corporis* CHRISTI *communionem, ſi poſſibile ſit infirmum communicare.*

Hæc pauca de multis, quæ quis me diligentior inveniret; ſed ea ſufficiunt, quibus epochæ noſtræ Traditio repræſentetur. Nunc in explicatam ſuis monimentis diſciplinam nonnullas Obſervationes ſubjicio.

OBSERVATIO I.

Non prima quidem, ſed manifeſta ſacri ritus antiquitas oſtenſa.

IN hac ſacri ritus deſcriptione conſilium mihi non fuit, certum definire tempus quo primum miniſtrata eſt infirmis poſt unctionem Euchariſtia; ſed quo ſolum ex manifeſtioribus veterum ſcriptis liquet duo illa Sacramenta hoc ordine miniſtrata, eſſe. Siquando infirmis olim miniſtrata fuerunt, quin eo ordine miniſtrata fuerint, nullus occurrit ambigendi locus. Ab anno enim Chriſti plus minus ſeptingenteſimo cœpiſſe primum Euchariſtiam infirmis poſt Unctionem dari, nulla illius temporis monumenta ſignificant; nulli ſcriptores, qui tunc, vel proxima ætate vixerint, memoriæ pro-

proditum reliquerunt. Ante Theodorum Cantuarienſem omnino difficile eſt Græcum, vel Latinum offendere tractatorem, qui eo, quem expoſuimus, ordine Unctionem & Euchariſtiam data eſſe, vel uri darentur, ab Eccleſiarum magiſtris præſcriptum, ant traditum notaverit. Euſebius lib. VI. hiſt. cap. XXXVI. ſuggerit exemplum Serapionis lapſi, ſed pœnirenris, cui jamjam morituro Euchariſtia impertita eſt. Nicæna Synodus prima canone XIII. ſtatuit, ut cuilibet in exitu poſito, & Euchariſtiæ participationem petenti, Epiſcopus cum examinatione oblationem tribuat. Joannes Chryſoſtomus lib. III. de Sacerdorio, ex epiſtolæ Jacobi Apoſtoli cap. V. cui poſtrema Unctio innititur, colligit, Sacerdotes condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinere. Innocentius ad Decentium ſcribens Eugubinum Epiſcopum confirmat, infirmorum Unctionem certo quodam modo eſſe uſitatum in Eccleſia Romana Sacramentum. Sed neque Euſebius & Nicæni Patres, qui dandam eſſe infirmis Euchariſtiam volunt, præmittendam eſſe Euchariſtiæ Unctionem dicunt: neque Chryſoſtomus & Innocentius, qui tribuendam ægrotis eſſe Uctionem innuunt, tribuendam illis poſtea Euchariſtiam ſignificant. Quare, niſi quis (quod non ſemper conſulto fieri licet) id de ſuperioribus, ac de poſterioribus ſæculis, quæ recenſui, ſuſpicetur, aſſenſionem cohibear neceſſe eſt.

Prærerea fuerunt olim infirmorum genera duo, quibus etiamſi omnem illam communionem, quæ Viaticum dicebatur, Eccleſia conceſſerit; Unctionem tamen conceſſiſſe non invenitur. De publicis pœnitentibus id objiciunt canones, qui nulla facta Unctionis mentione dandam illis communionem eſſe decernunt. Id docet Innocentius epiſtolæ ad Decentium cap. VIII. *Nam pœnitentibus*, inquir, *iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti.* Deinde ſatis manifeſtum eſt ex Paſchaſio in vita Adelhardi, ungi ſolitos non eſſe eos, qui vitam ſceleris expertem, & cum omni virtute conjunctam traduxiſſent. Paſchaſii Radberti verba ſunt hæc, quæ jam retulimus: *Interea cum cœpiſſet Idus Epiſcopus a nobis percontari*, *utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Apoſtolo ſancitum eſt, deberet perungi*; *interrogavimus eum, utrumne vellet, quem proculdubio ſcieramus peccatorum oneribus non detineri.* Ad probatiſſimæ vitæ homines ſi de more ſpectaret Unctio, quorſum Paſchaſius, & alii Corbeienſes Monachi tam pie contenderenr, opus non eſſe, ut ſanctus Abbas Adelhardus ungeretur? Et certe non memini legere me ex tot antiquis Patribus ullum, qui poſtquam caſte integreque verſatus eſſet in Eccleſia, moriens unctionem iſtam ſuſceperit. Sed res iſta cum ſit diſciplinæ, quæ mutationem patitur, mirum nemini videri debet, illum præmittendæ Viatico Unctionis ritum, quem ab anno Chriſti DCC. ad annum uſque MDC. in quolibet ægroto luculentiſſimum oſtendimus, prioribus Eccleſiæ ſæculis rariſſimum fuiſſe. Exemplum apud Latinos unum occurrit, quod beatus Auguſtinus in ſermone CCXV. de tempore ſuppeditat: *Quoties*, ait, *aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem* CHRISTI, *ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: Infirmatur quis*, & cetera, quæ ſub initium operis noſtri tetulimus. Hic unctio ſubſequitur Viaticum, non præcedit. Ab Auguſtini tempore uſque ad annum DCC. in veterum Latinæ Eccleſiæ tractatorum monumentis nihil ſimile comperi.

OBSERVATIO II.

Productus a Burchardo & Ivone decretum Euſebii Papæ, quamvis adulterinum ſit; illius tamen quo ſpurios natales habuit, temporis diſciplinam atteſtatur.

DUo ſunt, quæ ad relatum a Burchardo & Ivone decretum Euſebii Papæ notemus Unum, illud non uno modo ſuppoſititium eſſe. Imprimis non extat in tribus vulgatis Euſebii Papæ epiſtolis; deinde, quamvis extaret, genuinum tamen non haberetur: hæ ſcilicet tres epiſtolæ, ut pleræque aliæ, non Romæ ex ore Pontificum, ſed alibi ex officina Iſidori Mercatoris prodiere. Non eſt, cur id modo probem. Defierunt in piorum & doctorum juxta hominum ſcriptis & manibus verſari, niſi ut refellantur. Alterum, diſciplinam temporis, quo adſcriptum eſt Euſebio, comprobare: id ab anno Chriſti ſeptingenteſimo, poſtquam receptis Eccleſiarum moribus in ægrotis Euchariſtiæ præmiſſa eſt unctio, contigiſſe credimus. Fuit enim, qui tunc ſub nomine Euſebii Papæ ediderit decreta, e quibus illud, quod ad pœnitentes atque ægrotos pertinet, Burchardus & Ivo libris ſuis intulerunt.

Observatio III.

Expenditur Gregorii Papæ Sacramentorum liber, oſtenditurque ab alio auctus iis rebus, quæ noſtri ſunt argumenti.

QUEM Gregorii Papæ Sacramentorum librum Hugo Menardus edidit, primæ partis finibus circunſcripſi. Cur autem id fecerim, impulerunt me duo. Unum, quod quæ ex hoc Sacramentorum libro retuli, in omnibus retro editionibus Romanis & Pariſienſibus deſiderentur. Alterum, quod eadem ipſa, quæ retuli, non compareant in Gregorii Papæ Sacramentorum codice, quem Grimoldus Abbas circa Ludovici Pii tempora recenſuit & correxit. Hunc librum ita correctum Pamelius inſeruit tomo II. Liturgicon. Ergo Gregoriana non ſunt, quæ ex eo libro decerpſi. Sunt alicujus librarii, qui librum Sacramentorum Gregorii cum exſcriberet, ei addidit, quæ in ritualibus aliorum libris inveniebantur ea de re, quam attingimus. Ceterum quis neſcit, ſacrorum rituum codices id eſſe genus commentariorum, quibus ſæpe fiunt acceſſiones vel detractiones pro captu ejus, qui tranſſcribit? In hoc ipſo, qui præ manibus eſt, Sacramentorum libro multa poſſent exempla ſtatui, quæ nemo quiſquam eruditus negaret. Tria tantum perſtringimus, quæ multorum inſtar erunt. In feſto cathedræ beati Petri XIII. Cal. Martii dicitur hæc oratio: *Deus, qui beato Petro Apoſtolo, collatis clavibus regni cæleſtis, animas ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti*; quam Leo IV. compoſuit, ut traditur in ejus vita. Quinetiam addita eſt poſtea vox, *animas*, quæ in vero exemplari non extat. Deinde IV. Idus Martii ponitur natalis ſancti Gregorii Papæ, & ejus officium, quod ſine dubio alius quis inſeruit. Tum demum Calend. Novembris collocatur natalis omnium Sanctorum. Hanc autem feſtivitatem poſt exceſſum Gregorii inſtitutam fuiſſe docent Martyrologi duo, Uſuardus & Ado, quorum primus ait: *Feſtivitas beatæ Mariæ genitricis & omnium Sanctorum, quam Bonifacius Papa celebrem & generalem inſtituit agi omnibus annis in urbe Roma.* Alter vero, hunc Bonifacium fuiſſe hujus nominis quartum indicat his verbis: *Feſtivitas Sanctorum omnium: petente namque Papa Bonifacio, juſſit Phocas Imperator, in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & a Domitiano prius factum erat; ablatis, idololatriæ ſordibus, Eccleſiam beatæ ſemperque virginis Mariæ, & omnium martyrum fieri.* Quibus exemplis inſtruimur, huic Sacramentorum libro addita fuiſſe multa ex ſacris ritibus temporis illius, quo identidem deſcriptus eſt, cujuſmodi ſunt ea, propter quæ banc Obſervationem comparamus.

Observatio IV.

Quæ adferuntur prima parte, Occidentalem Eccleſiam attinent, non Orientalem.

IN commentariis Græcorum, qui ad primam explicatæ Traditionis partem ſpectarent, deprehendere non potui, utrum per illud tempus, quod illa prima pars decurrit, Euchariſtiæ præmiſerint Unctionem, necne. Præterea neque Petrus Arcudius in libris de ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, neque Jacobus Goar in ſuis ad Euchologium a ſe editum notis quicquam adfert, ex quo priſcus ille ritus deprehendatur. Hoc autem cum ita ſeſe habeat, quem in conferendis duobus iſtis Sacramentis ordinem tunc ſervaverint, non attingo. Latinæ tantum Eccleſiæ deſcribo ritum, in quo ægrotus percepta Unctione ad ſumendam Euchariſtiam veluti pararetur.

Observatio V.

Aſſertus in prima parte Unctionis & Euchariſtiæ ordo perſtitit in ſecunda, ſub cujus finem mutari cœpit.

IN prima parte multa ſcriptorum teſtimonia, & rituales plurium Eccleſiarum libros perſecutus ſum; ſed in iis nihil animadverti quicquam, quod alicubi præmiſſam eſſe Unctioni Euchariſtiam ſignificaret. Sic igitur aſſertus ordo, quo primum Unctio, deinde Euchariſtia ſuſciperetur, tranſivit in ſecundam explicatæ Traditionis partem, quæ ſtata diu fixaque perſeveravit. Id affluenter teſtantur conquiſitæ diverſis ex locis auctoritates, quibus eam partem explicatum ivimus. Sed ut in iſtis ceremoniis nihil eſt æternum ſtabile, ſub finem ſecundæ partis acceptus a majoribus ordo mutari cœpit, & ante Unctionem Euchariſtia miniſtrari. De certo hujus mutationis tempore con-

contentioſum finem trahere nolo. Illud, fateor, incompertum eſt, ſed comperta progreſſio mutarionis, quæ ex parvis initiis duci conſuevit. Sed poſtea in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus conſuetudinis vetuſtatem excogitatis rationibus vindicatur. Ad illam mutationem plurium valuit male percepta Extremæ Unctionis notio, quæ quorundam e ſchola Theologorum animis extremum Sacramentum objecit. At profecto ſonat tantum Unctionem, quæ in genere Unctionis extrema eſt, non quæ extremum Fidelium Sacramentum.

Alanus Porretanus in maximis Theologiæ num. CXIII. & Alanus Monſpelienſis libro I. contra Waldenſes, qui quo tempore infirmis Unctio dabatur ante Euchariſtiam, vixerunt, Extremæ Unctionis voce, cum hoc Sacramentum tractant, utuntur. In ritualibus libris, qui tertiam explicatæ Traditionis partem adornant, Extrema dicitur Unctio, quæ ante Euchariſtiam ſuſcipienda præſcribitur. Deinde ad eandem mutationem non parum contulit facta ægrotis licentia ſumendi e duobus, quod prius voluerit, Sacramentis. Quare ſi Euchariſtiam prius quam Unctionem ægroti poſtulabant, Euchariſtia prius quam Unctio concedebatur. Eam licentiam nonnulli rituales libri, quorum verba in tertia parte retulimus, atteſtantur. His accedit quod e duobus Sacramentis, ſi altero carendum ſit præ temporis anguſtiis, in quas ægroti nonnumquam adigunt ſe, Unctione potius, quam Euchariſtia carendum eſt: nempe major hujus quam illius Sacramenti neceſſitas. A Patribus neceſſarium dicitur Viaticum, atque uti ſumatur, ſacri Canones expreſſius decernunt.

OBSERVATIO VI.

Diœceſana Synodi Carnotenſis decretum expenditur ad Eccleſiaſtica Traditionis normam, & retinetur.

IN hoc decreto ne id fiat quod erat in veteri poſitum, inſtitutoque majorum prohibetur; ſcilicet, ne Viaticum ante Unctionem infirmo conferatur. Sed notanda eſt prohibitorii edicti ratio, quæ ſic ſe habet: *Cum hoc Sacramentum ſit ultimum Sacramentum.* Deſumpta eſt e nonnullis e ſchola Theologis, & beato Thoma maxime, qui quæſt. XXXII. art. II. docet, *hoc Sacramentum eſſe ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediate diſponat ad gloriam.*

Et primo quidem ab antiquis Eccleſiæ tractatoribus infirmorum Unctio vocata non eſt ultimum Sacramentum, ſed ſimpliciter infirmorum Unctio. Magiſter ſententiarum, qui ſanctum Doctorem ne uno quidem ſæculo præceſſit, Unctionem hanc Sacramentum ultimum non appellat, ſic enim in libri IV. diſtinctione XXIII. ſcribit: *Præter præmiſſa eſt etiam aliud Sacramentum, ſcilicet Unctio infirmorum, quæ fit in extremis oleo per Epiſcopum conſecrato.* Et paullo poſt: *Tertia vero Unctio eſt, quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur. Hoc ſacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur.* Et poſt alia: *Cur ergo negatur Unctionem ſuper infirmum poſſe iterari ad impetrandam ſanitatem mentis & corporis, cum propter infirmitatem eadem ſæpe iteranda ſit oratio.* Deinde ſub finem diſtinctionis: *De quibuſdam* (Sacramentis) *verum eſt, quod non iterantur crebra ſuſceptione; de aliis vero quibuſdam non, quia frequenter ſumuntur, ut hoc Unctionis ſacramentum, quod in omni pene Eccleſia ſæpe repetitur.*

Alanus inſignis ille Theologus, qui fere medius intra Magiſtrum & Thomam ſcripſit contra Waldenſes, Extremam Unctionem dicit, non extremum ſeu ultimum Sacramentum. Adſcribo verba e libro I. *Dicunt etiam prædicti hæretici extremam olei Unctionem quæ datur infirmis nec eſſe Sacramentum, nec aliquem habere effectum, quia hoc ſacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum non legitur. Ad hæc dicimus quod ſacramentum Unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum legitur.*

Deinde cum Unctio hæc vocari cæpit extrema, ſic vocata non eſt, quod extremum ſeu ultimum Sacramentum exiſteret. Sed quod inter unctiones ſacras, quæ Chriſtianis dantur, ultima ſit vel extrema.

Tum quo tempore hæc infirmorum Unctio vocari cœpit extrema, hæc infirmis ante Viaticum miniſtrabatur. Id explicatæ Traditionis pars altera præclare confirmat. Omnino capere non poſſum, quonam tandem pacto factum ſit, ut beatus Thomas, qui tunc vixit, ſcripſerit, quod ab eo ſcriptum retulimus. Nam perinde ſcribit ac ſi quod lemma ſibi ſumit, id ſurſum verſus Apoſtolos retroque duceretur. At ſalva honorificentia, res ita ſe non habet: beati Thomæ lemma præcedentium ſæculorum omnium obruitur ſilentio. Aliud eſt argumenti genus iſtud cum Eccleſiaſtica Traditione

tione, altero Theologiæ veræ principio tractare, quod hoc loco ſanctus Doctor non perficit; aliud ſeorſum ab Eccleſiaſtica Traditione, & humanis tantum rationibus, quæ cum Theologiæ veræ non ſint principium, ad ſanciendam Sacramentorum doctrinam nihil pertinent, definire: quod ille nunc perficit. Excuſandus tamen mihi videtur: annum enim ætatis agebat viceſunum quintum, qui Chriſti annus erat MCCXLVII. cum Magiſtri ſententias legere cœpit, & in eas commentarium edere, in quo quæ retulimus docuit. Tunc veterum Patrum ſcripta revolvere, & varias Eccleſiarum conſuetudines inveſtigare, & ad plenum & perfectum diſcere nondum potuerat; hoc autem ſi fuiſſet tunc executus, uti par erat, de Unctionis infirmorum ſacramento aliter quam ſcripſit, veriſimiliter ſcripſiſſet. Hic enim ætate factus eruditior certam quandam tractandarum Theologiæ quæſtionum methodum, quæ aliter ſe habet, tradidit in quodlibeti IV. quæſtione XI. art. XVIII. Verba ſunt: „Utrum quæſtiones Theologicæ determinandæ potius ſint „auctoritatibus quam ratione. Reſpondeo dicendum, quod quilibet actus exequendus „eſt, ſecundum quod convenit ad ſuum finem. Diſputatio autem ad duplicem finem „poteſt ordinari: quædam enim diſputatio ordinatur ad removendam dubitationem, an „ita ſit, & in tali diſputatione Theologica maxime utendum eſt auctoritatibus, quas re„cipiunt illi cum quibus diſputatur. Puta, ſi cum Judæis diſputetur, oportet inducere „auctoritates veteris Teſtamenti. Si cum Manichæis, qui vetus Teſtamentum reſpuunt, „oportet uti ſolum auctoritatibus novi Teſtamenti. Si cum Schiſmaticis, qui recipiunt ve„tus & novum Teſtamentum, non autem doctrinam ſanctorum Patrum, ſive ſint Græci, „oportet cum eis diſputare ex auctoritatibus novi vel veteris Teſtamenti, & illorum Do„ctorum quos illi recipiunt. Si autem nullam auctoritatem recipiant, oportet ad eos „convincendos ad naturalem rationem confugere. Quædam vero eſt Magiſtralis in ſcho„lis non ad removendum errorem, ſed ad inſtruendum auditores, ut inducantur ad in„tellectum veritatis quam intendit: & tunc oportet rationibus inniti inveſtigantibus veri„tatis radium, & facientibus ſcire, quomodo ſit verum quod dicitur. Alioqui ſi nudis „auctoritatibus Magiſter quæſtionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita „eſt; ſed nihil ſcientiæ vel intelligentiæ acquiret, ſed vacuus abſcedet.„ Jungendæ ergo ſunt ſanctorum Patrum auctoritatibus rationes, ut ſcholaris auditor id quod ſibi ſumit beatus Thomas, aſſequatur.

Ceterum non animadverto tria hæc, quaſi velim ſynodali decreto auctoritatem detrahere, abſit; ſed ut id quod res eſt, plenius agnoſcatur. Sua per me conſtat decreto vis & auctoritas, etiamſi non ſatis exquiſita ratione fulciatur. Quod a Synodo decernitur, jam uſu receptum erat, idque in diſciplina tali, quæ ex Scriptura non trahitur, ſufficere mihi videtur.

OBSERVATIO VII.

In tertia explicata Traditionis parte, quadam Eccleſiæ acceptum a majoribus ordinem continuarunt uſque in præſens fere ſæculum; aliæ mutarunt. Græci cum illis, non cum iſtis concordant.

MIhi tantum curæ fuit eas notare Eccleſias, quæ acceptum a majoribus ordinem ſervaverunt uſque in præſens fere ſæculum, non quæ diu ante mutaverant: creditu quippe difficilius eſt, eam diſciplinam, qua in ægrotis Unctio præmittebatur Euchariſtiæ, duraſſe uſque in ſæculum, quod excurrit, quam ſuperioribus aliquot ſæculis mutatam eſſe. Sunt enim, qui quem habent præ oculis ritum, omni retro ætate viguiſſe, ſibi minimo negotio perſuadent. Quinetiam ejuſmodi homines ſomnia forte putabunt ea, quæ ex variis ſacrorum rituum libris ſinceriſſime produxi. Porro ex Græcorum libris, qui ad noſtram ſecundam & tertiam partem pertinent, colligitur, eos convenire cum Latinis, qui Unctionem Euchariſtiæ præmiſerunt. Græci feria quinta hebdomadæ majoris oleum infirmorum conſecrant, & qui conſecrationi adſunt, eodem inunguntur in omnem morbi eventum. Et poſtea ſi eo anno periculoſe laborant, Euchariſtiam ſumunt, vel qui non ſunt inuncti feria illa quinta, cum primum ægrotant, proficiſcuntur in Eccleſiam, & inungi ſe curant, & jamjam morituri deinceps Viatico communiuntur. Hic eſt hodiernus Græcorum uſus, quo in ordine ſumendorum Sacramentorum Latinis conſentiunt.

OBSER-

Observatio VIII. et ultima.

Ritus hic poſterior, quo Viaticum præcedit Unctionem, nonnullis exponitur incommodis, quibus prior non ita expoſitus fuit.

QUotidiana conſtat experientia, poſteriorem ritum non quidem per ſe, ſed κατὰ συμβεβηκὸς incommodis exponi nonnullis, quibus priorem expoſitum fuiſſe vix invenies: incommoda ſunt maxime quatuor.

Primum quidem, quod plerique putant, Extremam Unctionem certum eſſe futuræ mortis indicium; id pene abiit in proverbium: Extremam, inquiunt, accepit Unctionem: actum eſt de vita illius. Hæc autem falſa eſt opinio, qua tamen qui occupantur, Sacramentum hoc ſæpe multo ſerius quam oportet, accipiunt.

Deinde quod ſunt aliquando, qui rem ita differant & procraſtinent, ut morte præventi Sacramentum non accipiant, & fructu careant, qui ex eo ſperari potuit.

Tum quod Chriſtianis privantur Presbyterorum exhortationibus, quibus ad bene ſancteque moriendum juvarentur.

Denique quod nonnumquam reſtitueretur corporis ſanitas, ſi Sacramentum temporius adminiſtraretur: non reſtituitur, ſive quia tam perverſa ratione tentandus non eſt Deus, ſive quia Sacramentum non ita inſtitutum eſt, ut in recuperanda deſperati infirmi valetudine miraculum fiat.

Vide nunc ac circumſpice, quantum interſit, ut qui morbo laborant, de inſtituto in Scriptura Unctionis hujus ſacramento, & de ſanctorum Patrum Traditione, ac de majorum diſciplina erudiantur, vel eruditi non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem omnino perſuadeantur.

Explicata vetus Eccleſiæ Traditio circa uſum cineris & cilicii in infirmis, & circa lectum ſeu ſtratum cinere reſperſum in morituris.

HUjus diſciplinæ, cujus monimenta ſum relaturus, initium longe difficilius eſt, quam progreſſionem notare. Ante quingentos annos cum in ipſis regibus locum habuerit, initium epocham illam diu multumque præceſſit; ſed quantum temporis, definiri vix poteſt. Deinde diſciplina hæc ſuas paſſa eſt vices, nec eadem ubique & quovis tempore uſum obtinuit. Illius ergo initium progreſſionem ac vices, quoad fieri licet, perſequar. ut ſi ex antiquorum ſcriptis hiſtoriam quandam texerem. Tum nonnullas ſubjiciam Obſervationes, quibus quæ inter explicandam hujus ſacri ritus Traditionem commode animadverti non potuerant, animadvertantur.

CAPUT I.

In quibuſdam locis infirmus ante Unctionem & Viaticum induit cilicium, & pectus illius ſignatur ſigno crucis ex cinere.

HUnc ritum præſcribunt libri tres; vetus ordo Romanus MS. in Corbeienſi Bibliotheca, codex Ratoldi Abbatis, & codex ſancti Remigii Remenſis, uti refert Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii Papæ. Sic autem habet vetus ille ordo: *Tunc Sacerdos* (veniens ad infirmum) *facit crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus ejus, & imponit cilicium deſuper, dicens: Siquis infirmatur, agat pœnitentiam.*

Deinde codex Ratoldi Corbeienſis Abbatis, qui ad annum cccc. vixit. *Incipit ordo Unctionis infirmi: Hic dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me advocaſti, frater. Ille ait: Ut mihi Unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noſter* Jesus Christus *veram facilemque Unctionem ∴ ſi te reſpexerit, & ſanaverit te Deus, cuſtodies illam? Reſpondet: Cuſtodiam. Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere ſuper pectus ejus, & imponit cilicium deſuper, dicens: Siquis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex neceſſitate, quia miſericors eſt Deus.*

Tum codex ſancti Remigii: *Cum ingreditur Sacerdos domum infirmi, facta aqua benedicta, primo dicendum ab introeuntibus, Pax huic domui, ter, & aſpergatur aqua benedicta.* Et poſt quædam: *Tunc Sacerdos ad infirmum dicat: Vocaſti me. Infirmus dicat: Deſideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam & remiſſionem peccatorum tradas. Sacerdos dicat: Det tibi Dominus* Jesus Christus, *veniam; tamen ſi Deus in te reſpexerit, cuſtodies*

cuſtodies illam? Infirmus reſpondet: Cuſtodiam. Deinde Sacerdos audiat confeſſionem ejus, ſicut melius inquirere poterit aut ſcriptis aut verbis. Tunc facit crucem ex cinere ſuper pectus infirmi, & imponit cilicium ſuper caput ejus. Poſthac ſequuntur pœnitentiales Pſalmi.

His tribus libris, quartum addo Cameracenſis Eccleſiæ Pontificalem MS. in quo cineris & cilicii benedictio continetur. Eſt autem ejuſmodi: *Ordo ad viſitandum infirmum: Imprimis faciant Sacerdotes aquam benedictam cum cinere vitis mixtam extra domum.*

Benedictio cineris.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, exaudi nos propitius, ut hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ miſericordiæ implorantes utuntur, benedicere, & ſanctificationis tuæ gratiam ſuper eum infundere digneris, ut quiſquis illius aſperſus pulvere fuerit, indulgentiam & remiſſionem cunctorum a te pio Domino percipere mereatur delictorum. Per, *&c.*

Benedictio cilicii.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus & pietatis tuæ miſericordiam quærentibus, hoc indumento miſericordiam & veniam tribuiſti, oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, benedicere & ſanctificare digneris, ut quicunque eo pro peccatis ſuis indutus fuerit, & miſericordiam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ miſericordiæ conſequatur. Per, *&c.*

Tunc ingrediantur domum infirmi, & dicat Sacerdos, Pax huic domui; & tunc aſpergatur aqua ſuper infirmum & per domum ejus cum Pſalmo, Miſerere mei, Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Oratio.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum tua potentia erigas ad ſalutem. Poſt hoc canant Sacerdotes & Miniſtri Eccleſiæ hos pſalmos, Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Pſal. Domine, ne in furore I. Pſal. Domine, ne in furore II. Pſal. Beatus qui intelligit. Pſal. Miſerere mei, Deus. Pſal. Inclina, Domine, aurem tuam. Pſal. Qui habitat. Pſal. Benedic anima mea, Deus, & omnia quæ intra me ſunt uſque qui redimat de interitu vitam meam, qui coronat te in M. & in M. Gloria Patri. Sequitur oratio.

Reſpice, Domine, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Poſtea cantent letanias ſuper infirmum. *quibus cantatis una cum oratione ſubjicitur:* Tunc dicat Sacerdos ad infirmum: Quid me huc vocaſti, frater? Infirmus reſpondeat: Ut mihi tradas Unctionem. Et adjungit Sacerdos: Donet tibi Dominus noſter JESUS veram felicemque Unctionem; tamen ſi te reſpexerit & ſanaverit Dominus, cuſtodies illam? Reſpondeat: Cuſtodiam. Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus ejus, & imponit cilicium deſuper. Sequitur Sana, Domine, infirmum iſtum, *& cetera, quibus ſacra Unctionis & Euchariſtica communionis ſacramenta miniſtrantur.*

CAPUT II.

In quibuſdam locis poſt datum Viaticum, & ante peractam Unctionem, infirmus cilicium induit, & pectus illius ſignatur ſigno crucis ex cinere.

SUPERIORI ſæculo ritum hunc obſervarunt in Gallia Eccleſiæ, præſertim duæ, Anicienſis & Noviomenſis. Anicienſis quidem in Manuali, quod anno MDXXVII. publicatum eſt. Sic autem tradit in ordine ad viſitandum infirmum paullo poſt initium.

Benedictio ad cineres.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini, Qui fecit cælum & terram. Sit nomen Domini benedictum, Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Oratio.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, & miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, exaudi nos propitius, & hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ implorantes utuntur, benedicere dignare, & ſanctificationis tuæ gratiam ſuper eum infunde, ut quicunque

pulveris hujus concluſione aſperſus fuerit, indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum a te pius mereatur accipere. Per, *&c.*

Benedictio cilicii.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus, & tuæ pietatis miſericordiam quærentibus, hoc indumentum, quod vocatur cilicium, benedicere & ſanctificare digneris, ut quicunque eum pro peccatis ſuis indutus fuerit, & miſericordiam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequatur. Per Dominum, *&c.* Deinde ſequuntur tepicm pœnitentiales pſalmi, qui a Presbyteris, *& cetera, qua ad Unctionum miniſterium ſpectant.*

Noviom:nſis vero Eccleſia in Manuali, quod anno MDLX. editum eſt, ita ſtatuit: *Ordo Extrema Unctionis: Sacerdos ingrediens domum, in qua decumbit infirmus vel infirma, indutus ſtola cum aqua benedicta & cruce, aſpergendo infirmum, infirmam, & aſtantes, dicat trina vice, Pax huic domui. Reſp. Et omnibus habitantibus in ea. Dicat Sacerdos: Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, defendat, & benedicat hunc infirmum, hanc infirmam, & omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Poſtea dicat Sacerdos ad infirmum: Vis inungi? Si reſponderit verbo vel ſigno, Volo; roget eum dicere, Credo in Deum; & ſi neſcierit dicere, dicat pro eo & exponat ei; & ſi ita credere ſe conceſſerit, ponat cilicium ſuper caput ejus in modum crucis; ſimiliter cinerem ſuper pectus ejus, dicendo: Humilia corpus tuum & animam tuam in cinere & cilicio, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Oremus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, infirmam, & alleviabit eum, eam Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei; cura, quæſumus, Domine Redemptor noſter, gratia ſancti Spiritus langores hujus infirmi, infirmæ, & ſana ejus vulnera, ac dimitte peccata, atque cunctos dolores cordis & corporis ab eo, ea, expelle, & plenam ei ſanitatem interius exteriuſque miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, reſtitura, & ſanatus, ſanata, ad priſtina reparetur officia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Poſtea dicantur ſeptem pœnitentiales pſalmi, & interim debet infirmus inungi a Sacerdote.

Ad hunc Noviomenſis Eccleſiæ morem reſpicit Manuale, quod ad uſum omnium provinciæ Remenſis Eccleſiarum ex auctoritate provincialis Synodi confectum eſt anno MDLXXXV. In eo autem ſic habetur poſtquam ægrotis porrectum eſt Viaticum, & antequam ungantur: *Sacerdos vocatus ad hoc Sacramentum adminiſtrandum in domum ingreſſus, dicat: Pax huic domui.* Et poſt alia: *In quibuſdam locis recitato ſymbolo, vel ab agro, vel a Sacerdote ponit Sacerdos cilicium ſuper caput infirmi in modum crucis, & cinerem ſuper pectus illius, dicens: Humilia corpus tuum & animam tuam in cinere & cilicio; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Hac ceremonia ubi eſt in uſu, non debet omitti propter antiquitatem.* En prudens conſilium, quo ut diverſæ in Eccleſiis ſerventur conſuetudines & ritus, ſapientiſſimi viri providerunt. Diſciplinæ huic ſubmiſſum video beatum Carolum Boromæum in lectione VI. quam ſecundum nocturnum feſti illius habet in Romano Breviario. *Mediolanum reverſus, ingraveſcente morbo, cinere ac cilicio coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis migravit in calum.*

CAPUT III.

In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum, & ante datam Unctionem, crux ex cinere delineatur in pectore infirmi; ſed poſt Unctionem imponitur illius capiti cilicium ſeu caputium.

CEREMONIÆ hujus exemplum unicum mihi occurrit in Venetenſis apud Armoricos Eccleſiæ Manuali, quod anno MDXCVI. in lucem prodiit. Recitatis ſeptem pſalmis pœnitentialibus, letaniis, & nonnullis orationibus ſequitur.

Benedictio cinerum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui ſecit cælum & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc.

Oremus.

Oremus.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, & hos cineres, quos cauſa præferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ corporibus, ſeu capitibus veſtris imponi decrevimus, benedicere pro tua pietate digneris, ut qui nos cineres eſſe, & ob pravitatis noſtræ meritum in pulverem reverſuros cognoſcimus, omnium peccatorum veniam, & præmia pœnitentibus repromiſſa miſericorditer conſequi mereamur. Per Chriſtum, *&c.* Tunc aſpergatur cinis aqua benedicta, & faciat Sacerdos unam crucem ex cinere vitis cum aqua benedicta, ſuper pectus infirmi, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Memento, homo, quia cinis & pulvis es, & in pulverem & cinerem iterum reverteris; & dicat unus ita Sacerdos: Siquis infirmatur, pœnitentiam agat, etiam ex neceſſitate, quia miſericors eſt Dominus: miſericordia autem Domini nec menſuram, nec tempora habet, dicente Spiritu ſancto per Prophetam: Si converſus fueris, tunc ſalvus eris. Et iterum: Dic tu prior iniquitates, ut juſtificeris. Et alibi Pſal. cxxix. Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et multiplex Dei miſericordia ita lapſis ſubvenit animis, ut non ſolum per Baptiſmi & Confirmationis gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ atque Unctionis medicinam ſpes vitæ reparetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. *Deinde poſt multas preces & unctiones ſubjicitur.*

Benedictio ſudarii ſeu indumenti.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus & pœnitentibus hoc indumento veſtitis, miſericordiam & veniam tribuiſti, oramus clementiam tuam, ut quod vocatur ſudarium, benedicere & ſanctificare digneris, ut quicunque eo pro peccatis indutus, ſive coopertus fuerit, & miſericordiam tuam imploraverit, veniam & indulgentiam tuæ ſanctæ miſericordiæ conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Aſpergatur caputium aqua benedicta, & imponatur capiti infirmi, dicendo: Indue nitidam veſtem In nomine novi hominis, qui ſecundum Deum homo factus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis, qui eſt JESUS CHRISTUS Dominus noſter, qui cum eodem Patre vivit & gloriatur in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

Oremus.

Majeſtatem tuam, Domine Deus omnipotens, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo, famulæ tuæ N. ſqualore pœnitentiæ & infirmitatis macerato, maceratæ, veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus, ejecta, fuerat, mereatur introire. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPUT IV.

In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum, & ante datam Unctionem crux ex cinere delineatur in pectore infirmi; ſed nullus ejlicii uſus.

DISCIPLINAM hanc reperio in duabus ſecundæ Lugdunenſis provinciæ Eccleſiis, quarum una eſt Rotomagenſis in rituali libro, quem anno MDXLIV. & MDLXXXVI. juris publici fecit. In eo enim ſic traditur: *Sequitur ordo ad viſitandum infirmum & oleo ungendum. Sacerdos intrans domum, dicat ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Poſtea aſpergat domum, & dicat Ant. Aſperges me, & incipiat ſeptem pœnitentiales pſalmos.* Quibus dictis & letaniis & nonnullis orationibus, ſubjicitur: *Sacerdos dicat infirmo ut confiteatur.*

Hic infirmus abſolvatur.

Dominus JESUS CHRISTUS, *qui dixit diſcipulis ſuis: Quacunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quacunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis; de quorum numero, quamvis indignos, nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quacunque cogitatione, locutione, aut operatione negligenter egiſti, & a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit,* &c.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Deinde Sacerdos faciat crucem cineris in pectore infirmi, dicens: Memento, homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris, In nomine Patris, &c.

Altera Ebroicenſis in Manuali, quod anno MDXXI. & MDLXXXVI. vulgatum eſt.

Digitized by Google

Verba non refero, ne bis idem eodem loco refcratur ſuperflue. Idem quippe ritus iiſdem verbis & eodem ordine præſcribitur.

CAPUT V.

In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum, & ante datam Unctionem crux ex cinere delineatur in capite infirmi; ſed nullus cilicii uſus.

HANC ceremoniam noſtra Conſtantienſis Eccleſia ſuggerit in Manuali, quod anno MDCIX. typis mandatum eſt. Ibi enim accepta abſolutione, & dictis letaniis & quibuſdam orationibus ſubditur. *Deinde Sacerdos paululum cineris aſſumens imponet capiti infirmi, dicens: Memento, homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Poſtea ſequitur unctio.

CAPUT VI.

In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum & Unctionem infirmus cilicium induit, & cinerea cruce ſignatur.

LEMOVICENSIS Eccleſia in Manuali quod anno MDLV. editum eſt, quibuſdam in locis ritum illum obſervari ſignificat: nam adminiſtrato infirmis Viatico, & peractis unctionibus ſubjicit.

In aliquibus locis imponunt cilicium confeſſionis, & in aliis non.

Cilicium confeſſionis & pœnitentiæ indumentum tibi imponimus, ut per confeſſionem & pœnitentiam omnium peccatorum ſordibus emundari merearis, quatenus veſtimentis indutus exultationis atque lætitiæ in palatio regis æterni, ſecurus vel ſecura, & gaudens poſſis intrare ipſo permittente. Qui vivit & regnat, &c. Hic faciat dicere Sacerdos infirmo Confiteor, ſi ſciat & poſſit, vel ſi non poſſit vel neſciat, alicui de aſtantibus.

Abſolutio.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet & confirmet te in omni opere bono, & perducat te Dominus JESUS CHRISTUS ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tuorum per gratiam ſancti Spiritus tribuat tibi omnipotens Dominus. Amen. Modo Sacerdos faciat ſibi adorare crucem. Ant. Adoramus te, CHRISTE, & benedicimus tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum. ℣. Nos autem gloriari oportet. ℟. In cruce Domini noſtri JESU CHRISTI.

Oratio.

Perpetua nos, Domine, pace cuſtodi, quos per lignum ſanctæ Crucis redimere dignatus es. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Abſolutio.

Auctoritate Domini noſtri JESU CHRISTI & domini noſtri ſummi Pontificis ego te abſolvo ab omni ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ.

Iterum alia abſolutio.

Auctoritate Domini noſtri JESU CHRISTI & domini noſtri ſummi Pontificis omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus & ore confeſſus fuiſti, & quæ prætextu iſtius indulgentiæ non commiſiſti, do tibi plenam remiſſionem, quam Romani Pontifices interdum quibuſdam perſonis impertiri conſueverunt, & in quantum claves ſanctæ matris Eccleſiæ ſe extendunt, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Nota quod aliqui obſervant ceremonias ſequentes, benedicendo cineres, & aliqui non; & tunc ſiquis voluerit obſervare, illuminetur cereus benedictus, & afferantur cineres ad benedicendum, & dicat Presbyter: Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Reſp. Qui fecit cælum, *&c.* Sit nomen Domini benedictum: Ex hoc nunc, *&c.*

Oratio.

Deus indulgentiæ, pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, *& cetera, ut ſupra.*

Deinde benedictos & aqua benedicta aſperſos projiciat Sacerdos ſuper infirmum in modum crucis, & abſolvat eum, & dicat has orationes, & antequam dicat has orationes, projiciendo cineres ſuper infirmum, dicat Sacerdos: Homo, memento quia cinis es, & in cine-

cinerem reverteris, pulvis es, & in pulverem reverteris; ideo age pœnitentiam & ſalvaberis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Et dicat tribus vicibus, & aſpergatur ter cinere in modum crucis.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, famula tua N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, ejuſque remitte peccata, nullis a te iniquitatibus ſeparatus, vel ſeparata, tibi a Domino ſemper valeat adhærere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, *& cetera id genus preces.*

CAPUT VII.

In quibuſdam locis poſt acceptum Viaticum & Unctionem crux ex cinere delineatur in capite infirmi, ſed nullus cilicii uſus.

HUNC ritum invenio in Narbonenſis Eccleſiæ Manuali, quod anno MDXLV. editum eſt. Sic enim habet in fine ordinis ad viſitandum infirmum. *Deinde benedicat cineres. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine, exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Deus indulgentia, pietatis & miſericordiâ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, miſericordiam clamantibus ſubveniſti, & cetera, ut ſupra. *Per Chriſtum. Poſtea ponat in capite, dicens: Memento, homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris. Incipit ordo ad ſepeliendum.*

CAPUT VIII.

In quibuſdam locis poſt acceptam Unctionem & Viaticum infirmus cilicium induit, ſed nulla mentio crucis, quæ ex cinere ſignetur.

HIc ritus antiquiſſimus eſt eorum omnium, qui hactenus recenſiti ſunt vel recenſeri poſſunt. Extat in eo de divinis officiis libro, qui Alcuino tribuitur. Sic autem habet ſub hoc titulo.

Quomodo moriturus olim.

Vera ad Dominum converſio in ultimis poſitorum mente potius eſt æſtimanda, quam tempore propter hoc Domino aſſerente: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Cum ergo Dominus ſit inſpector cordis, quovis tempore pœnitentia non eſt deneganda poſtulanti, cum illi ſe obliget judex, cui occulta noverint revelari poſt iſtas ſacratiſſimas definitiones, quando aliquis Chriſtianus articulum mortis perſenſerit imminere, primitus renovet confeſſionem ſuam cum puritate ac omni fiducia. Deinde diſtribuat omnia quæ poſſidet. Poſt hæc dimittat omnibus, qui in ſe peccaverunt, & reconcilietur. Tunc poſtulet Miſſas ſeu Communionem ſanctam, qua percepta, & jam ſi ipſo die comedit, mutet habitum in cilicio & cinere, ſeu viliori indumento.

Hactenus recenſitæ ceremoniæ, quibus homo morti proximus diverſa ratione cilicium induit, & cineribus aſpergitur in modum crucis. Nunc recenſendæ ſunt aliæ, quibus e lecto eductus, in cilicio vel aliquo ſudario cineribus conſperſo, collocatur.

CAPUT IX.

Poſt datam Unctionem & Viaticum e lecto trahitur infirmus, & in diſtento ſuper terram cilicio cineribus conſperſo collocatur.

HUNC ritum præ ſe ferunt tres Pontificales libri manu exarati, in quibus cum cineris ac cilicii benedictio invenitur, tum quem ad finem fiat benedictio, declaratur.

Primus eſt ille, quem alias in Bibliotheca Prædicatorum Pariſienſium ad portam ſanctl Jacobi aſſervatum legimus, & in quo ſic habetur.

Benedictio cineris atque cilicii.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, *& cetera, ut ſupra.* Per, *&c.*

Exorcizo te, cinis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & JESU CHRISTI Filii ejus, & Spiritus ſancti, qui te per ignem in favillam converti præcepit, ut ſicut viſione

Dei

Dei per ſanctum famulum ejus Moyſem cinis vitulæ in populo aſperſus omnem cogitationem ſanctificavit Iſraël, ita ut tu exorcizatus in nomine Trinitatis, in terra & cilicio aſperſus in famulo Dei diabolus non lateat, ſed manifeſtetur atque expellatur, ut purus & ſincerus inveniatur. Per, *&c.*

Benedic, Domine, hoc cilicium, quod famulus tuus pro humilitatis ac pœnitudinis ſuæ devotione indui appetit, ut ſicut Ninivitarum populo in cinere & cilicio pœnitenti, ita ut hic famulus tuus humiliationis ſimul & profeſſionis ſuæ hoc indutus veſtimento a te Creatore ſuo omnium percipiat incrementa virtutum, & cunctorum indulgentiam delictorum conſequatur ſuorum. Per, *&c.*

Tunc extendatur in terra cilicium, & de cinere benedicto ſuper illud a Sacerdote fiat crux & aquæ benedictæ aſperſio; & ſuper illud ponatur infirmus; ſimiliter fiat crux & aſperſio ſuper pectus illius & dicatur: Recordare quia cinis es, & in cinerem reverteris. Ait rurſum ei Sacerdos: Placent tibi cinis & cilicium ad pœnitentiæ tuæ ante Dominum in die judicii? Reſpondet, Placent.

Alter, quem alias in Richeliana Bibliotheca vidimus, & in quo ſic habetur.

Benedictio cilcii.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus & pietatis tuæ miſericordiam quærentibus hoc indumento veſtitis miſericordiam & veniam tribuiſti, *& cetera, ut ſupra.* Per.

Benedictio cineris.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, & miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, *& cetera, ut ſupra.* Per.

Tunc extendatur in terra cilicium, & de cinere benedicto ſuper illud a Sacerdote fiat crux & aquæ benedictæ aſperſio, & ſuper illud ponatur infirmus; ſimiliter fiat crux & aſperſio ſuper pectus illius, & dicat ei ſic:

Recordare quia cinis es & in cinerem reverteris. Ait rurſum ei Sacerdos: Placent tibi cinis & cilicium ad teſtimonium pœnitentiæ tuæ ante Dominum in die judicii? Reſpondet, Placent.

Tertius denique Laudunenſis Eccleſiæ, in quo ſic quoque habetur poſt adminiſtratam Unctionem & Viaticum.

Benedictio cilicii.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ miſericordiam quærentibus hoc indumento veſtitis miſericordiam & veniam tribuiſti, oramus clementiam tuam, *& cetera, ut ſupra.* Per.

Benedictio cineris.

Deus indulgentiæ, Deus pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, miſericordiam tuam clamantibus ſubveniſti, *& cetera, ut ſupra.* Per.

Tunc extendatur in terra cilicium, & de cinere benedicto ſuper illud a Sacerdote fiat crux & aſperſio ſuper pectus illius, & dicatur: Recordare quia cinis es, & in cinerem reverteris. Ait ei rurſus Sacerdos: Placent tibi cinis & cilicium ad teſtimonium pœnitentiæ tuæ ante Deum in die judicii? Reſp. Placent.

CAPUT X.

Expoſitam ſuperiori capite diſciplinam obſervarunt quondam Ordinis ſancti Benedicti Monachi, Cluniacenſes, & alii; Cartuſienſes, Ciſtercienſes, Epiſcopi, Reges Galliæ.

DISCIPLINÆ hujus monumenta repetimus ab iis, quorum res eſt, nempe ab Hugone Cluniacenſi, ab Udalrico Monacho, a Lanfranco Beccenſi Abbate, ab Guigone Cartuſienſi Priore Generali, ab auctoribus libri uſuum Ciſtercienſis Ordinis, a Liſiardo Sueſſionenſi Epiſcopo, a Sugerio Monaſterii ſancti Dionyſii Abbate, a Guillelmo Nangiaco, de quibus omnibus ſigillatim agendum eſt.

Diſciplina Cluniacenſium refertur, & aliorum Ordinis ſancti Benedicti Monachorum.

Hugo Cluniacenſis Abbas pro Cluniacenſibus ſpondet, & in capite XXVI. ſtatutorum, quæ edidit, de obitu Fratrum & ſepultura, hæc tradit quæ ſequuntur: „Poſtquam au„tem Frater ad hujuſmodi venerit infirmitatem, adhibetur ei unus famulus, qui non „habet aliud facere, niſi ut obſequatur infirmo: ſed & in morte famuli omnes, qui „ſunt in infirmaria, diligenter excubant, ne obitus ejus improviſus eveniat. Crux eſt „contra faciem ejus affixa, & lumen cerei uſque ad clarum mane non deficit. Siquis Fra„ter eſt ita religioſus, cui hoc pro ſingulari libuerit affectu, ut ipſe quoque remaneat cum „infirmo

„infirmo excubans, libenter ei Prior adquieſcat: ſamuli, qui ſunt in talibus multum exer„citati, multum opperiti, cum viderint jam ejus exitus horam imminere, cilicium ad „terram expandunt, & cinerem in crucis modum ſpargunt, infirmum de lecto levatum „in cilicium ponunt. Deinde infirmarius debet Priori notificare, quod ille Frater ſic eſt „prope ſuum finem; Prior vero, ſi æger habuerit memoriam, præcipiet alicui Fratrum, „ut legat coram eo Paſſiones: ſi autem non habuerit, præcipiet duobus vel quatuor, „ut indeſinenter ibi cantent pſalmos, donec notum ſit ut pateat animam de corpore jam „egreſſuram ſine longa mora, quod cum viderit famulus, qui bene doctus & uſitatus in „tali officio eſt, tum demum arrepram tabulam debet fortiter cum feſtinantia multa per„cutere in clauſtro ante gradum dormitorii prius, ſi nox eſt, accenſis lucernis in clauſ„tro infirmariæ, & per aditum, per quem itur in infirmariam.„ Hactenus ex illius ſtatuti fragmento, quod Lucas Dacherius vir doctus & optimus juris publici fecit inter notas & obſervationes, quibus Guiberti Abbatis opera illuſtravit. Staturi verba, quia ſunt perſpicua, explicatione nulla, ſed lectione ſola indigent, ut intelligantur.

Udalricus Monachus in antiquioribus Cluniacenſis Monaſterii conſuetudinibus, quas ad Guillelmum Hirſaugienſis Monaſterii Abbatem ſcripſit, in libri III. capite XXIX. conſuetudines hujuſmodi ſic perſequitur: „Poſtquam autem Frater ad hujuſmodi venerit infir„mitatem, providetur ei unus famulus, qui non habet aliud facere, niſi ut obſequatur „infirmo; ſed & in nocte famuli, qui ſunt in domo infirmorum, omnes diligenter ex„cubant, ne obitus ejus poſſit improviſus evenire. Crux eſt contra ejus faciem affixa, „& lumen cerei uſque ad clarum diem non defuerit. *Et paullo poſt*: Famuli autem, „qui ſunt in talibus exercirati, multumque periti, cum viderint jam ejus exitus boram „imminere, cilicium expandunt, cinerem deſuper aſpergunt, & infirmum de lecto leva„tum in cilicium ſubmittunt: ab uno eorum percutitur tabula contra oſtium clauſtri cre„bra & quaſi continua percuſſione, quod cum ſignum ſit obituri, illico ut auditum fue„rit, Fratres omnes accurrunt.„ Udalricus Hugonis æqualis fuit.

Porro autem locum, in quo moribundi corpus deponebatur, Petrus Venerabilis, qui Cluniacenſi Monaſterio præfuit, in libri I. de Miraculis capite XIX. ita deſcribit: *Habetur* (Cluniaci) *in domo media* (infirmorum) *locus unius corporis capax ad hoc aptatus, ut Fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti extremum Deo ſpiritum reddant.*

Lanfrancus Beccenſis Abbas, qui poſtea creatus eſt Cantuarienſis Archiepiſcopus, inter decreta illa, quæ pro ſancti Benedicti Ordine ſanciit, hæc tradit in cap. XXIII. *Ægro autem in agonia poſito, & jamjam, ſi ita viſum fuerit, morituro famulus, qui ad hoc deputatus eſt, cilicium expandat, & ſupra illud ad menſuram longitudinis & latitudinis quam ipſum cilicium habet, ſignum crucis de cineribus faciat, morientemque Fratrem deſuper ponat, cui poſtea indeſinenter aſſidens ſtudioſe conſideret, qua hora exitum ejus Conventui debeat indicare.* Hic auctor celeberrimus & virtuti ſimillimus ad annum MLX. enituit, nec Normanniam modo & Angliam, ſed & pleraſque alias Occidentis partes omni doctrina excoluit.

Guibertus Novigentinus Abbas in libri I. de vita ſua capite XX. diſciplinam eamdem ſic exponit: *Defertur ad Monaſterium, cujus erat Monachus, non Abbati, non Priori confitetur, quamvis dira ab eo tortiones, mortis videlicet praconia, ſentirentur, famulo cuidam, qui infirmis miniſtrabat, argenti illa quantitas ab illo committitur. Itaque cujuſdam intempeſtivo noctis, increſcente moleſtia, e ſenſibus eripitur, pro mortuo terra diſtenditur: nos etiam ſigno crepitante vocati adfuimus, pſalmos, orationes, & convenientia obituris explevimus, quo facto hominem, ut monaſtici moris eſt, cilicio ſuppoſitum, ut videbatur in extremis ſtridoribus vis efflantem reliquimus, cui nullus vitam, omnes ſolum præmortuo mox ultimum lavare ſpondebamus, nec mora nobis abeuntibus ille reſpirat, Priorem (nam Abbas aberat) evocat, de eo quod fraudaverat, & cui fraudem commiſerat, indicat, dixit, & a Priore abſolutione recepta, poſt paullulum repetitis ſingultibus expiravit.* Hæc ille, qui diſciplinæ genus hoc in monaſtico more poſitum eſſe ſcribit, & illud anno Chriſti MCXX. conſignat.

Diſciplina Cartuſienſium refertur.

Guigo qui Cartuſiæ majoris Prior quintus extitit, hæc in ſtatutorum ſuorum capite XIII. decernit: *Cum Frater mori jam videbitur, ab iis, qui ei ſerviunt ſigno dato, poſtpoſita omni occaſione accurrant cuncti, niſi cum divinum in Eccleſia contigerit Officium celebrari. Tunc enim Prior, vel cui ipſe injunxerit, cum duobus aut tribus ad morientem feſtinat, depoſitoque eo ſuper benedictum cinerem, letaniam, prout res patitur, longam vel brevem faciant.*

Deinde Ripſerus Cartuſiæ majoris Prior, in veteribus ſtatutis, quæ collegit & con-

firmari

firmari curavit a generali Capitulo, quod anno MCCLIX. habitum eſt, hæc docet in cap. XLVII. *Cum jam mori videbitur, ab iis, qui ei ſerviunt ſigno eum poſte dato, poſtpoſita omni occaſione, accurrant cuncti, dicentes: Credo in unum Deum; ſi tamen divinum tunc in Eccleſia contigerit Officium celebrari, Prior vel cui ipſe injunxerit, cum duobus aut tribus tantum ad morientem feſtinat, depoſitoque eo a laicis Fratribus ſuper benedictum cinerem, letaniam prout res patitur, longum vel brevem faciant.*

Diceret quis diſciplinam hanc, quia confirmata eſt a generali Capitulo, apud Cartuſienſes duraturam ſemper eſſe. Diceret quidem, ſed falleretur, non ſemper duravit, finem accepit, quo tempore Franciſcus Puteanus majorem adminiſtravit Cartuſiam. Hic in ſtatutorum Ordinis compilatione tertia, quam curavit fieri, diſciplinam illam abrogavit in capite II. *Infirmus*, inquit, *morti appropinquans non ponatur ſuper benedictum cinerem, prout vult antiquum ſtatutum, propter periculum accelerata mortis, ſed duntaxat lectus in quo jacet, modico cinere aſpergatur.* Sic Puteanus, qui Franciſco I. Galliæ Rege vixit, abrogavit diſciplinam, quæ fere ab initio Ordinis ad ſuam uſque ætatem obſervata fuerat, etiamſi per tot annos memorata abrogandæ diſciplinæ ratio neminem latuerit: antiquiores periculum illud ſpreverunt magis quam non perviderint.

Profecto ſtatutum illud non magis accelerare mortem potuit, quam ſumma in quovis morbo carnium abſtinentia, quæ ab ægrotis ſingulis inconcuſſa ſtabilitate & laudabili diligentia cuſtoditur; ſed hæc Cartuſienſis diſciplinæ genera duo nonnihil inter ſe pugnare mihi videntur: vel relaxanda eſt carnium abſtinentia, quod non conſulerem, vel ſtatutum vetus reſtituendum eſt, quod conſulerem, ut pugna illa tollatur, & omnia bene conveniant. Quicquid id eſt, abrogationem hanc induxit avida non deſinere mortalitas, quæ Chriſtianorum propria non eſt; etenim non viverent; ſi hic ſemper viverent. Quo beatus ſpectabat Bernardus, ut Goffridus Claræ vallenſis Monachus in libri IV. de vita illius capite I. teſtatur: *Ad Hugonem*, inquit, *Oſtienſem Epiſcopum ita reſcripſit: Verum eſt quod audiſtis, infirmatus ſum uſque ad mortem, ſed interim ut ſentio revocatus ad mortem, atque hoc me ſentio non diu.* Goffridus Bernardi verba hæc ſic interpretatur continuo: *Vitam quippe mortalem, mortem magis quam vitam reputans, non a morte; ſed ad mortem revocatum ſe ſentiebat.*

Exinde factum eſt, ut in quibuſdam ſacrorum Rituum codicibus, & cum primis in Meldenſi, qui anno MDXLVI. impreſſus eſt, hæc præſcribatur admonitio: *Moneat Sacerdos infirmum, ut id velit quod vult Deus, ſi forſitan nunc ſit ei juxta Dei voluntatem moriendum, quodque mors eſt Chriſtianorum principium & janua vitæ.* Bernardo & Meldenſi Rituali præiviſſe dici poteſt Tertullianus, cum in libri de pœnitentia capite IV. ait: *Pœnitentia vita eſt cum præponitur morti.*

Porro autem abrogationem illam non induxit beatus Paulus cum in epiſtolæ I. ad Corinthios capite V. ſcribit: *Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes.* Iterum in epiſtolæ ad Philippenſes capite I. *Mihi vivere Chriſtus, & mori lucrum.* Iterum adhuc: *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto multo magis melius.*

Non induxit exemplum beati Martini Turonum Antiſtis; de quo Sulpicius Severus in epiſtola ad Baſſulam ſocrum ſuam tertia hæc notat: *Itaque cum jam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen a Dei opere ceſſabat, pernox in orationibus & vigiliis fatiſcentes artus ſervire ſpiritui cogebat, nobili illo ſtratu ſuo in cinere & cilicio recubans; & cum a diſcipulis rogaretur, ut ſaltem vilia ſibi ſinerent ſtramenta ſupponi: Non decet, inquit, filii, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccavi. Oculis igitur ac manibus in cælum ſemper intentus, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat; & cum a Preſbyteris, qui tum ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret: Sinite, inquit, ſinite me Fratres cælum potius reſpicere quam terram, ut ſuo jam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Membra hæc duo: *Non decet, inquit, filii, Chriſtianum niſi in cinere mori. Ego ſi aliud vobis exemplum relinquo, ipſe peccavi*; iis omnibus, qui Chriſtiano reipſa cenſentur nomine, non meditanda tantum, ſed etiam concoquenda permittuntur. Interim, ut ingenue fatear quod ſentio, timorem mihi magnum incutiunt. Aliis fortaſſe timorem nullum incutient; ſed ipſi viderint, & litigent, quantum voluerint.

Non induxit religioſa Hiſtoria, quam Theodoretus Cyri Epiſcopus confecit: in ea nullus apparet Chirurgus aut Medicus, qui admirandos illos, & cæleſtem prorſus vitam degentes Monachos, hominum portenta, cum ægrotarent arte ſua ſublevaret, ex morborum gravitate, vel longinquitate recrearet, vel ad bonam integramque valetudinem reduceret. Hæc referens obſtupeſco.

Non

Non induxit exemplum beati Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, de quo vitæ illius ſcriptor æqualis tradit in cap. XXX. „Incidit repente in corporalis infirmitatis acerrimas paſſio„nes, ubi ſeptuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc ſolum frequenter dice„bat: Domine, da mihi modo hic patientiam, poſtea indulgentiam. Nec ab iſto ſer„mone aliquantulum ceſſavit, ſive dolor affligeret, ſive febris incenderet, ſive laſſitu„do diſſolveret: perſuadentibus autem medicis, ut lavacris balnearibus uteretur. Nun„quid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis explero vitæ ſuæ tempore „moriatur; ſi vero proximam mortem nec aquarum calidarum poſſunt fomenta tepel„lere, cur mihi obſecro, perſuadetis, ut rigorem diu ſervatæ profeſſionis in fine diſ„ſolvat. Sic ſalutem ſuam ſupernæ voluntati fideliter credens, poſtquam ſe ſenſit ſine „aliqua dubitatione diſſolvendum, vocans univerſos clericos ſuos præſentibus Monachis „allocutus eſt eos, dicens, *&c.*„ Sic Fulgentius accelerare mortem non timuit, cum lavacris balnearibus uti noluit.

Non induxit exemplum Ludovici VI. & Ludovici IX. Regum Galliæ, quod poſtea ſuo & loco & tempore edetur in medium ac proferetur.

Non induxit exemplum beati Bernardi Claræallenſis Abbatis, qui medius inter utrumque Ludovicum claruit: ſic enim de illo Goffridus Claræallenſis Monachus ſcribit in libri IV. de vita illius capite I. *Corpus lectulo decubans variis exercebatur incommodis, animus tamen liber, & potens qua Dei erant exercebat. Invictus non ceſſans in mediis quoque doloribus meditari ſecum aliquid aut dictare, orare affectuoſius, & Fratres ſtudioſius exhortari.* Hæc autem exercitia, quibus ſe dabat æger, medici non conſulunt, mortem non removent, ſed accelerant; & ſane non memini legere me fuiſſe unquam medicum, qui quæ de Bernardo narrat Goffridus, ægroto facienda præſcriberet. Quinetiam ſchola medicorum cuncta quidquid eſt a Goffrido narratum de non intermiſſis Bernardi laboribus ingenii adeo non ægroto præſcriberet, ut quanta poſſet auctoritate prohiberet.

Diſciplina Ciſtercienſium refertur.

Hæc extat in vetere uſuum Ciſtercienſis Ordinis libro, ubi res ita præſcribitur. In capite XCIV. „Cum aliquis morti penitus propinquaverit, ponatur ad terram ſuper „ſagum, ſuppoſito prius cinere in modum crucis & aliqua matta, vel ſtraminis aliquan„tum. Deinde percuſſa crebris ictibus tabula in clauſtro, & pulſato ſigno in Eccleſia, „ubicunque conventus fuerit, quater, quomodo bis fieri ad inungendum infirmum deter„minatum eſt. Si Conventus intra clauſtrum fuerit, occurrant omnes velociter ad mo„rientem, Credo in Deum, dicentes bis vel ter, tam alte ut poſſint audiri. Si vero „extra, quam citius poterit, cum gravitate tamen occurrat, niſi forte tempore ſecatio„nis vel meſſionis tantum, pro aliqua gravi neceſſitate Abbati vel Priori aliter viſum „fuerit. Cantor vero Abbati deferat Collectaneum, & Sacriſta ſtolam & baculum, du„cens ſecum qui deferat crucem, lumen, thuribulum, & aquam benedictam. Si ad col„lationem ſederint audita tabula dicat lector: Tu autem, Domine, & Abbas, adjutorium „noſtrum. Qui tunc forte præſens non fuerit, non ſatisfaciet ad gradum; ſed in craſtino „veniam petat in capitulo. Si in oratoiro ad Miſſas, vel ad canonicas horas, vel ſabbato „ad mandatum fuerint, Abbas & Prior, & quos Abbas juſſerit, eant.„ Ciſtercienſes obſervatam a vetuſtioribus Monachis diſciplinam cum retinuerunt, ſuam retinendo ac comprobando fecerunt.

Uſurpata ab Epiſcopis diſciplina refertur.

Uſurpatam ab Epiſcopis diſciplinam dico, non quod hac de re mihi exempla multa ſuppetant; minime vero. Nam ſuppetunt duo tantum, vetus unum, recens alterum; ſed in utroque multa intelligi poſſunt. Jam relatum eſt vetus: quod ad ſanctum Martinum pertinet: referendum eſt recens, quod Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus narrat in Arnulfi deceſſoris ſui vita. Liſiardi verba ſunt e capite L. „Viceſimo primo die ægro„tarionis ſuæ, qui erat ſabbati dies, & vigilia Aſſumptionis glorioſæ Dominæ noſtræ „Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, vocatis ad ſe diſcipulis cum Eccleſiæ vici„næ clericis, ſacro oleo voluit inungi, dans confeſſionem coram omnibus, & om„nium preces expetens. *Et poſt alia:* Sub horam autem veſpertinam, corpus & ſan„guinem Domini noſtri JESU CHRISTI ſumma cum devotione percepit, omnibuſque „precatus orabar, ut ſibi quoque omnes bene precarentur; ſicque ad requiem adſpirans „ſanctæ Crucis ſigno ſe conſignavit, & in ipſo Dominicæ noctis ingreſſu de lectulo ſe „ſubrigens in pavimento, cinere & cilicino ſtrato feliciter obdormivit XVIII. Calend. „Sept. anno MLXXXVII.

Porro veriſimile eſt admodum, a multis factitatum eſſe Epiſcopis, quod Liſiardus ab uno Sueſſionenſi Epiſcopo factum exponit. Nam ſi quod ille recenſet, novum

atque inuſitatum fuiſſet apud Epiſcopos, id auctor ad commendandam magis ac magis Arnulfi fidem & pietatem animadvertiſſet. Uſitatum quidem erat non apud omnes Epiſcopos, quia non omnes ſancto Arnulfo ſimiles fuerunt; ſed apud pleroſque & eos maxime, qui ex Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumebantur, & vitæ ſanctimonia præcellebant. Quod obſervamus de Arnulfo, de ſancto Martino ſimiliter obſervari poteſt. Quis enim crederet Martinum primum inter Epiſcopos & ultimum id feciſſe, quod ab eo factum ex Severo deprompſimus? Quis crederet e natione tota Epiſcoporum fuiſſe nullum, qui tanti Pontificis exemplum imitatus & ſubſecutus non fuerit?

Obſervata ab Regibus Galliæ diſciplina refertur.

Ludovicus VI. Galliæ Rex cognomento Craſſus, diſciplinæ huic ſe ſubjecit, ut Sugerius Monaſterii ſancti Dionyſii Abbas teſtatur in illius vita: „Calorum, *inquit*, æſtivorum intolerabili ſolutione, cum dominus Rex Ludovicus Pariſiis recidiva, profluvii „dyſenteria graviſſime fatigaretur, omnino deficiebat, qui nunquam ſuper his improvi„dus, accito venerabili Epiſcopo Pariſienſi Stephano, & religioſo Abbate ſancti Vic„toris Gilduino, cui familiarius confitebatur, eo quod Monaſterium ejus a fundamine „conſtruxerat, & confeſſionem repetit, & exitum ſuum Viatico Dominici corporis mu„niri devotiſſime ſatagit. Cumque ſe deferri ad Eccleſiam ſanctorum martyrum face„ret, ut quod votum ſæpius ſpoponderat, humillime perſolveret, ægritudinis anticipa„tus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & animo & voluntate complevit. Præ„cipiens ergo tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem mani„bus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ Crucis præſentiam ſuam muniens, triceſimo regni „adminiſtrationis, ætatis vero fere ſexageſimo anno Calend. Auguſti ſpiritum emiſit.„

Tria ſunt hic præcipue, quæ notentur. Unum præcepiſſe Regem, ut tapetum humi ſterneretur: alterum, in tapeto crucem cineribus deſignatam eſſe: tertium, e lecto ſublatum eſſe Regem, & in eo tapeto collocatum, atque ibi animam efflaſſe. Hæc eſt recepta illius temporis diſciplina, in qua pro cilicio, tapetum humi ſtratum eſt, quia Rex ita præcepit.

Ludovicus nonus, qui & Sanctorum numerum auxit in martyrologio, diſciplinæ quoque huic ſe ſubmiſit. Qua de re ſic Guillelmus Nangius in illius vita: *Ad extremam*, inquit, *horam veniens Chriſti ſervus, ſuper ſtratum cinere reſperſum in modum crucis recubans, felicem reddidit ſpiritum creatori.* Sic igitur ad annum MCCLXX. quo ſanctus Ludovicus mortem oppetiit, celebris inter Chriſtianos Eccleſiæ ritus viguit, quem vel ipſi Reges in ſummum pœnitentiæ documentum cuſtodirent, & in eo ceteris exemplum præberent; privatos autem homines ita mortuos eſſe per utrumque Regem tanquam per ſpeculum inſpicere licet. Id non tantum per conjecturam hanc, quæ tamen ſufficeret, colligimus; ſed etiam per teſtimonium Petri Venerabilis, qui rem ipſam in libri I. de miraculis capite IV. ſic atteſtatur: „Ad Monaſterium ſancti Joannis Angeliacenſis, quod „in Saoctonenſi pago ſitum eſt, Presbyter quidam, Gilbertus nomine ad converſionem „venit, atque ibi per aliquantum temporis quoad vixit, devote converſatus eſt. Conti„git autem non multo temporis elapſo eum ex infirmitate quam incurrerat, ad extrema „venire. Cumque, ſicut MOS CHRISTIANORUM EST, ET MAXIME MONA„CHORUM, in ſubſtrato cilicio & cinere a Fratribus compoſitus jaceret, atque ho„ram vocationis ſuæ exſpectaret, Fratres Monaſterii, ut ejus exitum orationibus com„mendarent, venerunt, & eum undique pſallendo circumſteterunt, *& cetera quæ ad „noſtrum inſtitutum non pertinent.*„ Hæc ille, qui anno MCLVII. migravit, Ludovicum, qui anno MCXXXVII. vitam cum morte commutavit, videre & alloqui potuit. Hinc efficitur, ut Rex moriens, morem, qui apud Chriſtianos invaluerat & irroboraverat, obſervarit: dempto, quod tapetum in cilicii loco poſitum fuerit. Privilegii dignitati regiæ conceſſi genus eſt, quo recepta tunc Chriſtianorum conſuetudo vim ac robur accepit. Porro autem cum ætatem illam, in qua tam æſtuoſa erat in languenti corpore pœnitentia, noſtræ comparo, temperare mihi non poſſum quin exclamem: O tempora, o mores!

CAPUT XI.

Eadem diſciplina retinebatur adhuc in Gallia ſub annum MDXXXIII. in quibuſdam locis.

IN quibuſdam Galliæ locis retentam fuiſſe circa annum MDXXXIII. hanc diſciplinam cognoſcimus ex Nemauſenſis Eccleſiæ Manuali, quod eo tempore publicatum repe-

reperitur. In eo igitur ſic ſe res habet ſub finem ordinis ad viſitandum infirmum: *Eſt conſuetudo in aliquibus locis, quod antequam infirmus moriatur, quod debet extrahi de lecto, & debet poni in cinere & cilicio. Sequitur benedictio cineris, & dicitur antequam corpus deſuper ponatur. ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc. ℣. Domine, exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus. ℟. Et cum.*

Oremus.

Deus indulgentiæ, pietatis & miſericordiæ, qui Ninivitis cinere & cilicio indutis, & miſericordiam ſuam clamantibus ſubveniſti, & cetera, ut ſupra. Idem habetur in Mimatenſis Eccleſiæ Manuali, quod circa annum MDXXX. in lucem emiſſum eſt: *Tandem vero, inquit, factus in agonia abſtractus de lecto, ponatur in cinere & cilicio.*

CAPUT XII.

Eadem diſciplina retinebatur adhuc in quibuſdam Italiæ locis ſub annum MDLV.

CENTESIMUS & decimus-ſeptimus eſt annus, poſtquam apud Venetos Italiæ gentem hic ritus in more inſtitutoque poſitus adhuc invenitur. Hoc diſcimus ex eorum Manuali, quod anno MDLV. ediderunt.

Benedictio cinerum.

In quibus ponendus eſt infirmus moriens, & cilicii, quo cadaver defuncti eſt involvendum. ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, *& cetera, ut ſupra.* Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Exorciſmus cineris.

Exorcizo te, cinis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine JESU CHRISTI Filii ejus, & Spiritus ſancti, qui te per ignem in favillam converti præcepit, ut ſicut juſſione Dei per ſanctum famulum tuum Moyſen cinis vitulæ in populo aſperſus omnem congregationem ſanctificavit Iſrael, ita & tu exorcizatus in nomioe ſanctæ Trinitatis, & in terra & cilicio aſperſus in famulo Dei non lateat diabolus, ſed maniſeſtetur atque expellatur, ut purus & ſincerus inveniatur. Per eundem Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Item benedictio cilicii.

Benedic, Domine, hoc cilicium, quod famulus tuus pro humilitatis & pœnitudinis ſuæ devotione indui appetit, *& cetera, ut ſupra.*

℟. Tunc aſperſis cineribus & cilicio aqua benedicta, imponat utrumque ſuper infirmum, vel etiam defunctum, & dicat ſequentem orationem.

Oremus.

Induat te Dominus veſtimento ſalutis, & qui nobis ut humilitatis oſtenderet formam, vilibus voluit indui pannis in præſepio, ipſe te faciat corde contrito & humiliato ſibi aſſiſtere; ut ſicut habitum hunc abjectionis te fecit extrinſecus inducere, ita ipſe veſtimento immortalitatis & ſtola jucunditatis te intrinſecus induat. Per eundem Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM Filium Dei, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Tunc ſuper infirmum Sacerdos cineres aſpergat, & cilicium ſuper eum ponat: ſi autem jam mortuus fuerit; ſimiliter eum aſpergat, & cilicium eum induat. *Hæc in illo libro, qui ſic inſcribitur:* Sacerdotale de Sacerdotis Curati munere ad animarum curam & Sacramentorum exhibitionem, atque aliarum Eccleſiarum uſus accommodatum.

CAPUT XIII.

Eadem diſciplina retinebatur adhuc in quibuſdam Galliæ locis ſub annum MDLXXVIII.

QUÆ modo ex Venetorum Sacerdotali retulimus, eadem penitus omnia reperiuntur in Parochorum inſtitutione, quam Petrus Viennenſis Archiepiſcopus recognovit anno MDLXXVIII. & Lugdunenſibus typis commiſit. Titulus ſacræ ceremoniæ ſic ſe habet.

Benedictio cinerum vel cilicii ſeu ſtraminis, in quibus infirmus moriens ſe poni petierit. ℣. *Adjutorium noſtrum*, & cetera, ut ſupra, quæ ad verbum tranſſcripta poſſunt videri; finis vero perſimilis: *Tunc Sacerdos cineres ſuper infirmum ſpargat, & cilicium ſuper eum ponat; ſi vero mortuus fuerit: cineres ſuper eum jactet, & cilicium ſuper eo ponat, vel ipſum induat.*

Hæc habui, quæ de monumentis iſtius antiquæ diſciplinæ referrem. Supereſt modo, ut eam nonnullis Obſervationibus illuſtremus, & illuſtratam confirmemus.

Observatio I.

Neceſſarium, nedum utile viſum eſt, plura ex variis Pontificalibus ſeu ritualibus libris deſcribere.

Erunt fortaſſe, qui ſupervacaneum putent, me tot ex tam variis Pontificalibus ſeu ritualibus libris deſcripſiſſe teſtimonia, quæ iiſdem propemodum verbis exprimantur; ſuffeciſſe vero pauciora, quæ retuliſſem, ceteris tantum verbo tenus indicatis, ego contra me id præſtitiſſe quod præſtiti, non utile modo, ſed & neceſſarium eſſe cenſui. Imprimis enim non omnes ſemper adhibent fidem iis, quæ non referuntur, ſed duntaxat indicantur, quod qui aliorum teſtimonia ita indicare ſolent, nonnunquam libris & auctoribus imponant. Deinde quod de rebus, quæ videntur, quam quæ non videntur, tutius ac ſincerius judicium feratur. Tum quod in manu non ſint omnes Pontificales ſeu rituales libri, qui legantur. Nam & teruntur uſu, & in bibliopolarum officinis deſiderantur. Quocirca vel ex hoc uno capite neceſſarium fuit, nedum utile, ut lectorum ſtudio & honeſtæ curioſitati ſubvenirem, eoſque diſquirendorum Pontificalium onere levarem. Denique quod detractione rerum, vel additione rituales libri cum ſubinde mutentur, quæ ad plenum deſcripſi, multo facilius ſervabuntur in teſtimonium antiquitatis.

Observatio II.

Hic univerſim ritus quanta ſit antiquitatis incertum.

Hic univerſim ritus quin venerandæ antiquitatis ſit, dubitare non licet; ſed quantæ, definiri vix poteſt: & certe ante octingentos abhinc annos, vel totum vel ejus partem viguiſſe docent, quæ ex libro de Officiis divinis, atque ex ordine Romano tranſſcripſimus; quo vero tempore ante memoratam epocham cœperit, haud colligitur ex monumentis, quæ ad nos pervenerunt.

Observatio III.

Hic ritus non videtur ubique locorum receptus.

In Euchologio cum nulla cineris benedictio inveniatur aut cilicii, quod morientes induant, ex eo diſcimus, hunc ritum in Græciam non pervaſiſſe. Non erat in uſu apud Germanos, quo tempore Burchardus Wormatienſis Epiſcopus decretum ſuum compoſuit. Hujus enim decreti libro XVIII. Unctionis infirmorum ordinem exponit totum, in quo nulla extat cineris aut cilicii benedictio. Burchardus porro circa annum MXX. vixit. Præterea de hoc ritu nihil tradit Parochorum Saliſburgenſis provinciæ Manuale, quod anno MDLXXXII. editum eſt. Quapropter in Germania vel nullus hujus ceremoniæ uſus fuit vel rariſſimus. De Hiſpania nihil pronuntio, quia librum Hiſpaniæ ritualem nullum vidi. Ad Angliam quod attinet, Pontificalem librum Dorobernenſis Eccleſiæ unum vidi, in quo ritus iſte non apparet: eſt ante ſexcentos abhinc annos manu exaratus. An autem Ciſtercienſis conſuetudo, cujus teſtimonium retuli, apud Germanos, Hiſpanos aut Anglos hujus Ordinis Monachos ſervata ſit, me penitus latet; ſervatam vero fuiſſe admodum credibile eſt. Quæ ſunt enim alicujus ordinis inſtituta, videntur ad omnes cujuſvis nationis profeſſores pertinere. In Italia, Romæ præſertim & Venetiis, hic ritus olim frequentatus eſt. Id imprimis prodit vetus ordo Romanus MS. qui in Bibliotheca Corbeienſi aſſervatur, & cap. 1. laudatur. Non comparet quidem in ordine Romano, qui editus eſt; ſed expunctus eſt licentia viciſſitudinis, cui varii Eccleſiarum mores exponuntur. Deinde id quoque prodit Venetorum Sacerdotale, quod ſuperiori ſæculo veteres uſus in unum codicem compegit. Denique in Gallia, ubi ritus iſte diu multumque viguit, eum haud ubique viguiſſe demonſtrant veteres plurium Eccleſiarum rituales libri, in quibus nulla eſt illius mentio, nullum veſtigium. Quod autem in majori Galliæ parte viguerit,

guerit, oſtendunt cum illa multarum Eccleſiarum teſtimonia, quæ recenſui, tum maxime Regum exempla, in hoc enim valet illud Poetæ.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

OBSERVATIO IV.

In ipſa hujus ritus antiquitate reperta varietas.

QUIBUS in locis ſervatus olim fuit hic ritus, nonnulla varietas deprehenditur; in aliis enim moriturus non induebatur cilicio, nec tractus e lecto in terra cinere reſperſa collocabatur; ſed cinerea cruce ſignabatur pectus infirmi, cui & cilicium imponebatur in ſignum pœnitentiæ; in aliis vero res adhuc aliter ſe habebat: quas varietates non lubet repetere, cum eas ſingulorum capitum argumenta ſatis declarent, & legentium oculis objiciant,

OBSERVATIO V.

Hi ritus optimis rationum momentis fulciuntur.

JAM ducenti ſunt anni & eo amplius, poſtquam hos Eccleſiæ ritus expoſuit anonymus quidam Joannis Andreæ diſcipulus. Commentarium, in quo huic operi vacavit, inſcribitur *Theſaurus Pontificalis*, quem Nicolaus Jadrenſis Epiſcopus Pariſiis ante annos centum quinquaginta prælo mandari curavit. In hoc igitur libro quinta parte ſic explicantur.

De benedictione cilicii.

Circa hanc rubricam eſt ſciendum, quod pœnitentes & morituri in ſignum pœnitentiæ, & humilitatis induunt cilicium exemplo Prophetæ Pſ. XL. Induebar cilicio, & Jonæ tertio: Dux Ninivitarum indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, & miſericordiam impetravit, Thren. III. cap. Virgines Jeruſalem cuircuitæ ſunt ciliciis. Hinc eſt quod pœnitentes & morituri, ut exemplo tantarum auctoritatum valeant Dei miſericordiam invenire, induantur cilicio. Ad hunc ergo affectum cilicium benedicetur juxta Pontificalis libri doctrinam.

De induitione cilicii.

Circa hanc rubricam eſt ſciendum, quod pœnitentes & morituri in ſignum pœnitentiæ & humilitatis induant cilicium, quia homo terra & pulvis eſt, Geneſ. XVIII. cap. dixit: Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis, & omnia quæ tua ſunt, in terram convertentur, Eccleſiaſtici XVI. & Eccleſiaſtæ III. & XIII. quæſt. XI. In Eccleſiaſtici II Cinere vel ſolo proſternuntur & cilicium induunt. Quod de veteri teſtamento tractum eſt. Iſaiæ XLVIII. cap. Pœnitentes ſacco & cinere ſternuntur. Item Jerem. XXIII. Aſpergimini cinere, quia completi ſunt dies veſtri. Item Joſue cap. III. Rex Ninivæ indutus eſt ſacco, ſedit in cinere: fit hoc ad ſignificandum, quod ſicut in abjectione Adæ de Paradiſo maledicta fuit terra noſtra in opere ſuo, Geneſ. III. ſic per humilitatem pœnitentiæ terra noſtra, id eſt, arbitrium liberum noſtrum benedicetur per pœnitentiam, ut non ſpinas vel tribulos, ſed dignos pœnitentiæ fructus germinet. Ad hunc ergo effectum cinis benedicitur. *Hæc ille, quibus adjicii nihil eſt neceſſe.*

OBSERVATIO VI.

Morituri collocatio in lecto, ſeu cilicio cinere conſperſo apud ſæculares diutius quam apud ipſos auſterioris vitæ Monachos perſeveravit.

QUOD pleriſque mortalium videretur incredibile. nec immerito id collatis inter ſe capitibus X. XI. XII. & XIII. prorſus credibile redditur. In cap. X. Caruſienſes quos auſterioris vitæ genus colere, negaturum opinor neminem, ad annum MDXX. a memorata in obſervationis hujus titulo diſciplina cœperunt abhorrere, eique lege lata nuncium remiſerunt; ſed ſtatus ille quo quis morti proximus & ſacco & cineri incubat, quo quis negotium divinæ miſericordiæ tam diligenter curat ac fideliter, quo quis primam & ultimam proſternendi & humilificandi hominis diſciplinam exercet, apud certos quoſdam Italiæ & Galliæ diœceſes & parœcias ſanctiſſime retentus eſt. An autem diſciplina hæc ubi deſierit, & an in diœceſibus & parœciis antequam in Cluniacenſium & Ciſtercienſium Monaſteriis deſierit, necne, quia me latet, cogor in incompertum relinquere. Quidquid id eſt, recens Cartuſienſium inſtitutio dubitari

non

non ſinit, quin aliquando fiat ut ſacri quidam ritus apud diœceſes & parœcias; quam apud auſteriora Monaſteria conſerventur integrius, & perſiſtant diutius. Si rei quæratur ratio, haud ſacile inveniri poterit. Tertulliano acris & vehementis ingenii viro ut eſt aliquando non bona ſimplicitas, ſic & contra bona quædam erit ſimplicitas: ſimplicitati, quæ bona non eſt, adſcribi debet conſuetudo illa, quæ ex temporum ſpatio, ex perſonarum patrociniis, atque ex regionum privilegio initium ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita ſæpe adverſus veritatem aſſeritur & vindicatur; ſimplicitati vero quæ bona eſt, adſcribi poteſt conſervatio illorum rituum, de quibus ſermo inſtituitur: atque hæc ſimplicitas eodem auctore ſimplicitas veritatis appellabitur. Siquis aliter reſpondeat, & interrogantis deſiderium impleat, implebit quoque meum, & ei libenter aſſentiar.

Observatio VII. et ultima.

Varii Eccleſiarum tam circa Unctionem infirmorum, quam circa ſtatum morientium ritus cur in varia quoque capita diſtincti.

Rationes duæ impulerunt me, ut varios Eccleſiarum tam circa Unctionem infirmorum, quam circa ſtatum morientium in varia quoque capita diſtinguerem. Primum quidem, ut id quod res eſt, ſimpliciter & ſine fuco repræſentarem. Nam cum aliis in rebus, tum in iis maxime, quæ noſtri ſunt ſtudii, nihil eſt dulcius, aut delectabilius, quam ſimplex & aperta narratio veritatis. Juſtus ſine mendacio candor apud bonos, & vere pios atque eruditos homines crimini nec eſt, nec poteſt eſſe. Deinde ne qui ad pauca reſpiciunt, & ideo pronuntiare ſolent, univerſæ tribuant Eccleſiæ, quod privatis quibuſdam duntaxat Eccleſiis tribuendum eſt. Nonnullos e ſchola reperias Theologos, qui ab hoc diſputandi vitio non ſibi cavent, perſonalem ſuppoſitionem, ut Dialectici loquuntur in ſimplicem convertunt, & miſeram Sophiſticem exercent. Errant & ipſi primi omnium, & alios in ſimilem errorem inducunt: neque hoc tantum, etiamſi notabile ſit incommodum. Hi enim cum tam varios Eccleſiarum ritus perſpectos & animadverſos non habent, & unum norint vel alterum, nihil rectum, niſi quod huic vel illi ritui præjudicatæ in alterutro perperam opinioni conveniat, putant. Sed ubi didicerunt, quod ante præjudicium omne factum ſcire debuerant, unuſquiſque illorum cogetur, quod ſapientis non eſt, dicere, Non putabam, neque hoc ſemper uſuvenit. Sunt enim qui quam opinionem animo ſemel imbiberint, eam nuſquam deponant, & quod eſt intolerabilius, quidquid ei contrarium apparet, errori vel temeritati adſcribant. Qui ita ſe gerit, vitandus eſt ut ſcopulus, in quem vera & ſolida quævis illiduntur & franguntur inſtitutio & Eccleſiaſtica eruditio.

Finis Partis I. Tomi I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google